




EX LIBRIS
GVLIELMI IOSEPHI DWYER S·T·L
SANCTI BERNARDI ECCLESIAE PASTORIS
✠ KAL · NOV · MDCCCCXXXIII



Wm. J. Dwyer

BELLARMINI OPERA

THE HISTORY OF THE

BRITISH ARMY

VEN. CARDINALIS

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J. II

OPERA OMNIA

EX EDITIONE VENETA, PLURIBUS TUM ADDITIS TUM CORRECTIS
ITERUM EDIDIT

JUSTINUS FÈVRE

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS

TOMUS NONUS



BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, EDITOREM

VIA DICTA DELAMBRE 13.

—
1873

REVISED EDITION

ROBERT BENTLEY

BY THE AUTHOR

OPERA OMNIA

THE COMPLETE WORKS OF ROBERT BENTLEY

EDITED BY

THE EDITOR

LONDON

Bx 890
B4

95306

IN ANNIVERSARIO
B. ALOISII GONZAGÆ
E SOCIETATE JESU

CONCIO PRIMA

IN FESTO S. ANDREÆ

THEMA

Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. *Matth.*, iv, 19.

SYNOPSIS.

Quæ Deus per seipsum operatur esse meliora, quam quæ mediantibus aliis atque inde Apostolorum dignitas colligitur. Ambulandum nobis in terra ad Christi exemplum. Jordanis historica descriptio et maris Galilææ laus. Deum non aspicere qualis sit homo, sed qualis fieri possit. Pastoribus Ecclesiæ concordiam esse necessariam. In divinis negotiis non habendam esse affinum et conjunctorum rationem. Cur Deus abjectos ad Apostolatium selegcrit: ac proinde impia Juliani calumnia in Christum firmis rationibus refutatur. Quomodo ad Christi exemplum sit piscandum. Peccatores piseibus apte comparantur; hos qui piscantur sunt Deus et Diabolus, diverso tamen modo. Rete Christi esse sacram Scripturam, ipsum Verbum incarnatum. Copiosa Diaboli piscatio ostenditur. Calumnia Perphyrii et Juliani in Apostolos similitudine et ratione refellitur. Quomodo Andreas Apostolus primus vocatus sit: et quomodo divinæ vocationi acquiescendum S. Andreæ exemplo docetur.

Magna et præclara quædam res est dignitas Apostolica, optimi atque ornatissimi audifores, præstans, ac sane singularis excellentia eorum quos Deus ipse per se, non per ministros Sacerdotes, et Episcopos, consecravit. Nec enim aliquem esse tam rudem, et imperitum existimo, qui nesciat ea, quæ Deus summus, et præstantissimus artifex per

se facit, multo esse et meliora, et pulchriora, quam ea sint, quæ per famulos ac ministros facit. Condidit Deus initio Adamum, et Evam, parentes primos generis humani, et quis potest ambigere, quin duo isti homines formosiores, et melioris constitutionis ac temperamenti fuerint, quam ii, qui quotidie nascuntur ex hominibus et a Deo quidem; sed per homines famulos videlicet, et ministros, fiunt? Et quis rursus non existimet, eos panes, et eos pisces, salubriores, et meliores fuisse, quos Dominus quondam per se ex paucissimis panibus, et piscibus multiplicavit, quam ii sint, qui labore, et industria hominum fiunt? Et illud vinum dulcius, et præstantius, quod ex aqua Dominus occulta benedictione in nuptiis fecit, quam illud sit, quod annis singulis nascitur ex vitibus. Et eos oculos perspicaciores, et pulchriores, quos idem Dominus cæcis hominibus singulari munere largiebatur, quam ii fuissent, quos a natura ante receperant? Quæ cum ita sint, quid tandem de præstantia singulari, et eximia dignitate Apostolorum existimare debemus, quos ipsum per se Dei verbum vocavit, erudit, instituit, illustravit? Si membra eo sunt meliora, quo capiti viciniora, et aqua purior, quo fonti propinquior, et lucis radii eo magis splendent, quo minus a sole recedunt, quem gradum nobilitatis, et gloriæ Apostolis dabimus, qui Christo capiti, et fonti omnium bonorum, et veræ ac sempiternæ luci propinquissimi semper fuerunt? Jure igitur ac merito Spiritus sanctus Apostolos in sacris

litteris nunc principes orbis terræ, nunc Ecclesiæ architectos, nunc fundamenta, et columnas, nunc pastores et doctores humani generis appellat. Horum in numero beatissimus Andreas fuit, quem quia singulari benevolentia, et charitate Dominus complexus sit, vel ex eo intelligi potest, quod eum omnium primum sibi adjunxit. Fuit itaque Andreas velut filius primogenitus Domini, atque idcirco vehementer ac pene singulariter dilectus, ut de eo non immerito mater Ecclesia versum illum hodie cum cantu læto ingeminet : « Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis. » Quamobrem ut modum, et ordinem tantæ vocationis intelligamus, historiam Evangelicam hodie nobis ab Ecclesia propositam breviter, si placet, aggrediamur.

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, et Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores) ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus et navi secuti sunt eum.

Ambulans. Jesus liberator noster, auditores, qui non solum verbo, sed etiam exemplo genus humanum instituebat, raro admodum sedisse, crebro ambulasse legitur. Sedit in monte, sed ut Apostolos erudiret. Sedit supra fontem, sed fatigatus ex itinere, et ut mulierem Samaritanam expectaret, et per eam ingentem multitudinem converteret. Crebro vero ambulabat, nimirum ut nos omnes admoneret, vitam istam viam esse ad cælum, nec nos in patria, sed in itinere agere : proinde tempus jam esse laborandi, ambulandi, proficiendi, non standi, non sedendi, non quiescendi. Nemo igitur seipsum fallat, nemo spatium concessum itinere in cauponis, et tabernis otiose et perniciose consumat ; sed properemus omnes, et « Festinemus ingredi in illam requiem, » ubi abstergantur lacrymæ ab oculis venientium, et ubi « Dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. »

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ. Dominus piscari volebat, ideo juxta mare ambulabat. Sed unum verbum de isto mari, vel lacu potius Galilææ dicamus. Narrat Josephus, et ex eo d. Hieronymus in capite xvi. Math. ad radicem montis Libani duos fontes scaturire, nomen uni Jor, alteri Dan, ex iis vero et appellationem ; et originem accipere Jordanem fluvium longe celeberrimum

qui posteaquam aliquamdiu spatiatum est, in vallem quamdem se infundit, atque ibi efficit lacum istum, de quo loquimur. Tum ex altera parte rursus erumpit, et peragit cursum suum usque ad mare mortuum. Porro lacus iste omnes alios lacus pulchritudine, amœnitate, fertilitate, et nobilitate, sine controversia antecellit. Si pulchritudinem, et amœnitatem quæris, silvis et nemoribus pene circumdatus est : si utilitatem consideres, præbet accolis suis abunde cibum et potum, aquam dulcissimam, et pisces optimos omnium generum, de quorum piscatione multos annos principes nostri Petrus et Andreas Jacobus, et Joannes victitarunt. Neque vero existimet aliquis, lacum in aliena deserta solitudine situm esse : adjacet Galilææ, alluit Tiberiadem, nec procul abest ab aliis non nullis præclarissimis oppidis. Hinc videlicet nunc mare Galilææ : nunc mare Tiberiadis, in sanctis litteris appellatur. Dicitur etiam alicubi lacus Genezareth, vel quod ventos, et auras generet, ut Hegesippo placet : vel quod terram Genezar propinquam habeat, ut Josepho verius, et credibilius videtur. Verum id, quod lacum istum mirum in modum nobilitat atque illustrat, non tam est amœnitas silvarum, vel celebritas oppidorum vel piscium copia, quam præsentia ac visitatio Conditoris. Hic enim est ille lacus, quem Dei Filius frequentissime navigavit. Hic est ille lacus, super quem idem Dominus siccis pedibus ambulavit. Hic est ille lacus, in quo fluctuante navicula fidem discipulorum non semel Dominus exploravit. Hic est ille lacus ubi fluctibus et tempestatibus sedandis omnipotentiam suam et divinitatem ostendit. Hic est ille lacus, quo discipulos suos non semel Dominus magna piscium comprehensione consolatus est. Hic demum est ille lacus, in quo statum, et progressum, et persecutiones, et tempestates Ecclesiæ sæpius typo naviculæ Dominus adumbravit. Ad hunc igitur lacum accessit, et juxta eum hodie ambulabat, ut, quemadmodum olim Moysen edixit ex aquis, ut eum ducem faceret populi sui, sic etiam nunc ex aquis educeret, quos principes, et gubernatores Ecclesiæ, constitueret.

Sequitur : *Vidit duos fratres.* Ipse est enim qui prior intuetur, ipse *Prævenit nos in benedictionibus dulcedinis,* ut postea *In misericordia et miserationibus coronet.* — Nec enim unquam homines converterentur ad Deum, nisi prius Deus con-

verteretur ad homines. Itaque ipse est, qui oculos clementiæ, et benignitatis suæ in Andream, et fratrem prius convertit. Et *Vidit*, inquit, *duos fratres*. Quid quæso vidit? Num homines valde sapientes, et prudentes, et omni virtutum genere instructos, qui maxime essent idonei, ut toti orbi doctores, et magistri constituerentur? Non hoc vidit: sed homines rusticanos, imperitos; non tamen eos contempsit, quia non tam cogitabat, quid illi essent, quam quid ipse ex iis efficere posset. Pergit faber lignarius in silvam, conspicatur truncum humi jacentem, tortuosum, nodosum, impositum, sine specie, sine forma ulla: arripit tamen eum, imponit in humeros, et lætus revertitur domum. Videt eum aliquis imperitus artis lignariæ: Quid, inquit, ages de trunco isto? Quid tantum in eo ferendo laboras? Quid? inquit faber: hinc vel theca, vel cathedra, vel aliquid etiam pulchrius exhibit. At truncus iste informis nullam habet thecæ, vel cathedræ similitudinem. Ita est, inquit, sed exspecta paulisper, donec eum dolare, polire, et elaborare incipiam; tunc videbis, si fiet aliquid, quod est cubicula, et aulas principum oruare possit. Pari ratione Deus noster, auditores, est ipse artifex admirabilis. Vidit Andream et Petrum, homines rudes, abjectos, obscuros, et qui nulli rei minus idonei viderentur, quam Apostolicæ dignitati: frætus tamen potentia, et sapientia sua incipit eos versare in hanc partem, et in illam, expolire, tornare, laborare, et tandem tales illos facit, ut trabes, et columnæ esse possint, in ea domo, quæ bitumine charitatis ex lignis immortalibus et pretiosis gemmis, ac lapidibus ædificatur.

Sed quid sibi vult, quod Dominus non unum, sed duos: et duos non quoscumque, sed fratres: et cur Petrum, et Andream potius, quam Jacobum et Joannem, primos omnium vocavit? Quid hic mysterii latet? Sicut a duobus olim incepit, Moyse videlicet et Aaron, cum populum suum de tenebris Ægypti liberare vellet, sic etiam nunc a duobus incipit, quando orbis totus de tenebris peccatorum eripiendus erat. Fratres autem eos duos esse voluit, ut hoc exemplo demonstraret, quanta conjunctio animorum, et quanta pax, et concordia, atque amor esse deberet inter pastores, et concionatores, et principes, ac præsules Ecclesiarum. Petrum vero, et Andream primos vocat; non Jacobum, et Joannem, qui affines ejus erant;

ut omnibus aperte declararet, non esse in negotiis Dei affinium, et conjunctorum rationem habendam. Ac ne tu postea diceres: habeo beneficium unum Ecclesiasticum, dabo illud nepoti meo, vel fratri meo, vel etiam filio meo. Ut tu igitur hoc non diceres, Petrum, et Andream, Jacobo, et Joanni affinibus suis præposuit.

Sed quid quæso Andreas, et Petrus agebant, cum Dominus eos vocavit? Piscabantur. *Vidit*, inquit, *duos fratres mittentes rete in mare*, etc. Itaque piscabantur, hoc est, quod paulo post futuri essent non verbis, sed actionibus vaticinabantur. Verum hoc loco paucis refellenda est blasphemia impudentissima Juliani Apostatæ. Julianus, qui Constantio Magni Constantini filio successerat in imperio, cum a fide Christiana defecisset, hoc loco uti solebat, cum adversum Christianos disserendum erat, asserens callidissime Dominum piscatores imperitos, et simplices sibi adjunxisse, ut facilius eis imponeret. Verum nullo negotio refelletur blasphæmia. Primum diabolici animi est, omnia in deteriorem partem interpretari: deinde nec illud verum est, omnes Christi discipulos rusticos, et imperitos fuisse, nam et Nicodemus, et Gamaliel, et Nathanael, juris judæici doctores erant; et Lazarus ac Josephus ab Arimathæa ex nobilibus Judæorum erant: et Paulus eruditissimus erat in lege, et magna turba Sacerdotum (ut in Actis Apostolicis testatur Lucas) obediebat fidei. Præterea, si calliditati tribuitur, quod rudes, et simplices vocaverit, numquid calliditati, an divinitati, et omnipotentiae tribuetur, quod eos repente sapientissimos, et eloquentissimos effecerit? Quod omnium gentium linguis, et oratione instruxerit! Quod splendore, et gloria miraculorum ornaverit? Quod summa, et perspicacissima ingenia in eorum litteris cæcutiant? Et quando etiam nihil horum Dominus in Apostolis effecisset, adhuc tamen non calliditas in hoc facto appareret; sed maxima, et plane divinasapientia eluceret. Primum enim ad gloriam Dei maxime amplificandam pertinebat, ut ad summum negotium infimos homines adhiberet: tanto enim magis excellentia artificis laudatur quanto minus aptis instrumentis res præclarissimas operantur. Nonne is scriptor nobilissimus haberetur, qui melius scriberet calamo fracto, quam alius integro? Haberetur omnino, et gloria tota scriptori tribueretur: neque ullam ejus partem sibi

calami bonitas vindicaret : nam alias dice-
rent homines ; non mirum, si scripsit bene,
nam calamum optimum habuit. Ad eundem
igitur modum, cum Deus loquitur per in-
fantes diserte, et per imperitos sapienter, et
cum per humiles, atque abjectos magnifice,
ac nobiliter operatur, tota laus Dei loquen-
tis, et operantis est. Deinde elegit Deus ad
Apostolicum munus homines viles, quia ni-
hil periculosius Episcoporum, et conciona-
torum functionibus, quæ proprie Apostolo-
rum erant, inveniri potest, ac tunc præser-
tim, cum bene, et cum laude hæc munera
exercentur, sicut et Apostoli facturi erant.
Quis nescit, quam blande instet adversarius
veræ beatitudinis ubique spargens in laquæis
« Euge, euge : » ut dum avidè colligimus, in-
caute capiamur? Quis autem ignorat, quam
suaviter deglutiantur verba laudantium præ-
sertim dum non *Laudatur peccator in desideriis
animæ suæ*; sed vir justus in donis, et chari-
smatibus Domini sui? ut igitur possent Apo-
stoli periculosissimam istam tentationem
evadere; non sapientes, non potentes, non
nobiles; sed imperitos, abjectos, obscu-
ros elegit. Hac enim ratione semper ha-
bebant præsentissimum remedium contra
periculosissimum venenum, dum videlicet
cogitabant, quales olim fuissent : et non se
sua industria, suo studio, suo labore; sed
Dei munere sapientiam, et eloquentiam et
gradum illum amplissimum dignitatis conse-
cutos esse. Postremo, *Quia non cognovit mun-
dus per sapientiam Deum, placuit Deo per stul-
titiæ prædicationis salvos facere credentes* :
quia superbis Philosophis sapientiam suam
jactantibus, mundus non tam conversus
quam perversus erat, voluit Deus, ut humi-
libus piscatoribus ignominiam crucis prædi-
cantibus mundus converteretur. Cum ali-
quando in scholis existit aliquis superbus et
gloriosus adolescens, et quia metaphysicus
nominatur jactat sapientiam suam, alios
omnes contemnit, tum præfectus gymnasii
vir bonus, et sapiens, ut morbo isti medea-
tur, et superbiam illam couprimat : expecta,
inquit, paulisper, puerum istum, qui vix
dialectica attigit, tecum disserere volo, et
nihil dubito quin superaturus sit te. Ita fecit
Deus, *Elegit infirma, ut confundat fortia : et
stulta, ut confundat sapientes*. Quid esse, in-
quit, existimatis eos, qui Philosophi nomi-
nantur? Jam, jam intelligetis quid sint, ecce
ego adducam simplicissimos, et imperitissi-
mos piscatores, et per eos confundam, et

debellabo, et evanescere faciam omnem sa-
pientiam Philosophorum. Et vere sicut olim
virga Moysis virgas magorum devoravit ;
ita hæc stultitia humilium piscatorum vicit
sapientiam superbiorum Philosophorum. In-
flabant illi magnificas tubas grandiloquentiæ
suæ, et omnes homines ad sectas suas spe-
cioso nomine sapientiæ provocabant : et vix
paucos quosdam a vicinis locis pertrahere ad
sua dogmata potuerunt. Inflarunt contra
piscatores nostri suas fistulas rusticanas, et
continuo totus orbis accurrit, et Evangelio
coruscante, omnia dogmata Pythagoræ, et
Socratis, et Zenonis et Epicuri, et aliorum
mundi sapientiam, tamquam fumus evanue-
rit. Nam ut magnus Athanasius in libro de
humanitate Verbi, eleganter ostendit, Philo-
sophi Græci tot, et tam ingentibus volumini-
bus, sapientissime, et eloquentissime scriptis,
ne paucis quidem e vicinia persuaserunt :
at Dominus per Apostolos homines imperi-
tos nec eruditæ linguæ, omnibus gentibus
mortis contemptum, paupertatem, tempe-
rantiam, castitatem, omnes virtutes, et fi-
dem sublimissimam rerum altissimarum, et
homines intelligentiam exuperantium facil-
lime persuasit. Vicit igitur stultitia sapien-
tiam, et piscatores Philosophos superarunt :
nec Dominus callide, sed sapienter, sed di-
vine, sed prudentissimo consilio ad munus
apostolatus piscatores elegit.

Sequitur. *Et ait illis, venite post me*. Hoc
est unum ex maximis, et excellentissimis be-
neficiis, quæ Dei verbum humano generi
attulit. Non satis fuit visceribus illis chari-
tatis Patris nostri Dei, ut nos verbo suo do-
ceret, atque institueret : sed voluit etiam
reipsa, et factis docere : vidistis aliquando
et experti etiam estis, cum pueri essetis, quid
facere soleant diligentes pædagogi. Primum
jubent pueros, ut scribant atque ante oculos
eorum ponunt exemplar, quod imitari in
scribendo debeant; verum cum animad-
vertunt, eos non recte pergere, nec posse,
nisi alium scribentem viderint, ipsi præcep-
tores calamum arripiunt, et pueris aiunt : Eia
respicite, ita scribendum est, ita lineæ du-
cendæ, ita characteres formandi, pingendique
sunt. Hoc est, auditores, hoc est, quod
Deus noster fecit : præcipiebat olim, ut ad
exemplar legis ipsius vitam, et mores nostros
componeremus : sedebat in cathedra, doce-
bat ex cathedra, intonabat voce terribili :
*Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis
Deus alienos coram me. Non assumes nomen*

Dei tui in vanum. Memento, ut Sabbatum sanctifices. Non occides, Non furaberis. Non mœchaberis. Non concupisces. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. Et nos pueri imperiti nihil horum faciebamus: vel si faciebamus, non sine multis, et magnis erroribus faciebamus. Quid igitur consilii cepit Deus? O quid consilii cepit? *O quis intelliget misericordias Domini, et auditas faciet omnes laudes ejus.* Descendit ex cathedra, adjunxit se pueris, cœpit legem suam ipse qui dederat, observare: et interim clamabat, *Venite post me, sequimini præcedentem*: Sic est ambulandum, sic vivendum, sic diligendus est Deus, sic amandus est proximus, sic divitiæ contemnendæ, sic honores calcandi, sic amputandæ voluptates, sic dimicandum pro veritate, sic pro Dei gloria, et salute proximorum moriendum est. O dulcis veritas: o amor inexplicabilis: et quis retribuet tibi pro omnibus quæ retribuisti nobis? Sequamur, auditores, sequamur vestigia Dei nostri. Non potuimus consequi Deum præcipientem; imitemur saltem Deum obedientem. Non persuasit nobis Deus dicens; persuadeat saltem Deus faciens. Et hæc quidem ad omnes; sed Apostolis, et Apostolorum sectatoribus adhuc excellentiorem viam istis iisdem verbis demonstravit.

Venite, inquit, post me, et faciam vos, etc. Ego ut commode piscari possem, reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam et nec uxorem, aut liberos habere volo, nec pecuniis, aut honoribus acquirendis operam dabo: sed tollam in humeros crucem meam, et patri usque ad mortem obediens ero. In hoc igitur venite post me, sequimini, atque imitamini me, si piscatores hominum fieri vultis, alioqui enim non hominum, sed pecuniarum, sed honorum, sed commodorum piscatores eritis. O utinam cohortationem istam omnes Christiani piscatores intelligerent. Hinc enim exiguus est concionum fructus, quod concionatores liberos pedes et expeditos non habeant: et in suis negotiis occupati nihil minus interdum, quam salutem audientium quærant. *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos, inquit* Apostolus Paulus piscator bonus. Homines igitur, non pecuniæ, non honores, non laudes piscandæ sunt.

Sequitur, *Et faciam vos fieri piscatores hominum.* Qui homines, piscandos esse dicit, certe homines, vel pisces esse, vel piscium simillimos docet. Ita se res habet: homines

peccatores, qui piscandi sunt, pisces sunt. Primum enim piscium est proprium in aquis marinis habitare, quæ tametsi claræ, et pellucidæ esse videntur, et ad bibendum invitant; tamen amarissimæ, et falsissimæ sunt et sitim non extinguunt, sed accendunt.

Homines vero peccatores numquid non sunt in iis rebus immersi, quæ pulchræ esse, et dulces videntur et tamen amaræ sunt, falsæ sunt, satiare et sitim sedare non possunt? Pisces vero frigidissimi sunt, ac naturali calore pene destituti esse videntur: homines autem peccatores numquid non ipsis piscibus sunt frigidiores, cum ardore charitas non sint pene, sed penitus destituti? Legunt duo litteras Dei, Evangelistam videlicet, vel Apostolum, vel unum ex Prophetis: ambo legunt, *Verbum caro factum est*, ambo legunt, *Proprio Filio suo non percipit Deus*; ambo hæc legunt; sed unus dum legit, rapitur, commutatur, inardescit, liquescit, lacrymas continere non potest: alter non magis mutatur, quam si Tullium, vel Aristotelem perlegisset. Quid hoc significat? Unde hæc tanta diversitas? Eædem litteræ sunt, quas legunt: sed non est idem ardor in iis qui legunt: ille calidus est et homo est: iste frihidus est et piscis est. Pergamus ad alia, præterea pisces delectantur sordibus, et libenter volutantur in cœno, et nec manus, nec pedes habent, ut inde se proripiant, et homines peccatores quid non faciunt pro cœno carnalium voluptatum? et cum iis dicitur, ut attendant quid agant, ut emergant ex luto, ut aspiciant semel pulchritudinem castitatis; non solum pedes, et manus non habet, ut inde egrediantur; sed nec aures habere videntur, ut audiant verba sana, et salutaria. O quanto labore ex isto luto homines extrahuntur? Sæpius Dominus eos piscatur et semper relabuntur in cœnum. Et quomodo possumus, inquirunt, caste vivere? quis posset oculos claudere, dum pulchræ species ingeruntur? Quis tum cogitationes, et desideria contineret? Nonne igitur fatentur ipsi se pisces esse, et nec manus, nec pedes habere, ut egrediantur ex luto? Postremo piscium alii alios devorant: id quod in hominibus peccatoribus cum ingenti animi dolore videmus. *Quare non respicis, inquit* Habacuc, *super iniqua agentes, et taces devorante impio justitiorem se?* Et Isaias: *Unusquisque, ait, devorabit carnem brachii sui: Manasses, Ephraim, et Ephraim Manassen.* Pisces igitur homines sunt. Proinde non

immerito dictum est : *Et faciam vos fieri piscatores hominum.*

Duo sunt, qui perpetuo pisces istos expiscantur. Deus et Diabolus. Sed Deus, ut in amœnissima, et lucidissima quadam piscina perpetuo victuros eos conservet : Diabolus, ut occidat, et mactet, et perdat. Atque ideo Diabolus hamo utitur, ut dum capit, vulneret : Deus non hamo, sed reti- bus, ut pisces capiantur, sed non lædantur. Quid sit hamus. Diaboli instrumentum notissimum est : nempe opes, honores, voluptates, mulieres, beneficia, lucra, convivia, potationes, symphoniarum hami Diaboli sunt. Hæc ille stultis hominibus obicit, hæc ostentat, hæc proponit : illi accurrunt, ut capiant escam, et capiuntur ab hamo, et lacerantur, et disrumpuntur intus, et tamen se ipsos extricare non possunt. Sed quid est rete? Rete est verbum Dei, sive illud *Verbum* intelligatis, *quod caro factum est, et habitavit in nobis* : sive etiam illud quod prædicatum est in mundo, scriptum in paginis. Rete enim est ex multis filis contextum plenum nodis, quod complicatum est parvum, explicatum est magnum : et partim propter plumbum tendit ad imum, partim propter suber enatat super aquas : nam de iis retibus loquimur, quibus pisces, non quibus aves capiuntur. Jam igitur verbum Dei quod scriptum in divinis voluminibus continetur, omnino est rete. Primum enim ex multis sententiis quasi filis quibusdam contextitur : deinde plenum est nodis : habet nodos innumerabilium et maximarum difficultatum, habet nodos miraculorum, quibus ita confirmatur, et roboratur, ut facile frangi non possit, habet nodos promissionis divinæ, quibus fortissimum, et firmissimum redditur. *Cælum, inquit, et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt.* Habet et nodos legum et præceptorum non parum carni et sanguini difficultium : et tamen ii nodi solvendi non sunt : nam *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* Itaque cum occurrit animo aliqua difficultas in præceptis Domini, et dicis o quam durum est confiteri peccata? quam durum est votum castitatis? quam durum est jejunare? noli facere sicut faciunt Lutherani, qui non solum solvunt, sed etiam lacerant istos nodos, et fugiunt ex reti Domini, sed mox capiuntur ex hamo diaboli. Verum cogites, cum ista tibi occurrunt, Deum esse, qui fecit hos nodos,

et non solvendo, sed ferendo esse, ut ipsum rete nos ferat et perducatur incolumes ad piscinam Domini. Scriptura præterea tamquam verissimum quoddam rete exigua est, et una manu comprehendi potest, donec non explicatur. At extensa, explicata, dilatata replet etiam amplissimas bibliothecas. Quocirca sapienter B. Apostolus Bartolomæus, ut D. Dionysius testatur, sæpe dicere solebat, theologiam et parvam, et magnam esse. Postremo rete istud Scripturæ divinæ ex una parte attingit profundum, ex altera remanet sursum, et enatat super aquas. Profundum attingit, cum pœnas, et supplicia gehennæ peccatoribus comminatur ; remanet vero sursum, cum gaudia, et præmia æternæ beatitudinis pollicetur.

Neque vero minus apte *Verbum caro factum*, Christus videlicet ipse, rete appellari potest. Est enim Christus ex multis naturis, quasi multis filis aureis, argenteis, sericis, incredibili venustate ac varietate contextus : nempe divinitas filum est aureum, anima filum argenteum, sericum filum est caro. Habet etiam Christus nodos suos omnino indissolubiles. Qualem enim esse putatis nexum illum, quo anima conjuncta est carni, cum nullis morbis, nullis vulneribus, nulla humana vi, nisi ipso permittente solvi potuerit? *Ego, inquit, pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* Et quamquam ad tempus ipso volente nexus iste dissolutus est, tamen deinceps nullo unquam tempore dissolvetur *Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Quid vero de altero nexu dicemus, quo natura humana naturæ est conjuncta divinæ? qui etiam priori nodo dissoluto, et anima a carne per mortem separata, solvi nullo modo potuit, nec unquam poterit. Christus præterea quasi verum rete, ita parvus, et exiguus erat, antequam explicaretur, ut etiam faber, et fabri filius existimari potuerit. *Parvulus, inquit, Isaias, natus est nobis, et filius datus est nobis.* At ubi se ipsum signis, et miraculis extendere cœpit, ita crevit, ut orbem totum occupaverit. Nec turbæ jam dicebant : *Nonne hic est fabri filius?* Sed *Propheta magnus surrexit in nobis* : et, *Deus visitavit plebem suam.* Verum in cruce potissimum extensum est hoc rete cum ubique foramina vulnerum, et plagarum apparuerunt ; et pars una descendit in profundum maris, caro usque ad sepulcrum, anima usque ad inferos : altera, nempe divinitas, mansit sursum et enatavit su-

per aquas. Hæc igitur sunt retia, quibus Apostoli utebantur, et quibus etiam hodie Christiani oratores, hoc est, Dei piscatores utuntur. His retibus B. Petrus uno die tria milia rationabilium piscium comprehendit. His retibus D. Andreas innumerabiles pisces intulit in piscinam Dei. Hæc retia Apostolus Paulus ab Jerusalem usque ad Illyricum tetendit, *Et cum esset astutus dolo cepit* piscium multitudinem copiosam. At vero hodie usque adeo creverunt piscatores Diaboli, hæretici, usurarii, meretrices, lenones, et tanta est piscium perversitas, ut piscatores Dei sæpe totis noctibus laborantes nihil capiant. Rem ita se habere mores nostri satis aperte declarant, aliis non egemus testibus, nam etiam tacentibus nobis res ipsæ clamant, illustrantur, erumpunt. Nonne plerique homines retia fugiunt, ad hamum properant? Invites aliquem ad potandum, ad fornicandum, ad canendum, ad audiendum verba lasciva, ad hamum denique Diaboli, non diu rogabis, statim aderit tibi, imo et gratias aget: invites ad concionem, ad confessionem, ad aliquam vel eleemosynam, vel jejunium extraordinarium, rogabis diu, et sæpe nihil impetrabis; quin etiam te propterea majori odio prosequetur. Nonne igitur ridentes, et gaudentes currimus ad gehennam; et plorentes atque inviti trahi vix possumus ad cælum? Sed hæc de reti, piscatoribus, et piscibus sufficiant.

Ultima verba Evangelii sunt: *At illi relictis retibus secuti sunt eum.* Rursum hoc loco impius Porphyrius, et apostata Julianus blasphemias suas in Dominum, et ejus Apostolos evomunt. Nam sicut antea Dominum caliditatis accusabant: ita nunc discipulos stultitiæ, et simplicitatis accusant, quod statim ad primum verbum relictis omnibus vocantem Dominum secuti sunt. Verum nequitia eorum excæcavit eos, et in utroque turpiter labuntur: nam et Dominum non callide, sed sapienter sibi piscatores adjunxisse jam ostendimus: et discipulos non temere, nec imprudenter Dominum secutos esse demonstrabimus. Primum enim Evangelista Matthæus non primam, sed postremam Andreae et Petri vocationem describit; alioqui quomodo verum esset, quod initio dicebamus, fuisse Andreae filium primogenitum Domini? Siquidem in hodierno Evangelio non primum Andreas, deinde Petrus: sed simul uterque vocatus est. Andreas igitur, ut ex capite primo Joannis intelligi potest, cum

Joannem Baptistam audivisset Christi laudes magnifice prædicantem, atque asserentem, esse eum Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, esse Dei Filium, esse Messiam, qui expectabatur: tunc primum ad Christum se contulit, non ut ejus discipulus fieret, sed ut cum eo paulisper colloqueretur, et amicitiam cum eo, ut familiaritatem iniret. Narrat præterea sanctus Lucas capite quinto sui Evangelii, non solis verbis, sed stupendo quodam prodigio Dominum ad se Petrum et Andreae pertraxisse: nempe cum tota nocte laborassent, nec aliquid capere potuissent: rursum ad imperium Domini laxatis retibus tantam piscium multitudinem comprehendunt, ut rete frangeretur. Tunc igitur tanto prodigio confirmati relictis omnibus secuti sunt eum. Deinde, si Christus vere Dei Filius, ac Deus erat, quid mirum, si hominum corda, et voluntates in momento permovebat? Si naturali, ac recondita quadam virtute magnes ferrum ad se trahit: si non absimilis quædam naturæ vis succino stipulas, ac festucas copulat: si solo anhelitu panthera rapit ad se animantia etiam longe posita; quanto magis divina Christi virtus, et odor ille fragrantissimus innocentiae, et omnium virtutum, quem Domini vita, et verba spirabant, homines allicere, et pertrahere poterat? Solebant olim, qui columbas ancupabantur, ut magnus Basilius ad Julitam scribens ait, tali quadam arte, atque industria uti: columbam unam, quæ longo usu ad ædes domini sui redire didicisset, unguento quodam perungebant, cujus odor gratissimus esse columbis perhibetur. Tunc eam ad hunc modum delibutam dimittebant: illa de more per aerem volans varia loca peragrabat; quotquot vero columbæ in eam incidebant, gratissimo illo odore allectæ, ei se adjungebant, atque hac ratione, quæ sola egressa fuerat, innumeris deinde sodalibus comitata, et quasi stipata redibat. Ad eundem igitur modum, cum Deus Optimus Maximus, et sapientissimus venator intelligeret, homines quasi columbassine corde ex paradisi nidis, et cubilibus evolasse, et misere quotidie ab accipitribus rapi, atque occideret, cuperetque eas ad sua prisca domicilia, et nidos revocare, accepit columbam unam: nostri videlicet liberatoris innocentissimam humanitatem, et eam omni gratiarum, et virtutum unguento delibutam in medium aliarum columbarum misit. Hinc igitur fiebat, ut quocumque Dominus perge-

ret, odorem istum spargeret, atque ad se, quos vellet, facillime pertraheret. Quæ cum ita sint, non temere, sed omnino maturo consilio Andreas, et Petrus Joannis testimonio primum permoti, deinde prodigio maximo confirmati, tum gratiæ et virtutum odore allecti, postremo, quod caput est, divinitus admoniti, atque afflati vocationi cœlesti obtemperaverunt.

Sed ego rationem aliam excogitavi, et Apostolos multo altius rem totam cogitasse, et perpendisse video. Intelligebant illi, cœlum cum terra conjungi nec posse nec debere : videbant immensos tractus aeris terram a cœlo disjunxisse : intelligebant a Christo se ad cœlum, et vitam sempiternam invitari : intelligebant gigantem esse Dominum, et non ambulare, sed currere ; quare ne tantum duceem sequi non possent onerati, et propter amorem vilium sarcinarum æternis illis præmiis privarentur, omnia terrena, et mortalia sibi relinquenda esse putaverunt, et excogitato consilio relictis omnibus, liberi, atque expediti secuti sunt eum. Hæc nobis diligenter, atque frequenter cogitanda sunt, auditores. Eamdem viam ingredimur, quam illi sunt ingressi : ad locum eundem, et patriam eandem anhelamus : sed numquid nos robustiores et velociores sumus, quam Apostoli ipsi fuerunt ? Si illi onusti cursum illum perficere non potuerunt, quanto minus potuerimus nos ? *O quam difficile, qui divitias habent, introibunt in regnum cœlorum ?* Verba sunt Christi, nemo mihi succenseat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Beati plane, nam ipsi pervenient, ipsi Dominum sequi poterunt, qui seipsos ab impedimentis istis liberarunt. O quam multos Dominus ad hanc felicitatem, ad hanc pacem, quæ exuperat omnem sensum, ad hanc Apostolicam libertatem, ad hanc vitam Angelorum, liberam curis et sollicitudinibus quotidie vocat, qui tamen non audiunt : et beati essent, si audirent. Nihil enim felicius in hac vita mihi esse videtur, quam intelligere vocationem suam, et omnem vivendi rationem ad arbitrium Domini instituere. *Beati sumus Israel, inquit Baruch, quoniam quæ placent Deo manifesta sunt nobis :* sed quanto magis ille beatus est, qui non communi, ac generali, sed certo ac singulari quodammodo luminatos habet oculos cordis, et in omnibus actionibus suis intelligit, *quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta ?* Multi versantur in sæculo, et non bene

succedit eis, et sæpe jacturam faciunt animarum suarum, quod alius omnino esset status, ad quem a Domino vocabantur : sed non audierunt. Multi contra currunt ad monasteria ; sed non propterea efficiuntur meliores, nec scopum æternæ beatitudinis attingunt, quod et ipsi non vocantem Dominum, sed aliqua externa commoda secuti sunt.

Quærenda est igitur vocatio, investiganda Domini voluntas, nec immorandum est diutius : nam tempus, dum hæremus, et deliberramus, non expectat, sed volvitur, et transit, et dies nostri finiuntur, et mors quotidie fit propinquior. Sed quid ægemus, ut Dei voluntatem exploremus ? Unum verbum et finis erit. Quicumque ratione habent aliquam salutis suæ, ii, expiata prius per confessionem conscientia, loca, et tempora capiant apta contemplationi, ibique a turbis, et rumoribus separati intrent in solitudinem cordis sui, et spiritum suum vigilem, et erectum et præsentem exhibeant Domino, eique dicant : *Ecce ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ : loquere, Domine, quia audit servus tuus. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Domine quid me vis facere ?* Jussisti, ut venirem in hunc mundum et veni. Sed quid hic ago ? Cur hic sum ? Quæ sunt studia mea ? quo tandem referuntur ? Certe fecisti me ad te. Sed quam viam jubes obsecro, ut ingrediar ? Equidem non dubito, quin si te ita paraveris, Dominus, qui semper pulsat, et alloquitur etiam eos, qui non audiunt, multo magis loquetur ad cor tuum et fortasse dicet tibi : Confide illi, salus tua ego sum : seque-re me, veni post me, quid tibi cum terra ? Quid lambis me de pulvere ? *Ecce ego merces tua magna nimis.* Repente vero colloquium istud Domini levabit te super te, et ignem excitabit in intimis medullis tuis : ossa exultabunt, cor liquefiet, lacrymæ defluent ex oculis non amaræ, sed dulces, ino vero omni risu, et gaudio sæculari dulciores, et tamen lacrymæ erunt, et tamen fletus erit. Et si talis est fletus immissus a Domino, quid erit risus et gaudium Domini ? Quid senties, cum intrabis in gaudium Domini tui ? Tunc igitur in tali silentio constitutus convertes oculos cogitationis ad mundum, ad honores, ad voluptates, et omnia tibi in momento vilescent, et pœnitebit te laborum in illis consequendis positorum. Nec solum bona et secunda, sed etiam mala, et adversa tibi vilia et parva videbuntur : sicut ei, qui ex monte

res positas in valle speculari. Tunc non solum pie, et caste vivere sed et mori pro Christo non magni laboris iudicabis. Tunc enim intelliges, sicut ligna et lapides ad ædificia construenda, et ornanda non ascendunt, nisi prius per malleos, et secures et serras, et dolabras transeant; sic et nos in regnum cælorum intrare, nisi per multas tribulationes, et pressuras, non posse. Porro hæc ita se habere, et hunc esse fructum eorum, qui vere intelligunt et sequuntur vocationem cœlestem, tot testes habemus, quod sancti homines hodie regnant cum Christo. Sed sufficiat nobis unius exemplum Andreæ.

Hic igitur Apostolus beatissimus, vere Andreas, vere virilis tanto mentis fervore prosequeretur Dominum, ut nulla pericula, nullæ foveæ, nulla præcipitia eum deterrere poterint. Vidit Dominum, ambulans inter spinas; et ipse sequens Dominum ambulavit inter spinas. Vidit Dominum super aspidem et basiliscum ambulans: et ipse super aspidem et basiliscum ambulavit. Vidit Dominum ascendentem super crucem, et ipse ascendit, super crucem: et qui jam olim omnia reliquerat, quanta alacritate cucurrit ad crucem, ut ibi etiam seipsum dereliqueret? Ecce enim cum hodie ad supplicium duceretur, et procul crucem sibi paratam aspiceret, quo tempore alius toto corpore contremisceret, ille vix dici potest, quæ lætitia, quo gaudio exultari, et quasi nihil antea passus esset, et nunquam [sub malleo, et securi

summi artificis fuisset, exultans, ac pene gestiens: « O salve, inquit, salve bona crux, diu desiderata, » tot annis expectata, per tot mundi plagas, et regiones quæsita. « Et jam concupiscenti animo præparata: securus, et gaudens ad te venio, ut et tu exultans suscipias me. » Ac timens, ne forte crux eum amplecti non dignaretur, addit persuasionem. « Discipulus ejus sum, inquit, qui pependit in tè. » Addit et blanditas. « O crux, inquit, pretiosa, quæ de membris Domini decorem accepisti; amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. » Quid est, quod audimus? Ubi sumus? Certe ignis vibrans, non lingua loquens est. Et quis, unquam, tam blande, et tam officiose amasiam suam, sicut Andreas crucem suam salutavit? Et tamen crux nihil nisi crux, supplicium atrox, et acerbum est. Et unde hæc mens, hic animus, hæc lætitia in Andrea? Nempe ex eo, quod illuminatos habebat oculos cordis, et crucem aspiciebat non tamquam supplicium; sed tamquam instrumentum, quo expoliendus penitus, et perficiendus, atque aptandus erat ad ornandum ædificium Domini. Hæc igitur et tu intelliges, et cum intellexeris, *Vultus tui non amplius in diversa mutabuntur: et tibi Vivere Christus erit, et mori lucrum: Et Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, cor tuum custodiet; et intelligentiam tuam usque in diem Domini Jesu, qui est benedictus in sæcula. Amen.*

CONCIO II.

DE DOMINICA PRIMA ADVENTUS

Habita Lovanii Anno 1571.

THEMA

Hora est jam nos de somno surgere : nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. *Rom. XIII, 1.*

SYNOPSIS.

Peccatum est somnum, quo sepulti jacent Ethnici, Hæretici, et mali Christiani, denique omnes peccatores solum probum Catholicum vere vigilare ostenditur. Lutheranorum error obiter refellitur. De peccatorum vanis somniis. De hora matutina triplex sensus affertur. Aurora cum Evangelio confertur, ambulationem Christianorum procedere, peccatorum vero retrogredi. Circa finem omnia vires quasi renovare probatur. Hora juxta Apostolum est tempus gratiæ, juxta Ecclesiam Nativitas Christi, juxta auctorem præsens sæculum; in quo mundi fallaciæ delectæ, carnis concupiscentiæ imminutæ, dæmonis vires fractæ, e diverso autem omnia bona aucta gratia Dei copiosior, majus lumen, plura exempla deprehenduntur. Gravis dehortatio a curis secularibus. Denique quotidiana mala quæ nos a somno excitent, oculis subjiciuntur.

Initiura hoc epistolæ hodiernæ, Domino adjuvante, breviter explicabimus: quod quidem juxta sensum Apostoli ad unum finem inducitur, sed ab Ecclesia ad alterum finem adducitur, et non poterimus ad tertium finem; ad nostrum videlicet propositum atque institutum, accommodare. Quod autem erat

Propositum B. Pauli cum scribebat, *Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus?* Scribebat Beatus Apostolus ad Romanos, atque eos a somno peccatorum et negligentiae excitare volebat, utitur vero ad hoc perficiendum duobus optimis argumentis, quorum alterum a temporis opportunitate; alterum a finis vicinitate sumptum est. Quemadmodum enim, si aliquem excitare vellemus, diceremus ei: Heu tu surge, quia tempus est: nam aurora exoritur, quod si ille esset de numero eorum, qui non multum curant, sive oriatur aurora; sed dormiunt libenter usque ad meridiem, tunc ei diceremus: Heu tu surge, imminet enim tempus magni negotii perficiendi, prandii videlicet. Ad eundem modum Apostolus Paulus, primum hortatur Romanos, ut surgent, quia hora est surgendi, *Quia nox præcessit, dies autem appropinquavit*: deinde quia prope est tempus magni illius prandii, quod fiet in cælo: *Nunc enim, inquit, propior est nostra salus, quam cum credidimus.*

Explicemus jam singula verba. *Hora est jam nos de somno surgere.* Cur peccatum somnus appellatur? Quid est somnus? Quid est peccatum? Est in his morbis, auditores, elegantissima quædam translatio: somnus enim nihil est aliud, quam mors brevis, quæ omnes sensus, et omnes vires animantis suis functionibus privat, quando non sentit, non

videt, non audit, non movetur : et tamen si excitaretur sentiret, videret, audiret, et moveretur : tunc enim sine dubio dormit. Et contra tum vigilat, cum sensus functiones suas exercent, oculi vident, aures audiunt : ratio præest, intelligentia regit, voluntas movet. Jam vero spirituales sensus et motus animi nostri sunt fides et charitas : fide sentimus, charitate movemur : fides docet quid sit agendum, quid amandum, quid relinquendum, quid expectandum, quid contemnendum, quid magnificandum, quid timendum, quid optandum : charitas vero movet, ut agamus, quod est agendum, amemus, quod est amandum, relinquamus, quod est relinquendum, expectemus quod est expectandum, contemnamus, quod est contemnendum, magnificamus, quod est magnificandum, timeamus, quod est timendum, exoptemus, quod est exoptandum.

Quis igitur vivit et vigilat? Non alius quam pius et probus Catholicus, qui vires sentiendi et movendi ligatas, vel sopitas non habet, sed liberas et expeditas. Qui stabilis in fide, constans in religione, fervens in charitate, nunquam conquiescit, nunquam otiiatur, nunquam fatigatur, sed *Tamquam scintilla ardens in arundinetis discurret*, et modo istum modo illum corripit, et amore cœlestium bonorum secum flagrare atque ardere facit : isti vigilant, auditores, qui aliquando totum unum arundinetum, hoc est integrum populum hominum vanorum, et dento superbiæ agitatorum, amore divino, et cœlestium bonorum desiderio ita inflammant, ut eo incendio dæmonibus pœnam, hominibus lucem Angelis gaudium et lætitiâ pariant. Isti vigilant.

Sed qui sunt qui dormiunt? Primum Ethnici omnes, et Hæretici, qui fide carent, et verum sensum Dei, et veritatis non habent. Putant illi se quidem vigilare, sed somniant. Disputant de fide, de Deo Christo, de Sacramentis : putant se in lumine esse, oculos apertos habere, et interim non animadvertunt esse omnia figmenta et somnia, quæ dicunt. Quid? Videntur nobis vigilare, qui dicunt infantes dum baptizantur actu credere et usum rationis habere; Christi humanam naturam esse ubique; Christi divinitatem in cruce passam et mortuam esse; Christum desperasse, atque adeo esse damnatum; Deum in arbore arborem, in lapide lapidem, in ferro ferrum; vel Deum opera bona non requirere? Utrum quæso vigilant an dor-

miunt, qui dicunt Apostolum Petrum nunquam fuisse Romæ (ut alia eorum somnia omittam) cum omnes historiæ, omnes Patres, omnes scriptores, et ipse locus martyrii ejus, vincula, carcer, sepulcrum, sedes, in qua sedebat, altare in quo sacrificabat, et alia innumera monumenta, atque trophæa etiam hodie oppositum contestentur, et clament?

Neque vero solum Hæretici atque Ethnici dormiunt, sed etiam multi Catholicorum. Nec enim Apostolus Paulus ad Ethnicos Romanos, sed ad Christianos scribebat, cum dicebat : *Hora est jam nos de somno surgere*. Itaque graviter errant Lutherani, cum inter alia illud etiam somniant nullum esse peccatum præter infidelitatem : siquidem Apostolus illos ipsos excitat a somno, quorum fidem in eadem Epistola summis laudibus extulerat. *Dormiunt igitur somnum suum omnes viri divitiarum*, ut canit psalmographus. Dormiunt omnes ebrii, quos Joel excitat dicens, *Expergiscimini ebrii et flete*. Dormiunt omnes impudici, et omnes ii, quorum *Deus venter est*, quos in hac epistola Paulus increpat, *non in commensationibus*, inquit, *et ebrietatibus non in cubilibus et impudiciis* : dormiunt omnes isti, et patiuntur ipsi quoque mirabilia somnia interdum habent a terum pedem jamin sepulcro, et putant se victuros plures annos quam vixerit Mathusalem : interdum videntur sibi reges et principes, abundant divitiis, affluant voluptatibus, cum sint miseri et miserabiles, pauperes, cæci, et nudi. In erdum superbia extollantur, putant se se ere super nubes interim tamquam vermiculi super terram repunt. Nonne somniabant fortasse Caius et Domitianus, qui se deos immortales existimari volebant, et tamen levissime in ictu gladii tollebantur de medio? Nonne somniant hodie multi, qui divitias congregant in mille annos, et cras, et fortasse repente moriuntur? Aspiciate sæcula, quæ præterierunt, et homines qui fuerunt ante nos : nonne omnes fere talibus insomniis delusi fuerunt? Ante centum annos mundus erat plenus hominibus, sicut modo est et tunc quoque isti contendebant de regnis et provinciis, isti de agris et possessionibus, illi de beneficiis, illi de mulieribus. Unus ædificabat domum, alius plantabat vineam. Denique omnes tam serio in sua negotia incumbabant, ut pene omnes vigilare viderentur : et tamen jam nullus eorum superest, et illæ curæ, illæ sollicitudines, illi clamores, illæ contentiones omnes in momento siluerunt. Ubi tot sunt

potentissimi imperatores, tot vanissimi Philosophi, tot mendaciorum loquacissimi oratores, quorum fastum et superbiam, et tumorem mundus non capiat? *Dormierunt omnes somnum suum et nihil invenerunt in manibus suis.* Erat igitur somnium.

Ad eundem modum veniet statim finis noctis hujus sæculi, in quo sumus : imo quotidie venit, nunc illi, nunc isti : et tunc intelligunt homines, in morte videlicet, se non vere habuisse, sed somniasse divitias, somniasse voluptates, somniasse honores : tunc respiciunt et nihil inveniunt in manibus suis, præter magnum æs alienum multorum et gravium peccatorum : tunc demum sentiunt se delusos et in omnem æternitatem, non jam somniaturos pœnas et cruciatus ; sed vere vigilantes perpessuros, et brevissimi somni voluptatem æterna vigilia, et nunquam finiendis suppliciis compensaturos. Quare omnibus qui ita dormiunt rectissime cum Apostolo dicimus : *Hora est jam nos de somno surgere.* Expergiscimini tandem aliquando, plus satis dormivistis. Hæc igitur de somno.

Nunc de hora. *Hora est, inquit, nos de somno surgere.* Quænam est hora surgendi? Hora matutina, diluculum, aurora : *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt.* Quæ est hora matutina? Tempus gratiæ : siquidem ante Christi adventum, *Tenebræ cooperuerant terram, et caligo populos,* ut Isaias ait ; etiam ipsi Judæi, licet propheticis luminibus, tamquam sideribus quibusdam illustrati fuerint ; tamen in umbra figurarum, et expectatione futuræ lucis degebant. *Omnia siquidem contingebant illis in figura et lex ipsa solum umbra gerebat futurorum bonorum :* Christo vero exorto, et Evangelio ejus gratiæ coruscante, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Itaque jam aurora ac diluculum, atque adeo surgendit tempus advenit. Aurora quasi media est inter tenebras noctis, et lucem meridiet : non est obscura sicut nox, neque est clara sicut meridies. Ita quoque tempus gratiæ, et Evangelii medium est inter tenebras infidelitatis, et peccatorum, et lucem visionis, et gloriæ beati Dei. Infidelitas, nox est : visio Dei, meridies : Christiana fides, aurora. Infideles penitus nihil vident : beati in cœlo omnia, et clarissime vident. *Nos ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, et ex parte videmus et ex parte divinamus.* Et quemadmodum ab aurora versus meridiem semper lumen crescit, et tenebræ minuuntur : ita

sapientes Christiani semper ambulant, et crescunt *De virtute in virtutem,* de lumine in lumen, de fervore in fervorem : donec veniant ad meridiem, ubi perfectum et perpetuum lumen inveniunt. Contra vero stulti homines ambulant retrorsum more canerorum, ab aurora versus mediam noctem. Fulget eis aurora cum baptizantur, et Christiani fiunt ; sed cum incipiunt per viam peccatorum, et præsertim hæresim et sectarum iter facere, semper magis ac magis tenebris involvuntur, donec in gehennam cadant, ubi nox est profundissima atque perpetua. Hinc videlicet Salomon in Proverbiis ait : *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem : via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.*

Cum igitur jam sit diluculum, et aurora, recte dicitur, *Hora est jam nos de somno surgere.* Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Hæc est altera ratio, quæ quidem non uno atque eodem modo a sanctis Patribus et Ecclesiæ doctoribus explicatur. Sed omnium optimus sensus mihi videtur esse, *Nunc propior est nostra salus quam cum credidimus,* hoc est, nunc post Christi adventum non distamus a gloria regni cœlorum, nisi quantum distamus a morte. Est enim cœlum Christi cruce tamquam clave quadam potentissima reseratum. Itaque cum morimur, si nihil remanet purgandum, statim evolumus in cœlum. At vero cum primum credidimus Christum venturum temporibus Patriarcharum et Prophetarum, procul aberamus a perfecta salute ; omnes enim et sanctissimi quique ad inferna descendebant, ibique aliqui centum, aliqui mille, aliqui plures annos expectabant. Neque moveat aliquem, quod Apostolus non ait, *Cum crediderunt,* sed *cum credidimus.* Est enim modus loquendi, sicut si doctores hujus universitatis dicerent, hodie magis floremus, quam initio, cum primum cœpimus habere scholas.

Est igitur naturale argumentum a propinquitate finis : noverat enim Apostolus omnes homines excitari, et quasi novas vires assumere, cum animadvertunt propinquare finem. In itineribus hoc est maxime perspicuum ; siquidem, cum vicinus est locus, ad quem tendimus, non solum homines excitantur, et animantur, et incredibili cupiditate flagrant cito eo perveniendi ; sed etiam equi instinctu quodam naturæ, licet fessi, et fatigati, currere incipiunt. Nec solum animantia,

sed etiam res inanimatæ, ut ligna et lapides tanto celerius moventur, quanto locum suum naturalem viciniorem habent. Hinc igitur naturale argumentum sumit Apostolus. *Hora est*, inquit, *jam nos de somno surgere*. Nunc enim viciniore sumus beatitudini, quam fuerunt Patres nostri. Metam et bravium prope contingimus, post paululum coronabimur. Jam jam Deus finem eursui, et laboribus imponet. Habetis sensum Apostoli. Nunc sensum Ecclesiæ videamus.

Ecclesia Catholica mater nostra, nihil respicit aliud, cum hodie hæc Apostoli verba nobis proponit, quam appropinquantem diem Domini natalem. *Hora est*, inquit, *jam nos de somno surgere : nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Christus quidem semel de Maria Virgine natus est, neque est jam in posterum naseiturus : sed tamen fructus, atque emolumentum illud maximum, quod ortus ipsius attulit mundo, semper manet; et annis singulis eo potissimum die, quo memoria ejus religiosa devotione peragitur, illis hominibus confertur, in quorum partibus Christus naseitur. Naseitur vero in iis omnibus quos paratos et vigilantes offendit. Quemadmodum enim cum in Bethlehem Augusti imperatoris tempore natus est, illi dumtaxat nuntium tanti gaudii habere meruerunt, *Qui vigilias noctis custodiebant super gregem suum*. Et sicut novum sidus in Perside exortum, illi soli viderunt, qui eodem tempore vigilaverunt; ita prorsus cum dies natalis Domini advenerit, soli illi fructum amplissimum consequentur, qui somnum peccatorum exeusserint, et in bonis operibus vigilare cœperint. Itaque recte Ecclesia hodierna die nos admonet dicens: *Hora est jam nos de somno surgere*.

Verum enim vero, auditores optimi, non minus hoc nostrum sæculum, hæc ætas, quæ nunc agitur, hora est, de somno surgere, quam ipsum sit tempus gratiæ, juxta sensum Apostoli et juxta sensum Ecclesiæ propinquitas natalis Domini: sive enim bona hujus temporis, et adjumenta, quæ habemus ad salutem: sive mala et impedimenta varia, et multiplicia consideremus, undique nobis voceem illam personare audiemus, *Hora est jam nos de somno surgere*. Primum enim nunc ab adjumentis incipiamus: nunquam tam parum mundus, et caro, et ipsi dæmones hostes atrocissimi humani generis, nobis nocere potuerunt, quam modo: mundus enim ideo olim ac præsertim primis temporibus multos

decipiebat, quia novus erat et puleher, et homines diu vivebant, et ejus deliciis ad longum tempus frui poterant, et quod potissimum est, nondum didicerant quantæ essent ejus fraudes. At vero modo consenuit, et ejus doli ac mendacia omnibus nota sunt, et homines vix dum nati moriuntur; quis nostrum est, qui experientia non didicerit, quam multos mundi amicitia miserimos fecerit, etiam in hoc mundo? Quam multos ad summum culmen gloriæ et honorum evexerit, ut inde majori impetu eos præcipitaret? Quam pauci numerari possent, qui fructum laborum et sudorum suorum quiete et tranquillo longo tempore pereeperint? Profecto paucissimi. At qui post maximos et innumerossuperatos labores, vel in aulis principum, vel in mercatura, vel in foris et tribunalibus, vel in bellis gravissimis et periculosissimis, nihil aliud quam exilia, damna, ignominias, mortem denique ipsam sæpe retulerunt, tam multi sunt ut numerum omnem excedant. Quis igitur non facile contemnet hoc tempore mundum, semen videlicet inveteratum dierum malorum, servum astutum, erudelem, qui tam multos circumvenit, et suis blanditiis, et lenociniis, miseros in terris, et in gehenna miseros fecit, atque ad perniciem sempiternam adduxit, et vivos mortuosque mactavit?

Denique caro nonne ipsa quoque jam senuit, et ardore concupiscentiæ frigescente minores et pauciores excitat motus, quam olim cum vigebat, excitaret? Erat humana caro olim initio naseentis mundi post peccatum primi hominis, equus indomitus et juvenis, qui tum primum habenas excusserat, et vincula, quibus tenebatur, confregerat. Itaque tunc maxime florebat, vigebat, furebat, insaniebat, et motus pravos ac desideria noxia excitabat. Sed quid fecit Deus? Immisit diluvium maximum ac generale, ut multitudinem aquarum ea flamma fornacis humanæ, si non penitus restingueretur, certe minueretur. Neque dubium est, quin post diluvium caro debilior atque imbecillior fuerit. Deinde postea singulis ætatibus, semper aliquid virium et ardoris remisit; et nunc demum aqua Baptismatis flammæ ejus temperatæ sunt, ut jam non sit difficile gratia Dei adjuvante, eam jejuniis et orationibus ita domare, ut nec propositum virginitatis, nec perpetuum Dei servitium impediatur.

Quid jam de dæmone dicemus? Quis nescit eum Christi virtute prostratum, et de-

bilitatum, sub pedibus Christianorum gemere, et neminem posse vincere, nisi volentem? Audite magnum Antonium versutiæ et virium Diaboli peritissimi: «Credite, inquit, mihi experto, pertimiscit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, et præcipue purum cor erga Christi amorem. Novit teterrimus coluber, ex præcepto Domini sub justorum se jacere vestigiis: signum crucis, et fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est.

Neque vero solum hoc tempore mundi fallaciæ detectæ, ignis concupiscentiæ imminutus, et vires Diaboli fractæ ac debilitatæ sunt: sed etiam gratia Dei est copiosior, lumen majus, exempla plura: aperti sunt fontes Salvatoris, pluunt de cruce Domini imbres Sacramentorum; *Fiuminis impetus lætificat civitatem Dei*. Nusquam tot libros tot salutaria documenta, tantum lumen scientiæ, tot media ad salutem habuimus quod modo habemus; exempla vero sanctorum pene sunt innumerabilia; nemo est plane, qui non habeat in cælo, quem sibi imitandum proponere possit: viri, fœminæ, principes, privati, Sacerdotes, laici, Monachi, sæculares, virgines, conjugati, Philosophi, medici, jurisconsulti, milites, fabri, agricolæ, omnes omnium generum, sexuum, conditionis, facile reperient ex tanto numero beatorum, qui regnant cum Christo cujus vestigia sequi possint, si velint. Videor mihi viam regni cœlorum ita stratam et tritam videre, ita signatam sanguine martyrum ita refertam sanctorum vestigiis, ita plenam trophæis sanctorum, quæ variis temporibus ob insignes victorias erecta sunt ut non solum tutissima, et certissima, sed etiam amœnissima et jucundissima sit via.

Itaque, auditores optimi, magno animo, summaque alacritate per hanc viam curramus ad propositum nobis bravium: *Aspiciamus in auctorem fidei*, qui sublato vexillo nos iuvitat: brevi labores finientur, regnum cœlorum appropinquavit. Quid nobis cum sæculo, et iis viis, quæ ducunt ad inferos? Abjiciamus onera et sarcinas, quæ nos impediunt, ponamus paulisper cogitationes rerum temporalium: mille et quingenti et septuaginta anni sunt, ex quo dictum audivimus; *Filioli, novissima hora est et præterit*

figura hujus mundi. Quid igitur jam a mundo tabescente et casum ac ruinam ultimam minante, expectare poterimus? Atque hæc quidem sunt bona, quæ nos excitant ad surgendum, et ambulandum.

Verum si unquam fuit, nunc hora est nos de somno surgere; mala enim tam multa et tam gravia sunt, ut nos dormire diutius nullo modo patiantur: Nonne *Si sciret pater, familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam?* Hei mihi, quam multi fures et latrones exierunt in mundum plena sunt omnia Hæreticorum, qui et fortunis, et animis, et corporibus insidiantur, nunquam tot portenta, tot monstra hæresum, et sectarum extiterunt. Apertus et nunc puteus abyssi, iterum revocantur in lucem Ariani, revocantur Sabelliani, revocantur Nestoriani, revocantur Pelagiani, revocantur Manichæi, et qui tandem non revocantur? Videmus oculis nostris perire Galliam, perire Germaniam, Poloniam, Bohemiam, Angliam, Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, et adhuc non excitamur? Videmus incendia vicinarum domorum, audimus quotidie cædes, direptiones, et spoliationes templorum, timeamus tumultus et seditiones et adhuc dormimus? Vigilat virga furoris Domini, immittuntur pestilentiæ, immittuntur eluviones, immittuntur penuriæ, et si hoc est parum, veniet, mihi credite, etiam bellum neque dormiet virga Domini donec nos vigilemus: tunc enim virga vigilat, cum dormiunt homines, et tunc dormit, cum vigilant homines. Itaque, auditores optimi, nisi serio excitemur, nisi diligentius in negotium salutis incumbamus, nisi mores emendemus, nisi zelus honoris Domini, et salutis animarum nos inflammet, sane prædico vobis, Christiani sumus, fides recedet, quæret loca meliora, extinguetur lumen, quod in vobis est. *Egredietur omnis decor a filia Sion*. Quare cum tot bona, tam magna, tam multiplici nos invitent; mala vero quæ undique nos premunt, etiam compellant exire de mundo, «*Faciamus de necessitate virtutem*,» deseramus mundum, antequam deseramur a mundo: fugiamus de sæculo, antequam fugiat a nobis sæculum: properemus ad Deum, antequam rapiamur a Diabolo. Ita nos Christus in terris lætos, in cœlis beatos efficiet, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO III.

DE EADEM DOMINICA PRIMA ADVENTUS

THEMA

Erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressuræ gentium pro confusione sonitus maris, et fluctuum. *Luc. XXI, 25.*

SYNOPSIS.

Duplex Christi adventus indicatur, unus præteritus in humilitate, alter futurus in maiestate. De modo, ac tempore signorum Christi adventum præcedentium, variae variorum opiniones adducuntur, tandem hac de re nihil certi, antequam fiat, definiri posse concluditur, diem enim iudicii nobis occultum Deus voluit. Unde Lutheranorum de eo ridiculosum præaugurium exploditur, et ejusdem certum tempus statuentes ridentur. Quinam ad signa ista capita levaturi sint. Similitudo fici triplici sensu explicata: historico, parabolico, et morali. Synagogam Judaicam sæpius fici comparatam fuisse probatur. Tribulationes hujus mundi nobis plurimum prodesse similitudine hiemis et Christi exemplo docetur.

In secunda parte tres causæ afferuntur, cur hoc die Evangelium istud legatur: prima, ne paupertas nascituri Christi nos offendat, ejus simul maiestas proponitur. Secunda, quia idem Evangelium aliquo modo Christi natiuitatem etiam præmonstrat, in qua sol Justitiæ Christus obscuratus est, et Ecclesia, seu etiam B. Virgo non spargebat lumen solitum, stellæ, id est, Angeli de cælo lapsi sunt, et mare turbatum est, hoc est, Herodes et tota Hierosolyma. Tertia, quia frequens extremi iudicii cogitatio non ad Christi natalem præparare efficax est. Inde quomodo ad diem iudicii nos præparemus disseritur. Tandem pulcherrima

similitudine humanæ calamitatis, post quorundam locorum mores taxatos, finis imponitur.

Minime dubito, ornatissimi auditores, quin vestrum nonnulli mirentur, cur Ecclesia hanc potissimum Evangelicam narrationem hodie nobis proponat, quæ nec tempori accommodata esse videtur, nec adventui Domini, quem hodie agere incepimus convenire? Duos enim adventus Domini ac Servatoris nostri litteræ sacræ nobis commendant: Unum in humilitate: alterum in maiestate: ac priorem præcessisse jam credimus; posteriorem omnino futurum minime dubitamus. Jam vero cum pia mater nostra Ecclesia Catholica, a Spiritu sancto edocta, non posteriorem, sed priorem adventum hoc tempore veneretur, et colat; tamen illam Evangelii partem inter sacrorum solemnium recitari audivimus, in qua signa non prioris, sed posterioris adventus continentur. Itaque adventum priorem Ecclesia commemorat, et Evangelium hodiernum explicat posteriorem. Quamobrem non solum hodie ipsa evangelii verba explicanda erunt: sed etiam breviter exponendum, quo consilio majores nostri, veri sapientissimum hoc Evangelium potissimum publice in Ecclesiis decantari voluerint.

Ut igitur ad explicationem Evangelii veniamus, posteaquam Dominus diu jam de excidio urbis Hierosolymæ verba fecerat, ut ex capite vigesimo primo Evangelii secun-

dum Lucam intelligi potest, paulatim ad excidium orbis totius explicandum descendit: interitus enim præclarissime, et maximæ illius verbis, orbis universi interitum sine dubio designavit. Asseruit verò Dominus, horribilia quædam signa orbis casum, et iudicium extremum antegressura. *Erunt signa, in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore: nam et virtutes cælorum movebuntur.* Itaque totus orbis signa dabit, in cælo sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et stellæ erunt decedentes; supra cælum virtutes cælorum, hoc est, Angeli (ut B. Hieronymus in Matthæum, Ambrosius in Lucam, Augustinus ad Hesyechium docent) commovebuntur; in terra homines pressuras patientur, atque arescent præ timore: in mari denique fluctus atque undæ in immensam altitudinem excrescent; quiddam maxime horrendum insonabunt. Est vero maxima quæstio, ac pene inexplicabilis, ad quem modum, et quando ista fient? Nam B. Hieronymus et Chrysostomus solem et lunam obscurandam esse censent, non quia lumen amittent: sed quia cum claritate corporis Christi, quod tum aderit præsens, et conspicuum comparata, lucere omnino non videbuntur. Neque ab eorum sententia multum absunt B. Hilarius, aliique nonnulli. Verum, auditores, sancti isti Patres nostram quæstionem minime dissolvunt: siquidem ipsi solum de eo tempore loquuntur, quo Liberator noster in nubibus cæli toti orbi conspicuus apparebit: solis vero et lunæ globi lumine privabuntur, atque deficient etiam antea, quam Deus in nubibus cæli gloriosus appareat, alioquin signa adventus Domini dici non possent. Nec enim Domino præsentem ad eum ab aliis sanctis hominibus internoscendum signis indigebimus; erit enim ipse omnium pulcherrimus, et clarissimus. Et quemadmodum sole exorto, etiamsi tempore eodem luna in cælo conspiciatur, nemo quærit, uter eorum globorum sit sol, satis enim sol excellentissimo suo fulgore, et claritate se prodat. Sic etiam non difficile erit tempore iudicii inter multa millia sanctorum regem, et iudicem Christum ut alterum solem inter minora sidera dignoscere. Ad quem igitur modum ante ipsum Domini adventum sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo? B. Augustinus in epistola

octogesima, quæ est ad Hesyechium, et B. Ambrosius in capite vigesimo primo Lucæ, ad tropos et figuras recurrendum putaverunt; ut nomine solis, et lunæ, et stellarum, Christum et Ecclesiam, et sanctos homines intelligamus. Sed quamquam hæc ita se habent, et secundum mysticum quemdam et spiritualem sensum vera sunt; tamen dubium esse non potest, quin etiam verus sol, et vera luna obscurari, et deficere debeant, sicut vere gentes pressuram patientur, et veri fluctus, et veræ undæ multo horribilius quam unquam antea resonabunt. Nam si cum rex indignatur atque ira succensus tamquam leo rugit per anlam, omnes famuli atque administri timent, et tota regia conturbatur, quid futurum putamus cum summus, et potentissimus rex cæli, et terræ, tot hominum criminibus ad iram justissimam provocatus omnes suas injurias unica die ulcisci constituet? Quomodo tanto rege commodo non omnes res creatæ pariter movebuntur?

Nam profecto maxime de casu stellarum omnino difficile est controversiam definire. Si enim dicere velimus, stellarum nomine accipiendos esse ignitos quosdam vapores, qui tanta habent cum stellis similitudinem, ut vulgo jam stellæ cadentes dicantur, cavendum est ne Evangelio repugnemus: nam si Evangelium de vero sole veraque luna loquitur: num consequens est, ut non etiam de veris stellis loquatur? Quod si tanta Evangelii auctoritate permoti; stellas vere casuras in illa magna rerum perturbatione affirmemus, statim occurreret infinita turba mathematicorum, a quibus nos expedire nullo modo poterimus: siquidem ipsi quasi stellarum magnitudinem dimensi essent, vociferabuntur, et clamabunt, stellas cadere non posse super terram: nam cum nulla sit fixarum, et non errantium stellarum tam exigua quam terræ magnitudinem longe non superet, si vel una ex minutissimis caderet, totus orbis terrarum eam excipere non posset. Et quamvis mathematicorum decretis objicere possemus, magnum Basilium, B. Chrysostomum, Ambrosium, et virum longe doctissimum Augustinum, nec non alios permultos, qui stellas omnes, uno solis globo excepto a lunæ magnitudinem superari contendunt; ex quo fit, ut multo majori ratione stellæ omnes a terræ magnitudine superentur. Nam unam multo et mathematici confitentur; tamen quia non propterea mathematici conquiesce-

rent, neque nos cum illis contendere volumus idcirco unum e duobus omnino dicendum est, vel stellas veras hic quidem accipiendas esse; sed eas non vere ac proprie casuras, sed dumtaxat metaphorice; quia nimirum lumine penitus orbatae jam non amplius esse in cœlo, sed ex eo cecidisse videbuntur. Id quod multis Theologis Doctoribus video placuisse. Velut, quod mihi multi magis placet, ut fatear aperte quam sentio, quaestionem istam antequam signa illa appareant, definiri non posse, ita ut nostrae ignorantiae confessio sit nostrae sententiae explicatio: Ea siquidem, quae Dominus de futuro judicio, de mundi interitu, et signis praecedentibus disputavit, omnia prophetica sunt. Dicta vero prophetarum id proprium habent, ut antequam impleantur nihil fere aliud, quam aenigmata sint: impleta vero ab omnibus intelligantur. Praedixit Dominus excidium Hierosolymae; *venient, inquit, dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, etc.* Et nunc quidem, quia vaticinium impletum est, omnes intelligunt dies illos a Domino praedictos fuisse anno quadragesimo ab obitu Salvatoris: inimicos vero Judaeorum, qui Jerusalem caede, et incendio vastaverunt, fuisse Titum, et Vespasianum Romanorum Imperatores. At vero, si antequam vaticinium impleretur, aliqui expositores accessissent, et unus dixisset: Dies isti a Domino praedicti post unum mensem advenient; alter vero, non, sed post centum annos. Pari ratione de hostibus Judaeorum unus dixisset: Assyrii erunt; alter, Persae erunt, non Assyrii; tertius, Romani erunt; nonne omnes ridiculi, et divinatores potius, quam expositores essent? At nunc post eventum rei omnia perspicua, et facilia sunt. Intellexerunt hoc prisci illi patres sanctissimi, atque eruditissimi homines, ac propterea parum omnino solliciti fuerunt, an stellae vere cadere possent, et ad quem modum caeli lumina obscurabuntur: quod idem fecerunt in tempore illo investigando, quo haec futura sunt. Nam cum Lactantius anno ab orbe condito sexies millesimo judicium futurum, et post mille annos a judicio orbem totum destruendum censuerit: alii vero, ut B. Augustinus auctor est, post quadragesimos: alii post quingentos; alii post mille annos ab ascensione sua Dominum ad judicium descensurum existimaverunt. Sancti illi patres Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus incredibili consensio-

Tom. IX.

ne diem illum sciri non posse affirmaverunt. « Nec enim est nostrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, et quae nemo scit, neque angeli Dei, qui semper vident faciem Patris, qui in caelis est. » Et quemadmodum illi qui annos quadringentos, vel quingentos, vel mille ab ascensione Domini definierunt, decepti sunt, eventus et experientia docuit: sic omnes alii decipientur, qui tale aliquid definire tentaverint. Nonne haeretici Lutherani ante annos ferme quadragesima, et Vitebergae, et alibi, ut spiritum prophetiae accepisse demonstrarent, jamjam diem Domini instare praedicabant? et certum etiam quemdam diem, quo judicium esset futurum, definire non verebantur? nonne jam plerique propterea, neque domos aedificare, neque agros colere; sed solum ad eum diem se comparare volebant? et tamen finita dies jamdiu praeteriit, et prophetae mendaces inventi sunt. « De fine autem temporum, inquit B. Hilarius in Matthaeum scribens, curam sollicitudinis nostrae ademit, diem illum dicens, nemini esse cognitum ». Et beatus Ambrosius libro quinto de fide, capite octavo. « Non prodest, inquit, scire, sed metuere, quod futurum est: Scriptum est enim: *Noli altum sapere, sed time* ». Beatus vero Chrysostomus scribens in Matthaeum: « Quod, inquit, dixit, neque angeli sciunt, repressit eos ne scire vellent, quod angeli nesciunt. Eo vero quod dixit: neque filius, non solum a discendo, sed etiam a quaerendo prohibuit ». Denique, ut alios omitteremus, Augustinus ad Hesychium scribens: « Libenter, inquit, nesciamus, quod nescire nos Dominus voluit ». Et libro decimo octavo de civitate Dei capite quinquagesimo tertio: « Omnium, inquit, de hac re calculantium digitos resolvit, et quiescere jubet, qui ait: non est vestrum scire tempora, vel momenta, quae Pater in sua posuit potestate ».

Quae cum ita sint, quis explicet quorundam impudentiam singularem? Christus clamat: *non est vestrum scire tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.* Et: *vigilate, quia nescitis diem, neque horam,* Et: *de die autem illo nemo scit, neque angeli in caelo, nisi solus Pater.* Confitetur Hilarius, confitetur Chrysostomus, confitetur Augustinus, omnes patres, omnes doctores, omnes angeli confitentur, se magna illa momenta nescire, quae Pater posuit in sua potestate; et quidam superbissimi vermiculi tempora

ista, et momenta definire non erubescunt? Itaque, auditores, si in Heliam quemdam, non Prophetam ecclesiæ, sed Rabinum Synagogæ, et in alios ejusdem veneris somniatores incideritis, qui certos annos consumptionis sæculi definire voluerunt, eos me auctore deridete, atque contemnite. Omnes vero majorum, et patrum nostrorum sobrietatem, et sapientiam imitantes, hæc omnia, quæ Dominus de posteriore adventu suo prædixit, omnino futura esse credamus. Ad quem autem modum, et quando implenda sint, id vero Domini cognitioni, atque intelligentiæ concedamus, et nostram scientiam effugere æquo animo patiamur.

Sequitur, *et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate*. Signis vero illis tamquam prænunciis quibusdam ante suum adventum præmissis, cum maximo totius orbis stupore apparebit in aere summus ille Judex vivorum, et mortuorum; tantoque lumine et splendore quasi vestitus erit, ut soli, et lunæ, et omnibus cæli luminibus tenebras offundat. Veniet vero in majestate, hoc est, in majori statu, quam antea venerit: Is enim qui quondam cum maxima humilitate, et abjectione venit, cum maxima potestate et majestate veniet. Et qui aliquando solus de cælo descendit, tunc multo, magnoque comitatu stipatus descendet: et qui olim, ut reus ab hominibus judicandus, advenit, tunc, ut æquissimus, et potentissimus judex omnes homines judicaturus adveniet: et qui jacuit contemptus in stabulo sedebit gloriosus in nube: et angeli, qui in priori ejus adventu læti canebant: *Gloria in excelsis Deo, etc.*, in posteriori horrendo insonabunt: *Surgite mortui, venite ad judicium*.

His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra. Perditi quidem, et facinorosi homines, qui male sibi conscii sunt, his fieri incipientibus non audebunt in cælum respicere: sed in humum, quam semper dilexerunt, oculos suos defigent, contabescunt, arescent, deficient præ timore; quoniam appropinquat condemnatio eorum. Vos vero, qui thesaurum vestrum in cælis posuistis, qui adventum istum semper desideravistis, quos fides, et opera securos efficiunt, respicite, et levate capita vestra: et quantum in aliis metus, et odium crescit, tantum in vobis spes et desiderium augeatur. Appropinquat enim plena, et perfecta

redemptio vestra: « ut » jam tandem vide licet « reformetur corpus humilitatis vestræ configuratum corpori claritatis suæ ». Vos, inquam, qui « intra vos gemebatis, adoptionem expectantes filiorum Dei », redemptionem corporis vestri, respicite jam, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra, qua corpora ista ab omni corruptione, et mortis injuriis vindicentur.

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores, cum producant jam ex se fructum, scitis quia prope est æstas: ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei etc. Fœcunda plane sunt hæc verba, auditores: nam et historicum, et parabolicum, et moralem sensum recipiunt. Juxta historiam, sicut folia, et flores, et fructus arborum, signa sunt vicinæ æstatis: sic etiam solis ac lunæ obscuratio, stellarum et siderum casus, maris ac fluctuum sonitus, et gentium in terris pressura, ac metus, signa sunt obitus mundi, et futuri judicii. At vero juxta parabolam novum signum superioribus Dominus addidit, conversionem scilicet Judæorum: Quid enim ficulnea in scripturis, nisi populum hebræorum significat? *Habebat quidam arborem ficu plantatam in vinea sua, ait Dominus, et venit fructum quærens in illa, et non invenit, etc.* Quam parabolam Dominus, ut B. Ambrosius, et alii patres exponunt, sine ulla dubitatione de Hebræis dixit. Rursum maledixit ficulneæ, ut Marcus capite undecimo auctor est, quod in ea fructum quærens nihil præter multa folia invenisset: quo loco ficulneæ nomine Synagogam Judæorum intelligendam esse, nemo est, qui dubitet: sciebat enim Dominus non posse tunc ficus in ficulnea inveniri: non enim erat tempus ficuum, ut ipse Marcus evangelista testatur: sed aliud quærebat, aliud desiderabat: quærebat ficus in arbore desiderabat opera bona in Synagoga. « Folia erant, inquit August. in psalmo xxxiv. de hac ficulnea loquens, et fructus non erant, verba erant, et facta non erant. Vide in verbis numerositatem, et in factis sterilitatem. » Hinc etiam Nathanaeli Dominus ait: *cum adhuc esses sub ficu*, hoc est cum adhuc sub umbra Synagogæ degeres, et nihil de Messia audivisses, *vidi te*. Denique, quod in Canticis canticorum legimus: *ficus protulit grossos suos*, quis ambigat ad populum Hebræorum etiam referendum? Hinc enim sumit sponsus argumentum suasionis, ut sponsa properet venire

ad vineas, quia ficus jam protulit grossos suos et in posterum meliora succedunt; grossi enim ficus quædam sunt: sed vice florum oriuntur, et tamquam ad nihilum utiles immaturæ cadunt, et dant locum maturandis. Grossi igitur quos perpetuo protulit Synagoga, opera inutilia, acerba; quin etiam pernicioſa, et venenata fuerunt ut sæpius repetita idololatria, ut cædes omnium Prophetarum, ut ipsa impia, et detestanda Christi Servatoris occisio. Hic enim fuit omnium postremus, et grossissimus atque acerbissimus grossus. Tunc impleverunt mensuram peccatorum suorum: tunc impleta est malitia urbis Hierusalem. Atque propter hunc ultimum grossum, dixit Dominus cultori vineæ: *ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac. Veni tempore Patriarcharum, veni tempore Prophetarum, veni tempore Messiæ: et nihil unquam, nisi grossos inveni: succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Cultor vero adhuc annum unum, hoc est, tempus aliquod impetravit, donec Apostoli quoque circa eam foderent, et mitterent stercora, hoc est, in oculis Judæorum peccata ipsorum ponerent, et tum cum nulla jam esset spes conversionis, misit Dominus operarios suos, Titum et Vespasianum, et radicitus eam evulsit: et ramos ejus per omnem orbem terrarum disjecit. Vere igitur populus Hebræorum ficulnea fuit quæ bona licet Patriarcharum radice prodierit, numquam tamen in altum proficere, numquam se humo attollere voluit, numquam radici respondere proceritate ramorum, generositate florum, fecunditate fructuum: sed perpetuo humilis, fragilis, toctuosa, nodosa fuit, et informes atque acerbos grossos pro pulchris, et odoratis floribus tulit. Sed in fine nihilominus temporum *reliquiæ salvæ sient. Cum enim plenitudo gentium intraverit, et ipse Israel licet olim incredulus convertetur, et tunc finis mundi et Christi judicium erit in foribus. Ab arbore igitur fici discite parabolam; cum ramus ejus tener fuerit, et folia nata, hoc est, cum ficulnea illa in adventu meo propter suam incredulitatem arefacta iterum virescere, et frondescere incipiet, et duræ illæ cervices Judæorum mollescent, et leni jugo meo subjicientur, scitote quoniam prope est æstas: illa, inquam, æstas, in qua messis fiet, et bona frumenta in horreum Domini recondentur, paleæ autem et zania igni inextinguibili cremabuntur. Hæc igitur de parabola.*

Quid tandem et nos ex hac sententia utilitatis referemus? Multum omnino, auditores, si illud diligenter perpendamus, quemadmodum communis mundi perturbatio, atque interitus. felix et faustum signum est communis omnium sanctorum gloriæ et felicitatis: sic etiam singulares uniuscujusque nostrum temporaneas calamitates, et ærumnas, signa faustissima esse perpetuæ uniuscujusque nostrum prosperitatis, et pacis. O nos felices, si rem istam intelligere possemus? Rei siquidem ejus ignoratio id in hominibus efficit, ut tunc ipsi doleant, cum est maxime gaudendum, et tunc sæpe gaudeant, cum omnijure esset dolendum. Accipite similitudinem a segetibus, et arboribus. Cum frumenta in arvis ab agricolis seminata sunt, quam obsecro, hiemem vos vestris segetibus desideratis? Adolescentes fortasse, qui magis de suis ludis, quam de segetibus solliciti sunt, hiemem totam serenam et dies claros et temperato calore blandos, sine pluviis, sine ventis, sine glacie, sine nivibus optarent: nimirum ne deambulationes et cursus, et ludi eorum diebus feriatis impedirentur. Verum ista serenitas hiemis, iste calor intempestivus, segetibus non modo non conferret; sed etiam vehementer obsesset. Continuo namque exorirentur, radices non facerent, neque aliud, quam herbas, et paleas suis cultoribus parent. Quocirca sapientes agricolæ malunt in hieme frigora, et glacies, et nives, et pluvias, quam diuturnam, et male blandam ac tepidam serenitatem. Intelligunt enim hoc pacto segetes coliberi, ne ante tempus exoriantur; sed primum longas, et firmas radices figant: deinde tempore suo fruges uberrimas, et optimas fundant. Nos omnes, Auditores, segetes sumus in agro mundi hujus seminatæ, ut aliquando bonum frumentum efficiamur, et in horreum Domini messorum, hoc est, Angelorum manibus recondamur. Ac presentis quidem vitæ tempus totum est hiems: æstas vero paulo post sine dubio consequetur. Quid igitur si sapimus, optare debemus? Nonne pluvias? nonne glacies? nonne nives? *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Ergo cum omnia prospere in hac vita succedunt, nolite gaudere, nolite extolli. *Divitibus hujus sæculi præcipue, inquit Paulus, non sublime sapere.* Suspecta sit nobis ista ubertas, et non naturalis serenitas: ne forte in æstate paleæ sine frumento inveniamini, ac proinde colligamini in fasciculos ad comburendum. Contra

vero, cum undique spirant ærumnæ, pluunt imbres tribulationis, irruunt venti calamitatis, dicite vobis ipsis: faustum est hoc signum, turbida atque horrida hiems lætam, et divitem æstatem nobis adferet. Aspiciate liberatorem nostrum Jesum Christum, ipse granum frumenti pro nobis fieri, et in hac terra voluit seminari: quam, quæso, hiemem experitus est? Num vel unum diem lætum et serenum habuit? Nonne omnia venti, et pluviae persecutionum et tribulationum sibi vindicarunt? Sic oportuit Christum pati, ut cresceret postea, non solum in spicam, sed etiam in arborem magnam, et longe maximum fructum adferret. Sic igitur et nos cum similem hiemem experimur, gaudeamus et exultemus, quoniam messis vestra copiosa in æstate erit.

PARS ALTERA

Exposuimus, vel perstrinximus potius evangelium; restat nunc ut cur hoc tempore proponatur, breviter videamus. Hujus rei tres præcipue causæ mihi esse videntur: primum enim eum diem jam agere, et celebrare incipimus, quo liberator generis humani nostræ carnis mortalitate indutus ad nos venit; quia vero nihil majestatis, nihil amplitudinis, nihil excellentiæ singularis in hoc primo adventu præ se ferre videbitur, quin potius more cæterorum infantium parvulus, imbecillis, nudus, vagiens, prodibit in lucem, in præsepi collocabitur, super fœnum jacebit; nullus apparatus, nisi rusticanus, nulla tapetia, nisi telæ aranearum; nulli famuli, et administri, nisi bos et asinus circa illum apparebunt: Quis, obsecro, sibi facile persuadebit, eum et regem, et Deum, et Verbum, et sapientiam esse? Ut igitur non nos tunc humilitas ejus offendat, ejus nunc nobis majestas, et gloria prædicatur. Et ne tunc eum ut unum de turba contempnamus, multo ante nobis prædicatur, eum judicem orbis terrarum esse futurum, venturumque in nubibus cœli cum potestate magna, et majestate. Atque hæc quidem est ratio prima.

Porro altera ratio ex illo sumitur, quod ea signa adventus Domini, quæ in hodierno evangelio continentur, tametsi vere ac proprie posterioris adventus signa sint, tamen secundum quamdam mysticam, ac reconditam intelligentiam, ad priorem quoque eventum referuntur: Siquidem in die natali Do-

mini sol obscuratus est, et luna non dedit lumen suum, et stellæ de cœlo lapsæ sunt, nec in terris defuit pressura gentium præ confusione sonitus maris, arescentibus hominibus præ timore. Quid enim sol, nisi Christum significat? qui est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, et quem jure ac merito solem justitiæ nominamus. Iste igitur sol obscuratus est, cum verbum carne circumdatum mundo apparuit. Quæ major obscuratio cogitari potest, quam ut creator, et Dominus ita lucem suæ majestatis abscondat, ut opificium, et mancipium esse videatur? Verum enimvero, quomodo sol, cum nobis deficere videtur lumen suum neque amittit, neque remittit: sed illud dumtaxat abscondit: sic et Dei verbum cum caro factum est, non esse desiit, quod erat: sed esse cœpit, quod non erat: neque lumen divinitatis in eo defecit, sed solum obscura nube carnis humanæ contectum, atque operatum fuit. Et quemadmodum solem adversum, si nulla nube tegatur, intueri non possumus, ejusque radiis acies nostra sensusque vincitur: sic et Verbum usque ad diem obscuratationis suæ propter nimium fulgorem quem ex se emittebat, cerni non poterat, vereque tunc erat Verbum apud Deum, hoc est, in sinu et corde Patris penitus abditum, ac reconditum, ut ab oculis mortalium videri non posset. At ubi *Dominus super nubem levem*, juxta Prophetæ vaticinium, *ascendit*, et humana carne vestitus vim illam divinorum radiorum continuit, et nobis faciem suam nube interposita obscuratam ostendit, tunc *vidit omnis caro salutare Dei*. Nam *in terris visus est. et cum hominibus conversatus est*. Ecce igitur vobis obscuratationem solis. Cæterum lunæ quæ in adventu Domini nunc dedit lumen suum, quid nisi cœtum fidelium, ecclesiamque designat? Ut enim luna modo magna, modo parva, modo nulla videtur; ita ut sapiens dicat: *stultus ut luna mutatur*: sic et Ecclesia modo decrescit, modo brachiis orbem pene totum complectitur, modo contrahitur, in angustumque deducitur, quod his nostris miserrimis, calamitosisque temporibus videre cogimur vel inviti. Et quemadmodum luna luce lucet aliena, et radiis solis accensa convertitur: sic et Ecclesia, quicquid gratiæ, quicquid decoris, quicquid luminis habet, id totum a Christo habet, qui sol justitiæ, et appellatur, et est. Hæc igitur luna, quæ in ortu Domini ac Servatoris nostri lumen non dabat, Ecclesia cœtusque fidelium est: Num-

quam enim minor Ecclesia fuit, numquam obscurior, numquam vilior, numquam abjectior. Tunc enim excepta Palæstina, quæ exiguus angulus orbis terrarum est, ubique idola regnabant, totus orbis in tenebris errorum densissimis versabatur. Et ille ipse angulus, de quo olim Propheta canebat: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*, circa Domini natalem diem, partim erroribus Sadducæorum, partim moribus parum probatis, et flagitiosa vita pharisæorum et sacerdotum ita corruptus et depravatus erat, ut nihil pristini decoris ac luminis habere videretur. Nulli tunc Davides, aut Ezechie: nulli Aarones, aut Eleazari; nulli Heliæ, aut Isaiaë inveniebantur: sed reges prophani, sacerdotes sacrilegi, et prophetæ mendaces Hierosolymis erant. Vere igitur tunc luna, hoc est, fidelium congregatio, non dabat lumen suum. Nec immerito, auditores; nam adveniente Domino vetus Ecclesia moriebatur, et nova nascebatur. Itaque novilunium erat et luna cum sole conjungebatur, ac propterea exigua ac pene nulla videbatur. An est quisquam, qui hoc ignoret in novilunio lunam pene nullam videri?

Sed fortasse a vero non aberraremus, si virginem Dei matrem lunam istam esse diceremus: de ipsa enim Ecclesia canit: *Pulchra ut luna, electa ut sol*. Numquid enim obscurata non fuit hæc luna, cum tam excellens fœmina, tam singularis, cujus pectus domicilium erat omnium virtutum, et quæ singulari privilegio mater, et virgo erat: nec non Dei Patris filia, filii mater, Spiritus sancti sponsa, angelorum Regina, orbis Domina, decus humani generis, qualem alteram mundus omnino non habuit, nec habebit: cum, inquam, talis fœmina gloria fœminarum ab hominibus non agnoscebatur, nec ut par erat, colebatur: quin potius despiciebatur, et contemnebatur, et cum Deum gestaret in utero, in stabulum abjectissimum se recipiebat? Cum inter tot peregrinos ei soli fortasse in diversorio locus non esset? Itaque luna non dabat lumen suum. Nunc quidem hæc luna defectum non patitur; nam et ipsa in omnem terram radios suos diffundit, *nec est qui se abscondat a calore ejus*. Ubique terrarum suscipitur, colitur, adoratur. Sed tunc luna non dabat lumen suum.

Et stellæ cadent de cælo. Porro stellarum casus in adventu Domini maxime perspicuus fuit: nam usque ad aerem istum terræ proximum stella quædam maximi fulgoris lapsa

est, et magis ex Perside venientibus palatium regis pauperis demonstravit. *Ecce*, inquit, *stella quam viderant in oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Et virtutes cælorum movebuntur*. O quam aperte hoc signum apparuit quando, ut B. Lucas testatur, *subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, et dicentium: gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis?* Postremo fuit in terris pressura gentium, præconfusione sonitus maris: mare siquidem nihil est aliud, quam mundus, sive perditii illi homines, qui mundi nomine in sacris litteris designari solent. Quocirca B. Augustinus psalmum nonum et trigesimum exponens: « Hoc sæculum, » inquit, « mare est: habet enim amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum: habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, et tanquam se invicem devorantes. » Et rursus in psalmum nonagesimum secundum: « Navicula. » inquit, « Ecclesia est, mare seculum; venit Dominus, ambulavit super mare, et pressit fluctus. Quomodo ambulavit Dominus super mare? potestates et reges crediderunt, et subjugati sunt Christo. » Hoc est igitur mare, quod quidem num oriente Christo turbatum non est? Audite, quid B. Matthæus evangelista dicat: *audiens autem Herodes, nempe natum Christum, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo*. Ecce vobis mare turbatum: ecce fremitum resonantium undarum: *turbatus est*, inquit, *Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo*. Hinc vero statim pressura gentium in terris subsecuta est. Annon fuit in terris pressura gentium præconfusione sonitus maris, quando Maria et Joseph pene arescentes præ timore, intempesta nocte, fugam arripere, et in Ægyptum concedere compulsi sunt? Et quando Magi ab angelo admoniti per aliam viam in Persidem redierunt, ut eam tempestatem evaderent, quam Herodes excitabat, nonne erat in terris pressura gentium præconfusione sonitus maris? Postremo, cum tot millia innocentium puerorum insanientis Herodis jussu cæsa sunt, et tot parentes, tot matres, tot nutrices in luctu, et squalore fuerunt, et quanta esset rabies turbati maris probe expertæ sunt, nonne erat in terris pressura gentium præconfusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore? Quæ cum ita sint, planum jam esse arbitror, signa, quæ in ho-

dierno evangelio continentur, tametsi proprie ad posteriorem Christi adventum referantur : tamen ad priorem etiam aliquo modo non male, nec inepte referri.

Sed jam ad tertiam, et postremam rationem veniamus : cum hoc tempus sit quasi quædam longa vigilia, et tanquam parasceve, ad natalem Domini diem probe celebrandum instituta, ratio ipsa exigere videbatur, ut illud evangelium Ecclesia nobis proponeret quod maxime esset utile ad Christianorum animos præparandos. Et quid, obsecro, utilius, quam futuri judicii cogitatio ? Ea namque timorem sanctum in animis inserit, a peccatis revocat, ad pœnitentiam cogit, in officio continet, torporem expellit, diligentiam excitat, vigilantem denique, ac solertem hominem facit. « Si mente, inquit B. Ambros., cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur. » Et sane, auditores, quis manus extendere ad quodlibet flagitium perpetrandum auderet, quis non vehementissime perhorresceret, si semel attente cogitaret, quam severum judicium nobis immineat, et quam accuratam et minutam rationem de omnibus verbis, factis, cogitationibus, omissionibus æquissimo et potentissimo Judici reddere debeamus ? Unusquisque nostrum. Si proprii capitis causam apud severam aliquem judicem certo die dicere, et eo ipso die sententiam, vel vitæ, vel mortis audire deberet, quid, obsecro, ageret ? Imo vero quid non ageret ? Quid non moveret ? Quid non tentaret ? O quam sollicite ac diligenter quæret testes innocentiae suæ ? O quanto studio amicos et patronos, præsertim nobiles, et gratiosos, qui apud judicem, vel gratia, vel auctoritate valeret, sibi compararet ? O quam sæpe, et attente meditaretur causam suam, et rationes atque argumenta excogitaret, quibus innocentiam suam judici persuaderet ? Certe non dormiret, non torperet, neque spatium ei superesset, quod in ludis, et amoribus poneret. Et quorsum tandem hæc omnia ? Quo tantus apparatus ? tantæ sollicitudines, tantæ curæ, tantæ contentiones tendunt ? Fortasse, ut non moriatur ? Non sane. Quo igitur ? Ut non tam citò moriatur. Nec enim mortem evadere, quod fieri non potest : sed ad paucos dies eam differre contendit. Cum igitur hodie judex ipse non per præconem, sed per seipsum judicium formidabilissimum brevi futurum pronuntiaverit ? et ad ipsum

coram toto orbe nos omnes citaverit, et in eo non de fundis, non de stillicidiis, non de limitibus agrorum ; sed de sempiternis cruciatibus interituque perpetuo agendum sit, quis non intelligit, quanto jure nos formidare, et non dormire, neque otiosi, sed studere atque contendere debeamus, ut parati ad illud inveniamur ?

Et quid tandem imprimis necessarium esse censetis, ut ad illud bene nos præparemus ? Ego quidem, auditores, diu super hoc cogitans, et multa volvens, ac revolvens animo, tandem illud serio apud me statui, nihil nobis magis in hac re nocere, quam crapulam, quam amorem carnalium voluptatum. Cur hodie, cum de judicio agitur, canitur nobis ex Apostolo : *non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitis : sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum ?* Cur ipse Dominus simul atque de judicio illo formidabili locutus est, statim subjungit : *attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa ?* Et quid ex iis omnibus judicare possum, nisi comessationes et ebrietates maxime omnium malorum fugiendas esse, si læti et securi ante Filium Virginis apparere velimus ? Ratio deinde nonne et ipsa hoc docet, nulla re magis corda hominum gravari, et omnium bonorum oblivisci, quam ebrietate ? Existat hic aliquis contritus, compunctus, qui conceperit vitam mutare : nonne si hac nocte adeat convivium non sobrium, gravabitur rursus cor ipsius, et vini copia spiritus conceptos extinguet, et rursum garrere, insanire, aliis detrahere, scurrilia et impudica verba loqui, et carnis titillatione ad libidinem incitari incipiet, sicut antea ? O quam multos perdit, et ad gehennam trahit ista amarissima delectatio ? Accipite brevem similitudinem humanæ calamitatis, et finis orationis sit. Currebat quidem per agros, et casu quodam incidit in horrendum quemdam puteum : verum, dum caderet alio meliori casu manibus extensis, arbusculam quamdam apprehendit quæ de pariete putei, illius prodibat : tum vero pedibus super eam compositis totus perterritus, cœpit respicere, ubinam esset : et primum intuens puteum profundum, vidit horribilem quemdam draconem, ore, et naribus, et oculis ignem spirantem, qui non dormiebat ; sed pendentem hominem horribilibus oculis intuebatur, et semper inhiabat ad casum ejus, et se ad eum devorandum præparabat. Deinde

ille miserrimus homo attollens oculos, ut videret, si forte ex parte superiori pateret effugium; ecce videt ferocissimum leonem, qui rugiens, sævus nimis discurrebat circa puteum, et ipse quoque prædam illam expectabat. Tum ille inops consilii attendere cœpit, quam stabilem sedem nactus esset, et an diu super illam arborem stare posset. Et ecce videt ad radicem ejus duos mures; unum album, alterum nigrum, qui perpetuo eam rodebant, et non parum aberat, quin radice corrosa tota arbor decideret in profundum. Videt quoque ex eodem foramine, ex quo arbor prodierat, quatuor aspides apparuisse, qui continuis belis, et contentionibus radicem concutiebant, et non parum eam ad ruinam juvabant. Post hæc omnia adhuc suspiciens vidit (quod causa totius ruinæ illius fuit) in ramis arbusculæ paucos quosdam flores, ex quibus guttæ quædam mellis distillabant, tum ille omnium malorum, et periculorum oblitus, non amplius cogitans, quid eum in profundo expectaret, neque ex parte superiori quid capite ejus immineret, neque arbusculam illam statim excidendam et casuram esse, nihil horum cogitans, totus hilaris, et jucundus effectus, dedit se totum floribus illis colligendis, et melli sugendo, quod ex eis profluebat. Hæc est parabola nostræ miseriæ. Huic miserrimo atque stultissimo homini similes sumus. Cecidimus omnes in hunc mundum, puteum calamitatum longe profundissimum: Intuemini, quæso, qui infra nos lateat. Quis vestrum gehennam apertam, et viva atque ardentia illa incendia, fidei oculis non videt? Quis non intuetur immanem illum draconem, qui semper inhiat prædæ animarum nec aliud numquam cogitat, quam quomodo nos devoret? Aspiciate deinde, quid nostris capitibus impendat? An non attenditis illum de tribu Juda, cui inimici propter peccata facti sumus, semper rugientem, et judicia sua super omnem pavorem formidabilia nobis comminantem? Et non parcat, mihi credite, in die iræ et furoris sui; et qui nunc, dum vivimus, Agnus mansuetissimus est,

idem post mortem leo rugiens, et horribilis erit. Aspiciate modo arbusculam, quam apprehendimus, intuemini firmitatem humanæ vitæ, an non videtis duos illos mures, album et nigrum; diem et noctem, qui semper rodunt, et consument radicem vitæ nostræ? Et quis eos prohibeat? quis dormire faciat? Huc accedit bellum perpetuum, et intestinum quatuor humorum, quatuor aspidum venenatorum, quos inclusos in pectore, et in visceribus gerimus, qui vitam nostram diuturnam esse nullo modo patientur. Et tamen hæc omnia mala, quæ nos circumstant, nos miserrimi et infelicissimi filii Adam, et omni lacrymarum fonte plangendi, obliviscimur, non attendimus, non curamus, modo tenuissimos flores, et modicam illam dulcedinem carpere possumus, quam vita ista fallacissima præbet. Sic gravantur corda in crapula, et ebrietate, et curis hujus mundi; sic descendimus ad gehennam sine ullo numero. Pergite Antuerpiam, considerate studia mercatorum, videbitis eos ita inhiantes lucris, ita intentos melli divitiarum, ut numquam cogitent, an animam habeant? An sit iudicium futurum? An reperiatur gehenna? An sit Deus in hoc mundo? Redite postea Bruxellam, considerate studia plurimorum adolescentum, videbitis nonnullos ita ebrios amore carnalium voluptatum, ita insanientes rabie libidinum, ita vanos in vestibus, ita immoderatos in potu, ita effrenatos in verbis, ita dissolutos in studiis pietatis, ut non solum non cogitare, sed neque credere videantur quæ de futuro iudicio, et morte, et gehenna sacræ litteræ prædicant.

Quare vos oro atque obtestor, per viscera Dei nostri, per salutem animarum nostrarum, nolite claudere aures verbis salutaribus, nolite vobis obstruere viam salutis, nolite obdurare corda vestra. Abstinetate a crapula et ebrietate, quibus corda gravantur, et obdurantur: accipite consilium, dum licet, advocati nostri Jesu Christi, ut eum aliquando Judicem secure videre possitis, quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO IV.

DE DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

THEMA

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. *Rom. xv, v. 4.*

SYNOPSIS.

Occasione hujus sententiæ Pauli declaratur. Solliciti pro salute proximi esse jubemur. Sacræ Scripturæ singularis excellentia, prærogativa, et privilegia, quæ accipit tum ab auctore, tum a materia, quorum utrumque est Deus. Quam utile sit nos hic tribulationibus exerceri: bonis semper malos esse admissos et contrarios: Deum justis vera, non terrena bona largiri, quæ melius in adversitatibus conservari similitudine, exemplis, et historiis probatur. Justos in adversis solamen percipere, aut liberari, a simili docetur. Mundi et Dei diversa visitatio et consolatio cum Martyrum exemplis affertur. Cur Deus quosdam tribulatos non consoletur, variæ narrantur causæ: tandem gravi admonitione ad spem omnem in Deo collocandam concluditur.

Sententia hæc Apostolica, quam hodie explicaturi sumus ex verbis præcedentibus ita dependet, ut sine eorum cognitione intelligi sane non possit. Ut igitur paulo altius repetamus, Romani, ad quos Apostolus Paulus scribebat initio nascentis Ecclesiæ, partim ex Judæis, et partim ex Gentibus ad Christi fidem conversi fuerant; et quamquam omnes Christum colebant, tamen adhuc non nihil dissidii inter eos erat; Judæi siquidem existimabant cæremonias legis observandas, a cibis immundis abstinendum, et judica-

bant, ac notabant tanquam legis prævaricatores eos, qui non ita faciebant. Contra vero alii in Evangelio doctiores, et in fide firmiores, nullum cibum tamquam immundum a Christianis rejiciendum censebant, et contemnebant, ac spernebant eos, qui judaizabant, tamquam imperitos, et minus in Evangelio instructos. Quid igitur Apostolus facit? Utrosque castigat; et judaizantibus quidem ostendit, nihil jam esse immundum, et nos per Christum ab observantia cæremoniarum legis esse liberatos: firmiores autem monet, ut libertate christiana atque evangelica utantur quidem, sed non in scandalum aliorum. Itaque ait: *Is qui manducat, non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non judicet.* Et rursus ad infirmiores: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: Potens est enim Deus statuere illum.* Ad firmiores vero: *Si propter cibum frater contristatur jam non secundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Item ad eosdem: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, et non nobis placere. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, impropéria impropertianum tibi ceciderunt super me. Quæcumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Hoc est, non debemus ita nobis placere, et in nostra probitate acquiescere, ut de proximo non cogitemus; sicut Pharisæi fecerunt, quibus cum Judas diceret: *Peccavi tradens sanguinem justum,* responderunt illi: *Quid ad nos?*

tu videris. Non ita faciendum est nobis : si Christus ita facere voluisset, dixisset : ego justus sum : quid mea refert si cæteri sint peccatores? Ego bene me habeo, quid ad me si cæteri pereant? Non ita Christus egit : sed dixit, *improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Idque non tam verbis, quam factis dixit, cum omnium nostrum peccata, et peccatorum pœnas super humeros suos imposuit. Ita nos quoque facere debemus, quæcumque enim patientia Christi, et aliorum Sanctorum in scripturis legimus, ea ad nostram eruditionem, et institutionem facere, existimare debemus : ut hoc modo *per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.* Ecce igitur vobis propositum B. Pauli, et summam explicationis hujus loci ; nunc paulo diligentius partes omnes hujus sententiæ consideremus.

Quæcumque scripta sunt. Nemini dubium esse potest, quin Apostolus non de omni scriptura, sed solum de sancta ac divina scriptura, loquatur. Cur igitur tam simpliciter ac generatim ait : *quæcumque scripta sunt?* et non potius ; quæcumque in libris sacris scripta sunt? Num tot volumina jurisconsultorum, tot libri philosophorum, tot monumenta historicorum, scripta non sunt? sunt quidem, auditores, multæ scripturæ aliæ, sed hæc nostra quam jure et merito divinam nominamus, ita omnibus aliis multis nominibus præstat, ut cæteræ cum ea comparatæ, ne scripturæ quidem dici posse videantur. Radices tamen, et quasi fontes quidam privilegiorum hujus nostræ scripturæ duo sunt, auctor et materia.

Qui est auctor? Deus. *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines,* ait Petrus : quæ est materia? Item Deus. Nec enim decebat ut Deus de alio, quam de se ipso scriberet ; nemo siquidem præco esse solet laudum inferiorum et obscuriorum hominum, quam ipse sit, sed omnes viros magnos, et rebus gestis claros laudandos, et ornandos suscipiunt. Itaque sicut Cæsar rerum quondam gestarum commentaria ipse conscripsit ; ita quoque Deus cum neminem haberet ullo modo se superiorem, de quo merito scribere posset, de seipso scripsit, et historiis, legibus, vaticiniis, aliisque innumeris modis se Creatorem, Provisorem, Liberatorem, et Glorificatorem generis humani demonstravit.

Porro oriuntur ex his fontibus privilegia

singularia divinæ Scripturæ sine ullo numero : Hinc enim antiquissima, nobilissima, perfectissima est. Scripturæ cæteræ, etiamsi sanctorum hominum sint, semper habent aliquid imperfecti : nam ut vita et mores sanctorum hominum, licet Deo placerent, et merito laudabiles essent, tamen habebant aliquid semper, unde orationem Dominicam legere, et Deo dicere possent : *dimitte nobis debita nostra, etc., et Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Ita etiam verba, et sermones eorum numquam ita perfecta erant, quin aliquid desiderari posset. Scriptura vero Divina, propterea quod Deum auctorem habet, cujus *perfecta sunt opera,* ejusmodi est, ut nihil penitus habeat imperfecti, nihil ei detrahi, nihil addi, nihil desiderari possit. « Otiosum verbum, inquit Basilius homil. decima de opere sex dierum, in Scriptura esse dicere ingens blasphemia est. »

Neque solum perfectissima, sed etiam utilissima, et omne genus eruditionis continet. Scientiæ profanæ tractant de pane lucrando ; hæc de regno cœlorum acquirendo. Jurisprudencia conservat hæreditates et testamenta hominum : hæc ipsum Dei testamentum et cœlestem hæreditatem continet. Ars medicinæ curat morbos et ægrotudines corporum : hæc animis affectis, et peccatorum vulneribus medetur. Naturalis Philosophia erigit hominem usque ad sidera contemplanda, hæc hominem perducit usque ad siderum conditorem. Historiæ profanæ certarum urbium ædificationes, et eversiones narrant, hæc mundi totius creationem et consummationem tradit. Habet humana sapientia suos poetas, qui versibus et cantu animos oblectant : habet Scriptura divina sanctos Prophetas, qui psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus in hominum pectoribus divinum amorem accendunt. Habet illa graves oratores, qui quocumque volunt homines impellunt : et hic non deest suus Ecclesiastes, et alii sapientes viri qui multo gravius et salubrius concionantur. Habet illa postremo etiam suos Grammaticos, qui elementa docent ; et hæc habet Apostolum, qui insipientes docet, quæ sunt elementa prima cognitionis Dei. Merito igitur, jureque optimo sancta Scriptura, quæ omnibus scripturis excellit, et omnes continet, sola ab Apostolo Paulo scriptura appellata est. Quæcumque igitur in divinis voluminibus, ac præsertim

ubi tribulationes factorum explicantur, scripta sunt, ad nostram utilitatem, et eruditionem scripta sunt.

Et quamobrem? *Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.* Deus enim hac ratione gubernat ac regit vitam sanctorum, ut primum eos ducat in montem Calvariae, deinde in montem Thabor: primum eis tribuat materiam patiendi tribulationes, tentationes, pericula, certamina, crucem, ærumnas, calamitates, deinde eos de tribulatione eripiat et consoletur; vel etiam in ipsa tribulatione, tanta spirituali lætitia et voluptate perfundat, ut sæpe malint eam molestiam cum ea consolatione, quam sine consolatione illa, de molestia liberari. Hæc vero omnia, id est, patientia et consolatio sanctorum, ideo scripta sunt, ut nos elegendes sumus bono animo et ejusmodi exemplis erecti, atque animati, nullis tentationibus, aut calamitatibus numquam cedamus. Hæc ita se habere, videlicet omnes eos, qui pertinent ad sortem sanctorum, aliquid passuros, et magnam consolationem, atque uberrimos fructus inde percepturos, testatur scriptura, testatur natura, testatur experientia. Quod dum verbis breviter expono, quæso diligenter attendite: venient enim profecto omnibus usui hoc nostro calamitosissimo tempore, hæc arma spiritualia.

Primum igitur omnes electos aliquid passuros testatur Apostolus: *Omnes, inquit, qui pie volunt vivere in Christo, persecut ones patientur.* Et Dominus in evangelio: *Ego sum vitis, et Pater meus agricola est; omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et eum, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus adferat.* Tobiae seniori angelus dixit: *quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Itaque nullum excipiunt Divinæ litteræ, omnes omnino, qui scripti sunt in libro vitæ, per multas tribulationes in regnum cælorum intrabunt, et vel corporis ægritudinem, vel animi anxietatem, vel detrimentum existimationis, vel mortem charorum, vel honorum direptionem patiuntur, neque est, quod ullus excipi cupiat, nisi etiam excipi cupiat a regno cælorum: porro hujus rei rationem reddit sapiens in libro Ecclesiastici dicens: *contra bonum malum est, contra vitam mors; sic et contra virum justum peccator:* contraria inter se semper pugnant. Aspicite ignem et aquam: aqua nihil nocuit igni, neque ignis aquæ: tamen

simul atque sibi propinquant, mutuam aspectum ferre non possunt: aqua fumat, stridet, saltat, movetur. Unde hoc? Quia sunt contraria, non bene conveniunt. Pari ratione boni quasi ignis ardent, lucent, zelo et charitate semper incensi, numquam quiescunt. Mali quasi aqua labuntur super terram, et lutum efficiunt, et sæpe reddunt plateas ita sordidas, et lubricas, ut multos maculari, vel cadere faciant. Atque ejusmodi homines ubique reperiuntur, numquam sunt boni sine malis, quocumque eas, invenies malos. Etiam in Apostolorum collegio unus diabolus erat. Non est hortus sine malis herbis, neque frumentum sine jolio. Quid igitur miraris, si tu es ignis, quod aqua fumat, etiamsi nihil noceas malis, tamen semper mali te persequuntur, quia dissimiles sunt mores tui moribus illorum: *Si de mundo fuissetis, ait Dominus, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Et sapiens: *Dixerunt, inquit, impii: circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alius vita illius, et immutatae sunt vitæ ejus.* Vultis exemplum unum? Erant homines duo arctissime conjuncti, et ambo amici hujus sæculi; unus a Deo vocatus mutat vitam suam: statim alteri fit gravis etiam ad videndum, murmurat de eo, ubique obloquitur, ubique detrahit ei: est homo levis, inconstans, nihil boni faciet: Undenam hæc omnia? Nonne ex eo, quod dissimilis factus est alteri, et immutavit in bonum viam suam? Erant ambo curvi, nunc alter rectus factus est: Quid igitur mirum si non placet curvis rectitudo?

Vultis alteram rationem, cur probitas semper ferat secum tribulationes? In promptu causa est: Dominus enim qui nos regit et gubernat, filiis suis in magna copia tribuit bona spiritualia, quæ sola vera sunt bona, gratiam, patientiam, charitatem, omnem virtutem. De temporalibus autem non amplius tribuit, quam quantum necesse ad bona spiritualia conservanda, et augenda, « non enim bene provideret nobis, ut ait magnus ille theologus Dionysius Areopagita, si temporalium donationibus robur ac fortitudinem nostram emolliret. » Jam vero quis nescit bona spiritualia multo melius adversitate, quam prosperitate conservari? Nonne *virtus in infirmitate perficitur?* Dejiciant qui-

dem tribulationes homines pravos; sed probos semper robustiores efficiunt. Accipite exemplum B. Chrysostomi: sit tibi una columna rectissime constituta, imponantur super eam onera, quanto plura et majora ponentur, tanto ea columna firmior erit. Existat ibi rursum alia inclinata et curva, imponatur aliquid super eam, statim concidet. Ita prorsus, Auditores, homines curvi et distorti, iniqui, iniusti, statim corruunt, desperant, ad primum ictum mallei franguntur. At vero probi, justii, recti, laboribus et doloribus confirmantur, otio et quiete marcescunt. Aspicite duos primos reges Hebræorum. Saul cum esset vir pauper et tenuis, et asinas patris sequeretur, optimus erat, testante Scriptura, omnium Hebræorum. Ascendit ad regnum non sua voluntate, sed imperio Domini, repente totus mutatus, et uno die, peccatis ejus exigentibus, regnum et filios et vitam amisit. David secundus rex, cum fugeret a facie Saul et profugus a patria, uxore, et bonis spoliatus in silvis delitesceret, tam pius, et sanctus et clemens erat, ut etiam hosti suo atrocissimo, quem in potestatem acceperat, parceret. Postea vero quam rex effectus est, brevi adulterium homicidio copulavit. Et qui in tribulatione constitutus, etiam hosti pepercerat, idem in prosperitate fidelem ac devotum servum crudeliter interfecit. Et nos igitur miramur, si Deus servos et filios suos, quibus hæreditatem servat in cælis castigat, et opibus ac deliciis hic in terris emolliri ac dissolvi non patitur? Hæc sunt igitur rationes.

Jam vero exempla innumerabilia sunt. Percurrite scripturas sanctas, a Genesi usque ad Apocalypsim: nullum prorsus invenietis virum sanctum, et qui Deo placuerit, non vexatum atque afflictum, et tanto magis, quanto justior et sanctior fuerit. Abel primus martyr ab ipso suo fratre, nulla data occasione, circumventus, et necatus est. Patriarchæ Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, semper peregrini, semper profugi, semper in metu et periculis fuerunt. Prophetæ nonne fere omnes necati sunt? Isaias sectus, Ieremias lapidatus, Ezechiel, Zacharias, Joannes et alii variis modis torti variis cruciatibus interierunt? Quid Apostoli? *Usque in hanc horam, inquit Paulus, esurimus, sitimus et nudi sumus et colaphis cædimur, et instabiles sumus et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur et benedicimus: blasphemamur et obsecramus: persecutionem*

patimur et sustinemus: tanquam purgamenta hujus mundi, facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Quid ipse Dominus? Nonne tota ipsius vita crux quædam longissima et atrocissima fuit? Itaque primum, quod proposuimus, planum atque perspicuum est, « omnes qui pie volunt vivero in Christo persecutiones perpessuros. »

Jam vero alterum, nempe omnes eos qui patienter et libenter passi sunt, vel cum ingenti gloria liberatos, vel incredibili sanitate, et jucunditate in ipsa tribulatione affectos fuisse, nullo negotio demonstrari potest. Neque enim mentiri potest, qui dicit, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum.* Et rursum: *plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Neque mentitur Apostolus Petrus, qui ait, prænucciasse Prophetas *eas quæ in Christo sunt passioncs, et posteriores glorias.* Deinde in corpore humano, si membrum aliquod læditur, statim naturaliter sanguis eo currit, et ipse homo ita circa illud membrum oculis, manibus, pedibus, lingua, cogitatione, totus occupatur, ut reliquorum membrorum non videatur esse memor. In domibus quoque bene constitutis, si unus ex filiis ægrotet, ita mater illius unius curam gerit, illum unum fovet, illi uni blanditur, ut sæpe cæteræ proles ei morbum illum et ægritudinem invideant. Si igitur hoc natura facit, non faciet Auctor naturæ? si terrena mater hac providentia erga suas proles utitur, cœlestis Pater non utetur, qui filios suos tenerrimo, maximo, incredibili, atque infinito quodam amore prosequitur? Utitur sane. Et non videtur unum ex justis hominibus afflictum, quin statim ad eum tanquam ad membrum sui corporis læsum et filium proprium viscerum suorum laborantem accurrat, et complectatur, et sit cum eo in tribulatione, ut eripiat eum, et glorificet eum.

Hoc tamen est discrimen inter Deum et mundum: mundus currit post eos, qui florent, qui lætantur, qui rident: relinquit vero eos, qui in egestate et pressura sunt:

Tempore felici multi numerantur amici;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ita est praxis mundi, et filiorum ejus. Causæ divitum et nobilium cito expediuntur. Causæ pauperum et miserorum, semper inveniunt iudices occupatos. Deus vero cui Propheta canit *patris orphanorum et iudicis viduarum,*

alia via ingreditur, illos visitat, cum illis versatur, illos consolatur qui mœrent. Et qua consolatione putatis? O si vel gutta una illius mellis in cor nostrum descenderet, quam facile desiperet nobis omnis caro? Hinc Paulus gloriatur in infirmitatibus suis, *quia sicut abundat per Christum tribulatio, ita per Christum quoque abundat consolatio.* Hinc Apostolus Andreas procul cruce conspecta, vix seipsum præ lætitia capiebat: hinc fortissimus ac beatissimus protomartyr Stephanus, inter imbres sonantium saxorum, in tantam exarsit flammam charitatis, ut pro suis lapidatoribus summo studio Dominum exoraret. Hinc socius ejus et collega Laurentius inter flammam et incendia quasi nihil sentiens Tyrannum irridebat: hinc magnus ille Tiburtius super ardentem prunam, quasi super rosas blandissimas et mollissimas, ambulabat: hinc ille felicissimus Theodorus temporibus Apostatae Juliani, cum totam diem jam ab hora prima usque ad horam decimam sine intermissione succedentibus sibi tortoribus crudelissime torquebatur, tum primum dolere atque angere cœpit, cum de equuleis deponeretur, affirmans sibi juvenem pulcherrimum astitisse, qui tam dulciter eum consolabatur, et lintheo candidissimo sudorem suum tergebat, ut sibi jam non in equuleo, sed in paradiso deliciarum esse videretur. Hinc postremo sancti omnes contumeliam decus, injuriam gloriam, exilium patriam, vincula coronas, carcerem paradisi contemptum honorem vel amplissimum semper duxerunt. Hæc est igitur patientia et consolatio sanctorum, hoc est, quod Dominus, qui non mentitur, ait, *cum ipso sum in tribulatione.* Et sane si Deus, qui est ipsum bonum, ipsa suavitas, ipsa dulcedo, non in domo ridentium et exultantium, sed in domo mœrentium et calamitosorum habitat, quis nostrum non eligat potius fletum quam risum, dolorem et laborem, quam jucunditatem et lætiam? Quis, non dico ferat patienter, sed quærat libenter ac diligenter ubique tribulationes?

At, inquis, non omnibus ista contingunt, sed pro uno, qui legitur in scripturis de tribulatione ereptus, infiniti reperiuntur, qui sine consolatione ulla relinquuntur. Verum est, auditores; id inficiari, neque possum, neque volo; sed quæ est causa cur tam multos Deus sine consolatione relinquat? Quia non quærunt consolationem ubi est: petunt eam a carne et sanguine, quæ-

runt consolationem in flagitiis, et voluptatibus corporis, colligere volunt de spinis uvas, de tribulis ficus, et merito nihil inveniunt nisi majores curas et sollicitudines. Sic etiam ubi reperietis homines afflictos, qui spem suam totam collocent in Deo? Alii currunt ad divites, alii sperant in mendaciis, alii confidunt in fraudibus, rapinis, furtis, perjuriis, homicidiis, reliquunt Deum et relinquuntur a Deo. Pellere volunt unum malum alio majori malo, unum dæmonem alio dæmone: non est ita, non est ita, falletis vehementer: Deus est qui pellit dæmonem, non diabolus: Spiritus sanctus ipse est verus paracletus, non caro et sanguis, non mundus: eas ad orationem, ad confessionem, ad communionem, pelle diabolum, ejice peccatum de anima tua: et tunc conquerere, si consolationem veram et solidam non invenis. Alii præterea sunt, qui in ipsa tribulatione, in ipso certamine fortiter dimicant et vincunt; sed statim permittunt sibi de manibus ab hoste victoriam extorqueri. Erit aliquis, qui dum accipit injuriam vel contumeliam ab alio verbis, aut factis, patitur, strenue se gerit, tolerat æquo animo, quandoque etiam ignoscit adversario, sed quid interim accidit? Cum ille se domum recipit, ecce tibi diabolus adest, et ut vel per se, vel per ministrum aliquem suum auribus ejus incipit insusurrare: ah miser, quid egisti hodie? Talem injuriam accepisti, et tam facile condonasti? Quid igitur dicent homines? Quid cogitabunt? Nonne jam digito demonstraberis ab omnibus? Nonne jam licet omnibus te conculcare? Denique persuadet diabolus, et homo ille infelix jam incipit de ultione cogitare, et qui in acie vicerat, in tabernaculo vincitur, et similis illi efficitur, qui de gravi morbo evasit; sed paulo post per incuriam iterum recidit in morbum et moritur: nec non illi, qui in campo exercitus adversariorum fudit: at postea per insidias in civitate capitur.

Quod si homines afflicti spem suam in Deo collocarent, atque ab eo solum consolationem peterent, experirentur profecto quid sit patientia et consolatio sanctorum et verum esse, quod Dominus ait, *cum ipso sum in tribulatione.* Num quis unquam in majore tribulatione fuit, quam Daniel, qui in lacu leonum constitutus, vel devorandus a leonibus, vel fame interiturus erat? Quis in majore angustia fuit quam Jonas, qui in medio mari, in ventre ceti, tamquam in carcere

inclusus erat? Quæ major calamitas calamitate Suzannæ, cui erant undique angustiae, et simul de fama et de vita periclitabantur? Quæ captivitas horribilior captivitate trium puerorum, qui manibus et pedibus colligatis in ardentem fornacem projiciebantur? Quis gravius unquam aut vexatus fuit quam Job, qui eodem pene momento omnem substantiam, et omnes filios amisit, plagis et vulneribus coopertus fuit, et ab amicis pro consolatione increpationem, et ab uxore, quod unicum ei consolatium relictum esse videbatur, non solatium, sed maledicta et contumelias sustinebat? Et tamen hi omnes propterea quod speraverunt in Deo, magnifi-

ce, et gloriose de omni angustia, ac tribulatione erepti, ac liberati fuerunt. Hæc est igitur patientia et consolatio Scripturarum. Quamobrem, auditores, excitemur, quæso, omnes et tanto proposito præmio, non torpeamus, sed magno animo, summaque alacritate crucem patientiæ, quasi signum quoddam contra spirituales nequitias erigamus, et labores omnes ac difficultates superemus. Feramus libenter crucem, ut ipsa nos ferat, et perducatur ad eum, qui pependit in ea, Jesum Christum Dominum nostrum, qui est supra omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO V.

DE EADEM DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

THEMA

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Matth.* XI, v. 3.

SYNOPSIS.

Causa cur hodie evangelium istud legatur, ostenditur. Causa hujus legationis Joannis, et ejusdem eventus declaratur. Duo genera miraculorum statuuntur, apparentia scilicet, et vera, et quænam ea sint. Miracula Christi, quibus suam divinitatem ostendere voluit, fuisse numero plurima, dignitate maxima, modo excellentissima, varietate clarissima, eleganti discursu, auctoritatibus, et demonstrationibus probatur. Locus Joannis XIV. Majora horum faciet, explicatur. Objectio contra miraculorum testimonium de Christi divinitate diluitur. Polychronii Hæretici cujusdam irrita mortui suscitatio adducitur. Hæreses de reliquiis sanctorum non venerandis et de miraculorum auctoritate, quæ semper in ecclesia Catholica viguit, severa inreparatione arguuntur; insuper Lutheri temerarius ausus in Dæmonio ejiciendo notatur. In secunda parte, cur Dominus Joannem turbis commendet, et quo modo, docetur. Parasiti, et aulæ muncipia taxantur, et de iis apologus affertur. Cur Joannes plus quam Prophetæ, duplex assignatur ratio, nempe quia de illo alii Prophetæ sunt vaticinati; et quia ob vitam angelicam Angelus dictus sit. Ex captivitate Joannis quatuor notanda proponuntur: primo per eam significatam fuisse veteris legis abrogationem; secundo, cæca hominum judicia, quæ reprehensores pro-

priorum vitiorum more Herodis capitali prosequuntur odio, vituperantur: tertio, vincula Joannis figuram eorum genere affirmatur, qui non nisi aliqua vexatione resipiscunt, et inclamantem Christum audiunt: quarto docemur posteris nullum majus testamentum Dei Sapientia legari posse; ubi breviter Historia Eudociæ narratur. Denique serio monemur, ut Christi legatis in articulo mortis apte possimus respondere: atque ea de re horrenda juvenis Angeli narratur Historia.

Quamvis multa sint, Auditores optimi, quæ vel necessaria, vel utilia esse videntur, ut orbis liberator de cælo ad terras descendentes debitis officiis, atque honore suscipiamus: tamen illud cum primis maxime conducit, quis ille sit, et quantus; quem expectamus, probe cognitum, et exploratum habere: tanto siquidem majori studio, et apparatu, cum advenerit, illum excipiemus, quanto major in animis nostris fuerit opinio atque expectatio venientis. Quamobrem Ecclesia catholica, mater nostra sapientissima, toto hoc tempore, quod adventui Domini celebrando consecratum est, ea fere evangelia filiis suis legenda proponit, ex quibus planius tanti regis amplitudo, atque majestas intelligitur. Itaque hodie prudentissimo consilio Evangelium istud recitari voluit, in quo B. Joannis ad Christum maximi momenti legatio continetur. Cum enim Joannes vir sapientissimus intelligeret, non satis huma-

næ linguæ prædicatione divinam Christi majestatem explicare posse, misit ad eum duos ex discipulis suis, qui eum interrogarent, ac dicerent, *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ut ipse tunc seipsum quodam modo prodere, et majestatem suam cum verbis, ut operibus ostendere cogere-tur, ac diceret; *euntes renunciate Joanni, quæ audistis et vidistis.* Hæc igitur legatio nobis hodie ad explicandum proposita est, ut una cum discipulis Joannis ad Christum proficisci, et ab eo, quis sit, et quantus au-dire ac discere mereamur.

Initium igitur evangelii tale est: *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, misit ad eum duos ex discipulis suis.* Non me fugit hujus legationis aliam ab aliis rationem et causam reddi solere. Quia vero B. Hilarius et Chrysostomus omnium optime locum istum exposuisse mihi semper visi sunt, eorum dumtaxat sententiam aliis prætermissis, in medium adferemus. Erant Joannis discipuli animo non parum a Christo abalienato, quod eum viderent quotidie magis ac magis opi-nione, et existimatione apud homines cre-scere: e contra suum ipsorum præceptorem, quem illi Christo majorem esse non dubita-bant, paulatim minui. Itaque Christum ipsum aliquando quasi reprehendere ausi sunt: « cur nos, inquit, et Pharisei jejunamus fre-quenter, discipuli autem tui non jejunt? » Neque his contenti, sed invidentiæ stimulis agitati, et dolorem, quem pro magistri ho-nore capiebant præ se ferentes, ad Joannem dixerunt: « Magister, qui tecum erat trans Jordanem, et cui tu testimonium perhibuisti, esse hic baptisat, et omnes veniunt ad eum. » Joannes igitur tamquam præceptor bonus, et qui non gloriant propriam, sed eorum utilitatem querebat, quos instituendos sus-ceperat, longa oratione eis persuadere co-natus est, Dominum Jesum ipsum esse Chri-stum: se vero nihil aliud, quam ejus præ-cursorem, et administrum esse. Quam ora-tionem Joannis tertio totam descriptam habetis. » Non potest, inquit, homo facere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: non sum ego Christus; sed quia misus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, et audit, gaudio gaudet propter vocem sponsi: hoc ergo gaudium meum inpletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.

Qui de sursum venit, super omnes est: qui est de terra, de terra loquitur; qui de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est: Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum. » Hac tam proluxa ratione B. Joannes discipu-los suos ab errore, in quo versabantur, libe-rare conatus est. Verum cum intelligeret vir prudens, se suis verbis et cohortationibus nihil efficere, quod illi omnia, quæ dice-bantur, humilitati et modestiæ ejus ascribe-rent, captata occasione ex admirabilibus illis operibus quæ a Christo patrari suorum discipulorum relatione cognoverat, misit duos ex ipsis, tamquam legatos ad Christum. Vos, inquit, qui tam multa, et tam admira-bilia de illo mihi narratis, et tamen nondum potestis credere, ite ad illum, et meo no-mine, si vestro non vultis, quærite ab eo: Sitne ipse verus Messias, an expectare alium debeamus; nec enim dubito, quin ille sit et operibus facile persuasurus, quod vobis adhuc persuadere ego non potui. Perrexerunt illi, et Christum concionantem, et signa ac prodigia multa patrantem, multitudine obstupescente, et acclamante, invenerunt. Statim vero legationem suam explicantes: Joannes, inquit, misit nos ad te dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Intellexit vero Dominus rem totam, ipsos videlicet, non Joannem, esse qui non cre-derent. Et ait illis: *Ite, renunciate Joanni, quæ audistis, et vidistis.* Addidit vero: *et beatus qui non fuerit scandalizatus in me:* ut illis ostenderet, se cogitationes eorum, et dubitationem, ac scandalum non ignorare. *Et beatus, inquit, qui non fuerit scandalizatus in me.* Ac si diceret; quia me a Joanne in Jordane baptizari vidistis, et quia ego ipse illi me ad tempus sponte subjeci, scandalum patimini, nec me Joanne majorem, nec am-plius, quam hominem cogitare potestis: sed vere dico vobis, *beatus qui non fuerit scan-dalizatus in me.* Hæc est igitur legatio, et hæc est ad legationem responsio.

Nunc quoniam magni refert, ac præsertim hoc tempore, non ignorare, quantam vim

habeant signa, et prodigia ad veram fidem conformandam breviter, si placet, explicemus, An Christus se vere Dei filium, ac Deum ipsum illis signis, et prodigiis demonstraverit? Est vero primo loco quasi fundamentum totius disputationis jaciendum, duo esse genera miraculorum: alia enim sunt, quæ ideo solum dicuntur miracula, quod vires humanas exuperent, et eorum causa humanam intelligentiam fugiat, alioqui et causas naturales habent, et malorum spirituum potestate non solum fieri; sed etiam facile fieri possunt. Et hæc quidem mirabilia potius, et miraculorum similia, quam miracula dici debent: nec enim universis rebus creatis, sed solis hominibus mirabilia sunt exemplum unum, vel alterum ponamus: Cum Dæmonis arte ignis de cælo descenderet, et sancti Job greges, et pastores eorum absumeret: Et cum Ægyptii magi, vel virgæ in dracones converterent, vel de pulvere ranas excitarent, homines mirabantur: causa siquidem novorum illorum, effectusque homines latebat, angelos minime latebat. Hoc igitur genere miraculorum, quæ vere et proprie, ut ante diximus, miracula dici non debent, ea prodigia omnia continentur, quæ vel ab aeris potestatibus, vel a Magis, dæmone occulte agente, et Deo occultius permittente fiunt. Permittit enim aliquando Deus ejusmodi fieri, tum ob alias causas, tum ut B. Augustinus non uno loco ait, ad fallendos fallaces, ipsos videlicet magos, qui tunc maxime falluntur a dæmone, cum se fallere alios arbitrantur. Quod autem Deo non permittente nihil aut magi aut dæmones efficere possunt, vel ex eo potest intelligi, quo magi Pharaonis, qui Deo permittente dracones effecerant, Deo tamen non amplius permittente, ne minutissimas siquidem muscas, quamquam multum in eo laborarent, efficere potuerunt. Ejusdem generis illa quoque signa, et portenta erunt, quæ ab Antichristo, et ejus administris fiunt. Nam ut Dominus apud Matthæum ait: *Surgent Pseudoprophetæ, et dabunt signa, et prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et ut Apostolus in posteriori ad Thessalonicenses scribit: *Antichristi adventus erit secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus:* mendacia vero ea prodigia erunt, si B. Augustino in libro vigesimo de civitate Dei credimus: vel, quia non vera,

sed apparentia et phantastica erunt: vel quia non ad veritatem, sed ad mendacium comprobandum fiunt. Hoc igitur est primum genus miraculorum. Porro alterum ea continet, quæ vere ac proprie miracula sunt, quæ nimirum omnem vim creatam omnemque naturæ potestatem vincunt. Ac proinde non solum hominibus sed et angelis, et dæmonibus, atque adeo universæ naturæ admirationem, et stuporem adferunt, nec aliam causam, quam Dei voluntatem, et imperium habent. Hujus generis illa sunt, mortuos excitare cæcis aspectum, et surdis auditum restituere: necnon in momento, ac solo nutu morbos curare, tempestates compe-scere, et alia, quæ Dominus hic in terris ferme quotidie faciebat. Tametsi enim morbi naturali vi ac ratione curari possint, et industria Medicorum sæpe curantur, et procellæ ac tempestates, sicut dæmonum arte excitari, sic et sedari possunt: tamen solo nutu atque imperio voluntatis, et in momento hæc efficere, solius est omnipotentis Creatoris et omnem naturam, et creatam potentiam, non solum hominum, sed etiam dæmonum, et angelorum superat.

Ex quo illud efficitur, nullo modo falsum esse posse id, quod vero aliquo miraculo confirmatur. Nam si verum miraculum non nisi Dei auctoritate, atque imperio fieri potest, et Deus testis mendacii, et falsitatis esse non potest, quomodo tandem illud non verissimum erit, quod Dei testimonio, vero videlicet miraculo, comprobatur? Quare cum liberator noster tot verissimis, et maximis prodigiis omnium generum, ac præsertim tot mortuorum excitationibus claruerit, dubitare non possumus, quin divinitati suæ testimonium firmissimum et omni fide dignissimum dederit, jureque ac merito dixerit: *si mihi non creditis, operibus credite.* Et, *Testimonium habeo majus Joanne: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et, *si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Miracula siquidem Domini, Auditores, ut breviter dicam, multitudine innumerabilia, modo excellentissima et diversitate clarissima fuerunt. Ita ut fulgor miraculorum Domini major sit, si cum miraculis sanctorum conferatur, quam est splendor solis, si cum lumine minorum siderum comparetur. De multitudine audite B. Joannem: *Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus,*

quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Audite B. Lucam: *Virtus de illo exhibat, et sanabat omnes.* Audite Marcum: *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant.* Audite B. Matthæum: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit.* «Intendite, inquit super hæc verba B. Chrysost., intendite, quantam multitudinem curatam transcurrunt evangelistæ; non unumquodque enarrantes, sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes.» Itaque ipsi Judæi, qui nihil aliud quam signa quærunt, multitudine miraculorum Domini quodammodo satiati, aliquando dixerunt: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* Jam vero de magnitudine signorum Domini Dominum ipsum audiamus; *si opera, inquit, non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Neque vero conturbet aliquem id quos Dominus quodam loco ait: *qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet:* Primum enim majora illa, quæ Apostoli facturi erant, non tam ipsi, quam Christus per ipsos facturus erat: Idcirco statim adjungit, et ait: *quia ego ad Patrem vado, et quæcumque petieritis in nomine meo hoc faciam.* Id quod Apostoli dum signa aderent apertissime testabantur: *viri Israelitæ, inquit Petrus, quid miramini in hoc aut nos intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Et paulo infra: *in fide, inquit, nominis ejus, nempe Christi, hunc quem vos videtis, et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam conspectu omnium vestrum.* Et alio loco idem Petrus, *Ænea, inquit, sanet te Dominus Jesus Christus, surge, et sterne tibi: et continuo surrexit.* Quid? Quod B. August. verba illa: *Et majora horum faciet,* non de miraculorum perpetratione: sed de Judæorum, et Gentium conversione intelligenda esse docet? Sic enim Tracta. 71. super Joannem, super eum locum scribens ait: «Quando ista dicebat verborum suorum opera commendabat. Sic enim dixerat: verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera. Quæ opera tunc dicebat: nisi verba, quæ loquebatur? Audiebant et credebant illi, et eorumdem verborum fructus erat fides illorum. Verumtamen evangelizantibus discipulis non tam pauci quam illi erant, sed gentes etiam cre-

diderunt: Hæc sunt sine dubitatione majora: majora enim fecit prædicatus a credentibus, quam locutus audientibus.» Hæc B. August. Itaque *majora horum faciet,* non tam significat, majora prodigia perpetrabit, quam plures homines ad fidem meam convertet, quam ego per me ipsum converterim: vel, plures ego illius prædicatione convertam, quam ipse mea prædicatione converterim. Maxima igitur, et præstantissima Domini prodigia, et signa fuerunt. Sed quid jam de modo, quo ea faciebat, dicere poterimus? Non enim diu et multum laborando, sicut Helias et Heliseus, non orando, et obsecrando, et fere omnes servi Dei facere solent; sed imperando et sua, ac proprie auctoritate omnia miraculorum genera edebat. Ac ut unum de multis adferamus, ac eum immundum spiritum, quem discipuli ejicere non potuerant, et quem nisi in oratione, et jejunio ejici non posse Dominus affirmaverat, ita locutus est: *ergo præcipio tibi, exi ab eo, et ne amplius introeas in eum: et exiit continuo.* Atque hujusmodi exemplis pleni sunt codices Evangeliorum. Postremo varietas, ac diversitas, miraculorum Domini tanta est, ut omnia miraculorum genera complexus esse videatur. Ut enim ostenderet omnia sibi, tanquam eorum opifici, et Architecto subjecta esse, nullam reliquit partem universitatis, nullum rerum genus prætermisit, in quo signum, et prodigium aliquid non ediderit. Ac primum in rebus incorporeis; deinde in corporeis, postremo in homine, qui partim est corporeus, partim incorporeus, cum dæmonum turbas de miserorum hominum corporibus effugavit. Nam in angelis signa fieri non oportuit. Illi enim sponte sua accedebant, *et ministrabant ei,* ut evangelista Matthæus auctor est. Deinde in rebus corporeis signa fecit in cælo, cum in obitu suo solis globum horrendis tenebris contextit; in ignis elemento, cum inde stellam quamdam excitavit, quæ Magos ex Perside in Palæstinam adduceret; in aere, cum flatibus ventorum imperavit, et facta est tranquillitas magna; in aquis, cum super eas siccis pedibus ambulavit; in terra, cum eam in obitu suo magnis et horrendis tremoribus concussit; in imperfectis mixtis (ut Philosophi loquuntur), cum in eodem ejus obitu petra scissæ sunt, et monumenta aperta sunt: in mixtis perfectis, sed inanibus, cum panes, et pisces mortuos multiplicavit; et cum aquas in

vinum tempore nuptiarum convertit; in arboribus, cum ficulneam maledixit, et ea continuo exaruit; in brutis animantibus, cum Apostoli admirabilem piscium multitudinem, eo jubente, ceperunt; et cum dæmones ingentem gregem porcorum in mare, eo permittente, præcipitaverunt. Denique in hominibus, qui partim corporei, partim incorporei sunt, signa fecit, cum tot cæcis visum, tot surdis auditum, tot claudis gressus, tot ægris sanitatem, et tot mortuis vitam restituit. Quamobrem cum Dominus non solum signa, et prodigia fecerit, sed fecerit etiam varietate illustrissima, modo præstantissima, magnitudine incredibilia, numero infinita, quid miramur si dicebat: *Si mihi non creditis, operibus credite*. Huic accedit quod hoc ipsum futurum esse in adventu Messiae multo ante Isaias prædixit; *Deus, inquit, ipse veniet, et salvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, aperta erit lingua mutorum*. Atque ad hoc vaticinium alluisse Dominus visus est, cum hodie ait: *Renunciate Joanni, quæ audistis, et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, et pauperes evangelizantur*.

Cæterum occurret aliquis fortasse, et nobis illa verba Salvatoris objiciet: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis. Quia numquam novi vos: discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*. Si igitur miraculorum testimonium non est satis firmum argumentum ad confirmandam hominis sanctitatem, quanto minus ad divinitatem comprobendam? Si, qui miraculis coruscat, non continuo amicus Dei censendus est, quanto minus propter eadem miracula aliquis Deus censendus erit? Si potest, qui miracula facit, justus non esse, quanto magis poterit, qui similia facit, Deus non esse: verum argumenti hujus facilis est et expedita responsio: Nam cum aliquis verum miraculum edit, non inde efficitur eum justum, et sanctum esse, nisi hoc ipsum edito miraculo confirmavit: sed illud falsum esse non posse, quod is asseruit et miraculo edito comprobavit. Jam vero si qui sunt mali, qui miracula perpetraverunt, non illi suam ipsorum sanctimoniam, et probitatem; sed Christi majestatem et divinitatem asserere nitebantur. Quod si suam quoque ipso-

rum sanctitatem confirmare, et in ejus rei testimonium verum miraculum edere voluissent, si vere sancti non erant, nihil, mihi credite, unquam effecissent. At vero Christus, quid tot miraculis agebat? nonne ut verum esse ostenderet, quod prædicabat? At quid tandem prædicabat? Nonne seipsum Deum, Dei filium, lucem, vitam, veritatem, mundi liberatorem et assertorem esse prædicabat? Hæc igitur omnia quis ambigat esse vera, cum miraculis innumerabilibus et maximis confirmata sint? Intellexerunt hoc hæretici tum veteres, quam recentiores: et idcirco semper ad prodigia aspiraverunt, sed numquam eis pro voto negotium successit. Et contra tamen in Ecclesia Catholica semper viguit donum miraculorum. Possem exempla plurima commemorare, sed hoc ero contentus uno. In sexta et clarissima synodo Act. 14. Monothelita quidam, nomine Polychronius, palam asserere ausus est, se in testimonium fidei suæ, si concilio placeat, mortuum ad vitam revocaturum. Sacra igitur synodus, ut populo satisfaceret, jussit cadaver mortui hominis in medium adferri, hæretico permisit circa illud agere, quæ vellet. Ille primum tabellam fidei suæ super mortuum posuit: deinde cum ille adhuc non surgeret, auribus ejus, nescio quæ verba, insusurravit. Verum cum multum temporis in eo labore consumpsisset, et mortuus homo obstinatissime in proposito non surgendi permaneret, et populi, qui ad illud spectaculum avidissime concurrebant, tædio affecti jam essent, Polychronius tandem se mortuum excitare non posse, confessus est. Istum videlicet exitum temeritas hæreticorum habuit. Sed ut hæc nimis antiqua prætereamus, nostris temporibus hæretici multa paradoxa, impiaque dogmata in orbem Christianum invexerunt. Et quidem contra illa, multa et magna miracula Deus per Catholicos operari dignatus est: pro illis, hæretici nihil unquam efficere potuerunt. Atque ut unum de multis exemplum proponamus: sanctorum reliquias hæretici hodie nihili faciunt, imo vero despiciunt, conculcant, incendio absumunt, in flumina projiciunt. At pro iis retinendis, et venerandis, quando nihil aliud haberemus, nonne essent abunde satis illa illustrissima miracula, quæ ad reliquias B. Stephani, B. August. patrata esse testatur? Nam in iis etiam sex mortuorum excitationes continentur. Quidque quod addit eò loco sanctissimus doctor, multos libros

scribendos fuisse, si miracula omnia ad eas solas reliquias brevi tempore facta commemorari debuissent? Hæc igitur omnia et alia tam multa miracula pro iis dogmatibus, quæ nunc hæretici rident, facta sunt, ut si scribi debeant, libros, et volumina sine ullo numero implenda sint. At contra, quid ipsi obijciunt? Quid adferunt? Quid operantur? Nonne plus quam stultum est, verbis inanibus insanorum caput credere? et tot ac tantis Dei testimoniis non credere? Voluit quidem Lutherus aliquando aliquid experiri, et dæmonem expellere de quodam corpore aggressus est: sed parum abfuit, Deo providente et causas impii hominis illudente, ut Staphilus ipse, qui præsens tragœdiæ aderat, testatus est, quin Lutherus discerneretur, et sane optimo jure: nec enim decebat, ut dæmonem dæmon expelleret, et fœdus atque amicitiam initam violaret. Quæ cum ita sint, quis non videt, quam parum fidei hæreticorum verba, atque impia dogmata mereantur cum nullis signis, nullis prodigiis, nullis Dei testimoniis confirmantur. Nonne duo ut minimum testes, ut aliquid credatur, fidem facere debent? Certe fides ex auditu: sed plane etiam ex visu, alioqui uni testi, videlicet auditui, fides non adhibetur. Mittit Dominus Moysen ad prædicandum filiis Israel, et simul ei donum miraculorum faciendorum attribuit. Venit Dominus ipse, et quamquam ei sine signis credendum fuisset, tamen ita sibi miracula necessaria esse putavit, ut diceret: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Mittit deinde discipulos, et audite quid eis præcipiat: *Euntes prædicate dicentes: appropinquavit regnum cælorum.* Et statim ut crederetur eis: *Infirmos inquit, curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Illi ergo quid? nimirum *perfecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Denique hodie Dominus discipulis Joannis numquid solum ait, *euntes renunciate Joanni quæ audistis?* nonne statim addidit: *Et vidistis?* Si igitur miracula ad fidem confirmandam necessaria sunt, si duo testes requiruntur, visus et auditus, quis hæreticis credet, qui unum testem habent, et similes Pharisæorum sunt? *Dicunt enim et non faciunt,* et cum in eorum synagogis audiatur multum, sed videatur nihil? Si Christi fidem non nisi multis prodigiis confirmatam recepimus, quomodo Lutheri, aut Calvinii fide m

nullis prodigiis munitam recipiemus? Si peccatum non erat Christo ipsi non credere, si miracula non fecisset, qua fronte isti non terrent, perituros nos; si eis, etiam sine miraculis, non credamus? Credite mihi, neque oculos, neque aures, neque cor, neque mentem habent, qui ab Ecclesia recedere audent, in qua omnibus sæculis usque ad nostra tempora multa, et magna miracula non defuerunt: cum contra hæretici solum verbis garrere, et tumultus, et seditiones excitare, miracula autem nulla non solum vera, sed ne apparentia quidem efficere unquam potuerint.

PARS ALTERA.

Illis autem obeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Non potest sapientia, nisi sapienter se gerere. Intelligebat Dominus ex illa interrogatione B. Joannis, *Tu es qui venturus est, an alium expectamus?* potuisse turbas non mediocriter perturbari: nam cum eos lateret, quo animo B. Joannes discipulos suos ad Christum mississet, multa absurda suspicari, et secum ita ratiocinari potuissent. Nonne Joannes multa de isto testimonia perhibuit? Quomodo igitur nunc ambigere videtur, utrum iste, an alius venturus sit? Num dissidia forsitan inter ipsum, et Jesum exorta sunt? An fortasse tædio carceris victus timidior factus? An potius illa testimonia vera non erant? Et num de ipso Jesu dixit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me?* Hæc igitur et alia ejusmodi, quæ turbis in mentem venire et eas perturbare potuissent, summa sapientia et dexteritate Dominus refellit. Id vero non antea fecit, quam discipuli Joannis abissent; tum ne Joanni assentari videretur, si coram ejus discipulis eum laudaret: tum etiam, quod quam diu illi non recesserant, in eorum curationem incumbendum fuit. Illis igitur curatis, et jam abeuntibus, cœpit Deus turbarum ægritudini medicamentum adhibere. Ac primum ab ipsarum turbarum testimonio argumentum petit, ut ostendat Joannem virum constantissimum et integerrimum esse, nec facile vel prodere veritatem, vel sententiam mutare potuisse. *Quid existis, inquit, videre? arundinem vento agitatam?* hoc est non potuissetis relictis civitatibus atque domibus vestris una omnes tanto studio ad

erenum iampelli, nec ita facile ex universa Judæa omnes effusi ad Joannem videndum fuissetis, nisi magnum quemdam, et admirabilem virum, et adamantis lapidibus firmiorem Joannem putassetis : nec enim ad videndum arundinem et miserum ac mobilem quemdam hominem existis. Deinde ab austeritate, et severitate B. Joannis ad rem eandem confirmandam alterum argumentum fuit. *Sed quid existis, inquit, videre? Hominem mollibus vestitum?* Hoc est, amicum hujus sæculi, qui propter suas delicias sententiam mutant? Sed talis non est Joannes : ecce enim, inquit, *qui mollibus vestiuntur non in solitudine, non in carceribus, non in vinculis : sed in domibus regum sunt.*

Nulli sunt, auditores, leviores, stultiores, mobiliiores et arundinum vento agitatarum similiiores, quam ii, qui mollibus vestiuntur, hoc est, qui amici sunt hujus sæculi, et ducunt in bonis dies suos, ac molliter vestiri, laute comedere, pretiose bibere, et deliciis desiderant affluere. Ejusmodi siquidem plerumque sunt parasiti (tametsi interdum, nec dici, nec haberi velint) et in palatiis regum et nobilium, atque opulentorum hominum versantur : nec omnino insipienter : nam ibi optime suas merces, verba videlicet, et adulationes vendunt : ibidem etiam emunt vili pretio, quod volunt, nempe bona prandia, bonas cœnas, bonos etiam nummos, ut non solum corpora sua bene pinguefaciant, sed etiam mollibus ac pretiosis vestimentis cooperiant. Istos vero esse arundines vento agitata, vel ex ipso Gnatone, qui parasitorum princeps haberi volebat, intelligi potest.

« Est (inquit) genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,

« Eis ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul :

« Quidquid dicunt, laudo : id rursus si negant, laudo id quoque. » Ecce arundinem vento agitatam.

« Negat quis? nego; ait? aio : postremo imperavi egomet mihi, omnia assentari. »

Nec solum arundines isti sunt, quod facile in hanc vel illam partem moveantur : sed etiam quod vacuum caput sine cerebro, sine sapientia, sine concilio gerant, tametsi omnium sapientissimi sibi esse videantur. Nunquam legistis doctam illam fabulam de leone, vulpe, et asino? Ægrotabat aliquando leo; omnia animantia ad eum tamquam ad

regem invisendum, et salutandum veniebant : solus asinus, et vulpes defuerunt, nempe simplicissimus et callidissimus. Accersitur asinus, venit continuo, et a rege vehementer objurgatus, recedit. Accersitur vulpes, paret etiam ipsa : sed adfert secum excusationem suam. Non irascatur, inquit, dominus meus rex : ego enim simul atque audivi te dominum meum in morbum incidisse, continuo coepi cogitare de remedio, conveni medicum, quæsi de medicamento atque hæc est causa cur serius venerim. Recte, inquit leo, accipio excusationem. Sed quid remedii invenisti? Nihil, inquit vulpes, salubrius ægitudini tuæ in toto Galeno, et Hippocrate reperiri potui, quod si capite asini alicujus amputato cerebrum ejus adhuc calidum sorberes. Ite, festinate, inquit leo, revocate asinum illum, qui paulo ante hinc discessit. Iverunt, asinum revocaverunt, caput ei præciderunt. Tum vulpes capite excepto, conversa ad parietem, ne ab aliis videretur, totum cerebrum bis, terve sugendo ebibit; deinde caput vacuum obtulit leoni. Leo contemplatur caput. Et ubi, inquit, est cerebrum? Non habent asini fortasse cerebrum? O domine, inquit vulpes, et quomodo haberet cerebrum qui bis hodie venit ad aulam? Quis non cerebrum amitteret, si toties curreret ad palatium? Ego sane, inquit, crediderim nullum hic in aula versari, qui non amiserit cerebrum. Sic est, auditores, qui in domibus regum sunt, plerumque sine cerebro sunt : et nihil aliud, quam arundines vacuæ, et ad omnem statum mobiles sunt. Talis non fuit Joannes; id quod ejus desertum, et carcer, et victus locustarum, et vestitus de pilis camelorum satis aperte demonstrabat.

At cur Dominus amicum hujus sæculi describere volens, eum esse definivit, qui mollibus vestitur? nimirum, quia in nulla re magis vanitas, et curiositas, et fatuitas sæculi amatorum cernitur, quam in vestibus. Itaque cum videtis quosdam politos, ornatos, et tanquam pavones incedere, dicite : ecce amicum hujus sæculi mollibus vestitum, ecce illum quem Dominus in Evangelio reprehendit, et quem arundini vacuæ, et a vento agitatae comparavit.

Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam. Hæc est tertia ratio. Satis enim firmo argumento demonstratur, Joannem arundinem non fuisse. Jam de eo asseritur, quod non solum

Propheta, sed etiam plus quam Propheta fuerit. Fuit vero vere plus quam Prophe-
ta. Prophetæ siquidem omnes de Christo prophetabant, de ipsis nemo. At de Joanne, et Isaias, et Malachias prophetaverunt. Nec solum Propheta, sed etiam angelus, et non quivis angelus, sed Gabriel, unus ex primis principibus ortum, nomen, vitam, et functionem B. Joannis prædixit. De quo, quæso, alio Propheta tale aliquid invenire poterimus? Deinde, quis unquam antea prophetavit, quam nasceretur, nisi unus, et solus Joannes? Adhæc, Prophetæ cæteri Prophetæ ipsi fuerunt : sed quod alios prophetare fecerint, nusquam legimus. At B. Joannes, et ipse Propheta fuit et parentes suos prophetare quodammodo fecit. Denique alii tamquam verbi præcones diu ante Christum missi sunt : Joannes vero ita cum Christo in mundum advenit, sicut lucifer simul fere cum sole exoritur. Et ita vicinus Joannes Verbo fuit, ut non præco, sed vox ipsa Verbi diceretur. Atque hæc est ratio, quam Dominus reddit, cur Joannem plus quam Prophetam appellaverit. *Illic est enim*, inquit, *de quo scriptum est, etc.* Sicut enim in supplicationibus ubi longò ordine multi regem, vel episcopum præcedunt, ille omnium maximus, et nobilissimus habetur, qui proxime ante faciem regis vel pontificis graditur; sic etiam in illa serie Prophetarum qui Christum diversis temporibus præeurrerunt, B. Joannes omnium celeberrimus; et non propheta, sed plus quam Propheta fuit, quod Christo proximus ante faciem ejus inceserit. Sed nihilominus in iis verbis aliam etiam rationem insinuavit, qua Joannis constantia, atque integritas confirmatur. Quis enim suspicari poterit, eum arundinem esse vento agitatum, qui non solum Propheta, et plus quam Propheta, sed etiam angelus prophetica auctoritate meruit appellari? Et sane Angelus fuit Joannes non natura, sed officio, sed puritate, sed imitatione, sed æmulatione. Admirabile quoddam, et supra naturam per-
egit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit. Nulli hominum totos triginta annos locutus est : nullum tempore eodem conservorum vidit, nec ab aliquo eorum visus fuit, non delicate nutritus, non lecto exceptus, non tecto, non foco, non alia re humana usus est : sed ita in terris quasi in cælis cum Deo, et angelis versabatur. Per-
spicuum est igitur et turbarum concursu, et ipsius Joannis severitate, et Domini testimo-

nio, et Malaehiæ vaticinio, non arundinem vento agitatum sed virum constantissimum beatum Joannem fuisse. Atque hic est finis evangelii.

Nunc quoniam aliquid adhuc temporis superest, et captivitas, atque legatio B. Joannis plena utilium documentorum sunt, aliqua si placet, ad nostrum emolumentum ex evangelio hodierno documenta colligamus. Primum igitur ex vinculis Joannis veteris legis cessationem, atque abrogationem discimus : etenim cum Joannes veteris legis figuram gereret, ut B. Ambrosius sapienter admonuit, nihil aliud ejus captivitas, quam legis quasi quamdam captivitatem designat. Illa igitur lex, quæ olim arctissimis, et durissimis tot cæremoniarum, et judiciorum nexibus homines obligabat, Christo liberatore adveniente in carcerem detruditur, et non solum alios non ligat, sed ipsa perpetuæ abrogationis vinculis obligatur. Neque aliud jam potest, quam homines duos, hoc est, populos duos, Judæum, et Græcum ad Christum et legem evangelicam mittere. Nec enim hodie ideireo legem illam veterem legimus, quod ejus præceptis et institutionibus obligatos nos esse existinemus, sed ut de lege Christi præconia audiamus, et quemadmodum omnes figuræ, atque omnia vaticinia, quæ de Christo erant, impleta sunt, evangelii luce coruscante videamus; hoc est igitur documentum primum.

Dicemus deinde, quam sint cæca hominum judicia, et quid mundus servis Dei retribuere soleat. Equidem cum attentius cogitarem, quid sit Joannes in vinculis, pupugit hæc sententia eorum meum, vehementissimeque permovit. Mira res, auditores, Joannes in vinculis, is qui liberatorem potentissimum jam jam affuturum hominibus prædicabat, quo auctore in luce, ac spe libertatis respirare populi incipiebant, is repente abripitur, et carceri teterrimo mancipatur, et manus illæ, quæ, populo ante, Christum ipsum abluerant, manibus hominum eruentorum, eatenus et vinculis onerantur : hoc est nimirum, quod mundus servis Dei pro benefactis retribuere novit. Homo innocens erat Joannes, justus, Dei amicus, multa bona Herodi, et Judæis præstiterat, mali nihil : et tamen stipendium ejus est carcer. Si quæramus ab eo, quænam est tua causa, B. Joannes? quod tuum tantum flagitium est? quod latrocinium? quod parrieidum, ut in custodiam istam trudi te oportuerit? Respondebit pro

fecto : nolo, nolo iudices homines, cæca sunt hominum iudicia : *judica me Deus, et discerne causam meam de Judæorum gente non sancta, et ab Herode homine iniquo et doloso eripe me.* Sed tamen causa mea hæc est : arguebam Herodem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ejus, eique libere dicebam : *Non licet tibi habere eam.* Considerate jam, quale sit mundi iudicium, quot adulatores putatis, quot mendaces, quot deceptores Herodes alebat, et ad honores et magistratus evehebat? Unus erat Joannes, qui veram Herodis salutem optaret, et illum unum Herodes sustulit. Et quod magis est admirandum, *sciebat Herodes, ut Marcus ait, Joannem esse virum sanctum, et justum, et observabat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.* Sed quamdiu? Donec nihil de ipso dicebatur. Nam simul ac ad reprehensionem vitiorum, et scelerum ipsius ventum est, aures Herodis acclusæ sunt, et Joannis amicitia terminata est. Reprehensiones proprias iniquo animo ferre, pestis est, quæ ubique terrarum grassatur : omnes persequimur odio superbos avaros, ebriosos, fornicarios, adulteros, parricidas : omnibus displicent vitia aliorum, omnibus placet nefarios et scelestos necari. At si vitia nostra nobis ostendantur, non nos ea, ut par esset, prosequimur odio, sed illi irascimur qui ea nobis ostendit. Et cum adversus nostra vitia armari deberemus, nos adversus emendatores, et medicos nostros armamur. Et concionator tamdiu laudatur, et sapiens et ornatus dicitur, donec ad scelera reprehendenda non descendit. Simul enim atque hoc facit, homo stoicus, rigidus, durus, ferreus est : cancellos egreditur, metas excedit, audiri non potest. Hoc est igitur documentum alterum, quod a Joanne in vinculis constituto perdiscimus, nempe Herodi scelestissimo similes, quotquot propriorum criminum reprehensiones veras audire non volunt.

Porro tertium documentum, nec minus utile, ex eo colligitur, quod Joannes non prius dicatur opera Christi audivisse, et ad Christum discipulos suos misisse, quam esset in vinculis constitutus. Quid enim hoc significare existimatis? Cujus figuram gerit Joannes, dum hæc agit, nisi hominis peccatoris, qui non ante redit ad cor, nec audit, quid in eo Dominus Deus loquatur, quam in aliquod infortunium, et calamitatem incidat. Numquam legistis apud Isaiam? *Verumtamen sola vexatio dabit intellectum auditus.*

Est aliquis, cui omnia prospere, et ad votum succedunt, juvenis, dives, robustus, nobilis; is admonetur hodie a parente, cras a præceptore, alio die a concionatore, ut bene utatur prosperitate, *ut in die bonorum ne immemor sit malorum,* ut cogitet nihil esse facilius, quam ut fortuna in infortunium convertatur; proinde, ne defluat vitiis, ne Deum ad iracundiam provocet. Verum quamdiu in prosperitate versatur, nihil audit, nihil intelligit, contemnit ac despicit omnia, tamquam si nihil ad ipsum pertinerent, quin etiam sæpe admonitores suos irridet et pergit sicut antea extento collo, et totus jucundus, amoribus variis implicatur, et diem illum perdidisse se putat, in quo non aliquid peccaverit. Quid tum facit Deus? Iste, inquit, ut video, non intelligit sine expositore, quæ dico: adhibeo igitur commentaria. Itaque immittit in eum calamitatem aliquam, vel incidit in latrones, vel capitur a piratis, vel ardenti febre corripitur, vel ab aliquo æmulo vulneratur: ea vero calamitas ita perspicue rem totam declarat, ut ille, qui antea nihil intelligebat, statim recordetur eorum, quæ antea audivit. O quam sæpe ista mihi prædicabantur, et ego tam stultus eram, ut nihil penitus intelligerem: jam bene-recorder; jam intelligo: jam video esse verissimum. Itaque tum demum in vinculis constitutus erecta aure cordis audire incipit mirabilia opera Christi: tum denique cogitat, eum solum esse, *qui solvit compeditos, qui illuminat cæcos, qui erigit elisos:* quibus auditis mittit ad eum legatos duos, verbum oris et suspirium cordis, qui dicant ei: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ille vero respondet: *Euntes renunciate Joanni quæ audistis, et vidistis.* Novi ego non unum, sed plures adolescentes, qui olim perditissimi fuerunt, nec ullis concionibus converti poterant: et postea una insignis vexatio ita illis Dei voluntatem explicuit, ut sanctissimæ vitæ et quasi exemplar sanctioniæ efficerentur. Hoc igitur significat Joannes, cum non prius audit Christi miracula, quam in carcerem et vincula conjiciatur.

Jam vero documentum quartum longe utilissimum, quæso, diligenter percipite. Erat Joannes in carcere, intelligebat se paulo post moriturum, non voluit spirituales filios suos orphanos relinquere. Itaque testamentum fecit, et eo non quidem divitias, vel delicias, stercus videlicet pretiosum, ut Grego-

rius Nazianzenus appellat, sed Christum eis reliquit: misit enim illos ad Christum, ut eum melius agnoscerent, eique perpetuo adhærerent, sciebat enim thesaurum infinitum esse sapientiam et Christi amicitiam omnibus opibus et honoribus anteponendam esse. De Athenaide, quæ postea senior Eudocia appellata est, in libris historicorum legimus, eam cum a patre Leontio Philosopho omnibus liberalium artium disciplinis exulta, eruditaque esset, publico instrumento ab eodem exhæredatam fuisse, neque aliam ob causam, quam quod ejus eximia virtus, et eruditio, ut ipse alebat, ei pro satis ampla hæreditate sufficeret. Neque vero falsum istud ejus vaticinium fuit: sola siquidem sapientiæ, et doctrinæ commendatione ad eum gradum dignitatis evecta est, ut conjux Imperatoris Theodosii, et socia imperii fieret cum pauperrima et obscurissima non multo ante fuisset. Quod si humana sapientia pro magna hæreditate habetur, quanto major hæreditas divina sapientia et vera in Deum pietas erit? Hanc igitur beatus Joannes discipulis suis testamento reliquit. In quo eum quicumque pastores, quicumque præceptores, quicumque patres familiarum sunt, quicumque denique aliorum curam gerunt, imitari deberent, satis nobiles, satis divites, satis eruditi posterii vestri erunt, si Christum eis, et pietatem, castitatem, sobrietatem, temperantiam, justitiam, et omnes virtutes relinquatis.

Postremo, quod ex hoc evangelio discimus, illud est, semper meminisse nos oportere, eundem ipsum Christum, cui nunc dicitur: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* eundem, inquam, ipsum in obitu nostro unicuique nostrum per legatos suos dicturum: *tu es qui venturus es, nimirum ad gloriam, an alium expectamus?* Et væ nobis, si dicere non poterimus Angelis Christi legatis: *euntes renunciate Christo, quæ audistis, et vidistis.* Audiunt enim et vident non solum Angeli, sed etiam dæmones, quidquid agimus et ea in suos codices referunt: isti ut accusent; illi ut defendant. An non legistis quid venerabilis Beda c. 14, lib. v. Historiæ gentis Anglorum, de hac re scriptum reliquerit? Erat juvenis quidam strenuus corpore, et regis amicus: sed moribus corruptissimus, et Deo summo regi maxime invisus. Hic sibi longissima vitæ spatia pollicens, vitæ mutationem et pœnitentiam in extremam senectutem differre volebat: ve-

rum mors non expectavit senectutem, sed eum adhuc florentem et juvenem lethali quodam morbo aggreditur. Ægrotantem rex (quippe qui pius, et humanus erat) invisit, atque ad pœnitentiam, et confessionem cohortatus est. At ille: cum convalescerem, inquit, istud faciam: nunc enim amici fortasse tamquam timidum et metu mortis expiatum deriderent. Itaque timuit ab hominibus irrideri, cum ipse tamen Deum tamdiu irridere non timuisset. Venit igitur post paululum dies extrema, et ecce ingrediuntur ad eum Angeli duo, pulcherrimum quemdam et elegantissimum librum adferentes, in quo lucidissimis et pulcherrimis characteribus scriptum erat, quidquid ille boni ab ineunte ætate gesserat: sed liber brevissimus, et res in eo scriptæ paucissimæ erant. Paulo post apparuerunt non duo, sed innumeri teterrimi dæmones, qui statim protulerant horrendum et ingens quoddam volumen, in quo nigerrimis et maximis characteribus omnia illius flagitia, et facinora scripta erant, quæ quidem præ multitudine vix numerabantur. Ut igitur ille utrumque librum de manibus offerentium accepit, et eos jussus perlegere, omnia sua opera, et verba, et cogitationes recognovit, subito in desperationem incidit: nec dicere ausus est: *euntes renunciate Christo, quæ audistis, et vidistis.* Sed eo obmutescente, et stupefacto, atque attonito, dæmones angelis dixerunt, quid hic agitis? Numquid hic noster est? Num adhuc contendere audetis? Quibus Angeli: vera loquimini, inquiunt, si vultis eum rapere, per nos licet. Atque in hunc modum angelis abeuntibus, ille a dæmonibus raptus in gehennam perpetuo cruciandus delatus est. Hæc igitur, auditores, non in ejus utilitatem, cui contigerunt, sed in nostram admonitionem, et correctionem ostendi, et videri Dominus voluit, nec ideo scripta sunt, ut legantur et audiantur, sed ut, his auditis, vel lectis, vitam et mores in melius commetuis. Quod si facere noluerimus, multo nos gravius, atque atrocius, mihi credite, puniemur, quam ille ipse, cui hæc contigerunt. Ille siquidem talia exempla nunquam audierat, et si audivisset olim, fortasse in cinere et cilicio pœnitentiam egisset. Quamobrem cum omnium operum nostrorum testes vigilantissimos, oculatissimos, et maxime auritos habeamus, qui omnia notant, scribunt, observant: Cur non metuimus vel agere, vel loqui, vel cogitare coram ejusmodi testibus

ea, propter quæ sine ulla dubitatione damnandi sumus? Quin potius Dei gratia aspirante contendamus, ita vitam nostram traducere, ita nos genere, ut in eo difficillimo tempore securi ac læti angelis Dei legatis, re-

spondere possimus : *euntes renunciate Christo, quæ audistis et vidistis*; ille vero tunc nos ad regnum suum vocare et coronare dignetur, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO VI.

DE DOMINICA TERTIA ADVENTUS

THEMA

Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est. *Philip. iv, v. 4.*

SYNOPSIS.

Tres mundi fallaces refelluntur opiniones. Prima, qua obicitur, servos Dei nullo gaudio perfundi, sed semper tristes esse oportere; ubi testimoniis et similitudinibus probatur, majus gaudium contingere Deo servientibus, quam mundanis : causa, cum mundani non sentiant gaudia spiritualia. Gaudium spirituale esse de Deo et suis operibus, in prosperis et adversis, de beneficio creationis et redemptionis. Altera opinio est, qua dicitur Deo servientes nil agere aliud, quam in otio culiculam curare. Tertia demum est perversa sententiæ hujus Paulinæ, Gaudete; Dominus prope est, interpretatio. Modernus dierum festorum celebrandi mos, graviter texatur. Quanta sit insana saltatio et choreæ auctoritate tum sacra tum profana, imo ipsiusmet Christi, ostenditur. Profanatio festorum magnum malum : et peccatum potissimam flagellorum divinitus iniquissorum causam esse. Tandem ad dies festos pia celebratione venerandos seria exhortatio.

Initium hoc Apostolicæ lectionis; quæ hodie nobis in Ecclesia recitata est, tres mundi opiniones, quæ multos homines ad inferos deducunt, penitus evertit. Primum enim cum incipit aliquis de salute cogitare, de vitæ mutatione, de peccatis relinquendis, et servitio Dei serio amplectendo, statim mundus versipellis adest, et tamquam leno quidam

corruptissimus : quid, inquit, miser cogitas? an non vides eos, qui serviunt Deo, quam sint melancolici, afflicti, mœsti, numquam lætantur, numquam rident : et tu ergo vis talis esse? Absit, ne cogites talia. Ita mundus loquitur : et per suos ministros tamquam exploratores sollicitat corda filiorum Dei, deterret homines a servitio Dei, minuere conatur, quantum potest, exercitium Dei. Audite quid per Malachiam prophetam, ejusmodi hominibus Dominus dicat : *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus; et dixistis : Quia locuti sumus contra te? Dixistis : vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum, quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?* Itaque hæc est sententia mundi, non posse gaudere, et esse lætos, et hilares, qui serviunt Domino. Sed procul dubio mentitur : falsum est quod loquitur. Et tantum abest, ut servi Dei non possint esse læti, ut nulli prorsus homines magis ac verius gaudeant, ac lætentur, quam ii, qui serviunt Deo. Legite Scripturas, consulite rationem, inspicite vitas et exempla sanctorum, videbitis quam egregie mundus mentitur. Ego quidem audio B. Jacobum, non servis Dei, sed servis mundi, fletum et luctum indicentem : *Miseri, inquit, estote, et lugete, et plorate, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem.* Et rursum : *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis : Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt : aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium*

vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.

Porro servis suis, quid Dominus? *Gaudete et exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis; et: Nolite fieri Hypocritæ tristes; et: tu cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava; et iterum: Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Quid Apostolus præcipit? *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus; cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Auditis quid Apostolus dicat? Quomodo tristes esse poterimus, qui semper cantare jubemur? Quid est præterea regnum Dei, quod intra nos est, nonne pax et gaudium in Spiritu sancto? Epistolæ Petri, epistolæ Joannis, epistola Jacobi, quid aliud, quam lætitiâ spiritualem, et pacem, et amorem sonant? Quid totum psalterium? *Venite, exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro: Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei: et, beatus populus, qui scit jubilationem: et, cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.*

Aspicite deinde exempla sanctorum. Quid quæso de primis christianis in Actis Apostolicis legitis? *Omnes qui credebant, inquit B. Lucas, erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat: quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis.* Et rursum: *Discipuli, inquit, replebantur gaudio et Spiritu sancto.* Et Apostolus de seipso: *Repletus sum, inquit, consolatione, superabundo gaudio.* Nonne etiam Dominus aliquando exultavit in Spiritu sancto? De magno Antonio viro sancto, atque perfecto, Athanasius refert, eum semper hilarem, lætum extitisse. Neque mirum est hoc, Auditores, nam ipse B. Antonius, nihil magis filiis suis contra dæmonum insidias commendabat, quam lætitiâ spiritualem. Hostis enim humani generis non ignorans quantum boni nobis alacritas, et gaudium in Dei servitio adferre possit, semper conatur vel terroribus vel minis, vel insomniis, vel cogitationibus malis animi nostri tranquillitatem, et serenitatem perturbare, et cœlum cordis nostri, quasi nubibus quibusdam anxietatis et mœroris obducere. Sed quemadmodum

David psallendo, et dulciter citharam pulsando, dæmonem pellebat: ita nos quoque hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus nebulas tristitiæ dissipare, lætitiâ ac serenitatem mentis reparare debemus.

Vultis nunc, ut etiam naturali ratione mendacia mundi refellamus? Quid enim est majus et capacius, puteus aliquis profundissimus, an exiguum poculum? Non est comparatio. Ita quoque inter delectationem et voluptatem, quam capiunt homines carnales, et homines spirituales, nulla potest esse comparatio: siquidem carnales homines sensibus corporeis hauriunt voluptates, et delectationes. Et quid sunt corpora nostra, nisi angustissima quædam pocula, quæ statim replentur? Nonne si comedas per horam, eris plenus usque ad os, et omnes epulas etiam exquisitissimas fastidies? At vero spirituales homines, non poculum exiguum, sed puteum immensum et infinitum replent, intelligentiam videlicet, quæ usque adeo ampla, et capax, et profunda est, ut totus mundus eam replere non possit. Deinde unde plus aquæ hauriri potest, ex majori Oceano, an ex aliqua palude? Non est dubium quin ex mari: ita quoque non est dubium, majorem esse sine comparatione spiritualem, quam corpoream voluptatem. In quo delectantur stulti? Delectantur in epulis, quæ magno pretio comparantur, magno labore condiuntur: et si paulo largius sumantur, caput et stomachum gravant, et morbos incurabiles generant, et tandem in lutum et fimum convertuntur. Delectantur in pecuniis et vestibis, quæ nihil nisi curam, et sollicitudinem, et metum, et anxietatem pariunt, et quas tandem velint nolint relinquere debent. Alii sunt, qui delectantur in aura quadam, vel potius fumo populari, et opinione hominum, qua nihil vanius, nihil mendacius, nihil perniciosius cogitari potest. At vero servi Dei, homines spirituales, in Domino delectantur, et quid est Dominus, nisi mare immensum omnium bonorum? Is est cibus qui reficit sine satietate: qui satiat sine fastidio: cibus magnus, cibus dulcis, cibus sapidus, *gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: non emitur argento, non generat morbos, non instat: sed contra potius locuplebat mentem, curat ægrotudines peccatorum, relevat gravatos, replet inanes.* Quæ cum ita sint nemo deinceps dubitare debet, quin mundus apertissime mentiatur, cum servos Dei sine tristitiâ, et mœrore esse

posse negat : et ego sane, si testimonium meum recipitur, affirmare possum sine mendacio, me numquam tam veram, tam solidam, tam sinceram, tam diuturnam lætitiã sensitisse, quam ab eo tempore, quo Deo servire desideravi.

At inquis, non video, nec intelligo, quæ sit ista lætitiã spiritualis, et nimis durum mihi esse videtur relinquere, quod video, quod sentio, quod tango, quod gusto, pro eo, quod non video, et fortasse nunquam videbo. Ego non dubito, neque miror te non videre ; cum enim oculos clausos habeas, quo pacto videre potes ? Quid prodest ad concionem venire, si venis tamquam ad comœdiam, ut scias aliis referre, bene dixit, bene egit, vel, non bene dixit, non bene egit ? Hoc, mihi crede, penitus nihil valet, et si ita pergis nunquam intelliges. Sed aperi paulisper oculos, veni ad concionem paratus, veni cum desiderio proficiendi ; noli considerare quibus verbis tibi proponimus veritatem ; nam neque ego magnam rationem habeo verborum ; sed cape ipsam veritatem, cogita quid dicatur, tolle nubes, tolle tenebras peccatorum, pelle diabolum de corde tuo, qui impedit ne videas, et tum conquerere, si non vides. *Convertimini*, ait Dominus per Malachiam, *convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo, et non servientem ei.* Hæc est igitur hæresis mundi, quam hodierna die Apostolus refellit : *Gaudete*, inquit, *in Domino semper.*

Quid mundus garrit ? Quid mundus strepit ? *Gaudete in Domino semper.* Et ne putetis mihi hoc verbum excidisse : *Iterum dico gaudete.* Semper gaudere debemus, non sicut filii hujus sæculi, qui per vicissitudines, et alterationes, modo rident, modo plorant, modo lætantur, modo tristantur, nec aliter facere possunt, cum in iis rebus lætentur, quæ non semper durant. Nam si gaudent cum pecuniæ crescunt, plorant cum veniunt fures ; si gaudent cum eis nascuntur filii, plorant cum iidem moriuntur. Nobis vero semper gaudendum est, qui gaudemus in Domino, solo stabili, et sempiterno bono, quod numquam senescit, et cujus anni non deficient, et de cujus pulchritudine pulchri, de cujus gloria gloriosi, de cujus immortalitate immortales efficiamur.

Sed quamquam semper nobis merito lætandum est, tamen duo præcipue sunt, quæ nobis materiam gaudiorum adferunt ; atque

idecirco B. Apostolus non semel, sed bis nos gaudere voluit. *Gaudete*, inquit, *in Domino semper, iterum dico gaudete.* Gaudendum est semel in Deo : gaudendum est iterum in operibus Dei. Quale gaudium esse putatis animæ diligenti Deum cum se cogitat parentem habere regem potentissimum, sempiternum, pulcherrimum, optimum, ditissimum, sapientissimum ? Sane qui hoc intelligunt, satiari delectatione non possunt : et etiamsi mille mundi eis promitterentur, ejusmodi parentem mutare non vellent. Hoc est primum gaudium. Porro secundum est de operibus Dei. Sunt enim omnia pulchra, et bona, addo etiam perfecta, ut nihil addi, vel detrahi possit : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Et, *magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti.* Deus immortalis, quale gaudium capiunt servi tui, cum quidquid intuentur, nihil nisi opes et possessiones et divitias tuas, qui Pater eorum et esse et dici dignaris, vident ! Delectantur certe, delectantur in factura tua et in operibus manuum tuarum, non in eis sistentes, et ea pro te diligentes, sicut impii faciunt : sed in eis potentiam, sapientiam, bonitatem et gloriam tuam laudantes. Intuentur cœlum, et dicunt, Gloria tibi, Domine, qui super nos tentorium tam pretiosum, et gemmis tam claris distinctum, et ornatum expandisti. Intuentur solem et dicunt, Gloria tibi Domine, qui tam decoro et tam venusto jubare, non solum necessitati et commoditati, sed etiam voluptati et delectationi nostræ providisti. Intuentur aerem, et dicunt, Gloria tibi Domine, qui elementum tam necessarium, sine quo quasi sepulti viveremus, nobis contulisti. Intuentur terram et dicunt, Gloria tibi Domine, qui pavementum domus nostræ non modo solidum ad firmitatem, sed etiam floridum ad amœnitatem esse voluisti. Intuentur mare, et flumina, et animalium plantarum, lignorum, lapidum, metallorum multitudinem, distinctionem, varietatem et dicunt, Gloria tibi Domine, qui etiam in exilio et in carcere tot bonis et commodis nos abundare voluisti. Ita igitur sancti homines gaudent, semel in Deo et semel in operibus Dei.

Rursum vero gaudent, semel dum a Deo beneficium aliquod novum recipiunt : et iterum gaudent cum ab eo tanquam filii in misericordia flagellantur. Solent reges terræ legatos et ministros suos ad civitates mittere, aliquando quidem ut privilegia eo

rum confirmet, vel etiam augeant, sed aliquando etiam ut tributa exigant. Verum civitates non eodem vultu legatum privilegia confirmaturum, et tributa exacturum excipere solent. At servi Dei non minus gaudent ad flagella, quam ad beneficia et idcirco bis gaudent. Intelligunt enim non minore charitate Deum servis et filiis suis flagella, quam beneficia dispensare.

Postremo gaudent semel boni de beneficio creationis, et iterum gaudent de beneficio liberationis. Gaudent semel, quod Deus ad suam imaginem et similitudinem condiderit hominem; et iterum gaudent, quod ipse pro sua imagine et similitudine reformanda factus sit homo. Hoc est igitur quod Apostolus ait: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.*

Sequitur, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Quibus verbis altera mundi hæresis refellitur. Mundus enim qui est ille Nabal Carmelus, quem scriptura stultum, et pessimum, et malitiosum appellat, non contentus priori mendacio, aliud præterea excogitavit. Quid, inquit, esse putatis servire Deo? Est ars ignavorum, qui volunt bene comedere et bene bibere et nihil laborare. An non cantando et sedendo lucrantur pecunias? Numquid non melius est proprio labore atque industria sibi victum comparare? Ecce vobis verus *Nabal, qui secundum nomen suum stultus est*: et sibi non constat, paulo ante dicebat semper Dei servos esse tristes, et vitam nimis duram et laboriosam ducere. Nunc vero quid dicit? Eos cantando lucrari pecunias et bene comedere, bene vivere, et non laborare. Verum mentitur plane, mentitur in caput suum. Siquidem servi Dei non homines ignavi, sed milites fortissimi esse debent; quippe ipsa sua professione bellum indicunt cupiditatibus et omnes dæmones ad singulare certamen quodammodo provocant. Et vae illis, qui tamquam militiæ desertores, vel potius proditores sub signis Christi stipendia capiunt, et interim militant mundo. Quid enim nobis Apostolus præcipit? *Modestia vestra, inquit, nota sit omnibus hominibus.* Volo vos gaudere, sed in Domino: volo vos hilares ac lætos esse, sed ita, ut modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Non sit in vobis ullus excessus, sed summa in omnibus rebus moderatio; sit modus in cibo, sit modus in potu, sit modus in vestibus, sit modus in ipsa lætitia. Non dedit tibi Deus divitias, ut

vestiarius serico et bysso, et epuleris quotidie splendide et interim pauperes frigore, et nuditate, et fame, et siti intereant. Si enim hoc egeris, scis sententiam tuam, jam enim est lata; cum illo divite epulone sepelieris in inferno, et guttam unam aquæ desiderabis, et numquam impetrabis. Et tu cur putas tibi mitti pecunias a parentibus an eas projicias et semines in sphæristeriis? sterilem agrum elegisti, prorsus arenam, vel potius ipsum mare, ubi seminares, elegisti. Nihil ibi colliges, mihi crede. Si pecuniæ tibi redundant, habes pauperum sinus, ubi eas reponas: Illud est fertile solum, ibi si semines, tempore suo cum exultatione metes; Nam *fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Deus vero nunquam sine usura, eaque, maxima reddit, quod accepit.

Porro tertia hæresis mundi in explicatione vel depravatione potius hujus apostolicæ sententiæ consistit: siquidem filii hujus sæculi, ita locum istum interpretari solent: *Gaudete, Dominus prope est*, hoc est, festum aliquod appropinquat, ut dedicationis, ut Epiphaniæ, ut Resurrectionis, ut Pentecostes: ergo gaudeamus, et semel et iterum gaudeamus. Tunc enim a lectionibus et studiis vacabimus, pro Gymnasio sphæsterium frequentabimus, et sine metu ludis et jocis, convivii et potationibus, choreis et saltationibus, sonis et cantibus operam dabimus. Quid vobis de hac hæresi videtur? Fuitne aliquando error tam perniciosus? At festi dies, inquiunt, sunt dies lætitiæ, et tum potissimum dicitur nobis: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Verum est, sed adde quod sequitur: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Cur accipis unam partem et relinquis alteram? An ne scis festiva gaudia Christianorum modestiam et sobrietatem suo jure sibi vindicare? Gaudia nostra non carnalia, sed spiritualia esse debent, plena sapientiæ: denique talia, ut omnes homines etiam ethnici et hæretici cognoscant, nos non Bacchanalia more paganorum, sed spirituales solemnitates Christiana gravitate peragere.

Non possem equidem, auditores optimi, verbis explicare, cum quanto dolore animi mei videam, quam perverso et diabolico more hoc nostro tempore festa celebrentur. Initio mensis Septembris ibam aliquando per urbem, et ecce ibi videbam unum ebrium, ibi alium: aliquos item in fenestris aspiciebam more furiosorum horribili voce, nescio an ca-

nentes, an contententes, ego certe eo cantu non multum delectabar : pocula præterea in manibus tenentes quasi tubas quasdam, nisi quod ea non implebant vel inflabant : sed potius exhauriebant. Egressus deinde portas urbis, video spectaculum aliud pulchrum simul et foedum, ridendum et deplorandum ; video hominem procerum hastatum, diceres militem aut centurionem aliquem, sed interim ad singulos passus cadebat, et eum foemina quaedam sobria, fortasse conjunx ipsius, incredibili labore post se trahebat. Quæsi vi quid sibi ista vellent eo tempore, et cur potius initio Septembris, quam alius diebus ista viderem ? Responsum est mihi, tum celebrari dedicationem. Et ego : Quid, inquam, est dedicatio ? Est ne festum aliquod Ecclesiasticum, an species aliqua Bacchanaliorum ? Quid Bacchanalia ? aiebant, nullo modo, festum est ecclesiasticum, solemnissimum, celeberrimum, quo dies festi in memoriam ac honorem sanctissimæ Deiparæ consecrati omnes simul ingenti lætitia recoluntur. Itane, inquam ego ; festa Virginis sanctissimæ, integerrimæ, castissimæ, quæ jejuniopascbatur, ebrietate, et conviviis et impudicis cantibus, et sonis celebrantur ? Sane non dubito, quin ii, qui primi festos illos dies instituerunt propositum pium et religiosum habuerint ; nec aliud ea solemnitate voluerint, quam populum excitare ad agendas Deo gratias pro summis illis et infinitis beneficiis, quæ toti generi humano per Virginem illam Beatissimam contulit. Sed quantus abusus irrepserit, et quantum perversi homines suis corruptissimis moribus pium institutum obscuraverint ac foedaverint, ex eo intelligi potest, quod peregrinis hominibus et quale sit istud festum ignorantibus, ex iis, quæ ubique fieri vident, non festa Dei, sed festa diaboli, atque adeo Bacchanalia ipsa videantur. Neque alii festi dies multo sanctius aut religiosius celebrantur ; imo vero, quando, quæso, plura peccata fiunt, qua in festis ? Quando plura celebrantur sumptuosa convivialia ? Quando plures audiuntur lascivæ cantilenæ ? Quando magis frequentantur sphæristeria, tabernæ, prostibula ? Quando plura exercentur genera ludorum, ineptiarum scurrillitatum ? Quando in pluribus locis ad sonitum lyræ et citharæ ducuntur choreæ ?

Sed fortasse malum non est, vel exiguum malum est, viros cum foeminis choreas ducere. Imo nihil perniciosius. Si possunt

palcæ ad ignem accedere, et non comburi ; et adolescens potest cum foeminis tripudiare, et non ardere. Sed de infamia saltationum audite, quid veteres tam profani, quam sacri scriptum reliquerint. M. Tullius ita turpitudinem chorearum execrabatur, ut in defensione Murenæ dixerit : « Non fere saltat sobrius nisi forte insanit : Et multarum deliciarum comes est extrema saltatio. » Et alio loco, saltationem tamquam crimen turpissimum objicit Antonio. Erubescere igitur Christiane, erubescere, vinceris ab ethnico, et ab ethnico in judicio procul dubio condemnaberis. Ille solo naturali lumine, sine dono fidei docere potuit, non esse saltationem nisi ebriorum vel insanorum. Et tu filius Dei celesti lumine illustratus, apud quem tales ineptiæ, nec nominari debuerant, in ipsa celeberrima et sacratissima solemnitate maxime insanis ? Relinquamus profanos, dicas tu nobis, Ambrosi beatissime, senex reverendissime, lumen Ecclesiæ Christianæ, quid tibi de choreis et saltationibus videtur ? « Merito, inquit, inde in injuriam divinitatis proceditur ; quid enim ibi verecundiæ potest esse ubi saltatur, strepitur, concrepatur ? » Dicas et tu, beatissime Hieronyme, quid sentis de choreis ? « Cæterum, inquit in libro contra Helvidium, ubi tympana sonant, tibia clamat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi timor Dei ? » Transeamus in orientem, consulamus quoque duos ex Patribus græcis : Dicas nobis Græciæ ornamentum, os vere aureum, magne Chrysostome, qui inter alias virtutes, ita laude jejuniorum excellebas, ut jejunator publice dicereris, dicas quæso nobis de conviviis et choreis sententiam tuam. « Audite, inquit in homilia 49, in Matth. audite hæc, viri, qui magnifica convivialia ebrietate plena consecramini : audite, inquam, et diaboli barathrum perhorrescite, ubi saltus lascivus, ibi diabolus certe adest : non enim ad tripudia hæc nobis pedes præbuit Deus : sed ut modeste incedamus, non ut impudenter camelorum more saliamus Quod si corpus turpe sit impudenter saliendo, quanto magis animum fœdari credendum est : his tripudiis diabolus saltat, his a dæmonum ministris homines decipiuntur. » Audite postremo, quibus verbis magnus Basilius, vir sanctissimus atque doctissimus, insaniam istam oratione in ebriosos deploret ; « Viri, inquit, simul et foeminæ communibus choreis constitutis vinoso dæmoni traditis animis se mutuo affectionum stimulis consauci-

arum; risus ab utrisque effusi sunt, cantilenæ turpes, habitus meretricis ad petulantiam invitantes. Rides et proterva delectatione te oblectas, cum lacrymas fundere oportuerat, et igemiscere ob præterita? Cantilenas canis meretricias eje ctis Psalmis ac hymnis quos didicisti? Moves pedes et furiose exilis: ac infeliciter tripudias, cum genu flectere oportuerat ad orationem? » Hæc magnus Basilius. Quod si sancti Patres de choreis in universum hæc dixerunt, quomodo, queso, exclamassent, si hæc in ipsis festis Natalitiis fieri cognovissent? Sed relinquamus homines. Audiamus quid ipse Dominus, qui errare non potest, quid Spiritus sanctus, et Spiritus veritatis per Isaiam Prophetam dicat, *Cithara, inquit, et lyra et tympanum, et tibia, et vinum in convivii vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.*

Ah! miseri et miserabiles, fecit Deus opus admirabile in diebus istis; *novum creavit Dominus super terram: Virgo peperit, venit Deus ad homines, novum sidus apparuit, melliflui facti sunt cœli, Angeli deseruerunt beatas illas sedes, ut Parvulum viderent, qui datus est nobis, et vos soli, propter quos ista fiunt, in flagitiis occupati, vino somnoque sepulti, opus Domini non respicitis nec opera manuum ejus consideratis.* Quid igitur fiet vobis? Audite sententiam Judicis nostri: *Propterea, inquit, dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino.*

Nescitis fortasse quantum sacrilegium sit, dies Deo consecratos profanare? Cur obsecro non utimur passim templis, calicibus, vestibibus sacerdotalibus? Quid sunt parietes isti plus, quam alii? Quid calices Ecclesiæ plus, quam alii? Quid vestes sacerdotales plus quam aliæ? Quantum ad materiam nihil. Sed ideo nefarium, ideo sacrilegum, ideo scelestum est ea in usus profanos convertere, quod Deo consecrata ac dedicata sint. Sed quis nescit ad eundem modum dies festos Deo consecratos, ac dedicatos esse, et non in aliis, quam in sanctis operibus consumendos? Quæro a vobis, si videremus aliquem incredibili audacia templum intrare, et vestibus sacris uti pro vestibus profanis, templo pro taberna, altari pro mensa, corporalibus pro mappis, in sacris patinis comedere, in sacris calicibus bibere, quis nostrum non horreret, quis non exclamaret? Et nunc videmus dies festos solemnissimos, celeberrimos, sacratissimos, Deo dica-

tos, in orationibus, meditationibus, lectionibus sacris, hymnis et Psalmis, et canticis spiritualibus consumendos, sacrilegis choreis, saltationibus, conviviiis, ebrietatibus, impudicitiiis, scurrilitatibus profanari, et nemo exhorret, nemo movetur, nemo miratur. Deus immortalis! *quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* Quid habet lætitia carnis cum lætitia spiritus? Quid solemnitates Domini cum festis Bacchanaliorum? Ergone quibus diebus nos Deum placare debuimus, in illis eum magis ad iracundiam nostris sceleribus provocabimus? Quibus diebus Spiritus pascendus et recreandus erat, in illis eum magis vino et impudicitiiis obruemus? Quibus diebus agenda erant gratiæ Deo, quod nos a dæmonis laqueis, et flagitiorum, et scelerum servitute liberaverit, in illis nos flagitia et scelera, quantum possumus, multiplicabimus? Quæ est hæc insania? Quæ furia infernales nos exagitant? Et nihilominus quærimus causas, cur Deus nos puniat? Cur in ipsis domibus nostris occidamur? Cur in media civitate securi non simus? Alii casui aut fortunæ; alii penuriæ; alii nescio quibus aliis rebus: sed voces istæ voces infidelium sunt: nos qui Christiani sumus, et scimus Deum omnium rerum providentiam gerere, qua ratione dubitare possumus, cur puniamur? Nonne Scripturæ clamant: *Miseros facit populos peccatum? Et, Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Itaque peccata nostra penuriam, et pestilentiam, et seditiones, et omnia flagella nobis procurarunt, peccata nostra clamant, et clamor eorum in aures Dei Sabaoth introivit. Et jam video furorem Dei contra regiones istas ita succensum, ut non nisi magno et diuturno imbre lacrymarum restinguendus sit. Annis superioribus dumtaxat Deus comminatus est, non egit serio: fuit admonitio quædam paterina; sed quoniam in malis nostris perseveramus, iidem sumus, qui semper fuimus; nulla est emendatio morum, nullus zelus honoris Dei, omnes quærunt, quæ sua sunt: idcirco vehementer formidandum est, ne sint posteriora pejora prioribus. Sane non placabitur Deus simplici confessione peccatorum, sed requirit seriam pœnitentiam, verum dolorem peccatorum, vitæ mutationem; et nisi hoc fiat, desperandum est de sanitate harum regionum. Hæc enim est radix et origo malorum omnium, ira atque

indignatio omnipotentis Dei. Cur canes imitatur, qui lapides, quibus icti sunt, persequuntur et mordent? Cur flagellum nostrum aspiciamus, et contra ipsum indignamur? Cur non potius Deum consideramus, qui propter peccata nos flagellat, nec cessabit flagellare, donec cessemus peccare. Deus igitur bonis operibus placandus est Deo per veram pœnitentiam satisfaciendum, Deo sacrificium cordis contriti et humiliati, et præsertim in his festis Natalitiis, quæ jam quodammodo præ foribus sunt, offerendum est. Gaudeamus, sed in Domino gaudeamus; sed absint scurrilitates, absint ineptiæ, absint potationes, absint saltationes. O quantum absumus a religione et fervore Sanctorum Patrum, majorum nostrorum. O quid sentiebant in diebus festis, ac præsertim Domini quanto silentio, et quam altis con-

templationibus suspendebantur? cor liquefiebat, oculi pluebant dulces lacrymas, omnia ossa et omnes medullæ exultabant. Non supererat illis tempus, quod in nugis et vanitatibus consumerent. Totos sibi stupor ille ingens atque admiratio tam profundi Sacramenti Incarnationis filii Dei, totos illa abyssus charitatis et humilitatis Dei nostri sibi vendicabat. Sed finis sit. Ego vos omnes, auditores optimi, per illam ipsam eximiam charitatem, per illam humilitatem, per illa viscera dilectionis Dei nostri, per adventum Regis pauperis, oro, obsecro, obtestor, in diebus Domini gaudeat Spiritus, non caro luxuriet: Angeli canunt gloriam Deo, et hominibus pacem, illos imitemur, cum illis voces nostras jungamus, *Exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.*

CONCIO VII.

DE EADEM DOMINICA TERTIA ADVENTUS

THEMA

Tu quis es? Et confessus est, et non negavit : et confessus est, quia non sum ego Christus, etc. *Joan.* I, v. 20.

SYNOPSIS

Joannes Baptista stellæ Lucifero comparatus.

Legationem hodiernam esse diversam ab ea, quæ superiori Dominica fuit missa. Causa cur Joannes a Deo fuerit præmissus. Joannis constantia et humilitas. Dux causæ, quæ Judæos in opinionem induxerunt, quod Joannem Eliam esse existimarint; vaticinium scilicet et amborum eadem prorsus vivendi ratio. Quomodo Joannes revera negare potuerit, se esse Prophetam, SS. Patrum sententiæ. Cur Joannes se vocet vocem clamantis, et non potius vocem clamantis : Auctoris item sententia, cur se dicat vocem potius esse quam hominem clamantem, quia nimirum ipsius opera quasi clamare ea, quæ docebat, viderentur. Querela de concionatoribus non modo non clamantibus factis; sed et malis operibus clamantibus : item de variorum hominum corrupto et scandaloso vivendi modo.

In secunda parte explicatur, cur non dixerit, in deserto, ubi elegantissimo discursu mundus deserto assimilatur, in quo spinæ tribulationum, frondes rerum apparentium, in via professionum, sitis cupiditatum : Homo item arbor inversa probatur ut qui meliore sui parte terræ quasi affixus et infixus sit Mundus item rubeto comparatur, et qui rubi sint, in iisque delitescens latrones et feræ, aptissime ostenditur. Tandem Mundum quo-

que esse desertum fortunatum, utile et salutare, et quibus tale sit, ad finem usque explicatur.

Quemadmodum inter ea sidera, quæ nocturno tempore quasi solis prænuncia oriuntur, illud unum Luciferi, hoc est, lucis et solis certissimi nuncii appellationem invenit, quod proxime solem antegreditur, quodque tanta luce præditum est, ut aliquid amplius, quam unum ex numero siderum esse videatur; sic etiam, Auditores optimi, inter omnes Prophetas, qui noctem sæculorum præteritorum, tamquam sidera quædam suo fulgore illustrarunt, et diversis temporibus Christum mundi lucem et justitiæ solem nasciturum prænunciarunt, unus Joannes Baptista, qui proxime Christum antevertit, quique tanto sanctimoniam, et divinorum charismatum splendore enituit, ut plus quam Propheta ab ipsa veritate appellatus sit : unus, inquam, Joannes Baptista *lucerna ardens et lucens* Christi prænuncius, *Propheta altissimi*, et *vox Verbi*, quod tamen amplissimum est, nominari præmeruit. Id vero ex hodierno Evangelio facile cognoscemus, si ipsum more nostro, breviter explicare aggressi fuerimus.

Miserunt, inquit Evangelista Joannes, Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum; Tu quis es? Et confessus est, et non negavit et confessus est, quia non sum ego Christus, etc. Dominica superiori exposuimus legationem

Joannis ad Christum, hodierna die, ut video, exponenda est legatio Judæorum ad Joannem. Est, vero maximum discrimen inter has suas legationes. In superiori siquidem legati multo humiliter et abjectius de Christo, ad quem legatio dirigebatur, sentiebant, quam par esset. Atque idcirco Domino laborandum fuit, ut non solum verbis, sed etiam splendore miraculorum gloriam suam et majestatem ostenderet. At vero hodie, qui ad Joannem mittuntur legati, longe majorem de ipso opinionem conceperunt, quam rei veritas patitur: Proinde beatissimus Baptista in eo laborat, ut quam maxime potest, seipsum extenuet. Hinc videlicet non solum Christum, sed et Heliam et Prophetam esse se negat. Quia vero ad Christi gloriam amplificandam pertinet, ut habeat præcursores et ministros, propterea se Christi prænuncium et vocem clamantis in deserto libenter confitetur.

Miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, qui eum interrogarent: Tu quis es? Liberator noster, Auditores, lapis ille est, qui præcisus de monte sine manibus contrivit statuam illam, quam Rex Nabuchodonosor per quietem viderat, de quo multa Propheta Daniel vaticinatus est: et quem Apostolus Petrus lapidem pretiosum, et electum nominat. Sed quamquam creverit nunc lapis est, juxta Danielis vaticinium, in montem magnum, ut plane sint cæci, qui eum non videant: tamen initio ita exiguus et parvulus erat, ut totos triginta annos ante oculos Judæorum versaretur, et vix a paucis quibusdam videretur. Parvulus, inquit Isaias, datus est nobis, et filius natus est nobis; et beatus Joannes: In medio, inquit, vestrum stetit, quem vos nescitis. Ut igitur lapis iste pretiosus a Judæis in tenebris et umbra mortis ambulatibus non conculcetur, sed potius cum gaudio et aviditate tamquam thesaurus vere magnus colligetur, divinissimo consilio Deus Pater paravit lucernam Christo suo, non ut eo lumine Christus videret: sed ut ipse ab aliis videretur. Itaque Joannem Baptistam præmisit, ut esset lucernam ardens et lucens, et populis Judæorum lapidem illum pretiosum et electum ostenderet. Et ipse quidem probe suo munere fungebatur. Ardebat, lucebat, Christum ostendebat: Verum Judæi lucernæ illius tanto et tam insolito fulgore delectari voluerunt ad horam exultare in lumine ejus. Itaque lucem illam integerrimæ et sanctissimæ vitæ

beati Joannis intuentes eum Christum ipsum esse suspicati sunt: quo circa communi consilio legationem ad eum decreverunt, parati tamquam verum Christum eum suscipere, si modo ipse se Christum agnoscat, atque id aperte et libere fateatur. *Miserunt, inquit, Judæi sacerdotes et levitas ad Joannem. Magna profecto et periculosa tentatio; sed major firmitas Joannis, et confessus est, et non negavit: nec enim erat arundo, ut ab aura honoris istius agitari possit. Quid igitur? Et confessus est, Quia non sum ego Christus. Videbat Judæos, ut lucernæ splendorem aspicerent in lapidem pretiosum impingere: videbat lapidem illum, qui e cælo in terram ceciderat, ut eos ditaret, fieri illis in ruinam, et jam tunc esse culpa ipsorum lapidem offensionis et petram scandali; propterea memor officii sui, non solum voce et prædicatione, sed digitis etiam ipsis Christum ostendebat: Non sum ego, inquit, Christus; Esse agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quid me intuemini? Ego lucerna illius sum, nec ideo sic luceo, ut sic in me oculos convertatis; sed ut lumine meo Christum verum ac pretiosum lapidem videatis. Putamusne hodie multos inveniri, qui tam præclarum exemplar imitentur? Ecce beatus Joannes, cum ei Messiae honor deferretur, plane exhorruit: Non sum ego, inquit, Christus: Longe absom ab ista dignitate. At hodie, si opulentum aliquod beneficium vel ecclesiastica dignitas vacet, rarissimi sunt, qui oblatum honorem recusent, et se illo indignos sincere et ex animo putent: qui vero statim advolent, et non expectent sibi offerri, sed ipsi se offerant, numerari vix possunt. Omnes dicunt: Ego sum Christus: Ecce agnus Dei, mihi beneficium istud, mihi ista dignitas convenit. Ideo res nostræ male se habent. Sed tempus non habeo digrediendi.*

Sequitur. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et respondit: Non sum. Duas ob causas, quantum mihi impræsentiarum occurrit, dubitare potuerunt Judæi, an Joannes esset Elias? Primum enim quemadmodum illo tempore Christus expectabatur, ita etiam Elias: Nec enim ignorabant Hebræi vaticinium illud Malachiæ prophetæ: Ecce ego mittam ad vos Etiam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et quamquam hæc promissio vere et proprie ad posteriorem Domini adventum pertinet, ut beatus Augustinus diserte docet

in libro de Civitate Dei vigesimo : tamen eam Scribæ et Pharisæi ad priorem adventum pertinere docebant, ut ex Matthæo colligi potest. Quo loco Apostoli quærunt a Domino : *Quid ergo scribæ dicunt ? Quoniam Eliam oportet venire primum ?* Itaque cum temporibus Joannis Elias expectaretur, et Joannes in universa Palæstina celeberrimus esset, non omnino temere suspicabantur Judæi, eum, si Christus non esset, saltem Eliam esse. Deinde tanta fuit inter Joannem et Eliam similitudo, ut facile Judæi Joannem pro Elia accipere potuerint. Elias morebatur in eremo, et Joannes : Elias zona pellicea cingebatur, et Joannes : Elias propheta fuit, sed novo more solum loquendo, non etiam scribendo vaticinabatur, et Joannes : Elias summa libertate regem Achab et reginam Jezabel arguebat, et Joannes Herodem regem et Herodiadem reginam non minore libertate castigabat : Elias multa propter Jezabel a Rege Achab passus est, et Joannes propter Herodiadem capite ab Herode rege plexus est. Et quemadmodum Elias posteriorem Domini adventum juxta Malachiæ vaticinium præcurreret, ita Joannes priorem juxta ejusdem Prophetæ vaticinium præcurrit.

At, inquis, quomodo poterant Judæi tam graviter errare in Joanne, cum eum scirent non de cælo lapsum, sed ex Zacharia et Elisabetha natum esse ? Verum, Auditores, quæstionem istam mihi beatus Lucas illis verbis dissolvere videtur : *Puer autem, inquit, crescebat et confortabatur, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Itaque beatus Joannes ab ipsis primis annis in ipso primo vere ætatis suæ conspectum hominum et frequentiam fugiens, petiit loca deserta, atque in eis toti mundo incognitus ad annum usque ætatis suæ trigesimum commoratus est : et tum demum factum est verbum Domini super eum, isque repente tamquam novus homo, novo habitu, novis moribus, novo vivendi genere mundo apparuit. Quo tempore vel mortui erant, qui tum vivebant, cum ipse nasceretur. Et etiamsi nonnulli ortus ipsius recordabantur (quippe qui admirandus et plane singularis fuerat) tamen unde suspicari poterant eum, qui tunc ex eremo prodibat, esse Joannem illum Zachariæ filium, cum eum nec puerum, nec adolescentem unquam vidissent, nec de eo quicquam a tringinta annis unquam audivissent. Quæ cum ita sint, mirum nobis videri

non debet, si eum Judæi Eliam Thesbiten esse existimaverint. Quærunt igitur ab eo : *Elias es tu ? Et respondit non sum.* Tametsi enim spiritu, fervore, libertate officii et morum similitudine Elias a Domino appellatus sit : tamen vere ac proprie Elias non erat.

Pergunt : *Propheta es tu ? Et respondit, Non.* Græci doctores, ut beatus Chrysostomus, et Cyrillus, Theophylactus et alii, propterea quod verbis illis : *Propheta es tu ?* præpositum articulum vident, et more Græcorum ; δ προφήτης εἶ συ ; in ea sententia sunt, ut existiment, legatos istos Judæorum non de communi aliquo et vulgari ; sed de illo celebratissimo Propheta quævisse, qui Deuteron. 18. his verbis promissus erat : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus ; sicut me ipsum audies.* Quamquam enim vaticinium hoc de Christo sine ulla dubitatione intelligendum est : tamen Judæi, si beato Chrysostomo et Cyrillo credimus, non de Christo, sed de aliquo alio magno propheta ipsum intelligebant. Negat vero B. Joannes se prophetam esse, non quod magnus quidam propheta non esset : sed ut ostenderet, non recte Judæos Moysis vaticinium intelligere, atque illud non ad se, sed ad Christum pertinere. Porro nonnulli etiam sunt, qui legatos istos de Propheta aliquo jam olim defuncto quævisse contendunt : Nam quemadmodum de Liberatore nostro, ut ex capite decimo sexto Matthæi intelligi potest, varie sentiebant, et loquebantur Judæi, et aliqui eum Joannem Baptistam, aliqui Eliam, aliqui Jeremiam aut unum ex prophetis veteribus esse censebant : Sic etiam in Joanne errare poterant, atque existimare vel Isaiam, vel Jeremiam, vel alium aliquem ex prophetis ab inferis rediisse, et eum esse, qui tunc Joannes diceretur. Atque ad hanc interrogationem vere B. Joannes respondit : *Non sum.* Erat enim propheta, verum novus quidam, et non unus ex veteribus. Neque vero est contemnenda B. Gregorii, et quorundam aliorum Latinorum expositio, qui Judæos arbitrantur non de magno illo propheta in lege promisso, neque de veteri, et jam olim defuncto aliquo propheta, interrogasse, sed solum, an esset vir propheta, et ventura multo ante prospicere ac prædicere posset. Ille vero merito jureque optimo respondet, se prophetam talem qualem, videlicet qualem ipsi cogitabant, et similem cæ-

terorum non esse. Erat enim B. Joannes propheta quidem : sed non, ut Isaias, non ut Jeremias, non ut Ezechiel, non ut Daniel, qui in longa tempora prophetabant; verum altioris et sublimioris cujusdam ordinis : Erat horizon legis veris et novæ; erat simul principium Apostolorum et finis Prophetarum. Et quemadmodum theologi doctores veram ac perfectam misericordiam, qualis in solo Deo reperitur, non virtutem, sed quiddam nobilius et excellentius esse dicunt: et nos de Lucifero dicere possemus, eam stellam non tam stellam, quam aliquid majus et pulchrius, quam videri. Sic etiam de B. Joanne vere dici potest, eum non prophetam, sed plus quam prophetam esse.

Dixerunt ergo ei : Quis es ? ut responsum demus his, qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Quicquid nos dicimus de te, tu negas te esse. Quid igitur tu ipse dicis de te ipso? Audivimus jam satis, quis non sis: cupimus jam audire, quis sis. *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto.* Ac ne quis forte miraretur, cur se novo et tam insolito nomine appellavit, adducit testimonium Isaiæ Prophetæ. *Sicut*, inquit, *dixit Isaias Propheta.* Vere enim admirabile est, quod se vocem, et vocem clamantis, et clamantis in deserto nominare voluerit. Quis enim interpretabitur nobis, ad quem modum beatus Joannes vere sit vox. Et si vox est, cur non clamans potius dicatur, quam clamantis? Postremo, si vox clamantis est, cur potius in deserto, ubi exaudiri non potest: quam in aliqua magna et plena civitate clamet? Hæc igitur omnia paucis exponenda erunt.

Ac primum, cur se vocem non clamantem, sed clamantis dixerit aperiamus. Video locum istum, auditores, incredibili consensione a veteribus theologis exponi. Legite Ambrosium, Augustinum, legite beatum Gregorium, Origenem, legite cæteros, necnon fere illorum est, qui non affirmet, ideo beatum Joannem se vocem non clamantem, sed clamantis in deserto nominasse, quod optime sciret, se non esse, qui clamaret; sed se tubam, instrumentum, vocem denique cujusdam alterius clamantis agnosceret. Nam quemadmodum parietibus istis carnis ita separati, et quasi in diversis carceribus inclusi animi nostri sunt, ut os unius ad aures alterius admoveri non possit, idcirco vocibus corporeis, tamquam fidelibus internunciis, et spiritualium verborum et conceptionum mentis tabellariis uti solemus.

Sic etiam Deus Pater verbum suum, liberatorem nostrum, nobis manifestum facere volens, et simul intelligens hominem rudem et corporeum esse, nec sine strepitu, et sono vocis corporeæ quicquam intelligere, præmisit Joannem, qui tanquam vox, et verbum corporeum, Christum verbum incorporeum nunciaret. Itaque idcirco dicebat: *Ego vox clamantis in deserto*, tanquam si apertius diceret, Qui clamat, Deus Pater est: verbum, quo clamat, Deus filius est: Ego nihil sum aliud, quam vox, per quam Deus verbum suum hominibus manifestum facit. « Præmittitur, inquit B. Augustinus, ante Jesum Christum Joannes quasi testamentum vetus ante novum, lucerna ante solem, servus ante dominum, amicus ante sponsum, præco ante judicem, vox ante verbum. Nam omnipotens Pater innotescere nobis volens, sapientiam et verbum illud, quod in principio erat Deus apud Deum. B. Joannem quasi vocem, per quam ad nos verbum suum proferret, assumpsit. » Hinc etiam B. Lucas de Joanne: *Factum est*, inquit, *verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto*, hoc est, nemo putet Joannem ex se, et sua verba locutorum propterea enim factum est verbum Domini super eum, ut non suum, sed Domini verbum loquatur. Siquidem ipse nihil est aliud, quam vox et tuba et instrumentum Domini clamantis in deserto.

Sed ego, auditores, aliam expositionem vobis utiliore cogitavi, cur Joannes non homo clamans, sed vox ipsa nominetur. Opera, auditores, et exempla nonnumquam fortius clamant, et longius multo exaudiuntur, quam verba. *Cæli enarrant gloriam Dei* (inquit psalmographus David), *et opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Ac ne quis arbitraretur cœlestes illos globos dumtaxat loqui non vero clamare: ego vero, inquit, affirmo tanto clamore cœlestes orbis Dei gloriam assidue prædicare, ut nullus sit angulus orbis terræ, quem sonitus ille non compleat: siquidem *in omnem terram exivit sonus eorum.* Ac ne rursum Pythagoricus aliquis diceret, cœlos nec clamare, nec loqui, sed ad modum musicorum instrumentorum maximum quemdam, et jucundissimum sonitum edere: non solum, inquit David, *in omnem terram exivit sonus eorum: sed in fines orbis terræ verba eorum.* Taceant Pythagorici cum musico concentu; verbis cœlum et sidera Dei gloriam et laudes prædicant, dum se Dei opera esse omnibus in se intuentibus magnis

vocibus confitentur. Et unde, quæso vos, magnus ille Aristoteles cum falsorum deorum superstitio ferme omnium mortalium mentes occupatas teneret, unde, inquam, ille accepit esse super cœlos principem quemdam et monarcham universitatis, qui, cum omnia moveat, ipse tamen nulla ratione moveatur? Nonne sapientiam istam ab hoc doctore didicit, qui suis perpetuis conversionibus numquam fatigatur, nec cessat enarrare gloriam Dei? Et cur dixisse Dominum existimatis, *opera, quæ ego facio illa sunt, quæ testimonium perhibent de me: et si mihi non creditis, operibus credite*: nisi quod sciret opera sua miracula sua, prodigia sua, omnibus linguis facundiora et eloquentiora esse, nihilque tam incredibile reperiri, quod ea non facile persuadere possent? Hinc videlicet et Apostolus Paulus ad Corinthios scribens ait: *Epistola nostra vos estis; et, Epistola estis Christi*. Quia nimirum per opera bona Corinthiorum toti mundo Christus et Paulus loquebantur. Ad hunc igitur modum et beatus Joannes, ait: *Ego vox clamantis in deserto*, tamquam si diceret: Non solum verba mea sunt quædam voces, sed, ego totus sum vox. Vates cæteri sua vaticinia conscripserunt; mihi vero scribendum non fuit; quia ego ipse sum vaticinium: Opera mea sunt verba mea, vita mea est concio mea: Jejunia, zona pellicea, pili isti camelorum, hæc ipsa eremus, locustæ, et mel silvestre, nonne pœnitentiam clamant, et ad pœnitentiam omnes homines magnis vocibus cohortantur? Nec enim sine causa dixi: *Ego vox clamantis in deserto*. Quando enim ego nihil dicerem, tamen hæc habitatio solitudinis homines ad pœnitentiam provocaret. O utinam, auditores, intelligeremus aliquando, quanta sit in catholica Ecclesia horum concionatorum penuria, et quod magis est deplorandum, quanto plures hujus generis oratores in Ecclesia esse deberent, tanto sunt pauciores, siquidem omnes christiani ad hunc modum, exemplis videlicet et operibus, concionari debent: nullus apud Dominum sui silentii excusationem inveniet: Omnes tenentur innocentia vitæ, et incorruptis moribus Ecclesiam Christi ædificare, peccatores convertere, tardos incitare, frigidos inflammare, omnes homines ad meliora et sublimiora charismata cohortari. Sed qui voces esse non volunt, ut clament bene, utinam muti essent, nec clamarent male. Neque enim existimasse debitis solum opera bona

clamare, clamant et mala. Dominus ad Cain: *Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Et ad Abraham: *Clamor, inquit, Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est*. Et beatus Jacobus: *Ecce, inquit, merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*. Itaque habent et mala opera suas voces. O, si Christiani homines scirent, quam vehementer in auribus Ethnicorum et hæreticorum nostra scelera, nostra flagitia, nostra perjuria, nostra parricidia, nostræ libidines, nostræ usuræ, nostræ commessiones, nostræ ebrietates clamarent; et quantum eos in conversione ad veram atque orthodoxam fidem impedirent, atque retardarent, non tam facile profecto in tot crimina laberentur? O, si vel semel pastores et præsides animarum, nec minus adolescentium institutores, cogitarent, quantum malorum causa sint, dum ita perniciose suis corruptis moribus concionantur: desisterent plane ab ejusmodi genere concionum. Plus enim, mihi credite, viri graves, in quorum vitam omnium aliorum oculi coniecti sunt: plus inquam una ebrietate, una fornicationis vel avaritiæ suspitione persuadent in ruinam, quam omnibus cohortationibus suis persuadeant in salutem. Plus destruunt Ecclesiam Christi vocibus morum, quam ædificent vocibus verborum. O si intelligerent studiosi Lovanienses, quantum nonnulli eorum tironibus modestioribus et simplicioribus noceant, et quam atroces propterea omnipotenti Deo pœnas daturi sint, exterrèrentur profecto atque exhorrerent: et se potius vel domi continerent, vel ab hac civitate discederent, quam cum tanto et suo, et aliorum detrimento, ac pernicie in studiis versarentur. Vehementius enim clamant in auribus adolescentium studiosorum exempla solidalium, quam omnes admonitiones præceptorum. Quare cum ii, qui longiore tempore in studiis bonarum artium versati sunt, quippe patres quodammodo aliorum esse deberent; tamen sphæristeria potius frequentant, quam gymnasia, et a studiis libenter vacant, ut potationibus commodius vacent, et mero potius, quam disputationibus incalescunt, et socios superare non in doctrina et eruditione; sed in poculis exhauriendis contendunt: quid scandali putatis tironum animi patiuntur? Quantum, quæso, hisce exemplis ad similia et graviora etiam perpetranda incitantur?

Sic nimirum juvenus corrumpitur, sic res publicæ pereunt : sic paulatim homines a corruptione morum ad corruptionem mentis, et a sceleribus et flagitiis ad infidelitatem et hæreses prolabantur. Sed hæc satis de quærimoniis.

PARS ALTERA

Cur B. Joannes se vocem, et vocem clamantis appellaverit hactenus exposuimus : nunc illud sequitur exponendum, cur addiderit : *In deserto*. Quænam igitur est ista solitudo? quodnam hoc desertum in quo Joannes clamat? Eremus ista, ni vehementer fallor, orbis terrarum est. Sed non tãles solitudines cogitare debetis, quales in Ægypto et Lybia, in quibus nihil, nisi arenæ inveniantur. Verum cogitare vastissima quædam nemora, obscura, invia, inaquosa, in quibus nullæ sunt arbores fructuosæ, nulla pomaria, nulli fontes, nulli lacus, nulla prata virentia : homines vero perquam rarissimi, vel potius nulli, paucissimis quibusdam anachoretis exceptis. At vero stirpes silvestres, spinæ, rubeta, nec non feræ teterrimæ, ursi, lupi, leones tygrides, omnia longe lateque compleverunt. Talis omnino est mundus : atque idcirco non immerito sub typo deserti plerumque in sacris litteris designatur. Quæso vos si mundum istum penitus introspeciamus, an non eum videbimus obrutum spinis amaritudinum, vacuum floribus verarum consolationum? Quod regnum, quæ civitas, quæ domus invenitur, in qua non aliquando spinæ tribulationum oriantur? Pergamus ulterius. Nonne omnia ita sunt plena frontibus rerum apparentium, sed non existentium, ut vacuus fructibus rerum verarum et solidarum mundus censeantur? Nonne est invium hoc desertum, cum in eo infelices peregrini, quanto magis progrediuntur, tanto magis implicantur et errant? Ille litterarum, iste mercaturæ, alius militiæ, alius alterius studii viam aggreditur : omnes semitas rectas et expeditas quærunt : et nullus tamèn a spinis et tribulis, locisque horridis et periculosissimis expedire se potest. Hinc videlicet fit, ut nemo sua sorte contentus vivat : laudat vero diversa sequentes. Et quid de ariditate hujus deserti dicemus? Nonne omnès perpetuo sitiunt? Ubi est ille dives, qui se contentum dicat, nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius? nimirum

in deserto inaquoso sumus, ubi non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Trans-eamus ad alia, atque mundum universum tamquam verissimam solitudinem a raris ac pene nullis hominibus habitari doceamus. Quid est homo? Arbor inversa, ait quidam. Et recte. Siquidem caput in viventibus omnibus illa pars a Philosopho definitur, unde et sumitur alimentum et ad partes cæteras derivatur. Jam vero partem istam, caput videlicet, in arboribus defixam in terra, in hominibus procul a terra abstractam videamus. Et contra pedes, qui capitibus opponuntur in arboribus cælum, in hominibus terram intuentur. Itaque vere homo, si id sit, quod esse debet nihil est aliud, quam arbor inversa. Verum auditores, tametsi homo exterior, quem forma ista declarat, quæ oculis cerni, et digito demonstrari potest, ita se habet, ut arbor inversa merito dici possit : tamen interior homo, qui vere ac proprie solus est homo, ita post peccatum inversus est, ita caput in terram abscondit, ita pedes ad cælum convertit, ut verius arbor quam homo dici posse videatur. Nam si homo est arbor inversa, quid est nisi arbor homo inversus? An non habet fortassis homo caput in terra sepultum atque defossum, qui nihil quærit, nihil amat, nihil cogitat, nisi terram? *Ubi est thesaurus tuus*, ait Dominus, *ibi est et cor tuum*. Quaresi thesaurus tuus nihil est nisi terra, ubi caput tuum, ubi cor tuum, ubi mens tua, ubi voluntas tua erit nisi in terra? An non pedes ad cælum convertit, et radices quam altissime figere conatur in terra, qui cœlestium bonorum oblitus, solum de possessionibus amplificandis, de palatiis erigendis, de pecuniis cumulandis, de agris ad agros, de beneficiis ad beneficia, de pensionibus ad pensiones adjungendis cogitat? Non legistis apud Marcum de cæco illo, qui cum a Domino curari cœpisset interrogatus, an aliquid videret, respondit, se homines sicut arbores ambulantes videret? *Video*, inquit, *homines sicut arbores ambulantes*, ac si dixisset : *Video illos quos dici homines audivi*, ita capite deorsum verso ambulare ut mihi non homines, sed arbores videantur. Hæc est nimirum prima hominis illustratio. Nam, cum quis a Deo illustrari, et a vanitate ad veritatem converti incipit, primum quod videt, est cæcitas et obscuritas aliorum. Primum quod loquitur est sententia illa : *video homines sicut arbores ambulantes*. Siquidem antea, cum etiam

ipse sicut cæteri ambularet, et se capite deorsum verso ad modum arborum esse suspicari non posset, alios item omnes sui similes recte se habere existimabat. Quin etiam si unum, vel alterum forte vidisset terram pedibus conculcantem, et ad cœlum oculos sublatos habentem, illum tamquam distortum et inversum et sibi dissimilem irridebat. At postquam Dei beneficio lumen veritatis aspicere potuit, tunc vere errorem suum et deceptionem agnoscit. Tunc aperte clamat : *Video homines ambulantes*. Atque utinam arbores istæ pomiferæ, et fructuosæ, et non potius rubi silvestres et steriles essent. Cum aliquando hominum studia contemplor, plane mundum universum quasi vastissimum quoddam rubetum videor mihi videre. Arbores istæ arbores humanæ dicuntur; sed nihil eis inhumanius, nihil rapacius: Ejus naturæ sunt rubi, ut nulli transeunti parcant, saltem indumenta, si carnem non possunt, vel auferre, vel certe lacerare volunt. Idem omnino studium nonne magna pars hominum sectatur? nonne omnes rapiunt, omnes trahunt ad se res aliorum? nonne quam plurimi inveniuntur ubique latrones? et præter apertos istos latrones, nonne permulti in aulis, in prætoriis, in foris, in officinis latrones sunt tanto periculosiores, quanto sunt occultiores? Quid sunt ii mercatores, qui fraudibus ditescunt, nisi rubi, nisi latrones? Quid Ecclesiastici quidam sunt, qui non aliam ob causam beneficia invadunt, nisi ut bene comedant, et bibant nisi rubi, nisi latrones? Quid ii qui fœnoribus et usuris pauperum fortunas devorant, nisi rubi et latrones sunt? Qui ii adolescenter, qui pecunias parentum suorum perdunt in sphæristeriis, quas in libris emendis consumere debuissent, nisi rubi nisi latrones? Quid meretrices, quid lenones, circulator, præstigiatores, adulatores, nisi grati et jucundi latrones? O rubetum sterile atque infelix! Tibi, tibi inquam, beatus Joannes minatur, cum ait: *Securis ad radicem posita est*. Væ vobis hominibus inversis: væ vobis rubis et tribulis. Nam securis iræ Dei non ramos, sed radicem petit. Figite radices, quantum vultis. Nam velitis nolitis eradicabimini. *Securis ad radicem posita est*: non de foliis et ramusculis, sed de radice, de capite, de animæ salute agitur. Et *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Convertimini, convertimini homines inversi, calcate pedibus terram: erigite oculos ad cœlum,

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Aspicite apostolum Paulum, qui non planta, sed homo erat, *Conversatio*, inquit, *nostra in cœlis est*. Ecce ubi caput habebat apostolus Paulus. At de inversis hominibus qui dicit? *Ambulant multi*, inquit, *quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt; nostra autem conversatio in cœlis est.* Aspicite B. Petrum, aspicite B. Joannem, aspicite cæteros, qui non plantæ, sed homines erant: an non videtis eos in terra radices non jecisse, posteros suos divites non reliquisse, palatia, hortos, vineas possidere non voluisse; sed omnes suas opes, omnem thesaurum suum apud Deum custodem bonum deposuisse, *ubi neque ærugo neque tinea demolitur et ubi fures non effodiunt nec furantur?* Sed ad solitudinem nostram revertamur. An non est mundus hic noster vera solitudo, cum in eo omnes bestiæ agri domicilium habeant? Quid enim aliud sunt catervæ illæ dæmonum, quæ perpetuo nobis insidiantur, nisi leonum rugientium greges? *Adversarius vester diabolus*, inquit beatus Petrus, *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Quid aliud impudicæ mulieres, quæ solo aspectu venenum in corda adolescentium jaculantur, quam truculenti basilisci sunt? Quid sunt obtrectatores, nisi canes? Quid arrogantes, nisi tauri? Quid versipelles, nisi vulpes? Quid luxuriæ dediti nisi sues? Quid rapaces, nisi lupi? Quid avari nisi talpæ? Quid vero crudeles, nisi tygrides? Sed quid de feritate hominum dicemus? Cum illud constet etiam ipsas feras a nonnullis hominibus feritate superari? Quis nescit tempore nascentis Ecclesiæ ursos et leones a sanctorum martyrum corporibus lacerandis abstinuisse, a quibus tamen crudelissime transfodiendis, et in frustra concidendis homines feris truculentiores non abstinebant? Et ea quæ nostris temporibus nefarii Calvinistæ gesserunt nonne omnem feritatem et immanitatem vincunt? Quæ cum ita sint, dubitare jam non possumus, nec debemus, quin noster hic mundus desertum horridum, obscurum, invium, inaquosum, hominibus vacuum, et feris plenissimum sit. Atque hoc est desertum, in quo parens omnium nostrum Adam cum descenderet ab Jerusalem in Jericho a latro-

nibus spoliatus et vulneratus fuit et in quodpius Samaritanus Christus a spiritu ductus fuit, ut liberaret hominem. Tunc enim fuit Dominus ductus a spiritu in desertum, cum opera Spiritus sancti: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Et tunc impleta vaticinia sunt Prophetarum: *tunc exultarunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit; tum positum est desertum in stagna aquarum, et terra sine aqua in exitus aquarum. Tunc lætata est deserta et in via, et exultavit solitudo, et floruit quasi lilium: germinans genuerunt et exultavit lætabunda et laudans, quia gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron*. Verum antequam Dominus per se desertum nostrum visitaret, præmissus fuit beatus Joannes, qui ideo clamat, et dicit: *Ego vox clamantis in deserto*. Sed vultis ostendam vobis, quod sit felix et fortunatum, utile et salutare desertum? Unico verbo rem aperio, et sic finem dicendi facio. *Qui curas carnis non faciunt in desideriis, qui terrena non concupiscunt; qui tamen inter homines, et opes, et honores versantur, tamen nulli horum amore et cupiditate adhærent; sed ea tanti faciunt, quanti valent: et tamquam homines solitarii et eremitæ spirituales habitant secum, versantur in corde, suspirant ad patriam, de Deo cogitant cum Deo versantur, cum Deo loquuntur, isti sunt, qui solitudinem salutarem et plane beatam invenerunt*. Hæc est solitudo, quam Propheta David adamaverat, et de qua canebat: *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine*. Hæc est solitudo, per quam transit populus Dei de terra Ægypti in terram promissionis. Nemo putet de Ægypto mundi hujus, et de tenebris peccatorum statim uno saltu ad terram fluentem lacte et melle pervenire posse: est enim media solitudo. Et vere si quis, dum vixerit, Deum non quærit in solitudine, et recessu cordis, et cum eo amicitiam et familiaritatem non contrahit, illum post obitum non inveniet. *Quærite Deum, dum inveniri potest: invocate eum dum prope est*. Et nisi quis renunciaverit, saltem animo et affectu, omnibus quæ possidet quod est morari in solitudine, numquam intrabit in regnum cœlorum. Hæc rursum est illa solitudo, in qua pluit manna de cœlo: Non habuerunt filii Israël manna illud suavissimum, donec egressi ex Ægypto in solitu-

dinem intraverunt: nec in ipsa solitudine, donec farina illa defecit, quam secum attulerant ex Ægypto. Sic etiam, auditores, nemo speret gustare se posse cœlestem illam consolationem, quæ omnium dolorum et laborum oblivisci facit; donec amorem atque affectum non exuit rerum terrenarum, et in cordis sui desertum non ingreditur. Hæc denique est illa solitudo, in qua verbum Dei nullo strepitu impediente auditur. *Ducam eam, inquit Dominus, in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus*. Et beatus Joannes hodie: *Ego, inquit vox clamantis in deserto*. Illis enim solis loquitur Dominus, illis solis concionatur Joannes, qui morantur in solitudine; loquitur vero pacem, et pacem, quam mundus dare non potest, pacem, *quæ exuperat omnem sensum*. Sed loquitur *pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos, qui convertuntur ad cor*. *Redite ergo, prævaricatores, ad cor*. Intrate solitudinem, ut vocem illam exaudire possitis, quæ clamare non cessat in deserto. O desertum Deo gratum et hominibus utile. O solitudo incognita, sed tranquilla, quam rari sunt, qui te novērunt, et tu sola tamen accolas tuos inter tumultus pacatos, inter arma pacificos, inter multitudines solos, inter metus et trepidationes securos et tranquillos facis. Te prophetæ atque apostoli adamaverunt: at te suspirat, et te concupiscit desiderium animæ meæ: At te nos revocat Apostolus Paulus illa gravi cohortatione sua: *Tempus breve est: reliquum est ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utentes: præterit enim figura hujus mundi*. *Volo autem vos sine sollicitudine esse*. Si igitur figura hujus mundi præterit, si decor omnis et pulchritudo ejus, ut flos decidit, cur non properamus? cur non currimus? cur non advolamus ad istam solitudinem? Hic est Christus, qui jejunit; hic Joannes concionatur; hic Moyses cum Deo loquitur; hic Elias absconditur; hic pluit manna de cœlo, hac denique transiit Dei populus ad terram fluentem lac et mel, ad quam sua misericordia nos perducatur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO VIII.

DE DOMINICA QUARTA ADVENTUS

THEMA

Si nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.

I Corinth. IV, v. 1.

SYNOPSIS

Duo in Ecclesia apprime necessaria, ut nimirum pastores de seipsis, et oves de suis pastoribus recte sentiant; Illi se œconomos Dei esse meminerint (ubi differentia inter dispensatores veteris et novæ legis interseritur) nec majoris, nec minoris quam par est se existiment: In priori peccant, qui munia sua per se ipsos exercere indignum putant, qui se ut Dominos, non ut ministros gerunt, et qui rationem se reddituros non cogitantes tam facile et indiscrete quemque absolvunt: In posteriori vero peccant, qui tum viris tum fœminis tanquam vilissima mancipia sese subjiciunt. S. Martini et S. Ambrosii auctoritas in Imperatores. Deinde speculum quasi Sacerdotibus proponitur, in quod oculos mentis convertant. Oves vero non nimis vilipendere, nec majoris œque aestimare sacerdotes debent, quod primum faciunt Hæretici Lutherani; et nonnulli magnates; alterum, qui sacerdotes Sacramentorum dominos et non dispensatores habent; ubi de modo confitendi, et de duplici baptisate, aquæ scilicet frigidæ et ferventis, quod posterius hæretici tempore fugiunt, pœnitentiam videlicet, quæ cum operibus pœnalibus conjuncta esse debet. Tandem de confessione doctrina finit.

Apostolus Paulus una, eaque brevissima sententia, simul pastores et oves, sacerdotes

et laicos admonendos putavit. Nihil enim magis necessarium est pastoribus, et ovibus quam ut pastores de seipsis, et oves de suis pastoribus rectam opinionem habeant. Quid igitur pastores de se existimare debent? Se ministros Christi esse, et non qualescumque ministros; siquidem omnes Christiani servi ac ministri sunt Christi; *Sed dispensatores mysteriorum Dei*, hoc est, œconomos, magistros domus, quibus incumbit ex bonis Domini sui totam familiam alere. Multi sunt servi, et administri in aliqua familia, sed unus præest aliis, unus est *Dispensator fidelis, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici, mensuram.* Ac in tota quidem familia Christi, summus œconomus, ac generalis magister domus, est Romanus Pontifex: quia vero Christi familia non uno in loco habitat, sed multas ac varias regiones et provincias occupavit, nec potest tanta multitudo ab uno homine cibum verbi Dei, et sacramentum accipere, idcirco in multas minores familias distributa est, et singulis singuli minores œconomi attributi sunt. In quod B. Leo in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicae, quem vicinarium suum pertotum Orientem constituerat, his verbis docet: « Magna, inquit, dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres (Episcopos videlicet, nam de his loquitur) haberetur prima sententia. » Et rursus: « Quidam in majoribus urbitus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam

Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil unquam a suo capite dissideret.» Itaque omnes Pastores, omnes sacerdotes, qui quoquo modo præsumunt Ecclesiæ, vel ex delegatione, suo modo œconomos esse, dispensatores mysteriorum Dei in animo fixum habere debent.

Sed cur Apostolus verbum Dei et Sacramenta mysteria appellavit? Cur non aperte dixit dispensatores doctrinæ, et sacramentorum Dei? Non sine magna ratione hoc fecit: nam ut nobis ministerium nostrum commendaret, excellentiam et sublimitatem ejus explicare voluit. Hoc igitur interest inter œconomos veteris et novæ legis, quod illi dispensabant res quasdam communes, et vulgares, triticum, oleum, vinum. Nobis vero mysteria maxima, res pretiosissimæ, aurum, argentum, margaritæ, gemmæ creditæ sunt. Quid Judæi prædicatores docebant? Unum esse Deum, qui cælum et terram fabricaverit, qui populum suum de servitute Ægyptiaca liberaverit, qui tamquam iudex justus, nec malos impunitos, nec bonos irremuneratos dimittat. Vera sunt hæc omnia, sed vulgaria et communia. Quid vero Christiani docent? Plane mysteria secreta, abscondita a constitutione mundi, Deum esse Trinitatem, Filium Dei carnem humanam assumpsisse, Sacramentis novæ legis homines justificari. Aspice deinde sacrificia et sacramenta Judæorum. Quid illi dispensabant? Umbras futurorum, *Infirma et egena elementa*: mactabant boves et oves, ædebant adipem arietum et hircorum: judicabant de lepra et maculis corporum. Ista erant munera, ista potestas eorum. Intuere modo Christianorum sacerdotum functiones: Quid nos dispensamus? Quid populis administramus? Sacramenta potentissima atque efficacissima; baptisate regeneramus, confirmatione Spiritum sanctum damus, absolute peccata ac debita relaxamus: sub specie panis verum panem Angelorum ministramus. Ista sunt ergo mysteria, quorum nobis dispensatio credita est.

Sed multi reperiuntur hodie imperiti œconomi, qui nec locum, nec gradum suum intelligunt: et aliqui quidem se majores, et aliqui minores, quam sint, esse se putant; et utrique decipiuntur. Qui sunt, qui se putant majores? Primum omnes illi, qui sibi indignum putant exercere per se munera sacerdotalia, qui non dignantur per se confessiones audire, per se pascere et gubernare

gregem sibi creditum. Isti superbia incredibili putant se majus aliquid, quam sint; et interim non vident tum maxime se vilescere ac sordescere. Putant vile concionari, quod Christus et Apostoli faciebant; et non putant vile pecunias numerare, quod Judas faciebat. Atque utinam saltem, sicut Judam in eo, quod vile est, imitantur, in eo, quod nobile et vere magnum est imitantur. Sed rursus ille se pluris faciunt quam sint, qui se non ut ministros, sed ut dominos intuentur, et interim fures sunt, et latrones; illi videlicet omnes, qui non contenti stipendio ac mercede, quam Deus fidelibus servis promisit, vendunt res Domini sui, beneficia, sacramenta, gratiam ipsam Spiritus sancti. Illi postremo se ministros et dispensatores non agnoscunt, qui quasi non essent Domino rationem reddituri, summa facilitate omnibus manum imponunt, et tam contritos, quam non contritos; tam plene et perfecte confitentem, quam peccata sua quadam confusa generalitate involventes: tam satisfacere paratos, quam non paratos quasi propria potestate et auctoritate absolvunt. Isti sua imperitia et superbia corrumpunt populos, et eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. Nec enim esset hodie tanta facilitas absolvendi. Veniunt homines onusti peccatis, et qui milles in eadem ceciderunt: et veniunt sæpe sine ullo signo doloris, vel pridie, vel ipso die summæ celebritatis, et statim absolvi, et ad sanctorum mysteriorum communionem accedere volunt. Et nos judices inconsiderati, dispensatores infideles omnibus manum imponimus, omnibus dicimus, *Ego te absolvo, vade in pace*. Sed væ nobis, cum Dominus rationem ponet cum servis suis; servi sumus, dispensatores sumus, non domini sumus, causam Dei, non nostram agimus: offensas Dei, non nostras remittimus: bona Dei, non res nostras dispensamus. Hinc videlicet beatus Augustinus in Epistola 148. « Nihil est, inquit, in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius, et hominibus acceptabilius episcopi et presbyteri officio, si perfunctorie et adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. » Et B. Joannes Chrysostomus: « Non temere, inquit, dico, sed ut affectus sum ac sentio; Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant; sed multo plures, qui pereant: Unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione possit æstimari. »

Veniamus ad eos, qui se minores arbitrantur, quam sint, et non studio sanctæ et Deo gratissimæ humilitatis; sed partim ignorantia, partim improbitate se de gradu suo dejiciunt, et omnibus contemnendos et conculcandos præbent. Quoniam isti sunt? Illi omnes videlicet, qui ambitione, vel pecuniarum cupiditate, vel utraque stimulante; viris divitibus et nobilibus nec solum viris, sed etiam fœminis, quod nefas est et horrendum, turpiter adulantur, et eis tamquam vilissimi famuli et abjectissima mancipia se subjiciunt. Quam multos videbitis etiam in his regionibus sacerdotes Domini, qui aperto capite laicis viris et mulieribus in mensa ministrabunt, qui discurrent hac et illac, ut ferant et referant nuncia, qui omnia famulorum et ancillarum munera obibunt, pudet profecto hæc referre. Sed quid agemus, cum multos non pudeat ista facere, et seipsos, et eos quibus serviunt, in gehenna perducere? Certe B. Martinus laude humilitatis, si quis alius, maxime enituit: tamen cum aliquando (ut Sulpitius refert) una cum quodam presbytero suo cum imperatore maximo pranderet, et pincerna calicem imperatori attulisset, eumque imperator ad S. Martinum honoris gratia misisset, sapientissimus pontifex, non solum primum calicem non recusavit: sed posteaquam ipse bibit, non imperatori ut omnes putabant, sed Presbytero suo calicem porrexit. Existimabant enim ut res erat, in eo consensu primas partes sine controversia episcopo deberi, secundas presbytero, tertias imperatori. Itaque beatissimus Martinus presbyterum suum, etiam imperatori præposuit: et hodie presbyteri non verentur seipsos etiam mulierculis subjicere. B. Ambrosius cum imperatorem Theodosium intra cancellos in sacrarium ingressum cerneret ut cum presbyteris sederet, numquid timuit ei per archidiaconum mandare, ac dicere: « Egrederere imperator, et cum cæteris in commune consiste; purpura enim imperatores facit, non sacerdotes? » D. Joannes Chrysostomus homil. 83. in Matthæum de Sacramenti administratione verba faciens: « Si dux, inquit, quispiam, si consul ipse, si is qui diademate ornatur indigne adeat, cohibe et coerce; majorem tu illo habes potestatem. » Sed quid opus et testimonia hominum quærere? Ingrediuntur, qui ejusmodi sunt, aliquando cor suum ibi profecto, si attendant Deum ipsum sic loquentem audient: Ego te exaltavi: et non angelum

aliquem, sed Deum quemdam inter homines esse te volui: ego te caput et judicem conservorum tuorum constitui: tibi omnia mea bona commisi, divitias, honorem, sponsam, meipsum, et quicquid aliud habere potui: tibi credidi claves regni cœlorum, tibi sacramenta, pretium sanguinis mei, tibi ipsum corpus et sanguinem meum, tibi animas ipsas, sponsas meas, pro quibus pati et mori non recusavi: denique honorem et gloriam meam per te, et a te, et in te honorari volui, et tu calce abjecisti me, et qui lux mundi et sal terræ esse debuisti, ita insipiens et sceleratus factus es, ut propter splendorem quemdam sæcularem, coronam tuam, et gloriam meam tanto dedecore, atque injuria afficeres, ut etiam mulierculis servire non erubesceres. Hæc profecto Dominus (si attenderent) eorum in cordibus loqueretur. Sed quid de illis dicemus, qui non solum hominibus, sæcularibus, sed ipsi sæculo tamquam mancipia famulantur? Qui serviunt mammonæ serviunt libidini, serviunt ebrietati, quo nihil turpius, nihil fœdus, nihil execrabilius in sacerdote reperiri potest.

Quid mirum, si passim vilissimo cuique ludibrio sunt sacerdotes? Si a populis despicuntur contemnuntur, conculcantur, gravi diuturnaque laborant infamia? Dominus enim per Malachiam ad sacerdotes voce magna ait: *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: propter quod et ego dedi vos, contemptibiles et humiles omnibus populis.* Et Christus in Evangelio: *Vos estis sal terræ: Quod si sal evanuerit, ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.* Hoc igitur hæreticorum, et sæpe etiam catholicorum populi clamant: Infatuatum est sal, ad nihil valet ultra, projicietur foras, conculcetur ab hominibus. Quare, auditores optimi, quicumque sacerdotes estis, vel futuri estis, attendite quæso vobis diligenter, et ut aliquando tandem Domino adjuvante ab ea, qua jamdudum urgemus, ac premimur infamia ac turpitudine liberemur: sic nos existimate, *Ut Ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, neque amplius aliud, neque minus.*

Venio nunc ad oves. Quam opinionem habere debent laici de sacerdotibus, ut non errent? Apostolus Paulus respondeat: *Sic nos, inquit, existimit homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Neque enim desunt, qui minoris, neque etiam qui pluris sacerdotes faciant quam sint. Qui

sunt, qui minoris? Primum Hæretici Lutherani, qui invidentes Ecclesiæ pulcherrimum illum ordinem ministrorum Dei, qui refert hominibus speciem quamdam cœlestis Hierusalem, hierarchias et choros Angelorum, non solum Diaconos et Presbyteros, sed ipsos etiam summos sacerdotes in ordinem redigere, et œconomos ac magistros domus de familia Christi tollere conantur, ut omnes servi nimirum inter se tumultuentur, et unus rapiat hoc, alius rapiat illud, et nemo sit qui puniat, vel prohibeat. Deinde proxime ad Lutheranos accedunt quidam, qui dicuntur nobiles, qui ita contemnunt sacerdotes, ut non solum eis præponere, sed etiam ab eis serviri sibi non erubescant, et illas manus, quæ corpus Domini quotidie tractant, quæ cœlum pœnitentibus aperiunt, quas Deus sibi oleo sanctæ unctionis consecravit, a quibus benedici, et quas osculari humiliter deberent: illos, inquam, in sordidis officiis in suum obsequium occupari patiantur. Sed de hoc jam admonuimus, quod modo admonendum esse videbatur.

Qui sunt igitur qui pluris Sacerdotes faciunt, quam debent? Illi sunt, qui Sacerdotes Dominos sacramentorum et divinæ gratiæ, non ministros et dispensatores putent: tales erant Apostolicis temporibus qui dicebant: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo; ego vero Cephæ*, quos Apostolus in priori ad Corinthios epistola severe castigat his verbis: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Et rursum, Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Semper errores versantur in extremis, veritas in medio. Hæretici Sacerdotibus omnem potestatem, atque adeo ipsum ministerium auferunt: Imperiti catholici non ministros eos, sed dominos faciunt. Veritas est in medio: *Sic nos existimet homo ministros Christi.* Atque utinam hoc tempore non infiniti reperirentur, qui imperitos illos Corinthios imitarentur. Passim enim videbitis euntes homines ad confessionem, et licet neque dolorem peccatorum, neque verum propositum non amplius peccandi, neque desiderium satisfaciendi pro præteritis habeant; tamen omnino cupiant absolvi: et

si casu aliquo confessarium sapientem inveniunt, qui eis aperte dicat: *Frater ego hic sedo non ut rex, sed ut iudex, neque iudex, neque judicare possum, nisi secundum allegata et probata, et nisi meliorem animum in te videam, non expectes ut te absolvam; Vade persuadeas Deo si potes, ut sine vera pœnitentia in gratiam suam te recipiat, et debitum dimittat: Ego qui servus sum, non ex liberalitate, sed ex justitia bona Domini mei dispensare debeo. Si, inquam, talem confessarium fidelem et prudentem nacti fuerint, quærunt, sibi alium, et possunt surdum aliquem vel imperitum, et ab eo absolutionem quoquo modo extorquent; et tum vere se liberos et absolutos putant, cum sint miseri duplici vinculo colligati. Auditores optimi, nolite vos et alios simul decipere: si qui sunt, qui cupiant in gehennam ire, eant quæso soli, non trahant etiam vos secum. Dicatur ipsis: si nos placet vobis venire nobiscum ad cœlum, neque placet nobis venire vobiscum in gehennam. Itaque ego serio vos admoneo, quandoquidem jam est tempus confessionem faciendi quicumque vere, atque ex animo dolent se peccasse, et sine fictione proponunt vitam meliorem, et parati sunt pro admissis flagitiis satisfacere nec non relinquere, quod juste retinere non possunt; ut beneficia male parta, ut res alienas, ut concubinas, ut odium ac inimicitias: præterea restituere quod debent; si pecunias, pecunias: si famam, famam; et de cæteris ad eundem modum: tales absolvi non possunt, etiamsi diligentissime et accuratissime peccata sua recenseant, et si absolutantur fit, quod ait B. Cyprianus, « irrita pax periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura ». Deus enim duo baptismata instituit: unum aquæ frigidæ ac temperatæ; alterum aquæ ferventis. Percipite quæso rem istam; hoc enim est caput præcipuum totius controversiæ inter Catholicos et Lutheranos! Priori baptisate lavantur ii, qui veniunt ex infidelitate, et tunc Deus mitissime et liberalissime agit, et omnia simul dimittit, culpas videlicet et pœnas, tam æternas, quam temporales. Quamquam enim relinquuntur eis fames, et sitis, et ægri tudines, et penuriæ, et aliæ afflictiones atque incommoda, quæ omnes patimus; tamen ea non proprie pœnæ dici debent, cum non infligantur intuitu peccatorum, quæ plene ac perfecte in Baptismo dimittuntur; sed solum ad certa-*

men fidei, et meriti incrementum relinquuntur, et B. Augustinus ait : ut per illa erudiantur et exerceantur proficientes in agone justitiæ. At vero cum homines jam priori baptismate absoluti, negligenter et dissolute vivunt, et Deo ingrati iterum maculas contrahunt, tum Deus restringit nihil manum, et sacerdotibus dicit, si rursus ad vos pro medicina peccatorum venerint homines isti, quos semel lavastis, non amplius eos lavabitis baptismate aquæ frigidæ; sed adhibete balneum ferventis aquæ, et eorum pellem diligenter excoquite, ut alias sint prudentiores, et majori vigilantia caveant flagitia. Hoc est sacramentum Pœnitentiæ auditores, baptismus lacrymarum, balneum aquæ ferventis, quod requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos pœnitentiæ, præces jejunia, eleemosynas et alia id genus opera.

At hæretici quidem rem istam non intelligentes, neque considerantes baptismi et pœnitentiæ discrimen; sed in utroque Deum neque liberaliter agere sibi persuadentes, nescio quam sibi fingunt resipiscentiam, et vitæ mutationem suavem ac delicatam, quæ nullam habeant contritionem et satisfactionem annexam pro præteritis. Sed via regia est, quam Ecclesia Catholica tenet, et quam semper patres ac doctores orthodoxi ac probati fuerunt : audite B. Cyprianum, « Orare (inquit in sermone de lapsis), oportet impensius et rogare; diem luctum transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere : tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare : stratos solo adhærere : in cilicio volutari et sordibus ». Audite B. Gregorium Theologum : « Recipio, inquit in oratione secunda de Baptismo, recipio pœnitentes : sed si lacrimis rigatos videro », Audite Ambrosium quibus verbis lapsam virginem ad seriam pœnitentiam exhortatur. « Lugubris, inquit, tibi accipienda est vestis, et mens, ac membra singula digna castigatione punienda; amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt, defluant oculi lacrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt : pallescat facies, quæ quondam viruit impudice : Denique totum corpus injuria maceretur cinere aspersum, et operum cilicio perhorrescat, quod male sibi de pulchritudine placuit : cor vero sit liquescens sicut cera jejuniis inquietans seipsum, et cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum ». Audite Theodoretum, quas

leges pœnitentiæ in epitome divinatorum decretorum Ecclesiam habere dicat : « Sunt, inquit, medicabilia etiam, quæ post baptismum fiunt vulnera, medicabilia autem non ut olim per solam fidem (baptismo videlicet) remissione; sed per multas lacrymas, et fletus, et luctus, et jejunium, et orationem, et laborem commissi peccati quantitati contentum : qui enim non sic affecti sunt eos nec admittere quidem didicimus ». At has habet Ecclesia leges de pœnitentia. Sed quid opus est tam multis testimoniis hominum, cum ipse Spiritus sanctus in Scripturis sanctis semper cum pœnitentia plantam amarum, cordis contritionem, cinerem, et cilicium, jejunia et eleemosynas jungat?

Quare, auditores optimi, si bonam, si utilem, si salutarem confessionem facere vultis, si vere cum Deo in gratiam redire, et ejus amicitia ac benevolentia frui desideratis, balneum istud calidum magno animo ingredi debetis, et primum diu et multum in amaritudine animæ peccata præterita recogitare; deinde ea largis et diuturnis imbribus lacrymarum abluere; tum sacerdotem probum et eruditum audite, qui non solum absolvere, sed etiam consolari, docere, increpare, monere, remedia morbis et ægri tudinibus accomodata adhibere sciat; et tunc ad pedes ejus totam sarcinam peccatorum sine fastu, sine pompa, cum timore et tremore, cum dolore et humilitate deponete : Postremo totis viribus bonis operibus, et iis potissimum, quæ Sacerdos jusserit, insudare, et aliis pœnitentiæ laboribus sponte assumptis Domino satisfacere : nec enim si Sacerdos pro multis et magnis peccatis parvam et brevem pœnitentiam injungit, propterea nihil pati debetis : et nisi aliis modis Domino satisfeceritis, certe balneum multo ferventi in purgatorio non deerit. Aspera tibi videntur? cogita duriores et asperiores esse gehennam : et si vides flere te non posse, hoc ipsum defle, quod non possis flere. Certe enim si pater, aut mater, aut filius, aut frater tibi moreretur, nonne puderet dicere, non scio flere? Et nunc anima tua mortua est, qua nihil melius et pretiosius habes, et non scis flere? Quæ hæc amentia? Moritur pater, quem certissime credis iterum surrecturum et victurum, et tamen ploras; moritur anima, quam nescis an unquam amplius vivam habebis, et non potes flere? Ploremus igitur, *Ploremus coram Domino qui*

fecit nos; et tamen non dubitemus, quin is qui publicanum, et Magdalenam et latronem pœnitentem recepit, etiam nos pari charitate et pietate recipiet, et osculabitur, et consolabitur, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO IX.

DE EADEM DOMINICA QUARTA ADVENTUS

THEMA

Parata visum Domini, rectas vacite in solitudine semitas Dei nostri.

Isa. XL, v. 3.

SYNOPSIS

Occasione a superioris Dominicæ concione sumpta agit de verbis concionis Joannis ab Isaia mutuatis; ubi de vera præparatione via Domini disseritur. Viæ Domini quæ sint, et quæ mundi; illas esse rectas, æquabiles et breves, has vero distortas, anfractuosas et præcipitiis horridas, in quibus fera sævissima mors stabulatur. Viæ periculosæ, quas divitiarum et voluptatis mancipia terunt, et ambitiosi; et a quibus hos avocat, et ad pœnitentiam vocat concio Joannis, ostenduntur. Solitudinem, in qua semitæ parandæ, esse cor nostrum, cujus intentio et desideria sunt dirigenda.

In secunda parte agitur de tribus pœnitentiæ partibus, contritione scilicet confessione et satisfactione. Parvus contritionis fervor taxatur. Modi ad contritionem efficaces proponuntur, ut est meditatio bonitatis Dei, passionis Christi, divinæ Magestatis et potentiae, gloriæ insuper et felicitatis, de qua nos peccatorum in æternas miserias agit præcipites; exempla denique Davidis, Petri, publicani, peccatricis et Theodosii imperatoris. Deinde reprehenduntur diversa male confitentium genera; et in primis ii, qui generatim solum et in confuso peccata confitentur, quos peccare contingit tum dicendo quæ non fecerunt, tum sublicendo quæ fecerunt; secundo per simile reprehenduntur ii, qui quidem peccata sua omnia confitentur, sed circumstantiis debitis

omissis. Præterea crassa eorum sugillatur ignorantia, qui flagitia graviora a minoribus distinguere nesciunt. Objurgantur insuper ii, qui de beneficio ecclesiastico viventes nihil pro eo faciunt, magis de redditibus quam de precibus solliciti. Denique arguuntur ecclesiastici, qui frigide, negligenter et perfunctorie officia divina peragunt, nec id sibi religioni ducunt. Satisfactiones veterum cum nostris comparatas multo fuisse rigidiores, exemplo Potavii Episcopi alicujus probatur. Paucos esse qui vere et cum fructu confiteantur. Seria tandem ad cordis compunctionem et veram pœnitentiam exhortatio concludit.

Beatissimum præcursorem liberatoris nostri Joannem Baptistam, optimi auditores, vocem esse clamantem in deserto Dominica superiori didicimus. Quid vero clamet, quod vel in primis cognoscendum fuerat, angustia temporis impediti dicere non potuimus. Quare cum et hæc pars explicanda supersit, et in hunc diem maxime conveniat (hodie siquidem parasceven agimus Natalis Domini), non novum aliquod argumentum quæremus; sed de ista ipsa concione Beati Joannis, Domino aspirante, verba faciemus. Erit vero longe utilissima concio, si terram bonam, ut spero, semina ista verbi Dei in cordibus vestris invenerint. Dominus enim veniens veniet et non tardabit, nimirum cras: imo vero hac nocte aderit et eos omnes visitabit, quos vigilantes et paratos inveniet. Et beati

qui ejusmodi visitatione digni erunt; miseri vero et infelices, qui non erunt. Nec enim Dominus vacuus veniet, sed onustus donis et charismatibus, et verarum opum, verarum consolationum, verarum deliciarum copiam maximam suis cultoribus et amatoribus adferet. In eo totum est positum, ut non imparati inveniamur. Nemini vestrum desiderium et voluntatem deesse bonam existimo, id agendi et comparandi, quod necesse est. Si quis autem fortasse, quid sit agendum et comparandum ignorat, is aures et animum erigat, et non me, sed B. Joannem concionantem audiat: *Parate*, inquit, *viam Domini rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Quid est igitur via? Et ad quem modum dirigitur via? Verba sunt metaphorica: Siquidem familiare est Prophetis, sæpe figuris ac præsertim translationibus uti. Itaque B. Joannes hanc ipsam sententiam propriis, ac apertis verbis ita expressit: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*. Vis, inquit, parare viam Domini? Vis rectas facere semitas Dei nostri? Ecce tibi modum, ecce rationem. Age pœnitentiam. Quid est igitur via Domini, nisi lex Domini? *Viam*, inquit David, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Et, *Beati Immaculati in via qui ambulant in lege Domini*. Quid contra est via mundi, nisi lex mundi? De qua scriptum est: *Lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur per eam*. Et quidem lex Domini via angusta, via recta, via pulchra, via lucida, via vitæ et salutis dicitur. Contra lex mundi via lata, via distorta, via polluta, via obscura, via inferi et semita gehennæ nuncupatur. Nimis longum esset si omnes istas condiciones harum viarum explicare vellemus. Contentus ero si unam vel alteram breviter explicare potuero. Fingite animis videre vos viam quamdam rectam, æquabilem, brevem, et cujus exitus sit amplissimæ et pulcherrimæ civitatis ingressus. Talis omnino est via, et lex Domini. Audite Oseam: *Rectæ*, inquit, *viæ Domini, et justi ambulant in eis*. Audite Psalmographum: *Deduxit*, inquit, *eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis*. Audite Salomonem: *Justum*, inquit, *deduxit Deus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei*. *Beati plane immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Nam et primum ex ipsa via, quippe quæ rectissima est, vident regnum Dei, et urbem illam, ad quam du-

cit. Et in eam spe ac desiderio ingrediuntur, paulo post reipsa ac vere ingressuri. Ut vero et viam mundi et carnis internoscatis, fingite rursum animis, videre vos anfractus quosdam, et quasi circulos infinitos, qui perpetuo ducant in orbem, nec unquam finem habeant, et qui non solum distorti; sed et inæquabiles sint, ut nunc ascendendum, nunc descendendum iis omnibus sit, qui per eos iter facere volunt. Talis est via et lex mundi, per quam omnes peccatores ingrediuntur; neque mirum. Diabolus enim, qui dux et princeps est omnium impiorum, non alias vias novit. *Adversarius vester Diabolus*, inquit Petrus, *tamquam leo rugiens circuit* (ecce viam ipsius), *quærens quem devoret*, quin ipsemet, ut est apud Job, interroganti Domino unde veniret, respondit, *Circuivi terram et perambulavi eam*. Et rursum capite II. idem interrogatus respondit. De peccatoribus vero Sanctus David: *In circuitu*, inquit, *impii ambulant*. Et rursum: *Audivi vituperationem multorum commemorantium in circuitu*. Quia vero anfractus isti non tam viæ, quam errores quidam sunt, nec per eos ad civitatem unquam perveniri potest, rursum propheta: *Erraverunt inquit, in solitudine, in iniquo: viam civitatis habitaculi non invenerunt*. Quam autem longi sint isti errores, et quam difficiles, perditii homines his vocibus aliquando testabuntur. *Erravimus a via veritatis, ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis et perditionis. Viam autem Domini ignoravimus*. Sed caput omnium miseriarum, et infelicitatis hujus viæ illud est, quod hinc, et inde altissima et horribilia præcipitia habet. Discurret vero per hanc viam fera quædam pessima, quam mortem nominamus: imo vero venientibus omnibus occurret, et nullis parcit: non ducibus, non regibus, non pontificibus, non imperatoribus: sed nunc istum, nunc illum maximo impetu dejicit in barathrum: nec est adhuc inventus aliquis, qui ei resistere, vel impetum ejus sustinere potuerit. Ab ista igitur tam distorta, et tam periculosa via revocat nos oratio Joannis Baptistæ. Nos enim partim a dæmone incitati, partim a nostris cupiditatibus abstracti, viam illam Domini ita describimus, ut in ea excrescant herbæ, et frondes, ac virgulta eam penitus intercludant. Anfractuosas vero et distortas vias mundi ita frequentamus, ita terimus, ita celebramus, ita unusquisque duce cupiditate viam sibi

aperit in solitudine, ut lex Domini herbis et graminibus cooperta jam amplius via esse non videatur.

Hoc est igitur, quod Joannes clamat : *Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus* : hoc est. Rursum aperite, rursum terite, rursum celebrate viam Domini, ambulate in lege mandatorum Dei, facite ibi ambulando rursum viam, ubi non ambulando invium fecistis.

Id vero quanto jure clamet, nullo negotio explicari potest. Aspicite, quæso, paulisper atque intuemini hominum studia : Quotusquisque est, qui via Domini derelicta, vel ad dextram vel ad sinistram non declinet? Qui vel post aurum non abeat, vel post umbram honoris, vel post concupiscentias suas non currat? Avari omnes nonne currunt post aurum? Ambitiosi nonne honores quasi umbram fugientem prosequuntur? Voluptuarii nonne ad carnem advolant tamquam vultures ad cadavera? Et quales, quæso, sunt istæ viæ, numquid distortissimæ? numquid longissimæ? numquid præcipitiis, vallibus, montibus, latronibus, feris plenissimæ? Videte quam sint longi isti anfractus. Currere incipiunt in pueritia, currunt in adolescentia, currunt in juventute, currunt in ætate maturæ, currunt interdum etiam in senectute, ambulant vias difficiles, lassantur in via iniquitatis, nunquam tamen perveniunt. Quanto enim magis opibus vel honoribus crescunt, tanto plura et majora desiderant, nec ullum finem desiderandi et expetendi faciunt. Cucurrit aliquis post honores, et factus est comes. Cæterum nihil se esse putat, nisi fiat dux : itaque iterum currit, absolvit curriculum, efficitur dux. Estne finis? Nequaquam. Aspirat ad regnum currit, conficit aliud curriculum, efficitur rex. Num modo quiescit? Nihil minus : Ambit monarchiam orbis universi. Currat igitur rursum et currat donec deficiat. Ecce pervenit ad monarchiam. Quid jam quæret? Num tandem erit satis? Nullo modo. Est nimis angustus orbis iste terrarum : rursum currendum est, ut novi orbis inveniantur. Ecce vias, ecce anfractus filiorum Adam. Quam multi præterea incipiunt in pueritia aulas frequentare, ut tandem in senectute aliquem gradum dignitatis acquirant, quem tamen non acquirunt, vel si acquirunt vehementiori siti altiorum graduum stimulabuntur. O iter longissimum et laboriosissimum. Ecce vias, ecce anfractus, per quos currunt

plerique filii Adam, donec eis mors occurrat, et in gehennæ barathrum dejiciat, ubi nunquam illæ voces deficient : *Erravimus in solitudine, in inaquoso : Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis : Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.*

Ut autem omittam labores, asperitates, molestias pericula hujus itineris percensere, quæ tamen omnia effugere potuissent, si viam Domini, quæ ante oculos erat, quæque brevissimo et rectissimo tramite ducit ad vitam, tenere voluissent : quis verbis exprimet stultitiam filiorum Adam? Possent per viam mandatorum Dei, viam rectissimam et brevissimam parvo cum labore, et nullo cum errore ad portum æternæ felicitatis pervenire. Non legistis apud B. Augustinum libro confessionum octavo, quid ille miles ad suum amicum dixerit, cum ambo, relictis anfractibus, viam Domini ambulare cœpissent? « Dic, quæso te, inquit, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire quid quærimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus vero Dei si voluero esse, ecce nunc fio. » O viam brevissimam et rectissimam. « Amicus, inquit, Dei si voluero esse, ecce nunc fio. » Et tamen filii Adam malunt per anfractus ambitionis, per errores variarum cupiditatum, errores longissimos et periculosissimos laborare, et sudare, ut tandem perveniant ad gehennam. Ubi nunc sunt, qui præteritis sæculis tantum laboraverunt ut regibus et principibus hujus mundi placerent? Ecce omnes apud inferos sunt et soli illi qui Dei amici esse, et Deo placere studuerunt, soli inquam lætantur, soli triumphant, *Et in æternum et ultra*, lætabuntur et triumphabunt. Quæ cum ita sint, diligentissime et avidissime audienda est vox illa beatissimi præcursoris Domini Joannis : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Vel brevius et apertius : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ecce, inquit, Dominus prope est, Rex ipse cœlorum ad nos venit, et merces ejus cum eo. Verum nemo putet per vias distortas et inæquabiles eum venturum. Si pergitis per istas, numquam occurretis ei. *Rectus Dominus, et rectitudinis amator, in via recta, in via justitiæ, in via virtutis occurret vobis.*

Redite ergo prævaricatores, corrigite vias vestras, corrigite studia vestra, requirite viam antiquam, redite in semitam, quam deseruistis. Per peccata eam deservistis, per pœnitentiam redite in eam, et cum redieritis, ambulate in ea, terite eam, celebrate eam, facite ibi rursum viam, aperite viam Domini, rectas facite semitas ejus, per quas Dominus venturus est.

Habemus igitur quid sit parare viam Domini, et rectas facere semitas ejus. Nihil est enim aliud, quam agere pœnitentiam. Sed cur addit in solitudine? *Dirigite*, inquit, *in solitudine semitas Dei nostri*. Ea solitudo, de qua hic agitur, nihil est aliud quam cor nostrum: Nec aliud sibi vult sententia ista præcursoris Domini, quam hoc: Ingridimini paulisper corda vestra, deserite saltem ad tempus cogitationes rerum cæterarum, commoramini in solitudine ista, in recessu cordis captate tempora et loca apta meditationi; et considerate studia vestra, videte quomodo ambulētis, et in quæ præcipitia nescientes ruatis, et ubi cognoveritis, quam distortæ, quam lubricæ, quam tenebrosæ sint viæ vestræ, tunc dirigite in solitudine semitas Dei nostri, componite hominem interiorem, dirigite gressus cordis, intentionem videlicet et desideria et tunc sine labore homo exterior componetur, et gressus et actiones omnes in viam Domini dirigentur, et vos corde dilatato summa alacritate curretis viam mandatorum Domini. Hæc est oratio beati Joannis; quæ quam sit non solum utilis, sed plane etiam necessaria, vita et mores nostri satis aperte declarant. Nec enim alia de causa semper versamur in eodem luto, nunquam plene ac perfecte pœnitemus, nisi quod in solitudinem cordis non intramus: id breviter si placet, explicemus.

ALTERA PARS.

Tres partes habet vera pœnitentia, contritionem, confessionem, satisfactionem. Hæretici omnes hæc fide et verbis negant: et solum quosdam terrores præcedentes, et quamdam apprehensionem misericordiæ Dei per fidem agnoscunt.

Nos tria illa fide et verbis confitemur; factis et moribus pernegamus, et satis nobis esse censemus, si confuso quodam modo peccata nostra tamquam historiam quamdam sacerdoti referamus, sed non ita est, falli-

mur vehementer, a recta via aberramus. Et multi sunt, qui eo quod jam confessi sunt, pedem unum se habere arbitrantur in cœlo qui tamen si recte considerent, videbunt se pedem unum in terra, alterum in gehenna posuisse. Nec enim confiteri, sed bene confiteri hominibus cœlum aperit.

Incipiamus a contritione. Veniunt nonnulli ad confessionem, adferunt unam sarcinam peccatorum, quam duo equi ferre non possent: habebunt interdum decem aut viginti, et quinquaginta peccata mortalia, præter ea, quorum non recordantur, non amplifico, extenuo potius. Multi sunt, qui nullum diem sine novis peccatis mortalibus transegerunt: et tamen nullæ sunt lacrymæ, nulli gemitus, nulla signa veri doloris; quin etiam nonnulli vix genua figere dignantur in terra: sed uno genu dumtaxat, et illo super pulvinari interdum posito, ita manent quasi furari absolutionem, et statim aufugere vellent: nec vestium pompam deponunt, nec ullum signum doloris ostendunt. Hæccine est contritio? *Scindite contra vestra* (inquit Joel) *scindite, scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*. An scindit cor suum ille, qui numquam intrat in cor suum? Scripturæ sacræ cum de pœnitentia loquuntur ubique cinerem et cilicium commemorant, et nunc planctum amarum, nunc luctum unigenitum adhibendum esse docent. Doctores vero mirum est profecto quid dicunt, cum de pœnitentia verba faciunt. Siquidem eam baptismum laboriosum, Baptismum lacrymarum, tabulam secundam post naufragium vocant. Beatus Gregorius Nazianzenus oratione secunda, de Baptismo: « Recipio, inquit, pœnitentes, si lacrymis rigatos videro. » Audite beatissimum Cyprianum in sermone de lapsis. « Quam magna deliquimus, inquit, tam granditer defleamus; alto vulnere diligens, et longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor sit: Putasne Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis obnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putasne facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymis, lamentationibus occupare, strato solo adhærere cineri in cilicio volutari et sordibus. » Hæc B. Cyprianus vere pœnitentibus præscribit. At cur hodie, quæso, tam raros hujus generis pœnitentes videmus, nisi quia in

solitudinem cordis intrare non novimus? Tanta enim est gravitas et turpitudine peccati et usque adeo deformem et horribilem efficit animam peccatoris, ut sola ejus consideratio, si diligens, si attenta sit, claudere possit hominem in cubilo, et hoc in eo efficere, ut nihil ei in posterum libeat, quam lacrymari. Quid? Si attenta et profunda cogitatione hæc apud te volvere incipias? Heu mihi, quid miser egi cum hoc flagitium perpetravi? Primum patrem illum dulcissimum, auctorem omnis boni, et mei amantissimum offendi, qui me undique beneficiis vallavit, cujus tot signa charitatis video, quot bona, vel in me vel in aliis video. Quæ tanta est mea durities? Dominus meus virgis cæditur, spinis coronatur, clavis configitur, ut veteribus meis sceleribus medeatur, et ego semper addo nova? Ille nudus in cruce et sanguine perfusus, totus exhaustus, salutem et conversionem meam sitire se clamat, et ego semper pergo acetum ei et fel amarissimum propinare? Deinde illius in me iram atque indignationem provocavi, cujus est tanta majestas, tanta potestas, ut omnes principes, omnes reges, omnes dæmones, omnes Angeli cum eo comparati vix pulveris granum unum merito appellari possint. Nec enim tam facile nos modicum pulverem flatu dissipamus quam facile possit Deus solo nutu, et in unico momento omnem mundi gloriam atque pompam penitus delere. Quis mihi præterea explicabit, de quanta gloria ruerim, et de quo libro vitæ nomen meum deletum sit? Hæres eram regni cœlestis, vitæ æternæ, numquam finiendæ, ab hac tanta felicitate, ac sorte tam præclara et omnibus modis maxima excidi miser per peccatum. Et quid inde lucratus sum? Jam prope ipsas sum tenebras exteriores: nec magis procul absum a gehenna, quam absint ab aquis, qui navigant mare. Quam cito frangitur tabula, tam cito ruunt illi præcipites in profundum. Quam cito frangitur maceries ista putrida corporis mei, quæ momentis singulis ruinam minatur, tam cito et ego sine ullo remedio in gehennam descendam. Fortasse igitur cras, fortasse hac nocte, fortasse hodie in illis sempiternis ardoribus habitare incipiam. Hæc, inquam, si attente cogitare volueris, fieri non poterit, quin scaturiant ex oculis tuis fontes lacrymarum: nec laborabis, ut ad genua sacerdotis te abjicias, et manibus complicatis, oculis in terram defixis totus confusus et tremens scelera tuâ confitearis, quin etiam impedient

verba singultus et suspiria cum oratione miscebis. Intravit pœnitens David in cor suum, ideo lavabat per singulas noctes lectum suum, et lacrymis stratum suum rigabat. Intravit pœnitens Petrus in cor suum, et « Egressus foras, flevit amare. » Intravit pœnitens publicanus in cor suum, et idcirco « Non audebat oculos suos ad cœlum levare, » et pectus cum dolore et lacrymis feriebat. Intravit pœnitens illa peccatrix in cor suum et tantam de interiore turpitudine confusionem accepit, ut omnem confusionem exteriorem nihil esse putaret. Intravit pœnitens Theodosius imperator potentissimus in cor suum, idcirco sceptri et purpuræ, et omnis pompæ imperialis oblitus, postea quam multos menses facinus suum defleverat, ad ecclesiam veniens coram omni populo reprehensionem atrocissimam primum patienter tulit, deinde non stans, nec genibus flexis, sed plane prostratus lacrymis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, omnibus quibus poterat modis Domino satisfaciebat. Hi sunt igitur fructus solitudinis, hæc non alibi, quam in recessu cordis oriuntur: Ingrediamur, ingrediamur cor nostrum et viam Domini in solitudine dirigamus. Diximus de contritione.

Jam de confessione breviter est dicendum: Nec enim minus vera et salutaris confessio solitudine nascitur, quam contritio. Video multos homines, vel potius multa hominum genera sine ullo fructu ad hoc saluberrimum Sacramentum accedere; nec aliam ob causam, quam quod se in solitudinem non recipiant, cum se ad confessionem parant. Aliqui sunt, qui ita negligenter ad hoc opus accedunt, ut solum generatim, atque in summa et confuso quodam modo dicere possint, se omnia peccata capitalia perpetrasse, et omnia Dei præcepta violasse, quibus non alia profecto, quam confusa et generalis absolutio conveniret: imo vero nec tali absoluteione digni sunt. Nam, dum ita confidentur, duos errores committunt: dicunt enim quod non fecerunt, et quod fecerunt non dicunt. Quæso te, si reum aliquem ante tribunal judicis constitueres et nihil diceres aliud, quam: Iste egit contra legem: peto, ut velis ferre sententiam. Quid judex ille responderet? An non putaret se irrideri? Iste egit, inquis, contra legem. Contra quem legem, stulte? Quam sententiam feram, si, quod sit ejus peccatum, ignorem? Pari ratione si medicum adeas et dicas: Mihi aliquid dolet,

adhibeas, quæso, medicamentum. Quid ille? Nonne dicet: Stupide, quid est, quod tibi dolet? caput, oculi, dentes, renes, pedes? Quid tandem illud est? An putas omnia medicamenta omnibus malis convenire? Quid si tu podagra labores, et ego medicamenta dentibus adhibeam? Verum ista in negotiis rerum externarum et ægritudinibus corporum non sæpe evenire solent. Siquidem « Prudentiores sunt filii hujus sæculi filiis lucis in generatione sua »: at in negotiis, et morbo animæ, quam sæpissime eveniunt, quasi nesciant homines Christiani, et in aliis rebus non necessariis interdum eruditi, se ad sacerdotem tamquam ad judicem, et medicum animarum accedere, cui crimina singula et morbi singuli, quoad fieri potest, diligenter explicandi sunt, ut is et recte judicare et salubriter mederi possit.

Alii sunt, qui peccata quidem sua sigillatim referre, et ordine didicerunt; verum nullam curam adhibent, ut quoties, quo loco, quo tempore, cum quali, vel contra quem aliquid egerint, vel dixerint, recordentur. Hæc etiam insignis et periculosa negligentia est. Si deberes alicui magnam summam aureorum coronatorum, atque eam descriptam haberes in variis locis, ita ut uno folio legeres debitum decem coronatorum, in alio folio debitum quinquaginta, in alio item quinquaginta, in alio viginti quinque, in alio centum. Denique in variis libris et chartis debiti tui summam descriptam haberes, quæro a te, si creditor diceret: Venias ad me cras hac hora et adfert tecum libros debitorum tuorum, decrevi, siquidem omnia debita, quæ in libris tuis reperientur, mea manu delere, ut nihil jam amplius mihi debeas; sed vide ut omnem summam fideliter recites, nullam tabulam domi relinquant. Quid tunc ageres? Numquid occasionem istam negligeres? Numquid solum acciperes eas chartas, quæ primum occurrerent manibus et cum illis ad creditorem accederes? Non opinor: Quin potius arbitror noctem illam insomnem duceres, et omnem domum tuam everteres, ut omnes chartas, omnia folia, omnes tabulas debitorum tuorum haberes, non esset arca, quam non aperires, non angulus, quem non scrutareris; ubi quæreres tabulas tuas, et hæc quidem sine dubio ageres, ut a debito paucorum nummorum liberareris. Et nunc Domino amplius, quam decem millia talentorum debemus, quot peccata mortalia admisimus, tot imina læsæ majestatis admisi-

mus, pro singulis æterna supplicia promeruimus. Veruntamen clementissimus et benignissimus Dominus noster omnia ista debita propria manu delere paratus est, si vel tabulas debitorum nostrorum adferre et recitare dignemur. Et quantum est hoc? Si rem grandem diceret nobis Deus, certe facere deberemus; quanto magis nunc, cum dicat, quære tabulas tuas, et veni? Dic tu prior iniquitates tuas et justificaberis. Et tamen inveniuntur nonnulli tam dissoluti, tam negligentes, tam parum studiosi salutis suæ, ut malint pœnas æternas luere, et debitum suum ad quadrantem minimum dissolvere, quam semel scrutari diligenter angulos omnes conscientiæ suæ et annos suos in amaritudine animæ cogitare. Itaque qui non frustra, sed aliquo cum fructu confiteri cupit; ingrediat cubiculum suæ conscientiæ, atque ibi diligenter quærat, non solum, quid egerit, sed etiam qualia sint quæ egit, et quoties illa egit, et ubi, et quando, cum quali, contra quem aliquid egit: aliud est enim percutere clericulum, aliud percutere laicum; aliud cum virgine, aliud cum maritata, aliud cum meretrice flagitium perpetrare: aliud semel, aliud sæpius labi. Nec enim peccatum decies repetitum tamquam unum peccatum, sed tamquam decem confiteri debemus.

Sed alii postremo sunt, qui diligentiam quidem aliquam adhibent, ut omnium scelerum suorum et flagitiorum recordentur; sed tamen ignorantia cujusdam densissimis tenebris obruti, quæ graviora et majora sunt, illa non vident. Ponamus exempla ut planiora fiant, quæ dicimus. Erit aliquis, qui singulis diebus desideriis fornicationum et adulteriorum æstuabit, et oculos suos impudicis aspectibus, et aures impudicis sermonibus pascet: quia tamen opere desideria sua explere non potest, nihil mali se agere arbitratur. Iste igitur ad confessionem veniet, et parva, ac venialia errata minutissima recensebit flagitia illa cogitationum et desideriorum præteribit. Quid? Quod nonnulli ipsam fornicationem, vel non sciunt, vel non credunt esse peccatum? Et quid, quæso, de istis tenebris dicemus? O quomodo istis Dominus externas et non necessarias disciplinas exprobrabit? Sciebas, inquit, de mundo et cælo, de lineis et numeris, de syllogismis, et sophismatibus disputare, et quomodo de teipso, et salute tua disputare non noveras? Numquid non legeras: *Non concupisces?* Et: *Qui viderit*

mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo? Et: Fornicatores regnum Dei non possidebunt? Hæc Dominus dicet. Vere enim non solum adulterium, sed et fornicatio: nec solum desideria, sed et cogitationes, si voluntariam delectationem adjunctam habeant, flagitia mortalia sunt: et talia, ut vel sola æterna supplicia non pœnitentibus concilient. Veniamus ad aliud genus hominum.

Erit aliquis rursus (et utinam non essent multi) qui ex facultatibus Ecclesiæ vivit, et ne semel quidem cogitabit, quid ipsius munus et ecclesiastica dignitas exigat, non leget horas, non geret habitum, non tonsuram: sed nec sciet, an per se in ecclesia residere, an sacris ordinibus initiari, aut aliud aliquid agere teneatur. Unum dumtaxat sciet, quot nummos videlicet ex beneficio suo recipiat. Iste igitur ad confessionem veniet, et quidem minora, ac minutiora satis aperte et diligenter confitebitur, de beneficio nihil. Interrogetur, legis horas? Non. Quare? Non sciebam mihi esse legendas. Et quid sibi iste pileus, istud pallium sæculare, istæ caligæ inflatæ volunt? Ubi est habitus ecclesiasticus? Ubi est tonsura? Non sciebam me ad ista teneri. Cur igitur putas tibi stipendium dari ecclesiasticum? Non scio. Fieri potest, ut neque hoc scias? Vidistine, unquam, iis servis vel militibus stipendium dari, qui ne cogitare quidem vellent cur stipendium acciperent? Profecto non vidisti. Sed age inveniamus aliquid, quod scias. Scisne quanti sint beneficii tui proventus? Optime, memoriter, ducenti et quinquaginta floreni cum dimidio. Laudo te, vales memoria. Sed si aliquando non tota ista summa afferatur, quid tunc agis? Quid? Scribo litteras semel et iterum, inquiri causas, exigo rationes, ipsemet ad locum pergo: neque quiesco, donec nihi reddatur totum, quod mihi debetur. Recte jam igitur non solum memoria, sed etiam solertia vales, nec male functus esses munere Judæ in collegio apostolorum.

Alii postremo item Ecclesiastici sunt, qui horas quidem legunt, et sacra mysteria assidue peragunt, sed ita inconsiderate, ita oscitanter, ut palam ostendant, se id non libenter facere: et si nullum inde lucrum accederet, id se numquam et nullo modo esse facturos, et tamen horum scrupulum nullum habent, et ea in confessione, nisi interrogentur, facile patiuntur sileri. Quid, quæso, de istis dicemus? Divinos illos psalmos

plenos cœlestis suavitatis, dulciores super mel et favum, sine spiritu, sine mente, sine attentione recitant: et quasi grave onus quanto citius deponere cupiunt: et tamen, ut dixi, non propterea stimulum conscientiæ patiuntur. Sed quid de illo tremendo et horrore pleno sacrificio dicemus? « Quis enim fidelium » inquit B. Gregorius libro dialogorum quarto, « habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi: Unum quoque ex visibilibus et invisibilibus fieri? » Et B. Chrysostomus libro sexto de sacerdotio: « Per id tempus, » inquit, « et Angeli Sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere abunde licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. » Hæc B. Chrisostomus. Considerate jam, quam triste et deplorandum sit spectaculum, videre sacerdotem divina mysteria peragentem, angelorum choris undique septum, qui ad ea, quæ ipse operatur, et loquitur, stupent, ac tremunt, et præ admiratione ingentes clamores excitant, et tamen Sacerdos in medio positus totus frigidus et quasi stupidus non attendit, quid agat: non intelligit, quid loquatur: et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba præcipitat, quasi latrones post tergum haberet, et satis temporis ad fugiendum non esset: et tamen, ut dixi, non propterea singultum conscientiæ patitur: sic res sacræ contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia Hæreticis datur. Clamanus, in Sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, et quasi Deum marmoreum vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret. Sed, mihi credite, Deum omnipotentem, et vivum habemus, qui non dormit, nec irridetur; et omnia videt, omnia audit, omnia notat, et aliquando omnes suas injurias ulciscetur, et irrisores suos ipse ridebit, cum eis repentinus venerit interitus. Undenam igitur hæc omnia mala? Certe non aliunde quam ex eo, quod non intrant homines in solitudinem: Si semel ingrederentur in cor suum, et cogitare inciperent quis ego sum? Quid ago? Quomodo vivo? Ecclesiasticus sum, ex bonis Ecclesiæ redditus mihi abunde

suppeditantur. Cur hoc? Ut laute comedam? Ut large bibam? Ut cum amicis meis ebrietatem miscere possim? Profecto non est ista causa. Qua igitur æquitate, quo jure ego stipendium a Deo recipio, qui Deo servire et militare non cupio? Et cur mihi manus inunctæ sunt, et tot cæremoniis, tam solemnitate ad sacerdotium initiatus sum? Ut postea sine ulla religione, et reverentia peragerem divina mysteria? Si ista cogitarent, materia non deesset longissimæ atque optimæ confessionis.

Sed de confessione satis. De satisfactione tria verba: Olim cum multo melius Christiani intelligerent necessitatem pœnitentiæ quam nos faciamus, cumque apud se cogitarent, ac perpenderent quanto facilius hic in terris, quam in purgatorio satisfieri possit, pro peccatis pœnitentias longissimas atque asperrimas septem, quindecim, viginti, triginta annorum, interdum totius vitæ libentissime admittebant et explebant, et toto illo tempore jejunabant frequenter, orabant frequentius, non utebantur balneis, non equis, non curribus, non vestibis pretiosis: abstinebant se a ludis, jocos, theatris: denique tota vita eorum nihil, nisi luctus et humilitas et pœnitentia erat ut ex libro Tertulliani de pœnitentia, et ex aliis vetustis auctoribus cognosci potest. At vero hodie ita delicati, ita teneri effecti sumus, ut vix paucorum dierum jejunia pro multis sceleribus atque delictis sustineri possint. Cilicia vero, et cineres, vigiliæ, humicubationes, flagella et aliæ carnis afflictiones non solum in moribus nostris, sed vix jam in libris reperiuntur. In Concilio Toletano legimus, Potavium quemdam extitisse, qui cum Episcopus esset, et semel tactu fœmineo (ut Concilium loquitur) sorduisset, ipse se primum nullo cogente in ergastulo quodam conclusit, atque ibi novem mensium pœnitentiam egit, deinde ad Concilium, quod Toleti celebrabatur, litteras dedit, quibus peccatum suum sponte sua prodidit. Patres vero cœnsilii illius, pœnitentiam ei perpetuam, quousque viveret, injunxerunt ut perpetuo in humilibus et abjectis officiis deserviret, et nihilominus affirmarunt humanius et misericordius multo cum illo actum esse, quam antiquorum regulæ et severitas patiantur. Et quantum obsecro, nos ab hoc genere pœnitentiæ absumus? Sed quid ait scriptura? *Qui timent pruïnam irruet super eos nix*. Nos exiguæ et brevis pœnitentiæ austeritatem formidamus,

et in pœnas atrocissimas et longissimas purgatorii vel gehennæ incurremus. Legi aliquando extitisse nobilem quemdam adolescentem et delicatum, qui cum vitam valde severam arripuisset, et eo nomine ab amicis et affinis reprehenderetur, eique corpusculi infirmitas et teneritudo objiceretur, sapientissime respondit in hunc modum: Ego propterea vitam istam duram et laboriosam arripui, quod meæ imbecillitatis, et teneritudinis optime conscius essem: Cum enim cogitarem tam tenerum corpusculum non bene ferre posse purgatorii vel gehennæ supplicia, ego delicatus hæc minora et meliora elegi, ut illa graviora et majora evaderem. Hæc nobis cogitanda essent, auditores: Nam si hæc ferre non possumus, quomodo illa feremus? Unde igitur tantus tepor in nobis, tanta segnities tanta teneritudo, nisi ex eo, quod solitudinem cordis non intramus? quod non intelligimus, nec intelligere cupimus, quid sit Deum offendere et quid hinc sequitur, nisi ut quam plurimi turmatim in gehennam descendant, et non solum ex iis, qui non confitentur: sed etiam qui male confitentur. Vere dico vobis, *dilatavit infernus animam suam* et descendunt ad eum sine numero.

Vultis enim non modo intelligere, sed videre, sed manibus tangere, quam modicus sit confessionum nostrarum fructus? illud unum considerate, quam diu post confessionem a novis sceleribus perpetrandis abstineamus. Hodie multi et fortasse omnes crimina sua confessi sunt: quam multi erunt ex iis, qui, non dico post unum mensem, non post unam hebdomadam, sed cras, hac hora, rursum erunt in pristino suo cœno? Id vero quid significat? Nonne eos ex consuetudine confessos esse? Num quod animum haberent, et propositum vere relinquendi peccata? Quam multi veniunt onusti peccatis, in quæ jam millies ceciderunt, et veniunt pridie vel ipso die summæ celebritatis et statim volunt expediri, quasi hoc negotium esset ludus puerorum. Nonne hi Deum non placare, sed irridere voluisse videntur? Et quid istis talis pœnitentia et confessio proderit? Quam multi præterea cras Domini corpus accipient, et paulo post in prandio se totos crapulæ et ebrietati dabunt? Et sicut apes expelluntur fumo: ita isti Dominum majestatis fumo ebrietatis expellent. Deinde exhibunt bene pasti, bene poti, et occurrent mulieribus, et quis dubi-

tat, quin rursus desideriiis æstuarè incipient, et hodie in anima moriantur, cum Deus pro nobis in carne natus est? Sed quid inde lucrabuntur? Id plane, quod Judas quondam proditor Domini. Ille post buccellam Dominum vendidit, et quidnam emit? Nihil sane aliud, quam funem, quo seipsum suspendit. Ita isti hac Domini tam nefaria et tam detestanda prodicione mortem æternam mercabuntur. O si semel in cor nostrum intraremus, et quid sit peccare, quid offendere Deum, et in quanto periculo peccatores versentur attente cogitaremus, certe deinceps ita peccatum exhorremus, ut ad solum ejus nomen toti tremeremus, et ab omni occasione peccandi longius fugeremus, quam ab igne, quam a serpentibus, quam a draconibus et scorpionibus fugiamus.

Quare, auditores optimi, per amorem pauperis illius regis, vos oro, atque obtestor, sit unicuique cordi salus animæ suæ: ingrediamur omnes in solitudinem cordis nostri, ibi dirigamus viam Domini: Ibi cogi-

temus, quid simus, quo eamus, quid sit nobis agendum, quid vere egerimus, et ubi perspectum nobis fuerit, quam procul a recta via deflexerimus, redeamus celeriter in eam abscindamus a nobis occasiones omnes et consuetudines peccandi, et super omnia quæramus fontem lacrymarum, petamus a Domino spiritum veræ contritionis. O si intelligeremus, quam vehementer commoveat viscera Dei Patris cor sic contritum et humiliatum. Non enim potest se dulcedo illa et bonitas Dei Patris continere, quin statim accurrat quin complectatur, quin labiis animæ pœnitentis osculum pacis infigat, quin abstergat ab oculis ejus lacrymas amaras, et eos lacrymis repleat omni favo et melle dulcioribus. Quare cum has delicias ineffabiles illi non norint, hanc pacem, *Quæ exuperat omnem sensum*, illi nequaquam experiantur, qui non intrant in cordis solitudinem: intremus nos in eam, donante Domino Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO X.

DE NATIVITATE DOMINI

THEMA

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo. *Tit. ii, v, 11,*

SYNOPSIS

Gratiam Dei esse duplicem, unam in Deo, alteram in homine a Deo; et illis ab hac differentia; atque utramque in adventu Salvatoris apparuisse, ostenditur. Prioris quidem signa evidentissima apparuerunt in Christi Nativitate, qua se Deus tantopere demisit: posterior quoque apparuit, in eo quod cum homo ante nesciret, quam eximium donum esset gratia Dei, nunc ex pretio magno pro ea redimenda facile cognoscere posse a simili probatur. Inter varia Dei nomina, nullum huic diei esse convenientius quam Salvatoris, cum hodie ipso facto nostræ salutis opus auspicatus sit. Gratia Dei soli comparatur, qui omnibus lucet, etsi dormientes, cæci et oculos claudentes eum non videant. Quomodo nos gratia Dei erudire possit a simili docetur. In verbis istis Pauli, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus, totam legem contineri demonstratur, qua jubemur declinare a malo et facere bonum. Quid sit pietas, et quis pius dicendus: quid e contra impietas, et qui impii, hæretici nimirum, in imaginum venerationem, in sanctorum reliquias, et ipsa sacramenta descævientes: uti etiam Christiani omni opere divino languidi et frigidi. Præterea docemur sæcularia desideria fugere, talia autem esse rerum transitarum nimiam cupiditatem, quas fluvio comparatas nullus mortalium ne abeant, ut

neque seipsum ne senescat, aut flaccescat, retinere aut impedire potest.

In secunda parte, asseritur triplex amor, sui, proximi, Dei, quod Paulus per hæc tria verba innuit, sobrie, juste, pie: quorum illud debetur amore in semetipsum, istud in proximum, hoc in Deum. Quomodo homo seipsum sobrie diligere debeat, scilicet frænando cupiditatem divitiarum, honoris et aliarum illecebrarum. Quomodo juste amandus sit proximus, et quid hac in parte incumbat mercatoribus, militibus, servis, opificibus, divitibus, nobilibus, pastoribus, iudicibus, et præceptoribus, et quibuscumque, qui aliis quoquo modo præsumunt. Quomodo Deus pie diligendus sit. Quantam vim in humana mente habeat spes futurorum, ad quam exemplo juvenum ei aulicorum nobiliorum invitamur, quæque est ineffabilis. De Christi adventu in majestate et de gloria beatorum nonnihil affertur. Ad Christi e præsepi docentis, et non ut olim in majestate apparentis concionem audiendam vocamur. Quomodo Christus infans concionetur; et quid, nempe ut suo exemplo desideria sæcularia relinquamus, sobrie, juste, et pie vivamus. Epilogi vices agit gravis auctoris querela, quod tam pauci Christum concionantem audiant et obdiant; et quod magis homo hominem ad sui imitationem trahat, quam Deus hominem, qui tamen non pro se, sed pro homine in terris natus et passus est.

Hodiernæ celebritatis magnitudo ac præstantia, optimi auditores, tanta est, ut quasi maximum et clarissimum aliquod lumen, cæteros festos dies tanquam lumina minora facile obscuret, et non solum corda atque animos nostros totos ad se rapiat : sed etiam orationes et cogitationes ita sibi vendicet, ut in nulla alia re nos occupari, nec aliud aliquid cogitare aut loqui patiatur. Quare nos quoque ut diem istum solemnissimum et celeberrimum pro nostra tenuitate honoremus, non flores ac frondes, sed verborumserta et coronas Verbo Dei pro nobis incarnato offeramus. Prætermissa disputatione, quam adversus fidei et religionis Christianæ hostes institimus, totam hodiernam orationem ad epistolam B. Pauli explicandam quæ hesternæ die in primo sacro lecta est, et ad Natalem diem Domini ornandum et celebrandum conferemus.

Initium igitur epistolæ tale est : *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo.* Quibus verbis haud facile scio an alia pulchriora, suaviora, utiliora, pleniora Spiritus sanctus per illud suum præclarissimum organum, os videlicet et linguam Apostoli Pauli, aliquando protulerit. Certe Apostolus ipse hæc verba Christiano prædicatori commendans : *Hæc, inquit, loquere et exhortare.* Et Ecclesia Catholica mater nostra, non semel, sed sæpius hanc epistolam filiis suis proponit. *Apparuit itaque gratia.* Quænam est illa gratia? Et quomodo in ortu Salvatoris apparuit? Gratia Dei, quemadmodum etiam regum et principum gratia, non unum aliquid, res duas significat; quarum tamen una ex altera dependet. Primum enim favor et benevolentia qua nos diligit, gratia dici potest : sic enim dicimus, *Recepit me Deus in gratiam, redii cum illo in gratiam.* Deinde quælibet dona et beneficia Dei, sed præcipue donum illud singulare, quo justi ex injustis efficitur, partim quod dentur gratis, partim quod gratiam, hoc est, benevolentiam et favorem consequantur, gratiæ nomen accipiunt, et quamquam utraque gratia, tam prior quam posterior, vere Dei gratia esse dicitur, et est; tamen prior dumtaxat est in Deo; posterior in homine, sed a Deo. Non secus atque lux et splendor, lumen solis, dicitur; cum tamen lux in ipso corpore solis, splendor non in sole, sed in

aere sit. De priori gratia legis ab Angelo Mariæ dictum : *Invenisti gratiam apud Deum.* De posteriori, *Ave Maria gratia plena;* et hodie de B. Stephano; *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine.*

Est vero magnum discrimen inter amorem et gratiam Dei, et gratiam benevolentiamque hominum : siquidem amor Dei efficacissimus et fœcundissimus est; hominum benevolentia inanis ac sterilis; Deus diligendo et benevolendo confert ipsum bonum, quod vult; et idcirco ea maxima sunt bona, quæ Deus maxime diligit; ea bona mediocria, quæ Deus mediocriter diligit, ea parva atque exigua, quæ Deus parum ac tenuiter diligit; ea nulla sunt bona, quæ Deus penitus non diligit. Itaque omne nostrum bonum ex Dei amore dependet, et si saperemus, nihil magis nobis formidandum esset, quam ne nostra incuria ac desidia a Dei gratia excideremus. Jam vero, favor ac benevolentia hominum, si nihil aliud, quam favor ac benevolentia sit, nihil penitus gignit. Nec enim ex eo quod alii aliis ingenium, opes, sanitatem optant ideo sunt illi vel ingeniis meliores, vel magnis opibus et sanitate abundant. Cum igitur et amor Dei, quo nos diligit, et donum illud cœleste ac divinum, quo Deus animos nostros gratiosos et amabiles facit, gratia merito dici possint, de qua tandem gratia divinus Apostolus loquitur, cum ait : *Apparuit gratia?* Quæ est illa gratia, quæ in adventu Salvatoris apparuit? Prior, an posterior? Utraque, auditores, et prior et posterior.

Ac ut de priori prius explicemus : Sicut ignis calore, et sol splendore se prodit, ita amor ac benevolentia non ex verbis, sed ex beneficiis cognoscitur. Tu fortasse dicis alicui : *Crede mihi, ego te vehementer diligo;* ille credere potest se diligi, sed dum solis verbis agitur, certe videre non potest. At si oblata occasione pro eo aliquid præstes, vel periculis te exponas, tunc vere amorem ac benevolentiam tuam ostendis; tunc vere videt se diligi, tunc merito dicere potest, nunc apparuit quantum me, et quam ex animo diligas. Pari ratione Deus ante Christi adventum sæpe repetebat : *Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis :* Affirmabat se memorem esse nostri, se diligere genus humanum, se missurum aliquando qui nos eriperet de potestate tenebrarum : cæterum ista benevolentia latebat in corde Patris, nondum se manifeste ostentabat, ita ut dicerent san-

cti Patres, *Domine, in cœlo misericordia tua, cujus : si casu aliquo rusticus lapidem pretiosum, vel præclarissimam aliquam gemmam inveniret, et ignorans quid ea sit, et nihil aliud, quam vitrum vel crystallum putans, eam paucis obolis vendere vellet : statim vero occurreret ei magnus aliquis mercator lapidum pretiosorum et gemmarum æstimator peritissimus, et primis verbis offerret pro eo lapide duo vel tria millia nummorum aureorum : numquid tunc rusticus manum non retraheret : Numquid non sapere inciperet ; numquid non intelligeret tandem non vitrum aut crystallum ; sed thesaurum maximum se reperisse ? Pariratione, Auditores, nesciebat homo quid esset gratia Dei, et ideo eam non magnificiebat ; pro uno lentis edulio, sicut Esau, pro una fornicatione, pro una ebrietate, eam facile vendebat : sed nunc demum ex magno illo pretio, quo Christus mercator sapientissimus eam redimere voluit, apparuit quantus, et quam incomparabilis thesaurus sit gratia. Cur enim in stabulo Deus nasci voluit ? Cur in cruce mori voluit ? Cur sanguinem suum pretiosum fundere voluit ? Cur famem et sitim, frigus et nuditatem, contumelias et injurias pati voluit, nisi ut eam gemmam redimeret, quam tu tanta facilitate vendis ? Magna profecto atque incredibilis hominum ignorantia et stultitia est, qui eam rem non magnificiunt, sed pro nihilo, pro amaris et sordidis, et gehennam secum trahentibus voluptatibus vendunt ; pro qua Deus ipse non solum homo fieri, sed etiam pati et mori sustinuit.*

cti Patres, *Domine, in cœlo misericordia tua, cujus : si casu aliquo rusticus lapidem pretiosum, vel præclarissimam aliquam gemmam inveniret, et ignorans quid ea sit, et nihil aliud, quam vitrum vel crystallum putans, eam paucis obolis vendere vellet : statim vero occurreret ei magnus aliquis mercator lapidum pretiosorum et gemmarum æstimator peritissimus, et primis verbis offerret pro eo lapide duo vel tria millia nummorum aureorum : numquid tunc rusticus manum non retraheret : Numquid non sapere inciperet ; numquid non intelligeret tandem non vitrum aut crystallum ; sed thesaurum maximum se reperisse ? Pariratione, Auditores, nesciebat homo quid esset gratia Dei, et ideo eam non magnificiebat ; pro uno lentis edulio, sicut Esau, pro una fornicatione, pro una ebrietate, eam facile vendebat : sed nunc demum ex magno illo pretio, quo Christus mercator sapientissimus eam redimere voluit, apparuit quantus, et quam incomparabilis thesaurus sit gratia. Cur enim in stabulo Deus nasci voluit ? Cur in cruce mori voluit ? Cur sanguinem suum pretiosum fundere voluit ? Cur famem et sitim, frigus et nuditatem, contumelias et injurias pati voluit, nisi ut eam gemmam redimeret, quam tu tanta facilitate vendis ? Magna profecto atque incredibilis hominum ignorantia et stultitia est, qui eam rem non magnificiunt, sed pro nihilo, pro amaris et sordidis, et gehennam secum trahentibus voluptatibus vendunt ; pro qua Deus ipse non solum homo fieri, sed etiam pati et mori sustinuit.*

Quid igitur fecit Deus ? Ut amorem illum infinitum, quo nos jam ab æterno prosequeretur, ita manifestum nobis faceret, ut eum non solum videremus, sed quodam modo tangeremus ; non vicarium aliquem misit, sed ipsemet in mundum venit ; exilium et carcerem nostrum visitavit ; miseras nostras et calamitates suscepit. Nesciebat Deus quid esset nox, et quanta miseria sit in tenebris vivere, quippe qui lux est, et *lucem habitat inaccessibilem* ; et ecce his diebus ut amorem suum nobis ostenderet, in ipso horrore ac tenebris mediæ noctis nasci voluit. Nesciebat Deus quid esset inopia, et his diebus in alieno stabulo, inter bruta animalia ex matre pauperrima nasci voluit. Nesciebat Deus quid esset frigus, et quæ calamitas media hieme hospitium non invenire ; et his diebus in mediis frigoribus, non in domo aut cubiculo undique concluso et calido, sed in parvo et frigido tuguriolo nudus collocari voluit. Nesciebat Deus quid esset fames et sitis, quid nutrice ac lacte indigere ; et his diebus istas omnes miseras propria experientia discere voluit. Nesciebat Deus quid esset debilitas, atque infirmitas, quid fasciis ac bajulo opus habere ; et his diebus hæc omnia pro nostra salute experiri voluit. Quis igitur jam dubitare poterit an Deus hominem dilexerit, an non ? Dicebant olim homines : Reliquit Deus terram, *Circa cardines cœli ambulat, nec nostra considerat*. At modo quis hoc dicet, cum non solum in terra, sed in præsepio eum videamus ? Numquid jam circa cardinem cœli ambulare tibi videtur, numquid nostra non considerare ? Apparuit amor ac benevolentia, qua Deus nos diligit, quis eam non videt ? Quis non sentit ? Quis non tangit quodammodo propriis manibus ? Quid aliud clamat stabulum illud, quid illud præsepe, quid panni illi ? Quid fames, quid sitis, quid frigus, quid nuditas, quid inopia, quid infirmitas, nisi *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* ?

Jam vero posterior gratia, ea videlicet quæ nos gratos facit Deo, et quæ, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* ; illa quoque diebus istis in natali Salvatoris apparuit : antea siquidem non intelligebat homo, quam eximium donum, et quanti faciendum esset gratia ; sed hodie nisi sponte oculos claudat, id apertissime videbit. Accipite exemplum rustici ali-

sum, vel præclarissimam aliquam gemmam inveniret, et ignorans quid ea sit, et nihil aliud, quam vitrum vel crystallum putans, eam paucis obolis vendere vellet : statim vero occurreret ei magnus aliquis mercator lapidum pretiosorum et gemmarum æstimator peritissimus, et primis verbis offerret pro eo lapide duo vel tria millia nummorum aureorum : numquid tunc rusticus manum non retraheret : Numquid non sapere inciperet ; numquid non intelligeret tandem non vitrum aut crystallum ; sed thesaurum maximum se reperisse ? Pariratione, Auditores, nesciebat homo quid esset gratia Dei, et ideo eam non magnificiebat ; pro uno lentis edulio, sicut Esau, pro una fornicatione, pro una ebrietate, eam facile vendebat : sed nunc demum ex magno illo pretio, quo Christus mercator sapientissimus eam redimere voluit, apparuit quantus, et quam incomparabilis thesaurus sit gratia. Cur enim in stabulo Deus nasci voluit ? Cur in cruce mori voluit ? Cur sanguinem suum pretiosum fundere voluit ? Cur famem et sitim, frigus et nuditatem, contumelias et injurias pati voluit, nisi ut eam gemmam redimeret, quam tu tanta facilitate vendis ? Magna profecto atque incredibilis hominum ignorantia et stultitia est, qui eam rem non magnificiunt, sed pro nihilo, pro amaris et sordidis, et gehennam secum trahentibus voluptatibus vendunt ; pro qua Deus ipse non solum homo fieri, sed etiam pati et mori sustinuit.

Hoc igitur modo apparuit gratia. Cujusnam ? *Dei Salvatoris nostri*. Scripturæ divinæ pro rerum de quibus agitur varietate, Deo varia nomina attribuunt : Nunc enim Deum ultionum ; nunc Patrem misericordiarum : nunc Dominum virtutum ; nunc Regem ; nunc Judicem appellant. Hodie Deum Salvatorem nostrum omnino apposite, et accommodate divinus Apostolus vocavit Deum, quod viderit miseras et calamitates, quibus premebamur ; ac ut ab eis nos liberaret, exultaverit *Ut gigas ad currendam viam*. Nam Dei nomen Græco vocabulo a visione et a cursu dictum esse Damascenus et Theodoretus tradunt. Salvatorem autem, quod hodie nostræ saluti et liberationi non verbis, sed factis, nascendo et patiando principium dederit. *Apparuit igitur gratia Dei Salvatoris nostri*.

Et quibus apparuit ? *Omnibus hominibus*. Non omnes quidem credunt Evangelio, ut

Apostolus ait, neque omnes salvi fiunt ; imo vero plures sunt omnino, qui pereunt : sed nihilominus gratia Dei omnibus apparuit, quia pretium redemptionis pro omnibus hominibus abunde sufficit : quia Christus pro omnibus natus et mortuus est, quia præconium Evangelii in toto orbe et omnibus gentibus annuntiatur. Itaque sicut sol in medio cælo constitutus omnibus lucet, tametsi omnes ii in tenebris maneant, qui vel cæci sunt, vel oculos claudunt, vel certe dormiunt ; ita quoque Evangelium gratiæ et lumen veritatis omnibus proponitur, quod si non omnes vident, id suæ cæcitati vel somno, vel improbitati, qua oculos claudunt, non lumini adscribant.

Sed videtur mihi præterea divinus Apostolus in his verbis amplitudinem et universitatem Catholicæ Ecclesiæ commendare. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*, non Judæis tantum, sicut olim Moyses solis Judæis legem tulit ; sed omnibus hominibus, Judæis et Græcis, Latinis et barbaris, servis et liberis, sapientibus et insipientibus. Lex quidem quasi stagnum exiguum, contenta fuit angustiis unius provinciæ : Evangelium vero et gratia Liberatoris nostri augustis illis contineri non potuit, sed quasi fons vivus in paradiso scaturiens et in quatuor flumina divisus, quæ sunt quatuor codices Evangeliorum extra ripas cœpit diffluere, et brevi tempore totum orbem terrarum occupavit : quod Isaias multo ante prophetico spiritu cernens, *Repleta est*, inquit, *omnis terra scientia Domini sicut aquæ maris operientes*. In hujus rei typum scimus Servatoris Nativitatem paucissimis diebus omni generi hominum innotuisse. Innotuit viris et fœminis, Josepho et Mariæ, Judæis et Gentilibus, pastoribus et Magis ; senibus et infantibus, Simeoni et Joanni ; virginibus, viduis, conjugatis, Mariæ, Annæ, Elizabeth ; sapientibus et insipientibus, claris et obscuris, divitibus et pauperibus. Neque solum Domini Natalis, sed etiam passio atque obitus Ecclesiæ universitatem et amplitudinem designat. Solus enim Christus, qui pro omnibus moriebatur, quasi a toto mundo crucifixus et necatus est. Apostolum Petrum soli Gentiles necaverunt : Apostolum Jacobum fratrem Domini soli Judæi, ac sic de cæteris ad eundem modum ; Christum vero totus pene mundus, Judæi, Gentiles, amici, inimici, reges, privati ; sacerdotes, laici ; doctores, indocti ; viri, fœminæ, denique omne genus, omnis sexus, omnis conditio in unius Christi

Salvatoris cruciatum ac necem conspirarunt. Sed illustrissima figura universitatis Ecclesiæ Catholicæ in die Pentecostes mundo demonstrata est ; tunc enim non solum in una atque eadem domo omnium gentium linguis Deus ab Apostolis et discipulis laudabatur : sed etiam cum primum Apostoli legem Evangelicam in urbe Hierosolyma tamquam præcones Dei clarissima voce promulgarent, erant in ea urbe Parthi, Medi, Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Pamphliam, Ægyptum et Libiam, nec non Romani, Arabes, Cretes ; ac uno verbo congregati homines de omni natione, quæ sub cælo est. *Apparuit igitur gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus*.

Sequitur. *Erudiens nos, ut abnegantes iniquitatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo*. Quid est apparuit gratia erudiens ? Quomodo gratia erudit ? Optime et efficacissime. Quemadmodum enim si aliquis magnum beneficium in te conferat, tu statim dicis sane docuisti me, quid ego quoque facere debeam cum opportunitas dabitur. Ista tua benevolentia, istud beneficium tuum me officii ac debiti mei admonuit : ita loquitur Apostolus, *Gratia*, inquit, *Dei*, benevolentia atque amor, qui per adventum filii Dei mundo apparuit, docet nos atque erudit vel potius magna voce clamat, ut non simus ingrati, sed eo modo quo possumus Deo vicem rependamus. Si Deus ita mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, nonne etiam nos aliquid in gratiam Dei facere debemus : Sed quid est illud ? Nihil aliud, quam *Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo*, hoc est tributum, quod exigit a nobis Deus : *Hæc enim est voluntas Dei sanctificatio nostra*. Porro continetur in his verbis summa totius divinæ legis, ad unam sententiam incredibili brevitate contracta : neque mirum, si ita diligit Apostolus breviter quando etiam *Deus verbum fecit breviter*. *In his igitur duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ ; Declina a malo et fac bonum*. Ac peccati duo sunt muneris, unum avertere hominem a Deo, alterum eundem convertere ad creaturas. *Duo mala*, inquit Dominus, *fecit populus meus : dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas non valentes aquam continere*. Quid igitur faciet qui utrumque malum cupit evitare ? Abnegabit impietatem et sæcularia desideria. Impietas enim avertit a

Deo, quod est primum malum : sæcularia vero desideria convertunt ad creaturas, quod est secundum malum. Quantum vero attinet ad bonum, tunc plene ac perfecte bonum facimus, et omnem legem adimplemus, cum Deum, proximum et nosipsos diligimus sicut oportet ; hoc est cum sumus erga Deum pii, erga proximum justii, erga nosipsos sobrii. Quare ut a malo declinemus, et bonum faciamus, abneganda est impietas et sæcularia desideria et sobrie, juste et pie vivendum in hoc sæculo.

Quid igitur est impietas? Vitium est oppositum pietati. Quid igitur est pietas? Donum est Spiritus sancti, unum ex septem, quæ ab Isaia Propheta enumerantur, quo Deum respicimus, et colimus et veneramur ut patrem. Sicut enim religione Deum agnoscimus ut creatorem ac Dominum; ita pietate afficimur Deo ut Patri per spiritum illum adoptionis, quem misit in corda nostra, *In quo clamamus : Abba Pater*. Itaque ille est pius, qui ex corde afficitur erga Deum, et ea quæ sunt Dei; erga Scripturas, erga Sacramenta, erga templa ac Sacerdotes, tamquam erga ea, quæ ad Patrem ipsius pertinent : qui dicit cum Christo, *Nesciebatis quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Qui libenter et frequenter loquitur de Deo et rebus divinis, qui cum audit multiplicari hæreses, obscurari fidem, ubique; Deum summa audacia a villissimis vermiculis offendi, ex animo dolet, et tamquam verus filius impatiens injuriæ paternæ, lacrymas et gemitus continere non potest : e contra exultat ac gestit, et magnum lucrum arbitratur, cum intelligit homines converti, et per pœnitentiam ad gratiam Dei et amicitiam redire : qui postremo compelli non debet ad orationem, ad concionem, ad Sacramenta, ad laudes divinas, sed sponte sua, magna alacritate, quasi filius, non quasi servus, ex amore, non ex timore, ad omne divinum obsequium se facillimum et paratissimum præbet. Habemus quid sit pietas.

Quid jam est impietas? Oppositum vitium, quod videlicet crudelem facit hominem erga Deum, quod arefacit illam dulcedinem amoris et affectus filialis, quod fecit homines promptos ad blasphemias, ad contemptum Scripturarum, ad injuriam Dei et sanctorum, quales sunt omnes hæretici, qui nisi omnem pietatem exuissent, et essent *Homines*, ut Apostolus ait, penitus *sine affectione*, numquam ita crudeliter contra venerandas

imagines, et sanctorum reliquias, et ipsa Sacramenta sævirent. Quis enim est filius, qui visa parentis imagine aut veste, non moveatur? Quid? Si alicujus pater etiam propter sua flagitia extremo supplicio affectus fuisset, possetne filius ejus imaginem patris in supplicio positi sine lacrymis cernere? Et si vestem aut annulum ejus haberet, numquid quoties ea videret non paterni amoris admoneretur? Quanta igitur, et quam immani impietate et crudelitate animum occupatum habent, qui venerandum illud signum Christi Domini nostri, pro nobis crucifixi, et sanctorum memorias ac reliquias nefariis manibus demoliri, raptare in ignem et in aquas, et quod fœdum est et horrendum, non solum dictu, sed etiam auditu, in cloacas, in sterquilinia projicere non timent? Quomodo afficiuntur erga Christum, qui omnem ejus memoriam de mundo tollere ac delere conantur? Accedit proxime ad hanc impietatem quædam aversio et alienatio animi a divinis rebus, quoddam tædium, quoddam fastidium, quædam nausea in operibus Domini. Et hæc impietas mirum est, quam longe et late dominetur et regnet. Ubi sunt enim qui vere gustent spiritualia? qui cum voluptate et delectatione in Dei operibus se exercent? Et contra ubi sunt, quibus non longæ videantur conciones? non longæ videantur Sacra? non longæ et graves et molestæ videantur horæ canonicæ? Jam de Sacramentis et oratione quid dicam? Si tempus adveniat confessionis, et communionis sanctorum mysteriorum, statim animus contrahitur, et moles quædam mœstitiæ et torporis hominem invadit, tanquam si magnam sarcinam levare, aut ad patibulum ire deberet. Si velint aliqui orare, statim a somno corripiuntur, vel cogitationibus vanis obruntur. Et qui de rebus lascivis et nugis totos dies fabularentur, si incidit sermo de Deo, statim quasi muti et elingues efficiuntur; imo tristitia vocant ea colloquia. Quid horum omnium est causa, nisi impietas? Non afficimur erga Deum, non est ibi cor nostrum, quicquid fit, ex timore vel ex consuetudine fit. Si patrem et patriam nostram cœlestem amaremus, si non essemus cives hujus mundi; sed tanquam advenæ et peregrini in terra aliena versaremur; si spiritus pietatis, spiritus adoptionis, spiritus Filii Dei cor nostrum occuparet, nihil nobis dulcius et jucundius, in hac peregrinatione contingere posset, quam loqui et cogitare de patria illa beata, ubi nos

amantissimus Pater, et ingens charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum; qui sunt quidem de sua felicitate securi, sed adhuc de nostra incolumitate solliciti. Itaque abnegare debemus, et fugere ac detestari, id enim totum significat græcum vocabulum ἀρνῆσάμενοι, quo Apostolus usus est et a nobis totis viribus propulsare tamquam pestem quamdam omnem impietatem.

Sed non minus fugienda sunt ac detestanda sæcularia desideria: ipsa enim impietatem gignunt. Nec enim alia de causa parum afficimur erga Deum quam quia nimis afficimur erga mundum. Ideo desideriiis cælestibus non est locus, quio toti pleni sumus desideriiis sæcularibus, propterea cum tædio et fastidio operamur opera Dei, quia nimis avide, nimis attentelucoris terrenis inhiamus. Et quidnam est sæculare desiderium? Nihil aliud, quam earum rerum immoderata cupiditas, quas tempus consumit, quæ transeunt cum sæculo, quæ velimus nolimus finem habere debent. Omnia siquidem, quæ hic in terris desiderari possunt, quasi fluvius aliquis rapidissimus, perpetuo currunt, nec potest iste cursus ulla arte aut ratione sisti. Nonne si conetur aliquis impedire cursum fluminis alicujus et multum laboret in aggeribus faciendis, stultissimus ab omnibus judicabitur? Nam si hoc loco transitum obstruat, et cursum impediatur, alia via flumen erumpet, et nihilominus curret; etsi ex omni parte in modum coronæ aggeres faciat, nonne flumen tum transcendet aggeres et rursum more solito fluet? Ad eundem modum stulti sunt omnes homines, qui flumen istud rerum sæcularium retinere, atque a cursu impedire nituntur, et quot sunt, qui hoc agunt? Numerari non possunt: *Stultorum infinitus est numerus*? Quid enim aliud cupiunt omnes avari suis usuris, suis fraudibus, suis mendaciis, quam aggeres facere, et flumen aureum et argenteum retinere? Sed stulti sunt. Nam dum ipsi uno in loco aggeribus usurarum et fraudum exitum obstruunt, per alia multa loca flumen erumpit: aliquid rapiunt fures, aliquid exigit princeps, sæpe merces non venduntur, sæpe facto naufragio absorbentur a mari, sæpe etiam domi putrescunt: denique rationes multæ et variæ Deo non desunt, quibus viam et cursum aperiat flumini. Pari ratione, quid aliud cupiunt omnes ambitiosi suis simoniis, suis adulationibus, sua hypocrisi, quam aggeres facere,

et flumen honorum ac dignitatum retinere? Sed stulti sunt; nam flumen est flumen, et idcirco non potest non fluere. Et si ipsi uno modo conantur ascendere, altera via descendunt; et si a nonnullis laudantur, ab aliis multis vituperantur. Quid voluptuarii? Nonne ipsi quoque suis cœnis opiparis, suis frequentibus potationibus, suis assiduis fornicationibus cupiunt aggeres facere, et flumen voluptatum ac deliciarum retinere? Sed stulti sunt: Nam paulatim crumena exhaustitur, aggeres conservari non possunt, et flumen labitur suo more: vel si ita magna sit crumena, ut non facile exhaustiatur, immitit Deus unam aliquam ægritudinem, quæ statim unico impetu aggeres dissipabit; et non modo ebrietates et fornicationes impediet; sed etiam modicum cibum cum quiete et voluptate sumere non patietur. Ut omitam potiones et pharmaca amarissima, nec non incisiones, adustiones et alias cruces, quæ nimiis deliciis ut plurimum succedere solent. Neque solum stulti et miseri homines, qui desideriiis sæcularibus implicantur, flumina ista, quæ diximus, opum, honorum, voluptatum; sed neque seipsos retinere, ac sistere unquam poterunt. Quid, quæso, tanto labore niteris fluminis cursum impedire? Siste parumper teipsum si potes; cur deseris florem istum ætatis? Cur tam celeriter curris ad mortem? Ergo si tu ipse stare non potes, quomodo facies, ut figura mundi hujus non prætereatur? Quare cessemus aliquando a nostra stultitia et parvulum nostrum sapientissimum audiamus, qui non alia de causa inter homines, vel potius inter jumenta natus est, quam ut nos jumentis similes effectos, erudiret, ac impietatem ac sæcularia desideria abnegare doceret.

ALTERA PARS

Quemadmodum agricolæ, si semper malas herbas ex agris evellerent, et numquam bonas seminarent, nihil unquam colligerent: ita quoque non satis nobis est eradicare vitia, declinare a malo, impietatem et sæcularia desideria abnegare; sed necesse est etiam serere virtutes, facere bonum; nempe sobrie, juste et pie vivere in hoc sæculo, vel ut aliis verbis utar, diligere sicut oportet, Deum, proximum et seipsum. Ille enim vivit pie, qui Deum diligit sicut oportet. Ille vivit juste, qui proximum diligit sicut oportet.

Ille vivit sobrie, qui seipsum diligit sicut oportet. In hujus rei typum diligebat Dominus Lazarum et sorores ejus Martham et Mariam. In Lazaro est amor sobrius suiipsius, in Martha dilectio proximi; in Maria charitas Dei commendatur. Hoc est igitur verbum breve, quod parvulus noster, vere verbum abbreviatum hodie nos docet, trinum amorem, sui, proximi, Dei, esse legem eorum, qui colunt ac venerantur Trinitatem.

Primum igitur teipsum diligere debes, quod facies, si vixeris sobrie: hoc est, si res omnes temporales, cibum, potum, vestes, pecunias, honores, delectationes cum moderatione capies. Ista siquidem non sunt in se mala, sed nobis efficiuntur mala, cum sine modo quæeruntur ac desiderantur. Sic etiam non malus, sed bonus est panis, vel potius optimus et necessarius maxime; tamen nihil est pejus et magis sanitati noxium pane immoderate sumpto. Cur quæso capis plura, quam sint ad victum et vestitum necessaria? Cur tantopere cupis ascendere? Cur tanta cupiditate flagras honorum ac dignitatum? Existant hic duo, quorum alter habeat quantum necesse est, neque aliquid amplius cupiat; alter habeat omnia duplicata, et triplicata, servos, ancillas, vestes, pecunias, vineas, domos, etc., quæ in opibus et fortunis numerantur: Quid, quæso, posterior iste habeat amplius, quam prior? Estne propterea melior, aut Deo gratior, aut sapientior? Ac ut ad humilia descendamus num melius videt? aut melius audit? aut magis gustat? estne robustior, sanior, pulchrior; comedit plus quam alii? habet stomachum propterea amplio-rem? Nihil horum, quid igitur habet? quid ei conferunt majores divitiæ? Aliud non video quam ut minus bene dormiat, magis metuat latrones, majoribus curis et sollicitudinibus prematur: et quod omnium pessimum est, verorum et magnorum bonorum detrimentum patiatur. Nam sicut in diversoriis illi, qui initio cœnæ nesciunt esse sobrii, sed stomachum grossis quibusdam cibariis replent se deceptos inveniunt, nam postea dapes pretiosas et exquisitas relinquunt, et nihilominus non minus solvunt, quam ii, qui solum exquisitis cibus vesci voluerunt: ad eumdem modum, qui rebus istis terrenis et caducis, quæ sunt grossa cibaria ad hoc solum apposita, ut famem ac desiderium excitent; qui rebus, inquam, istis vilissimis et abjectissimis immoderate replentur dapes illas nobilissimas cœnæ cœlestis amittunt, et

in gehennam detrusi, luunt sempiterna supplicia; non minus quam si deliciæ ac voluptates, propter quas peccarunt, non momentanæ, sed æternæ fuissent. Non sic sancti et sapientes homines, non sic, sed intelligentes nobilitatem ciborum, qui in extrema cœna apponendi sunt, stomachum suum vacuum pro illis conservarunt, et de temporalibus rebus quanto minus potuerunt acceperunt. Pari ratione honores ac dignitates humanæ, quid quæso emolumentum atque utilitatis habent? Qui magis ab hominibus honoratur, non est propterea melior aut pulchrior, aut sanior, aut fortior; neque est aliud honor, quam opinio quædam atque existimatio hominum. Et tu igitur tam stultus eris ut propter nullum tuum bonum, propter solam opinionem aliorum volare velis sine alis, ascendere in mirabilibus super te, ut deinde cadas, et collum ac cervicem frangas? Quare si teipsum vere ac sapienter diligis disce sobrietatem, sis contentus iis quæ habes, cohibe, et coerce fræno moderationis omnia desideria tua, et tunc mihi crede pacem et quietem invenies. Atque hæc quidem erga te.

Jam vero erga proximum justitia uti debes, ut reddas omnibus debita, *Cui vectigal vectigal, cui tributum tributum, cui honorem honorem, cui timorem timorem*, ut Apostolus admonet, ut neminem decipias, neminem circumvenias, nullis fraudibus utaris. Si mercator es, sis contentus justo lucro: si miles, debito stipendio: si servus, debito salario: si opifex, sis contentus vendere laborum tuum justo pretio, si dives, non fraudabis operantium sua mercede: si nobilis et magnus es, noli sublime sapere, noli pauperes et humiles contemnere, memento te pauperum œconomum a magno elemosynario Deo esse constitutum, qui idcirco his diebus pauper pro nobis fieri, et matrem pauperem habere voluit, ut eum in pauperibus agnosceres et honorares. Pari ratione pastores, Judices, præceptores, et qui aliis quoquo modo præsent, non aspiciant personam hominum, non respiciant ad munera, non contemnant pauperes, nisi Christum ipsum contemnere velint. Vestis lacerata, et corporis squalor rarò facit hominem pejorem, sæpe meliorem: et idcirco non spernendum, sed honorandum. Qui vero beneficiis Ecclesiasticis fruuntur memores sint officii, horarum, inquam, canonicarum, neque putent sufficere si horas B. Mariæ,

aut septem Psalmos legant. Legite caput nonum Lateranensis Concilii ultimi, videbitis beneficium propter officium dari, et fures, et latrones esse, et ad restitutionem obligari, et beneficio optimo jure posse privari, qui pecunias beneficiorum recipiunt et debitum canonicarum horarum non persolvunt. Ego sane multum timeo hominibus certis, qui se putant gratis vivere posse sumptibus crucifixi: audiant isti quid beatus Bernardus ipsis dicat: « Væ tibi, inquit, væ tibi, mors in olla, mors in ollis carniū, etc. » Postremo omnes patres, et qui adolescentes in suam curam et fidem receperunt, memores sint vigilantiae et sollicitudinis, quam eis debent: nec putent ad se solum pertinere, ut eis cibus et potus non desit, noverint se rationem Deo in judicio reddituros, nisi eos verbo, exemplo, imperio si opus est, ita instituant, ut Christianos decet; nec solum in domibus suis Deum flagiliis atque sceleribus offendi non patiantur sed neque vos adolescentes ad ea loca ire permittant, ubi talia exercentur, quibus offenditur Deus. Audio esse Lovanii publicas scholas, ubi docentur juvenes choreas ducere, et eas festis diebus maxime frequentari: de sphaeristeriis non audio, sed video oculis meis: fere enim nunquam venio ad concionem, quin videam integras catervas ingenuorum adolescentium, qui sphaeristerium ingrediuntur, ibi quid agant vos melius nostis: Ego unum scio si illi in judicio punientur, eos qui praesunt eis non impunitos futuros, nec enim est parum miseros, adolescentes, tempus, pecunias, concionem, divinas, laudes, fortasse etiam animas suas tam facile perdere. Hæc hodierna die necessario admonenda esse duxi, quod Apostolum Paulum in epistola, quam habemus præ manibus, præcipientem audiam, *Hæc loquere et exhortare.*

Sequitur, et *pie vivamus in hoc sæculo.* Nec enim satis est sobrios et justos nos esse, nisi etiam simus pii, hoc est, Deo nostro, tanquam amantissimo patri, vere et ex animo afficiamur et sine tædio, sine fastidio, sine nausea, cum delectatione et gaudio, non coacti, sed sponte; non ex timore, sed ex amore, quæramus quæ Dei sunt. Hæc igitur est summa totius divinæ legis, ita vivere debemus ut non blasphemetur nomen Dei, sed ornent omnes in omnibus doctrinam Dei Salvatoris nostri.

Verum quo tandem modo ista perficie-

mus? Audi quod sequitur, *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.* Nihil enim potentius aut efficacius reperitur ad hominem a sæcularibus desideriis liberandum, et in officio continendum, quam perpetua cogitatio cœlestis felicitatis. Vita probi et sapientis Christiani nihil aliud esse debet quam spes et expectatio futurorum. Discrimen inter juvenes et senes illud constituit Aristoteles, quod juvenes vivant spe, senes memoria. Senes dicunt: Memini me aliquando in tali civitate fuisse et rursus, in tali vidi talia prælia, vidi talia spectacula, talia meis temporibus evenerunt: erant adolescentes minus petulantes, magis quieti, quam modo sunt. Juvenes dicunt, tali anno proficiscar ad talem civitatem, ibi mercaturam exercebo, tum revertar domum, postea illud et illud agam. Jam vero probus Christianus non senem, non veterem hominem imitari debet, sed juvenes, qui semper proficiunt, et ad majora aspirant. Aspiciate B. Paulum, quomodo quæ retro sunt obliviscitur, et ad anteriora se extendit: nec vivit memoria, sed expectatione, expectans illam beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Rursus in aulis principum duo sunt genera famulorum. Quidam singulis annis vel mensibus stipendium suum accipiunt, præterea nihil expectant: quidam vero nullum stipendium habent, sed expectatione vivunt. Ac priores quidem humiliores ac sordidiores esse solent; posteriores nobiliores, et qui non serviunt pro mercede paucorum nummorum; sed serviunt spe magni alicujus beneficii vel dignitatis vel præfecturæ. Hujus generis omnes Christiani esse debent: servi nobiles, magni, atque excelsi animi; neque Deo servire debent pro temporalibus rebus, neque præteritis et præsentibus bonis contenti esse, sicut ille dives epulo, qui in suis conviviis splendidis, et in sua purpura et bysso acquiescebat; et paulo post sepultus fuit in inferno; sed oculos coniectos habere debent in illam *Beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.*

Sed quid est illa beata spes? Cur Apostolus ita confuse loquitur? Scitis quare? Quia explicari non potest, quantum sit illud præmium, quod expectamus, ideo non dixit illud regnum, illam gloriam, illam beatitudinem; sed illam beatam spem, rem illam eximiam, maximam, infinitam spe et expectatione dignissimam, quæ hic in terris, neque videri, neque dici, neque cogitari,

sed solum credi et sperari potest. *Et adventum gloriæ magni Dei.* Deus bene, qualem emphasim, qualem majestatem habent hæc verba; non sunt explicanda, sed admiranda. Expectamus igitur adventum illum gloriosum, quando Liberator noster, qui his diebus in humilitate venit, et parvulus dici et esse voluit, in majestate et gloria apparebit, et magnum Deum, magnum Christum, magnum orbis monarcham se ostendet. Audire vultis quam magnum? Accipite similitudinem. Nonne esset magnum convivium, si solæ reliquiæ ejus totum Belgium satiare possent? Cogita igitur quam magnus in illa die apparebit Christus, quando non solum in animos et corpora hominum beatorum: sed etiam in solem, et lunam, et stellas, et elementa omnia ejus gloria redundabit, et orbis totus per ejus præsentiam illustratus, pulchrior et lucidior erit. Et tunc vere dici potuit: *Pleni sunt cæli et terra majestatis gloriæ tuæ.* O Christiani, si oculos haberemus ad istam beatam spem; si intelligeremus quid erimus, cum in adventu magni Dei apparebimus cum illo in gloria, et lateri ejus sublimes, et toti mundo conspicui in lucidis nubibus assidebimus; et cum eo non solum reges et principes terræ, sed etiam Angelos apostatas judicabimus? Quanta erit illa gloria, cum similes Christo erimus, et infra pedes nostros magnos illos, reges quondam et monarchas orbis, nudo latere palpitare, et sententiam æternæ mortis expectare videbimus, si cogitare possemus, quale bonum sit videre Deum, qui tam facile dicitur, et tamen non intelligitur, certe durum nobis nullo modo videretur impietatem, et sæcularia desideria abnegare, et sobrie, juste et pie vivere in hoc sæculo. Ista est concio brevis, quam hodierno die verbum abbreviatum nobis fecit. Eamus parumper ad speluncam Bethlehemiticam, ibi videbimus novum Salomonem, novo et inusitato modo ex præsepi tamquam ex cathedra concionantem, et multo sapientius atque gravius, quam ulli unquam philosophi de contemptu mundi et rerum præsentium vanitate disserentem: et vae illis, qui ad istam concionem non convenerint et doctorem istum sapientissimum non audierint. Apparuit aliquando Deus filiis Israel, ut eos doceret atque instueret, et legem ferret, quam observare deberent. Sed apparuit eis in potestate magna et majestate: mons universus, in quo Dominus apparebat, horribili quadam spe-

cie totus fumare atque ardere videbatur; audiebantur quoque creberrimi et maximi fragores tonitruorum, clangorque buccinæ, et voces ejusmodi, quæ omnem populum vehementissime perterrebant. Itaque populus universus pavore concussus clamabat ad Moysen: *Loquere tu nobis, et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Tunc Deus, *Prophetam,* inquit, *suscitabo illis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi, qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, non auderit, ego ultor existam:* tamquam si diceret: Non volunt, vel non possunt audire me, cum eis in majestate et potestate appareo: apparebit igitur illis filius meus in humanitate et benignitate, et eos docebit atque erudiet, *ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste, et pie vivant in hoc sæculo:* Sed tunc demum, si quis non audierit, nullam habebit excusationem, ego ultor existam. Itaque nemo excipitur, nemo excusatur, quicumque non volunt in iram atque indignationem Dei Patris incidere, convenire debent ad concionem istam, et audire sapientiam parvuli qui natus est nobis, et filii, qui datus est nobis.

Sed quo pacto erudire nos poterit infans unius diei? qui nondum loquitur, qua ratione concionabitur? Non loquitur, auditores, parvulus nostra lingua, sed loquitur nutibus, sicut infantes et muti facere solent, loquitur signis, moribus, exemplis. An non satis magna voce tibi clamare videtur, ut sobrie vivas, quando ipse ita sobrie vivere voluit, ut non solum supervacanea et inutilia, sed etiam necessaria recusaverit? Poteratne parcius vivere de rebus hujus mundi, quando pro divite palatio vile tugurium, et illud non suum, sed alienum; pro molli lectulo horridum præsepe, pro servis et ancillis asinum et bovem, pro tapetibus et aulæis telas aranearum et sordes abjectissimi stabuli habere voluit? Numquid non satis fortiter clamat, ut juste vivas, quando ipse nondum natus peregrinari voluit, ut tributum Augusto persolveret, et cum in Bethlehem oppido David patris sui non esset ei locus in diversorio, et nemo eum in domum suam recipere vellet, humiliter ad stabulum divertit, neque injuriam illam ulcisci voluit? An non etiam satis clare ac perspicue te monet, ut pie vivas quando pietas in patrem eum nasci, et pati et mori fecit? *Pro-*

pter te, inquit, sustinui opprobrium tota die; et certe merito dicere poterat; propter te, dulcissime atque amantissime Pater, ut tibi parerem, ut te honorarem, ut injurias tuas ulciscerer, propter te formam servi suscipere, propter te nasci et peregrinari, propter te famem et sitim tolerare, propter te frigus et nuditatem experiri, propter te in media hieme et in tenebris noctis hospitio carere volui. Ita igitur parvulus noster sapienter concionatur.

Sed quibus quæso concionatur? O quam paucis? Videor mihi concionem tam sapientis ecclesiastæ plane vacuam, et desertam videre. Quotusquisque est, qui eum hoc tempore audire velit? Equidem, auditores, ego vehementer timeo istam sacratissimam Domini Nativitatem, ne nobis in iudicio maxime noceat. Venit Deus ad homines ut illos erudiat, et rationem vivendi demonstrat, et ipsi totum oppositum faciunt, et tamen non ignoramus quas vires habeat ad movendum exemplum unius hominis. Depone rex unum genus vestium, induit aliud, statim omnes aulici imitantur. Arripit dux quispiam in castris ligonem aut instrumentum aliud rusticorum ad aggeres excitandos, statim milites eo exemplo permoti, idem omnes faciunt. Ergone unus terræ vermiculus potest exemplo suo alios vermiculos ad se imitandum provocare, et Deus tam insigni pietate atque humilitate descendit ad homines, nascitur in stabulo, exemplo docet sæcularia desideria esse fugienda, et nemini persuadeat? « Cur igitur Deus factus est homo (ut verbis utar B. Augustini) si non corrigitur homo? Sed hoc est iudicium, quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. » Videbat Christus homines tanquam insanos currere ad gehennam, et misericordia motus descendit de cœlo, ut ostenderet nobis viam meliorem, et ipse dux esset itineris nostri. Et ecce tam cœci et stulti sunt homines, ut eo deserto, mundum et diabolum sequantur. « Cur igitur Deus homo, si non corrigitur homo? » Si esset aliquis pater unius integri exercitus, et videns omnes filios suos simul currere ad locum, ubi eis paratæ sunt insidiæ, nonne præ amore ac dolore tanquam insanus curreret quantum posset ad oppositam partem; et interim clamaret, ad hanc partem, filii, ad hanc partem, nolite progredi ulterius, insidiæ vos expectant, omnes interficiemini. Quod si

tali patri et tam salubriter, et tanto affectu eos admonenti filii non crederent, sed adhuc pergerent versus insidias, nonne stultissimi et improbissimi, et omni supplicio dignissimi essent? Ita sane. Jam igitur veniamus ad nos: certe Pater noster, qui semel nos genuit creando et iterum genuit redimendo, non alius, quam Christus est: is igitur Pater noster, Pater sapientissimus, Pater amantissimus, is videns nos omnes nihil quærere, nisi pecunias, nisi dignitates, nisi voluptates, quæ sunt omnia retia et laquei diaboli, quid fecit? Currere cœpit ad partem oppositam, elegit inopiam, ignominias, dolores, asperitates; et magnavoce clamavit: ad hanc partem, filii, ad hanc partem, credite mihi, curritis ad laqueos, tenditis ad insidias, pergitis ad mortem et ita clamavit, ut postea diceret: *raucæ factæ sunt fauces meæ.* Et hodie quoque; imo singulis annis per concionatores suos usque ad raucedinem clamat, et nos miseri et stulti non audimus. « Cur igitur Deus homo, si non corrigitur homo? »

Non indigebat Christus pro se nasci in stabulo et famem et sitim, frigus et nuditatem tolerare, poterat ipse sine periculo omnibus commodis abundare; sed nobis ista pharmaca necessaria erant, ideo ut nos erudiret, atque exemplum præberet, tam pauperem, tam abjectam, tam humilem vitam his diebus inchoare voluit. « Sed cur Deus homo, si non corrigitur homo? » Vere Nativitas Domini posita est in ruinam multorum et in signum cui contradicetur. Quis enim, quæso, et factis et moribus ei non contradicit? Nonne tu Christum ducem, ac doctorem et magistrum tuum confiteris? Nonne ejus vestigia sequi, et diabolo ac pompis ejus renuntiare in baptismo pollicitus es? Numquam ne igitur quæsivisti quam viam tenuerit doctor tuus? Nihil unquam audivisti de Bethleem, de stabulo, de præsepi, de pannis Salvatoris? Legisti ne aliquando Dominum gestasse sericum aut aurum, vel quotidie mutasse vestitum? Vel, multa genera caligarum, calceorum, pileorum, paliorum, habuisse, et tamen pauperes omnes in sua nuditate reliquisse? Quid igitur dicam? Sane iudicabo te, cum te videam tam vanum, tam curiosum, tam implicatum desideriis sæcularibus, non solum contradicere, sed etiam bellum gerere cum Christi Nativitate. « Cur igitur Deus homo, si non corrigitur homo? » : Sed finis sit.

Ego vos oro, atque obsecro, auditores, et

serio admoneo, ut sæpe cogitetis, Deum factum esse hominem ut corrigatur homo, et Christum nostra causa pauperem factum, et non qualemcumque, sed extremam paupertatem sequi voluisse ut nos ejus exemplo disseremus abnegare impietatem et sæcularia desideria; et sobrie, juste et pie vivere

in hoc sæculo. Quod si non fecerimus, erit nobis Nativitas in judicium et condemnationem; si fecerimus, in gaudium ac lætitiã et gloriam sempiternam, ad quam nos perducatur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XI.

DE

EODEM FESTO DE TRIPLICI NATALI DOMINI

THEMA

Generationem ejus quis enarrabit? *Isa.* LIII, v. 8.

SYNOPSIS

Triples Christi nativitas adfertur, humana, divina et spiritualis, in cujus rei significationem tres hodie missæ diversis horis leguntur. Quinque deinde novitates sive circumstantiæ in Nativitate Christi humanam considerantur, quis, de qua, quomodo, loco, tempore nascatur. 1. Nascitur senex: habens naturam humanam, sed personam divinam; (ubi obiter Nestorii error redarguitur), et rex. 2. Nascitur ex ea, quam sibi in matrem elegerat prius quam conciperetur; Deus ex fœmina, ubi Majestas Dei per similitudinem astruitur; ex virgine. 3. Nascitur in Bethlehem, in tuguriolo, in præsepio, et cur isthoc. 4. Nascitur sine dolore et absque obstetricum auxilio. 5. Nascitur medio mundi tempore, tempore pacis, monarchiæ, tempore solstitiali, hiberno, nocturno, et die solis, quorum omnium causa asseritur. Tandem piæ salutationes subjunguntur. In posteriore parte agitur de nativitate Christi divina et spirituali. Divinam quidem esse ineffabilem, qua nil clarius, nil itidem quoad hominem obscurius, demonstratur. Cur et quomodo Dei Filius splendor paternæ gloriæ et substantiæ ejus figura dicitur. De spirituali mirum est, quod Deus hominibus innotescere voluerit, et quod Ethnici tam subito fuerint conversi. Unde cognoscamus Christum in nobis esse natum, ex signo videlicet, quod Angelus dedit pastoribus, si eum in stabulo inveniamus: per stabulum humiles et mites

denotantur, et quæ sunt stabuli propria iis accommodantur. Quomodo nos oporteat fieri stabula Christi, ubi reprehenduntur ii, qui statim a confessione in peccata denuo relabuntur. Christum natum esse, ut cum mundo in certamen descendat. Cauponum consuetudo, quibus fallax mundus assimilatur. Tandem ut hunc fugiamus, et Christum sequamur gravis exhortatio suadet.

Liberatoris ortum, quem hoc tempore toto orbe terrarum Ecclesia Catholica singulari celebritate colit ac veneratur, optimi audires, non unum ac simplicem; sed varium ac multiplicem esse sacræ litteræ, divinaque Apostolorum et Prophetarum monumenta nos docent. Nascitur enim Christus in cælo sine matre; in terris sine patre: in mentibus humanis, si proprie loqui velimus sine patre et sine matre. Et quidem ex matre sine patre natus est semel: sine patre et sine matre nascitur sæpe; ex patre sine matre nascitur semper. Denique ex patre in cælo nascitur Deus; ex matre in terris nascitur homo: sine patre et sine matre in mentibus humanis nascitur Deus et homo. Tres igitur sunt ortus dominici, divinus, humanus, spiritualis: atque omnes ita admirabiles et pleni stuporis, ut de omnibus tribus Prophetam Isaiam dixisse existimandum sit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ortus ille triplex triplici sacrificio in Ecclesia Catholica a Dei sacerdotibus honoratus est: nocturno tempore et sacrificio etiam nocturno ortum illum celebra-

vimus, quo « omnipotens sermo Dei cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium inter haberet, exiliens de cœlo a regalibus sedibus in mediam extremiis terram prosilivit ». Nam idcirco tempore nocturni sacrificii Evangelium istud recitari audivimus, cujus initium est, *Exiit edictum a Cæsare Augusto, et in quo hujus temporalis ortus historia continetur. Deinde aurora illucescente, altero sacrificio ortum alterum cum pastoribus egimus, nempe spiritualem illum, quo formatur Christus in nobis, et per quem animis nostris primus auroræ splendor exoritur. Postremo in medio fervore diei, atque in ipsa luce meridiana, tertio sacrificio ortum illum æternum et splendidissimum cum cantu et lætitia venerati sumus, quo Dei Verbum, Lux vera, ex Patre luminum ab ipsa æternitate in splendoribus sanctorum ante luciferum generatur. Cum igitur tres istas generationes hodie Ecclesia considerandas et venerandas filiis suis proponat, nos quoque de eis ad gloriam Dei et nostrum spirituale commodum atque emolumentum verba faciemus, neque tam eas generationes explicabimus, quam ostendemus, non posse eas pro dignitate humanis vocibus explicari, vereque ac merito ab Isaia Propheta dictum esse, *Generationem ejus quis enarrabit.**

Ut igitur ab humana ac temporali generatione, ad quam præcipua temporis hujus lætitia atque celebritas pertinet, ordiamur: admirabilis plane et plena prodigiõrum Domini generatio atque nativitas est. Salomon olim vir sapientissimus cum penitus naturæ abdita contempletus esset nihil novi sub sole invenire potuit. Vere hodie Christus aliquid plane novum adinvenit, ac proinde vere de eo dicitur: *Ecce plus quam Salomon hic.* Ad quinque capita revocabimus novitates et miracula natalis Domini: siquidem hæc potissimum considerabimus, quis nascatur: de qua nascatur: et quo modo, quo loco, et quo tempore nascatur.

Quis est ille qui nascitur? Senex quidam. Quid est hoc? Senex nascitur? *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire et renasci?* Ita est, auditores, senex et valde annosus est qui nascitur; et ideo res est nova, et Isaias clamat: *Generationem ejus quis enarrabit?* Hactenus consueverunt infantes nasci et senes mori: at modo contrarium fit: Nascitur enim hodie quidam senex, et post

paucos dies multa infantium millia morientur. Non legistis apud Danielelem: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedet, vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda?* Iste igitur antiquus dierum, cujus caput solum est canum, hoc est, qui ab æternitate est, qui nec initium dierum, nec finem vitæ habet, hodie natus est: nam Danielelem nec de Patre, nec de Spiritu sancto; sed de Filio loqui B. Joannes in Apocalypsi testatur. Siquidem capite primo de Filio Dei verba faciens: *Caput autem, inquit, et capilli ejus erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix.* Hoc est etiam quod Jeremias futurum esse multo ante prædixit: *Novum creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum,* hoc est, mulier quædam, vel virgo potius; utero suo non infantem, non puerum (hoc enim minime novum esset), sed virum et virum gravem maturum, sapientissimum, senem denique complectetur. Nec enim Dominus minus sapiens; minus maturus, minus gravis, minoris prudentiæ, minoris consilii hodie fuit, dum jaceret in stabulo, quam tunc esset, cum penderet in cruce: vel quam si modo, cum regnat in cœlo. Quæ cum ita sint, *Generationem ejus quis enarrabit.*

Porro altera novitas in eo posita est, quod is qui nascitur, naturam habet humanam, sed non personam humanam. Itaque non solum ortus est novus, sed etiam is, qui nascitur, est homo novus. *Induite novum hominem,* inquit Paulus, *qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.* Nestorius quidem more cæterorum Hæreticorum, cum mysterium istud non oculis fidei, sed oculis intelligentiæ propriæ cernere voluisset, oppressus fuit a gloria et a nimio isto splendore penitus excæcatus, naturam humanam in Christo sine persona creata atque humana videre non potuit: Quocirca duos Christos sibi fixit: unum, qui et naturam et personam humanam; alterum, qui et naturam et personam divinam haberet. Magnus error, magna blasphemia, pernicioosa sententia. Nam si ita esset, nec Christus Deus esset homo: nec Christus homo esset Deus; sed unus Deus solum, alter homo solum; neuter vero mundum redemisset. Christus igitur unus dumtaxat, una persona, una hypostasis est; sed habet naturas duas, divinam et humanam: et idcirco Deus et homo est, et quia homo est, pati potuit: quia Deus est, passio ipsius infinitum pretium fuit: et eo debitum nostrum

summa æquitate dissolutum est. At quomodo, inquis, hoc fieri potuit? Quomodo naturæ duæ in unam personam coeunt, et nulla est permixtio vel confusio naturarum? Et quomodo natura humana in hypostasi non sua, sed aliena subsistere potest? Quis hoc intelliget? Quis hoc capiet? Verum idcirco, auditores, diximus vobis rem istam esse novam et plenam stuporis, et de ea Isaiam dixisse, *Generationem ejus quis enarrabit?* Neque nos volumus, ut eam capias, sed tantum ut credas. Si ratio reddi posset, non esset mirabilis: Si exemplum haberemus, non esset singularis. Cum igitur tanto miraculo, et super omnem ordinem naturæ homo quidam ita novus mundo apparuerit, ut naturam humanam et creatam, personam vero divinam et increatam habeat, verissime dicere possumus: *Generationem ejus quis enarrabit.*

Sed ecce vobis aliam novitatem. Is qui his diebus natus est, rex natus est. Certe reges non nascuntur, sed primum eliguntur, deinde confirmantur; postremo coronantur. Tametsi iis, qui enim nascuntur ex regibus, regnum patris debetur, tamen donec ad ætatem maturationem pervenerunt, non solum reges aliorum non esse possunt, sed ipsi regi ab aliis, et gubernari necesse habent. Rex enim justus et sapiens esse debet, juxta illud Jeremiæ: *Regnabit rex, et sapiens erit et faciet judicium et justitiam in terra*: at homines omnes stulti et peccatores nascuntur. Solus igitur Christus rex natus est, qui ab ipsa conceptione justissimus et sapientissimus fuit. Itaque merito Isaias ait: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus ejus super humerum ejus.* Merito igitur magi venientes ex Perside exclamant: *Ubi est, qui natus est, rex Judæorum.* Merito et nos cum stupore clamamus: *Generationem ejus quis enarrabit?*

Jam vero si oculos mentis ad eam convertamus, ex qua Dominus noster natus est, non pauciora fortasse, nec minora miracula inveniemus. Primum de ea natus est, quam ipse sibi in matrem, antequam nasceretur, elegit, et quantum est hoc miraculum? Quis unquam puer elegit sibi matrem? Certe si in filiorum potestate atque arbitrio esset, ut sibi parentes eligerent, obscuræ et pauperes feminae nunquam parerent, omnes tuto possent ingredi monasteria: siquidem nullus esset, qui divitem et nobilem matrem habere non vellet. Solus igitur Christus sibi matrem elegit, et idcirco ad eam Angelum misit, qui ei hoc ipsum nuntiaret: nec solum filius ele-

git matrem, sed et mater elegit filium. In quo profecto novitas ista singulariter duplicatur. *Ecce, inquit, ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Ergo *generationem ejus quis enarrabit?* Deinde quanta novitas est, ut Deus nascatur ex femina: ut sit B. Maria simul mater sui patris et filii? Siquidem *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Si oceanum universum ex parvo aliquo fonte scaturire videremus; si immensa copia frumenti, quæ toti orbi alendo sufficeret, in exiguo aliquo hortulo nasceretur; si maximus et splendidissimus globus solis ex aliqua minutissima stella ortum sumeret, quis non miraretur? quis non stuperet? At hoc ipsum fit, cum Christus nascitur ex Maria. Ipsa enim est *Hortus conclusus, fons signatus*; stella maris; et tamen ex ea Christus natus est, qui splendidior sole, major Oceano, et granum illud frumenti est, quod cadens in terram tantum fructum attulit, ut inde totus orbis abunde reficiatur ac recreetur. Ergo *Generationem ejus quis enarrabit?*

Sed ut paulo clarius explicetur; cogita quanta sit majestas unius regis, et quam coram eo tremunt, etiam ii, qui domi suæ fortasse non contemnendi principes sunt: non audent etiam viri alioquin magni et potentes coram rege, vel fabulari vel ridere vel spueri; sed stant ibi, et interdum ad multas horas capitibus detectis, et beneficium vel magnum ducunt, si rex eos aspicere, vel aliquid eis imperare dignetur. Cogita deinde quid fieret, si majestas omnium principum, regum, Imperatorum, monarcharum in unum conveniret: vel si in uno loco et uno aspectu cernere possemus, quicquid potentiae et majestatis habent omnes principes Christiani, nec non Turca, Persa, Indus, Æthiops, et quotquot sunt qui in orbe terrarum dominantur: quibus etiam addas omnem gloriam, omnem splendorem, omnem excellentiam omnium angelorum, omnium sanctorum, et totius cœlestis imperii: et tunc conversus ad Deum cogites id, quod verissimum et certissimum est, omnem pompam, quam descripsimus cum Deo comparatam, vix unius formicæ magnitudinem adæquare. Nec enim tam facile nos formicam unam pedibus conculcavimus, quam facile posset Deus omnem mundi gloriam, et res omnes creatas non solum conculcare ac dissipare, sed penitus extinguere et in nihilum redigere. Hic igitur tantus Deus, qui immensos illos orbes, qui terram

et maria, qui Solem et lunam, et stellas procreavit; qui sine labore et fatigatione ita gubernat et sustentat omnes res creatas, ut nec folium arboris sine ipso decidat; cui denique omnes reges et omnes Angeli comparati formicæ unius magnitudinem non adæquant: Hic, inquam, talis et tantus his diebus ex fœmina nasci, et filius hominis dici et quasi unus ex nobis fieri dignatus est. Non dubito quin te talia cogitantem stupor vehementissimus apprehendet, et ex stupore flamma amoris paulatim ascendere incipiet, et cum Propheta stupefactus clamabis: *Generationem ejus quis enarrabit?*

Postremo, non ex quacumque fœmina, sed ex virgine natus est. Ubi est Salomon, qui dicebat: *Nihil novum sub sole?* Quibus unquam sæculis auditum est, in quibus generationibus factum, in quibus libris et voluminibus lectum est, ut virgo conciperet, virgo pareret et virgo post partum maneret? Exivit Dominus de sepulcro clauso; intravit etiam ad discipulos januis clausis; sed corpore immortalis et glorioso! At his diebus multo majori miraculo de clauso utero virginis matris corpore passibili atque mortali egressus est. Ergo *Generationem ejus quis enarrabit?* Verum ne hoc incredibile videatur, aspiciate arbores quomodo flores emittant et vestigium non apparet, unde illos emisserint. Aspiciate vites quomodo uvæ et pampinos producant, et non propterea perforantur ut uvæ egredi possent. Aspiciate solem et stellas, quomodo gignunt radios et signum foraminis alicujus in eis non existit. Sic igitur virgo quasi virga florens, et quasi vitis fœcunda, et stella splendida et matutina, sine ullo virginitatis detrimento Christum, quasi florem pulcherrimum, et quasi uvam suavissimam, et quasi radium lucis clarissimum et splendissimum peperit. Quid? quod hujus rei illustrissima figura in ipsis primordiis nascentis mundi præcessit, cum terra videlicet adhuc virgo, nondum subacta, nondum inversa, non arata, et quod magis est admirandum, non seminata, ad unam vocem imperantis Dei et dicentis; *Germinet terra herbam virentem*, continuo herbis, graminibus, floribus cooperta fuit: non igitur incredibile, sed amirabile est, virginem peperisse. Neque nos dicimus, generationem ejus quis credet? sed *Generationem ejus quis enarrabit?* Reliqua sunt locus, tempus, modus, et quibus etiam, si penitus inspiciantur, nec parva nec pauca miracula oriuntur.

Quis est igitur locus, quem sibi Liberator noster, ut in eo nasceretur, elegit? Nimirum Bethlehem Judæ: locus profecto ejusmodi, ut merito exclamare possimus, *Generationem ejus quis enarrabit?* Non elegit, urbem, regiam Hierosolymorum, non Tiberiadem non alienam celebrem et illustrem civitatem: sed infimum et abjectissimum oppidum totius Palæstinæ, et in eo non ædes aliquas magnificas, atque superbas, sed obscurissimum atque vilissimum tuguriolum. Et in tugurio non lectum mollem sed rude præsepium. In qua abjectione non humilitas solum, sed etiam sapientia nostri Emmanuelis elucet. Cum enim in ortu laudari, in obitu vituperari deberet, in loco humili et obscuro nasci voluit, mori vero in loco celeberrimo atque clarissimo: ut nobis exemplo suo tam nascendo, quam moriendo demonstraret; nec laudes esse quærendas, nec vituperia magnopere fugienda. Elegit præterea Bethlehem, tum quod ea erat civitas David, et ipse sit filius David: tum quod Bethlehem domus panis interpretatur, et ipse sit ille *Panis, qui de cœlo descendit*. Elegit vero stabulum, nemque domicilium bestiarum, tum ut ostenderet sibi inter homines locum non fuisse, quod inter eos ubique Diabolus regnaret: tum etiam, ut homines propter peccatum similes bestiarum effectos esse demonstraret: *Homo enim cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*, elegit postremo in stabulo præsepe: quia fœnum pabulum bestiarum in præsepi poni solet, et ideo *Verbum caro factum est*: quia *Omnis caro fœnum*, et ipse fœnum jam nostrum esse incipiebat. Quis igitur, cum audierit panem angelorum factum esse fœnum bestiarum, cum Propheta non exclamet, *Generationem ejus quis enarrabit?*

Jam de modo. Duplex est in modo ortus illius novitas admirabilis. Primum enim cum fœminæ cæteræ non sine obstetricum adjumento, nec sine summo dolore et cruciatu pariant, ita ut litteræ sacræ cum extremas angustias et incredibiles pœnas explicare voluerint, dolorem parturientium ponant: Virgo Deipara non solum sine obsequio obstetricum, sine dolore et cruciatu, sed etiam cum maxima et incredibili lætitia, et consolatione peperit. *Germinans germinabit ut liliolum*, inquit Isaias, *et exultabit lætabunda et laudans*. O quis intelliget, quid illa nocte Maria senserit? quanto silentio, et quam altis contemplationibus suspendebatur? Quomodo cor

ipsius liquefiebat, oculi pluebant dulces lacrymas, omnia ossa et omnes medullæ exultabant! Ergo *Generationem ejus quis enarrabit?*

Sed jam tempus est, ut de ipso tempore dicamus, quo Christus natus est. Ac ut omittam hanc esse magnam novitatem, quod tempus elegerit, in quo nasceretur, et tunc omnino natus sit, quando voluit nasci: Quis non obstupeat, si consideret, quanta sapientia Dominus non mundi initium, nec finem, sed tempus quoddam medium, non tempus bellorum, sed pacis: non reipublicæ, sed monarchiæ: non æquinoctium, sed solstitium: non æstivum, sed hibernum: non diem, sed noctem: et noctem non lunæ, vel Martis, vel Mercurii, sed solis (ut multi non sine causa credunt) primam videlicet et nobilissimam, elegerit? Hæc enim omnia complectitur ea temporis plenitudo, de qua Apostolus ad Galatas: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Initio igitur Dominus summa sapientia mundi principium non elegit. Nam cum Deus nasciturus esset, omnino par erat, ut cum tota ea dignitate et majestate id fieret, quam tanti regis adventus postulabat. Itaque: ut magis ab hominibus ejus adventus desideraretur, eum per spatium multorum millium annorum distulit, et interim numquam cessavit eum promittere, adumbrare variis typis et figuris exprimere. Neque rursum elegit mundi finem: ne si tam diu expectaretur, desiderium Messisæ in animis hominum penitus extingueretur. Non tempus bellorum, sed altissimæ et incredibilis pacis elegit: quod ipse tamquam verus Salomon, rex pacificus, adventu suo pacem inter Deum et hominem, inter cælum et terram compositurus esset. Elegit tempus Monarchiæ, non reipublicæ; quod ipse sit unus, verus et summus omnino gentium monarcha, omnis Ecclesiæ caput, omnium ovilium pastor. Solstitium vero hibernum elegit, quod eo die sol ad nos reverti et dies augeri incipiant, et ipse sit verus Justitiæ sol, qui tum nobis propinquare, atque ad nos reverti incipiebat. Porro hiemem frigidissimam et noctem obscurissimam elegit, ut hinc nos admoneret, nihil lucis, nihil caloris sine ipso in mundo reperiri: et per eum non solum lucem, sed et fervorem meridianum, hoc est, Dei gloriosam visionem, et perfectam charitatem nobis dari: per nos vero nihil esse aliud sine Christo, quam mediam noctem, frigidam, tenebrosam, horrore et squalore plenam. Postremo diem solis elegit;

tum quod ipse sit verus sol, et dies natalis ejus vere sit dies solis: tum quod eo die debuerit mundi reparatio inchoari, quo fuerat creatio inchoata: denique ut ostenderet Sabbatum legis veteris jam præterisse, et ei Dominicum diem legis Evangelicæ successisse. Quando igitur venit plenitudo temporis, postrema ætas mundi, sæculum maxime pacificum, monarchia potentissima Romanorum, solstitium hibernum, dies Dominicus, noctis medium, exultantibus Angelis, et tota rerum universitate gestiente, hæc nova lux mundo apparuit; tot vaticiniis prædicta, tot figuris adumbrata, tot sæculis expectata. O salve ætas postrema, in quam omnes ætates et omnia sæcula intuentur. Salve, sæculum pacificum, quod mundo verum Salomonem peperisti, et nos a metu et trepidatione bellorum cruentorum liberasti. Salve hiems præclara, multo lucidior et serenior omni ætate. Salve nox beatissima, quæ dies non tenebris tuis obfusas, sed densissimas caligines fulgoris in te nascentis clarissima luce collustras. Salve Bethlehem sancta, *Nequaquam minima est in millibus Judæ.* Quæ civitas, si audierit, quæ fecerit tibi Dominus, non invideat tibi? Salve virgo fœcunda mater tui patris, et filia tui filii. Salve dulcissime puer, tu antiquus et novus: tu novissimus et primus: tu lucens in tenebris: tu verbum infans: tu aqua sitiens: tu panis esuriens: tu te nos ut pane satia.

PARS POSTERIOR

Diximus breviter de humana generatione Servatoris: nunc de divina ac spirituali pauca quædam dicenda sunt. Ac primum de divina ita vere dici potest *Generationem ejus quis enarrabit?* ut magnus Basilius affirmet homilia de natali Domini, mysterium hoc silentio potius, quam oratione esse colendum. Nihil quidem lucidius, nihil clarius, nihil splendidius ea generatione, qua lumen de lumine, Deus verus de Deo vero generatur, sed nihil esse secretius, nihil esse occultius, nihil magis abditum et reconditum: non quod tenebræ sint in Deo ullæ, sed quod lux sit innaccessibilis, et aciem oculorum vincens, non solum hominum, sed etiam Angelorum. « Ubi non tempus, » inquit Basilius, « non sæculum intercessit, non modus cogitatus est, nemo spectator adfuit, nemo et, qui enarret, ad quem modum mens

nostra cogitabit? Et si mens cogitatione rem tantam consequi non potest, quanto minus lingua poterit oratione. » *Ergo generationem ejus quis enarrabit?* Deus Pater Deum Filium genuit, et tamen nec Pater senior est Filio, nec Filius junior est Patre. Quis, unquam, audivit talia? *Generationem ejus quis enarrabit?* Rursum, Deus Pater cum Deo Filio non substantiæ suæ particulam, sed totam atque integram naturam et essentiam suam communicat, et nihil ipse amittit; *Ergo Generationem ejus quis enarrabit?* Filius Dei præterea semper est perfectus, nec unquam ei defuit aliquid; et tamen perpetuo generatur: nec enim sicut Deus in principio fecit cælum, ita in principio genuit Verbum, sed in principio erat ac generabatur. Cælum siquidem factum est semel, Verbum autem generatur semper. *Ergo generationem ejus quis enarrabit?* Denique Verbum Dei, ut alia prætermittam, vere Filius est, et ex utero procedit; et tamen matrem non habet: et, quod magis est admirandum, solo aspectu atque intelligentia generatur? *Ergo generationem ejus quis enarrabit?* Hæc atque alia ejusdem generis altissima mysteria et inexplicabilia Sacramenta scriptura divina eo modo, quo potuit, exprimere conata est, cum Dei Filium paternæ gloriæ splendorem et substantiæ ejus figuram appellavit. Quamquam enim hæc vocabula nondum attingant id quod est: tamen alia aptiora et significantiora inveniri non poterunt. Nam et splendor ita nascitur a luce, ut non sit luce posterior; et lux ita naturam suam cum splendore communicat, ut nihil interim ipsa amittat; neque splendor generatus semel cessat generari, sed perpetuo, et non a duobus, sed ab uno dumtaxat generatur. Imagines quoque ac figuræ omnium perfectissime et maxime expressæ illæ sunt quæ solo intuitu in speculis generantur. Est igitur Dei Filius splendor Dei Patris, et figura substantiæ ejus, et vere generatur et nascitur; sed nullum matrimonium, nulla imperfectio, nulla inquinatio, nullæ sordes cogitantur: gignitur enim perfectissimo, purissimo, castissimo, sublimi ac splendido quodam modo, ut radii lucis producuntur a sole; atque, ut figuræ et imagines solo intuitu generantur in speculo.

Sed jam ad spiritualem et postremam generationem veniamus: ea siquidem ita etiam admirabilis, et plena miraculis est, ut de ea quoque merito dici possit, *Generationem*

ejus quis enarrabit? Primum enim quis non obstupeat, Deum qui illis magnificis et splendidis templis, et palatiis Angelicarum mentium habitabat, stabula quoque ac præsepia cordium humanorum adamasse? David certe etiamsi sapientissimus obstupescebat; *Quid est, inquit, homo, quia innotuisti ei?* Quid amœni, quid pulchri, quid speciosi, inquit, vidisti in tuguriis istis nostris, ut in eis tibi per cognitionem atque amorem habitare placeret? Magna sane et admirabilis novitas, quod illa majestas vermiculis istis innotescere, atque ab eis cognosci voluerit, et multo sane major, quam si rex quispiam vehementer contenderet, ut ipsius res gestæ ab aliquo vilissimo mancipio cognoscerentor: *Ergo Generationem ejus quis enarrabit?*

Deinde, quis non miretur corda illa hominum impiorum, quæ tot annos domicilia fuerant dæmonum, et in quibus vulpes foveas habebant, et volucres cœli nidos, qui nihil de Deo cogitare sciebant, nisi Jovis adulteria, Mercurii dolos, Martis crudelitatem, Veneris prostitutionem, repente admirabili conversione templa Christi facta fuisse, ut jam de Deo, de Christo, de Angelis, de gloria ac fœlicitate beatorum cogitent? *Ergo Generationem ejus quis enarrabit?*

Ecce igitur vobis triplicem Christi nativitatem. Credere ego, aut certe optare debeo, in animis omnium, qui hic adsunt, Christum natum esse, tamen non ignoro etiam eum sæpe in cordibus nostris mori, nisi summa diligentia et sollicitudine custodiatur: alioquin non diceret Apostolus Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Itaque Dominum Christum, quem in stabulo Bethlehemitico occidere Herodes non potuit, in domicilio cordis nostri facile diabolus occidet.

Quæramus igitur, si placet, ortusne sit? et an adhuc vivat in nobis Christus; dicerene possumus cum Apostolo Paulo, *Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus?* Et, *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Habitatne Christus per fidem et charitatem in nobis? Quo signo, qua conjectura id explicare possemus? Ecce vobis signum: *Invenietis puerum pannis involutum et positum in præsepio.* Hoc signum Angelus dedit pastoribus: Et erte nullo signo alio facilius indagare poterimus, an sit Christus in nobis. *Hoc, inquit, vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Universum genus humanum quasi mag-

num quoddam palatium contemplari debemus in quo aulæ multæ, multa etiam cubicula, nec non pomaria, horrea, cellæ vinariæ, culinæ, ad extremum etiam stabula ac præsepia sunt. Et quidem Dominus noster illud ingrediens, non aulas, non cubicula, non pomaria, non horrea, non cellas vinarias, non coquinas; sed stabulum ac præsepium elegit. *Hoc, inquit, vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.*

Quinam sunt aulæ, nisi superbi? Qui cubicula, nisi impudici? Qui pomaria, nisi vani et curiosi? Qui horrea, nisi avari? Qui cellæ vinariæ, nisi vini amatores? Qui coquinæ, nisi gulæ et ventris mancipia? Qui stabula, nisi humiles atque mites? Hos elegit Dominus, in his nascitur Christus. *Hoc, inquit, vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Horum in numero inveniri optabat Propheta David, cum diceret: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*, hoc est, Elegi non aula esse superba, sed humile stabulum. Quid proprii habet stabulum? Primum pars est infima atque ultima totius domus: non ascenditur ad stabulum per gradus, sed descenditur potius, hæc est igitur sedes sapientiæ. *Ad quem respiciam*, dicit Dominus *nisi ad pauperulum et contritum spiritu* (vel super humilem et pusillum) *et trementem sermones meos?* *Hoc igitur vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Deinde in stabulum projiciuntur sordes, atque idcirco locus est abjectus et contemptus. Cum hospites adveniunt, non in stabulum, sed in cubicula et aulas introducuntur. Imo vero etiamsi tota domus hospitibus ostendatur, tamen stabulum ostendi non solet: et si forte, ut videant equos, in stabulum aliquando ducantur, si stabulum tunc sentire aut loqui posset, certe non superbiret, sed miraretur ac diceret: Quid rei est hoc? Numquid ego stabulum non sum? Cur ergo Dominus meus ad me hospites introduxit? Et hos igitur, qui tales sunt, qui se contemni ac despici patiuntur, elegit Dominus in habitationem sibi. *Hoc igitur vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Quid habet præterea stabulum proprii? Est locus ferme calidissimus totius domus; atque ad eundem modum qui humiles atque sui ipsorum contemptores sunt, illi charitate fervent, et in eis optimo jure nuda ac tenera Domini membra collocantur: *Hoc igitur vobis signum est.*

Putamusne, auditores, inveniemusaliquem, qui vere sit vel esse velit præsepe? Vere mitem et humilem et ferventem quis inveniet? *Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Ubi est, qui cupiat contemni? qui se despici patiatur? qui non excellere, non anteponi, non videri, non laudari velit? Qui ferveat charitate? qui eligat abjectus esse? Intret unusquisque, rogo vos, in cor suum, et non aduletur, non blandiatur sibi: sed alta ac profunda cogitatione interiora sua respiciat, et fortasse videbit, se non stabulum, nec præsepe, ut putat, sed aulam vel cubiculum superbissimum esse: et si id videat, sciat ibi non nasci Dominum: *Hoc enim vobis signum; invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* At, inquis, ego tamen Dominum heri in Sacramento suscepi, quomodo igitur in corde meo non erit? An non erat Christus fortasse in Sacramento? Imo vero erat, et ad cor tuum venit; sed si præsepe non invenit, crede mihi, non mansit, ac de te vere dicere possumus: *Surrexit Dominus, non est hic.* Sed utinam non essent multi, qui non expectaverunt, ut Dominus per se abiret, sed ipsi eum de cordibus suis ejecerunt. Cogor aliquid dicere, dolore stimulante, quod non vellem: precor Deum optimum maximum, ut verum non sit, quod ego verissimum esse puto. Existimo enim multos reperiri eorum, qui heri ad pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta accesserunt; qui hodie rursus sunt in suo pristino cœno, et quomodo potest aliter fieri? confessi sunt solum ex consuetudine, ut facerent sicuti alii faciunt: non quod vitam mutare vellent, hoc propositum non habebant; vel si habebant, in ore, non in corde habebant. Deinde heri et hodie comederunt et biberunt in prandiis multo amplius, quam solerent, in gratiam videlicet natalis Domini: tum bene pasti et bene poti exierunt foras, occurrerunt mulieribus et quis dubitat quin rursus cœperunt desideriiis æstuarere? Et quid illis profuit confessio et communio sine vitæ mutatione, nisi ut si antea habebant cor durum parum, nunc habeant cor durum multum? Et si aberant antea duos pedes a gehenna, nunc unum tantum absint. *Vade, inquit Dominus, et jam amplius noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* Illis enim vere deterius contingit, et obdurantur magis, qui post confessionem statim ad eadem revertuntur. Scitis quid sit Dominum cum honore suscipere, et paulo pos-

cum ignominia de suis cordibus ejicere? Est illud ipsum facere, quod Judas proditor post acceptam buccellam fecit: exivit continuo, et Dominum vendidit; deinde eundem osculo prodidit. Sed quid inde lucratus est? Nihil sane aliud quam funem unum, quo seipsum suspendit. Sic etiam mercatores isti pessimi, Judæ imitatores, osculantur Dominum in Sacramento, eundem etiã in domicilio pectoris sui admittunt, et tum post paululum hostibus ejus produnt: nec aliud quam pœnas æternas, et sedem in gehenna prope ipsum Judam tam nefaria atque impia proditione mercantur. Quid remedii? Certe non aliud, quam ut serio ac sincere agamus cum Deo, sicut ille serio ac sincere agit nobiscum Dominus Deus noster, cum peccata remittit, sincere agit, fideliter, serio sine pœnitentia. Non remittit hodie, ut cras pro iis nos puniat; ita vult secum agi. Itaque si quis vere cupit in gratiam cum Deo redire, is serio aliquando proponat vitæ mutationem; et si antea in corde suo vel aulam, vel hortos vel coquinam extruxerat, ea nunc destruat, et stabulum ac præsepe ædificet: sit vilis in oculis suis, sit mitis, sit patiens, abjiciat pompas, et vestium vanitatem: siquidem ista in stabulo non conveniunt. Et si videat in se ac sua projici sordes convitiarum ac contumeliarum, non irascatur, ferat æquo animo, ac dicat intra se: Istis ego dignus sum, hæc mihi optime conveniunt, stabulum sum enim: at si rursus extollatur ac laudetur ab hominibus, et in aliquo gradu dignitatis ponatur, rursus dicat: Unde hoc mihi, qui stabulum sum? Et si hoc tibi difficile ac durum videatur, non habeo, quid dicam, nisi in te Dominum non nasciturum: *Hoc enim vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* At si contemptis et superatis difficultatibus verum stabulum efficiaris, o quæ palatia non relinquet Christus, ut ad ejusmodi stabulum descendat? O quam sublimis est hæc sapientia! O quam rari ad ejus cognitionem pertingere potuerunt! Aristotelis metaphysica nihil est: Platonis Theologia humi repit, si cum hac sapientia comparetur. *Confiteor tibi pater* (Dominus ait) *quia hæc abscondisti a sapientibus et revelasti ea parvulis.* Et rursus: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde,* ego solus magister sum et doctor hujus excellentissimæ philosophiæ, qui vere mitis sum et humilis corde.

Videor mihi, auditores, hodie Christum videre in certamen et disputationem cum mundo descendisse: Mundus in cathedra sublimi constitutus coram maxima stultorum multitudine clamat, ac docet: Aurum colligendum, honores persequendos, libidines explendas: paupertatem, castitatem, humilitatem profligandas, atque in ultimas terras relegandas: denique aulas, cubicula, horrea, pomaria, cellas vinarias, coquinas extruendas. Christus contra in stabulo sedens, mentiri affirmat mundum et theses contrarias defendendas ac persuadendas proponit: nempe, beatos esse pauperes, beatos mites: beatos, qui lugent, beatos, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, miseros vero, qui rident et qui divitias et consolationes suas habent in hoc mundo: et omnes aulas, et cubicula, et horrea, et pomaria, et cellas vinarias et coquinas destruendas, ut stâbula ac præsepia ædificentur. Nos argumenta utriusque et rationes audivimus et verbis victoriam damus Christo, et tamen factis atque operibus sequimur mundum. Longus usus, atque experientia ipsa nos docet, nihil esse fraudulentius mundo. Est enim similis hospitio, vel tabernæ, ac præsertim tali, quales in Italia et aliis quibusdam in locis reperiuntur. Cum enim iter faciens ad hospitium aliquod divertis, continuo cauponæ præfectus egreditur tibi obviam totus lætus, atque hilaris, excipit peramanter, omnia dicit se optima habere, optimum panem, optimum vinum, optimas carnes, optimos lectos, addit quoque non raro de pretio nullam esse futuram quæstionem. Quid? inquit, estis domis vestræ: utimini, fruimini rebus meis, ac si vestræ essent: solvetis vero quantum libuerit, deinde comitatur ad mensam, atque ibi nunc invitat ad bibendum, nunc ad comedendum, nunc aridet, nunc jocatur, nunc adulatur: postremo finita cœna deducit ad lectum, precatur felicem noctem mollemque quietem officiosissime: atque hactenus quidem putas illum non cauponem sed quasi fratrem quemdam esse amantissimum tui. Cæterum die sequenti cum est ab hospitio recedendum, occurrit tibi totus mutatus, omnino alius ab eo, qui fuerat nocte præterita, ibi numerare incipit, quicquid tibi dedit, et aliqua fortasse etiam quæ non dedit: et omnibus supputatis: tantum, inquit, tibi persolvendum est: tum tu fortasse obstupefactus: Quid, inquires, tam parum comedi, tam male dormivi, et

tantum solvam? Quomodo hoc potest fieri? Et, ubi sunt illa tua hesternæ promissæ? Hinc ille torvis oculis, miror profecto te, quasi nescias consuetudinem tabernarum, postea quam comedisti et bibisti non vis solvere? Sed certe solves nec unus obolus minuetur. Hæc est mundi similitudo, auditores: nos omnes peregrini sumus, ingredimur mundum istum tanquam hospitium, continuo fiunt obviam nobis divitiæ, deliciae, delectationes variæ, omnia bona ac felicia pollicentur, invitant ad comedendum, ad bibendum, ad dormiendum, ad luxuriandum, *nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria*, et simul metum et sollicitudinem auferunt futuri iudicii. Nihil solvetis, inquit, Deus misericors est: non fecit homines, ut eos perdat: legite semel psalmum, *Miserere*, et omnia salva erunt. O quam suaviter illabitur concio ista in animos insipientium peregrinorum? At ubi adest mors, et egredi cogimur ab hospitio, ibi dicitur nobis: Heus tu, solve quod comedisti; et quantum est, quod debeo? Quantum? Supplicia sempiterna. Quid supplicia sempiterna pro tam exiguis et amaris voluptatibus? O utinam nunquam ad hospitium divertissem: *Pereat dies, in qua natus sum*. Sed dicitur ei: Non est nunc tempus pœnitentiæ, comedisti et bibisti, solvendum est. Intelligitisne qualis sit mundus?

Neque vero hæc dicimus, ut risum excitemus, sed ut manibus ipsis quodammodo tangamus, quanta sint mundi mendacia, ad

quæ redarguenda et detegenda Christus venit. Sed si res ita se habet, si mundus mentitur, si fallit, si decipit; si Christus est veritas, si est sapientia, si fallere ac mentiri non potest, si id nos cognoscimus, et confitemur; cur adhuc sequimur mundum? *Usquequo claudicamus in duas partes?* Si mundus vera promittit, sequamur illum: si vero non ita est, sed Christus solus est verus et sapiens et fidelis, cur non sequimur eum? Cur ejus consilium non accipimus? Irascetur, mihi credite aliquando vobis, atque indignabundus dicet, *Cur dicitis mihi Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Sed nos pueri sumus, infantiam nostram diligimus. Ista seria et sublimia et magna non capimus, sed etsi pueri sumus, audiamus saltem puerum, qui hodie natus est nobis. Verbum Dei factum est infans, ut infantes doceret. Ecce clamat de præsepio, contemnite bona falsa, si cupitis vera: desinite umbras consecrari, si lucem aspicere desideratis. Non vos decipiat mundus vanis pollicitationibus: non vos deliniant lenociniis mendaciorum: promittere potest, sed præstare non potest. Discite vero a me, qui vos diligo, qui propter vos factus sum pauper, cum essem dives, ut vos divites essetis. Veniet, veniet tempus, quando servis meis commutabo luctum in risum; mœrorem in gaudium; laborem in requiem; mortem in vitam; stabulum in paradysum, ad quem nos introducat qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XII.

IN FESTO SANCTI STEPHANI

SYNOPSIS

Quæritur, cur natalem Domini martyrium S. Stephani immediate subsequatur, cum nihil morti cum novitate sit commune? Ad cujus quæstionis resolutionem historia veteris testamenti accommodatur, ubi filiis Prophetarum ligna cædentibus uni eorum in fluvium cecidit excussa securis, quam mox Eliscus injecto ligno enatare fecit. Eliseus est Deus pater, filii Prophetæ verbum et sapientia Dei; ferrum, homo in manu summi artificis Dei constitutus, e qua tamen in Paradiso excidit, et in fluvium hujus Mundi incidit quo non modo omnia transire cæcus homo non cogitat, sed et ipse una cum fluminis impetu abripitur, quod similitudine machinarum molarium ostenditur. Querelæ de bonis per primum hominis lapsum amissis. Tandem lignum quod Deo Filium denotat, in hoc flumen injectum hominem et profundo extrahit, et descendit, ut nos, ut fit in bilance, ascendamus: atque ut statim injecto hoc ligno hominem ascendisse appareat, hodie S. Stephanus per Ecclesiã venerandus proponitur.

In parte altera explicatur quædam oratio Ecclesiæ: Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti. Cur dicatur jacentem mundum, et non hominem, duæ causæ assignantur. 1. Quod homo sit parvus mundus. 2. Quod omnia creata per ipsum tamquam dominum vel ferantur ab eo. Quid sit humilitas, et quod illa in Deum ut Deum cadere non possit, sed in Christum hominem, ob vilem quam induit humanam naturam: quæ vilis esse probatur, quod quoad animum incorporeum sit infima, quoad corpus corporeum abjectissima. Quantum discrimen sit

inter Deum et hominem. Tres esse humilitatis gradus, quarum duos tantum, ut qui alterum non potuit, non habens sibi parem cui subiceretur, perfecte adimplevit Christus, idque sponte, nemine cogente. Camelo onerando Christus assimilatur. Ex fluvio hujus mundi secure transvadare docemur, si nimirum despecto illius cursu oculos ad ulteriorem ripam, hoc est, ad regnum cælorum defixerimus: quod S. Stephani et Christi exemplo probatur. Tandem apostrophe ad Christum pauperiem in nativitate tolerantem, et futuros labores et dolores passurum, finem dat.

Credo ego, optimi auditores, mirari vos, quid sit, quod cum dies natalis, et dies mortis plurimum inter se differant, Ecclesia tamen Catholica, mater nostra, lætissimum Domini, ac sponsi sui natalem diem cum lugubri funere primarii filii, beati videlicet Stephani, copulaverit. Quo pacto enim ista cohærent, ut heri propter Domini ortum diem festum ageremus, et hodie propter Stephani obitum diem festum agamus? Heri Domini ingressum in mundum coleremus, hodie Stephani ingressum de mundo recolamus? Heri omnia plena gaudiis et promissionibus audiremus, hodie omnia plena fletibus et minis audiamus. Heri enim si recordamini, cum ingenti lætitia canentes Angelos audivimus: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hodie non sine dolore dicentem B. Lucam audivimus, *Curaverunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.* Audivimus heri: *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Salvator: audivimus hodie: Incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resististis.* Heri denique audivimus: *Ap-*

paruit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei: hodie audivimus: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et quid, quæso, affinitatis ortus cum obitu, ingressus cum egressu, gaudium cum fletu, et promissio cum comminationibus habet? Neque vero existimet aliquis, se nodum istum solvere posse, si dicat casu factum esse, ut heri Dominus nasceretur, et hodie Stephanus moreretur. Nec enim hodie, imo nec in hieme, sed in æstate amore Domini flagrantissimus et fortissimus protomartyr Stephanus occubuit. Et tamen certum omnino et exploratum habemus, non sine magno consilio Domini ortum cum Stephani obitu conjunctum ab Ecclesia et copulatum fuisse. Hoc igitur sapientissimum Ecclesiæ Catholicæ matris nostræ consilium hodierno die pro viribus explicare Domino aspirante constitui: res enim nisi vehementer fallor, cum tempori maxime accommodata, tum vobis omnibus utilis ac fructuosa erit. Ac ut non vagetur, sed certam sedem habeat oratio nostra, primum historiam quamdam ex veteri testamento, deinde verba quædam, quibus Ecclesia in publicis precibus utitur, breviter explicanda suscepimus. Ex his enim id, quod quærimus, omnino planum et manifestum fiet.

Ut igitur ab historia veteris Testamenti ordiamur cum filii Prophetarum die quadam prope Jordanem fluvium ligna cæderent, ut sibi quisque domicilium suum ædificaret, uni ex illis securis excussa de manibus est, et in profundum fluminis cecidit, ut ex capite sexto libri quarti Regum intelligi potest. Mox ille cui securis ceciderat, ad Eliseum se contulit: *Heu, heu, heu, domine mi, et hoc ipsum, inquit, mutuo acceperam.* His vocibus commotus Eliseus, arripit lignum unum, atque in eum locum projicit, ubi ferrum jacebat: continuo autem res plane admirabilis, et prodigii plena apparuit: nam ligno descendente ferrum repente ascendit, non secus ac si lignum illud nuncius ad ferrum ivisset, et ei Prophetæ voluntatem atque imperium exposuisset. Quid Eliseus Prophetæ (ut jam historiam, quam audivistis, juxta reconditam ac spiritualem intelligentiam explicemus) quid, inquam, Eliseus Prophetæ, nisi Deum Patrem significat? Nam ut alia omitamus, ita proprium est Dei futura multo ante providere, atque adeo Prophetam esse, ut Isaias dicat, *Annuntiate quæ futura sunt*

in futurum, et sciemus quia Dii estis vos. Quare non immerito Prophetas Deos quosdam creatos et mortales, et Deum Prophetam increatum et immortalem appellabimus. Quid autem filius Prophetæ, nisi verbum et sapientiam a Deo Patre summo et vero propheta genitam designat? Porro ferrum nihil aliud, quam hominem significare ipsa ferri natura declarat. Ferrum enim, ut gladius, ut malleus, ut securis, suapte nutu ac pondere ad terram fertur, et nisi in manu artificis sit, nihil penitus operatur. At in manu artificis positum tam multa et tam præclara efficere solet, ut admirabile sit: defendit, offendit, cædit, secat, vulnerat, occidit. Denique templa, palatia, civitates, ferrorum instrumentorum opera sunt. Sic etiam homo, auditores, si in manu Dei non sit, et ab eo tamquam ab architecto non moveatur atque agatur, quid per seipsum solius naturæ vi adjutus potest? Quid? Illud ipsum, quod ferrum potest, ad terram ruere, ibi jacere, otio languere ac marcescere potest. At præclarum aliquid sine Deo, non modo non agere sed ne cogitare quidem potest. *Non sumus sufficientes,* inquit Apostolus Paulus, *cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et vere sufficientia nostra ex Deo est, si quidem cum Deum nostrorum operum auctorem habemus, et in ipsō tamquam in architecti manibus sumus, res maximas et præclarissimas gerimus, cum dæmonibus dimicamus, nostram libidines frangimus, iram compescimus, omnes animi motus coercemus: et quod magis est admirandum, in terris sumus, et palatia fabricamus in cælis. Hoc igitur ferreum instrumentum initio in filii Prophetæ manibus erat; siquidem sapientia Dei simul atque hominem condidit, eum in suam gratiam, et curam suscepit: et quamdiu homo innocentiam atque integritatem conservavit, tamdiu in manibus fuit. Ut enim sapiens ait: *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Verum cum hæc securis in manibus artificis constituta die quadam in paradiso voluptatis aliquid operaretur, repente vento quodam superbix ab Aquilone exoriente agitari cœpit, et post paululum de Dei manibus exiliit, et in fluvium profundissimum maximo impetu cecidit. Hinc sunt illæ voces: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum in limo profundi et non est substantia. Veni in latitudinem maris, et tempestas demersit me. Eripe me de luto, et de profundis*

aquarum. Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis. Porro casum istum miserabilem Liberator noster multis ac variis similitudinibus in Evangelio frequenter expressit. Quid enim drachma amissa? quid ovis perdita? quid filius prodigus? quid ille, qui ab Jerusalem in Jericho descendebat, nisi humani generis funestum casum, et ruinam plane miserabilem designat?

Cæterum, quid ipsum fluvium, in quem homo cecidit, significare dicemus? Certe nihil aliud, quam mundum istum inferiorem, in quo nihil nisi fluxum fragile, caducum et mortale reperitur. Ut enim fluvius semper fluit, et est alius, atque alius, et in eo aquis aquæ succedunt: sic etiam omnia, quæ sunt infra lunam (humanum animum semper excipio) id proprium habent, ut perpetuo labantur, et fluant et aliis occidentibus alia exoriantur, et ea, quæ exorta sunt, paulatim augeantur, senescant, et intereant: et quo magis celeriter crescunt, ut sint; eo magis festinant, ut non sint. Id quod eleganti similitudine in libris confessionum B. Augustinus ostendit: Cum homines, inquit, loqui volunt, si primum verbum, postquam sonuit per partes suas, non decederet, ut alia verba succederent, nunquam esset totus aut integer sermo: Cur hoc? nempe, quia sermo res est ejusmodi, ut partes suas omnes simul habere non possit: syllabis enim aliis decedentibus et aliis succedentibus constat. Talis quoque est mundi hujus inferioris natura: nam sæculis atque ætatibus præteritis et futuris componitur. Hæc vero omnia simul esse non possunt: quare decedendo et succedendo universum efficiant, et in perpetuo quodam cursu consistant more fluviorum necesse est. Quemadmodum igitur si quis in profundo fluminis positus esset, nihil nisi aquas, et eas labentes cerneret: sic etiam homo postquam in hanc vallem miseriarum ex paradiso deliciarum corruit, ita rerum labentium et periturarum multitudine obrutus est, ut nihil videat, nisi res perituras, nihil amet, nihil quærat, nisi res perituras: si divitias cernit, cernit res perituras: si honores cogitat, cogitat res perituras: si voluptates amat, amat res perituras: si gloriam et celebritatem quærit, quærit res perituras. Denique in re nulla, quæ constans et stabilis sit, pedem figere vult. Ac etsi de rebus æternis et de cruciatibus gehennæ, et gloria beatorum aliquid audit, somnia et fabulas

audire se putat. Atque utinam id verum non esset, neque nos id probare non possemus, auditores. Qui fabulas audiunt, laudant inventorem: sed non propterea moventur, ut faciant quod audiverunt, quia non rem seriam, sed fabulam audivisse se sciunt. Narrat aliquis in foro nescio quod spectaculum exhiberi, omnes continuo currunt: narrat aliquis ursum vel taurum aliquem ferocem ruptis vinculis, quibus tenebatur, per urbem discurrere, omnes fugiunt: audit mercator in aliquo loquo nundinas fieri, ubi maximo pretio merces suas distrahere possit, continuo erigit aures, neque occasionem illam sibi de manibus eripi sinit: quamobrem auditores? nempe, quia ista non ficta, sed vera illis esse videntur. Clamant præcones Dei, impiis et sceleratis, fornicariis et ebriosis, ambitiosis et avaris, blasphemis et perjuris æterna supplicia esse parata: et contra justos, pios, sobrios, castos, Deum præ omnibus quærentes ac diligentes æternis ac summis præmiis afficiendos esse, et quid tandem homines agunt, cum hæc audiunt? Præconem, si bene clamavit, laudant: sin minus, vituperant. Raro autem dicunt, certe verum est, quod ille ait; ergo aliter vita instituenda est, ergo mores mutandi, ebrietas relinquenda, voluptati valedicendum est, si valere in æternum volumus. Raro, inquam, ac pene nunquam hoc dicunt, quod hæc illis fabulæ et somnia; et sola fragilia et caduca, quæ ante oculos conversantur, et quibus obruti quodam modo sunt, vera et seria esse videantur.

Ecce igitur vobis, in quem fluvium homo miserrimus cecidit, cum de Dei manibus excuti se a dæmone passus est: neque solum in fluvium semper labentem cecidit, sed ipse etiam simul cum fluvio labi et currere cœpit. Rapitur enim a tempore semper currente, neque prius a cursu cessat, quam scopulum aut saxum aliquod obvium habeat, ad quod allidatur et corruat. Apposita, ni fallor, similitudine rem totam illustrabo. Solent in plerisque partibus Italiæ, nescio an etiam in hac nostra regione, magnæ molarum moles ad triticum contundendum, ita super flumina collocari, ut terram non contingant, sed ab ipsis aquis quasi naves quædam sustineantur. Verum ne fluvius totam illam machinam abripiat, et secum ferat, ea magnis catenis ad ripam alligari solet. Itaque moles illa tametsi super fluvium semper labentem posita est, ipsa tamen quamdiu

catena non solvitur, aut frangitur, immobilis perseverat. Accidit tamen nonnunquam, ut catena frangatur, et tunc omnis illa machina ab aquis deferri, et cursum eundem tenere incipit, quem ipse fluvius tenet, donec ad primum scopulum, qui occurrit allidatur, et corruat. Ad eundem modum. Auditores, cum Deus hominem condidit, super fluvium istum rerum præsentium et caducarum illum constituit. Ac ne ipse quoque cum rebus cæteris laberetur, et curreret, et mori ipsi aliquando necesse esset, eum ad verbum suum gratiæ et charitatis vinculis alligavit. Et quoniam verbum Dei ripa est plane constans et immobilis (*verbum enim Domini manet in æternum*) periculum non erat, ne homo ad talem ripam alligatus impetu fluminis unquam abriperetur: quin etiam tempus quidem perpetuo currere, et omnia quæ sunt infra lunam ad eo rapi, et senescere et interire vidisset, ipse tamen, neque cum tempore cucurrisset, neque senuisset, neque mortuus unquam fuisset. Sed quid interim accidit? Catena, qua homo cum Deo copulatus erat, soluta vel potius fracta per peccatum primi hominis est. *Iniquitates vestræ*, inquit Isaias, *diviserunt inter vos et Deum vestrum*. Quid igitur homo a Deo sejunctus, ac separatus super fluvium faceret? quomodo se ab ejus impetu tueretur? qua ratione evaderet, ut non cum rebus cæteris flueret, senesceret, interiret? Hinc igitur omnes cum anne currimus, donec ad scopulum ægritudinis alicujus allidimur, et corruimus. Nam cum tempore prætereunte præterimus et collabimur, et sicut mensibus menses, sic et nostris ætatibus ætates succedunt. Et sicut primum Januarius, deinde Februarius, tum Martius, Aprilis, Maius et reliqui in suo quisque ordine veniunt; sic et nos primum infantes, deinde pueri, tum adolescentes, juvenes, viri maturi ac demum senes sumus; et nunc in ipso portu navis corporea frangitur, et animus carne solutus alium orbem ingreditur.

Quid igitur tunc Prophetæ filius, nempe Dei verbum, fecit, cum securim suam, hoc est, humanum genus in fluvium cecidisse, et una cum fluvio currere vidit? Quid? Ad Eliseum Patrem suum se contulit, et coram eo casum nostrum deplorare incepit, *Heu, heu, heu, Domine mi*, quia corpus humanum ex immortali mortale factum est. Iterum *heu*, quia mens humana sapientiæ lumine orbata tenebris densissimis obruta est. Et

postremo *heu*, quia voluntas humana justitiæ rectitudine amissa, conversa ad terram, propensa ad malum, atque adeo curva effecta est. Et rursum *heu, heu, heu, Domine mi*. *Heu* primo, quia natura hominis, et omnes ejus vires plagam magnam acceperunt. *Heu* secundo, quia gratiæ decor, qui humanum animum illustrabat, omnino extinctus est. *Heu* tertio, quia animal nobilissimum, princeps orbis et paradisi colonus spe gloriæ et beatitudinis penitus excidit. Denique *heu, heu, heu, Domine mi*. *Heu* quia locum deliciarum, et illustrissimas ac pulcherrimas homo regiones amisit. *Heu*, quia vallem miseriarum ingressus in sudore vultus sui vescitur pane suo, terram cum labore colit, et ea spinas ac tribulos gignit. *Heu*, quia vitæ præsentis laboribus superatis illum perpetuo cruciandum gehenna suscipiet.

Hac igitur tam pia querimonia viscera Patris mota sunt, et continuo de hominis liberatione cogitationem cepit. Et quo consilio, qua ratione, qua via illum usum esse putatis? Non deerant Patri sapientissimo et sapientiæ genitori consilia hominis eruendi de lacu miseriæ et de luto fæcis; tamen placuit ei Angeli magni consilii consilium audire, atque ait: Ecce vocibus tuis permotus hominem liberare non abnuo. Sed quid consilii capiemus? Quis ibit nobis? quem mittemus? Tum ille: *Ecce ego*, inquit, *mitte me*. Ego qui dedi consilium, feram libenter auxilium. Accepit igitur lignum noster ac verus Eliseus, et misit illud in aquas. Quid enim lignum, nisi eundem ipsum Dei filium significat? Ut enim lignum, quod leve et aerium sit, super aquas natat, neque cadere in profundum potest; sic etiam Filius Dei, qui natura ipsa talis est, ut pondere peccatorum gravis fieri non possit, nunquam in hunc miseriarum fluvium cecidisset; neque temporum mutationibus obnoxius fuisset, nisi ipse a Patre missus, sponte ac libera voluntate in luto isto aquarum multarum mergi voluisset. Venit igitur Dei Filius, infixus est in limo profundi, tempori subjacuit, natus est, passus est, fluctibus aquarum jactatus est. Sed numquid frustra? Non certe auditores: Nam ligno isto in aquas descendente, ferrum, quod ceciderat, repente super aquas ascendit. Christi enim descensus, nostri ascensus, et ejus ingressus in lutum, nostri egressus de luto, et ejus mersio, nostræ emersionis causa fuit.

Atque hæc tandem est ratio, cur Ecclesia

mater nostra Domini ingressionem in mundum cum Stephani egressione de mundo copulaverit. Studet enim pia quadam, et plane materna sollicitudine hoc nobis utilissimum sacramentum in memoriam revocare, atque hac festorum dierum continuatione quasi quibusdam mutis verbis id mihi dicere videtur. Nudius tertius ferrum adhuc in imo fluvio jacebat; sed heri lignum de cœlo missum ad ipsum descendit, et ecce hodie ferum super aquas, imo et usque ad ipsum cœlum ascendit. Natus est Christus in terris, ut Stephanus nasceretur in cœlis. Ingressus est Dominus in mundum, ut Stephanus ingrederetur in cœlum. Altus ad humilia descendit, et humilis ad alta ascendit: Filius Dei factus est filius hominis ut filios hominum faceret filios Dei. Solus Christus, inquit Fulgentius, descendit Dominus ut multos elevarret: humiliavit se rex noster; ut milites suos exaltaret. Nam non vidistis aliquando libras et stateras illas, quarum duæ sunt lances? quantum una deprimitur, tantum altera extollitur? Deus noster, auditores, cum nos condidit, in una lance nos posuit, et ipse manebat in altera. Venit autem hostis humani generis, et invidens lanci nostræ, quam sublimem esse videbat, grandem lapidem super ipsam imposuit, atque hoc pondere usque ad fluminis profundum eam depressit, ut jam longissime distaremus a Deo. Sed numquid invidia charitatem et Deum Diabolus vincet? Nullo modo, auditores. Quid igitur fecit dulcissimus Pater noster ac Deus? Heri suam naturam ad profundum usque istud depressit, et nostram hodie usque ad cœlum evexit. Cum aliquem cecidisse in terram vides, quonam pacto illum erigere soles? Nonne teipsum inclinas, et ei dexteram porrigis? hoc est, quod nobiscum egit Deus. Quis vestrum in libro Job sententiam illam aliquando non legit. *Operi manuum tuarum porriges dexteram?* Nos opus Dei sumus: nos ipse suis manibus tamquam figulus de luto formavit. Dextera vero omnipotentis, verbum ipsius et sapientia est. Quicquid enim Deus facit, hac dextera facit: *Verbo Domini cœli firmati sunt. Ipse dixit et facta sunt. Consurge, consurge,* inquit, Isaias, *induere fortitudinem brachium Domini, Et: Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Hoc igitur brachium, hanc dexteram heri porrexit nobis Deus. *Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abraham apprehendit:*

nempe ut ipsum educeret de lacu miseriæ et de luto fæcis. Jure igitur David Propheta, qui olim clamare solebat: *Mitte manum tuam de alto, et eripe me de aquis multis:* hodie cum cantico et lætitia dicere posset: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem: non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.*

PARS ALTERA.

Jucundissimum nostræ celebritatis mysterium, quod in veteri testamento, sicut jam audivistis, adumbratum fuit, Ecclesia Catholica mater nostra illis verbis exprimere voluisse videtur, quæ in publicis precibus altera Dominica post Pascha recitari solent: quæ talia sunt: *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiã, ut quos perpetuis eripuisti casibus, gaudiis facis sempiternis perfrui.* Quæ quidem verba admirabilis cujusdam dulcedinis plena mihi esse videntur. Sed tamen quoniam tempus nobis ad omnia explicanda non sufficeret, neque omnia obscura, aut ad id, quod quærimus necessaria sunt: propterea solum de primis pauca quædam in præsentia dicenda esse putavimus. *Deus, inquit, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti:* non hominem, sed mundum, hoc est, omnem hanc rerum universitatem jacere dicit. Nam cum homo cecidit, omnis cum eo mundus cecidisse videtur.

Et id quidem duplici de causa. Primum enim in hominem omnes totius mundi naturæ conveniunt. Elementa quatuor sunt, humores quatuor: mixta inanima, ungues, et pili: animata non sentientia, ossa et dentes: sentientia rationis expertia, nervi et caro: denique intelligens, et consilii ac mentis compos est ipse animus: Deus enim propterea postremo loco hominem condidit, ut in ejus conditione quasi epilogum quemdam totius operis faceret. Nec injuria nunc parvus mundus, nunc epitome majoris mundi homo a veteribus appellatur. Jure igitur non tam hominem, quam ipsum mundum cecidisse, et per Christum erectum fuisse Ecclesia confitetur, in quo Dominum ac magistrum suum imitata est. Non enim Dominus ait: *Sic Deus dilexit hominem, sed: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Sed aliam rationem audite. Omnia, quæ

Deus fecit, sive ea animata, sive inanimata, sive sensu prædita, sive sensus expertia, sive mentis capacia, sive non capacia sint, Deum tamquam finem ultimum habent, et ad eum tendere, atque in eo conquirere debent: quia vero ea, quæ rationis, atque intelligentiæ expertia sunt, per se Deum attingere non valent, idcirco eorum opifex et conditor Deus sapienter instituit, ut omnia homini famularentur, et per ipsum eo modo, quo possent tamquam per gradum quemdam in ipsum Deum ferrentur. Quemadmodum igitur, cum homo recta ad Deum tendit, res omnes creatæ, quæ homini famulantur, ad eundem Deum per hominem aliquo modo perveniunt: sic etiam, cum homo a Deo recedit, et diaboli ac peccati servus efficitur, simul res omnes non amplius in Deum referuntur, sed iniquitati ac diabolo deservire ab homine compelluntur. Atque hac ratione simul atque homo per peccatum in profundum miseriarum cecidit, res omnes, quæ mundi nomine significantur, a suo summo et ultimo fine excidisse videntur. Id quod Apostolus Paulus ad Romanos scribens illis verbis expressit: *Expectatio, inquit, creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* Omnis, inquit, creatura, cælum, terra, sol, luna, stellæ cæteræ, elementa, animantia, plantæ, magno quodam ac vehementi desiderio eum diem expectant, in quo omnes filii Dei in suis gloriosis corporibus apparebunt. Et cur obsecro ita vehementer eum diem adesse cupiunt? Propterea, inquit, quod *Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* Cogitur enim hæc omnis rerum creaturarum universitas homini servire, qui propter peccatum magnâ quædam vanitas factus est: Nam *Universa vanitas omnis homo vivens.* Sed nihilominus, inquit, *Non volens, neque libens homini peccatori deservit; sed Propter eum dumtaxat, qui subiecit eam.* Omnia, inquit David, *subiecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas: insuper et pecora campi.* Illum igitur diem res omnes creatæ expectant, in quo sublatis de medio peccatoribus, et in gehennæ carcere detru- sis, ipsæ quoque de onere servitutis, sub quo nunc gemunt, liberabuntur, et in sta-

tum meliorem ac beatiorum positæ conquiescent. Quia vero tantum munus, non nisi a communi omnium Liberatore et assertore Christo habebunt, idcirco sapientissime mater nostra Ecclesia Catholica non hominem solum sed cum eo mundum universum cecidisse, et per Christum erectum fuisse affirmat, cum ait: *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti,* quod idem est ac si obscurius dixisset: Deus, qui lignum in fluvium dimisisti, et ferrum, quod jacebat, extraxisti.

Sed jam de ipsa humilitate ac descensu nostri Liberatoris tempus nos admonet, ut dicamus Dei Verbum ac Filium, auditores, in duplici natura subsistere, divina videlicet atque humana, ac proinde Deum simul et hominem esse, nemo sacris nostræ religionis initiatus ignorat. Ac si de priori natura sermo sit, Dei filius vere ac proprie capax esse humilitatis non potest. Humilitas enim virtus est, quæ animum retinet, ne super seipsum ascendat, neve locum altiorum, quam sibi conveniat, petat: concideret enim et collideretur. Sicut ex adverso magnitudo animi eundem animum retinet, ne in abyssum desperationis se præcipitet.

Quocirca humilitas non cum animi magnitudine, sed cum superbia pugnat. Ipsa vero animi magnitudo non cum humilitate, sed cum parvitate atque exilitate animi bellum gerit. Cum igitur natura humilitatis ea sit, ut animum intra suos fines ac terminos contineat, ne forte altius volet, quam par est: Deus autem cancellos ac fines, quibus coercetur nullos habeat, neque locus esse altior ullus inveniatur, cum ipse unus altissimus vere nominetur, et sit, illud profecto efficitur, ut humilitas in Deo, si proprie loqui velimus, neque fingi, neque cogitari ulla ratione possit. Quid igitur Ecclesia sibi vult, cum ait, *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti?* Cujus tandem hæc humilitas est? Negare non possumus, Auditores, vere Dei Filii humilitas est.

Verum non ei tribuitur secundum eam naturam, quam accepit a Patre, nisi fortasse metaphorice, et per quamdam similitudinem, ut doctores Theologi dicunt; sed dumtaxat secundum eam, quam assumpsit ex virgine. Si modo rex aliquis agricolæ alicujus vestes indueret, ut fieri solet, videlicet ne passim ab omnibus cognosceretur, ei profecto rustici nomen si non ratione status ac dignitatis; certe ratione vestium optime conveni-

ret. Neque dubium est, quin a multis agricola putaretur, despiceretur, contemneretur, fortasse etiam, si se præberet occasio, levi de causa vapularet. Pari ratione rex noster ac Dominus, *Cum in forma Dei esset, et Non rapinam arbitraretur Esse se æqualem Deo; tamen semetipsum, ut ait Apostolus, exinanivit.* Ad quem modum, Apostole beatissime? Dei formam et majestatem amittendo? Ipsum audiamus. *Formam, inquit, servi accipiens, et in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo.*

Itaque sicut rex ille rusticus dici poterat, quia rusticas vestes induerat: sic etiam rex noster, ut magnus Athanasius in libro de salutari adventu Christi docet, ideo humilis et pauper factus est, quia humilem et pauperem naturam accepit. Induit enim carnem nostram, vestem plane rusticanam, et cum ea *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est, et tamquam unus de plebe imo ultimus in plebe, et Novissimus virorum nihili factus est, irrisus est, consputus est, humilis denique, et humilis valde habitus est, quem tamen Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Ut autem vestis hujus, qua Dominus noster vestiri dignatus est, vilitatem intelligamus, illud cogitare debemus, res omnes creatas duobus generibus omnino contineri. Alia enim incorporea, alia corporea sunt. Ac in incorporeis quidem ordines seu gradus decem inveniuntur, nimirum ordines Angelorum novem, et unus mentium humanarum, qui sine controversia infimus ac postremus est. Quod quidem, vel ex eo intelligi potest, quod animus humanus quasi quidam horizon in finibus intelligentium ac sentientium formarum positus est: et ab intelligentibus differt, quod ipse sentiens, seu potius sentiendi principium, et corporis perfectio est. Et rursus a sentientibus differt, quod mente atque intelligentia præditus est: neque vero in rebus corporalibus sui gradus et ordines desunt. Nam primum et maxime sublimem locum cælum, tamquam corpus purissimum et nobilissimum obtinet: subter cælum est ignis, subter ignem aer, subter aerem aqua, subter aquam terra tamquam fæx mundi, et elementem gravissimum, obscurissimum, et rudissimum posita est. Jam igitur ex tot rerum generibus, quæ obsecro ad hominem componendum convenisse existimatis? Sane res admirabilis est hominis constitutio. Volebat

Deus hominem duplici parte constare, et partim corporeum, partim incorporeum esse, et tamen ut omnis superbiæ occasio tolleretur, non valde nobilem aut sublimem illum existere; jam enim arrogantiam Deus hujus lascivientis vermiculi prævidebat. Quid igitur fecit? Ex utroque genere rerum id, quod infimum atque abjectissimum erat accepit: nempe mentem humanam ex incorporeis, et terræ limum ex corporatis, atque ex his naturam unam effecit, quam nunc humanam appellamus. Itaque si animum tuum inspicias, nullum alium animum viliolem, et minus intelligentem: si materiam corporis tui, nullam ea sordidiorem, atque humiliorem reperiri videbis. Num igitur non rustica, et pannosa vestis hæc nostra natura existimanda est, præsertim si cum excellentia et nobilitate tanti regis comparetur? Vere, auditores, vere *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo.* Nam etiamsi Angeli omnium præstantissimi naturam Dei Filius assumere voluisset, adhuc vestimentum valde rusticanum induisset: tanta est Filii Dei sublimitas atque majestas. Quanto igitur magis nunc pannosam et vilem tunicam induisse dicendus est, cum non cœlestem ac prope divinam Angelorum: sed terrestrem ac mortalem hominum naturam induerit? Conjunctio sane duarum naturarum tam discrepantium, tam dissimilium, tam disparium, tam extremarum, quales sunt divina atque humana, ejusmodi est, ut si facta jam non esset, numquam in hominum animos cadere potuisset esse faciendam. Multo siquidem minus esset hominem effici pulicem vel formicam, quam verbum Dei cum carne humana conjungi. Nonne abjectio maxima et humilitas incredibilis videretur, si homo posset et vellet ita formicæ naturam assumere, ut vere formica diceretur, et esset? Et tamen quid interesse putatis inter hominem et formicam? Homo corpus habet, habet et formica: sensu præditus est, et formica: homo ratione et consilio gubernatur, et formica: tametsi enim rationis est expertus, ita tamen prudenter et sapienter operatur, ut Salomon homines ipsos ad scholam formicæ mittere non dubitaverit: *Vade, inquit, piger ad formicam.* At quæ lingua tam erudita, sapiens, tam diserta vel mediocriter explicare posset, inter Deum et hominem, quantum discriminis sit? Deus creator, homo creatus: Deus æternus, homo caducus:

Deus summum et infinitum bonum, homo pulvis et cinis : et tamen hodie vere canere nobis licet : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quis loquetur potentias Domini et auditas faciet omnes laudes ejus ?* Si Deus hominis aliquando recordari, et ab eo cognosci voluisse tantum est beneficium, ut David stupefactus clamet, *Quid est homo, quia innotuisti ei ?* Et rursus, *Quid est homo, quod memor es ejus ?* Quid nos facere, quo gaudio exultare, qua lætitia gestire, quibus vocibus Dominum laudare par esset ? qui (ut ante dicebamus) sine mendacio canimus, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis ?* Hæc eo spectant, auditores, ut intelligamus quam eximium, quam excellens, quam singulare sit illud donum, quod his diebus accepimus : et quanta amoris dulcedo in corde sempiterni Patris recondita : ac demum, quam non immerito Ecclesia dicat, *Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti.*

Verum quando jam ostendimus Dei Filium non secundum naturam divinam sed dumtaxat secundum humanam humilem dici posse, quanta fuerit secundum hanc ipsam naturam ejus humilitas, breviter, si placet aperiamus : tres sunt gradus humilitatis. Unus eorum, qui superioribus se subjiciunt : alter eorum, qui etiam pares tamquam superiores colunt : tertius eorum, qui non modo cum paribus, sed etiam cum inferioribus tamquam inferiores se gerunt. Ac primus quidem incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum est. Nam superioribus subjici humilitas quædam est : paribus subjici magna quædam humilitas est ; inferioribus subjici maxima, perfectissima atque absolutissima humilitas est. Majorem enim hac humilitatem nemo habet, quam ut se quis inferioribus subjiciat. In primo gradu Dominus noster plane enituit. Nam cum Deum superiorem haberet, ita se ei subjecit, atque ejus imperio ita obtemperavit, ut cum ab eo ad labores, ad jejunia, ad ignominiam, ad verbera, ad crucem, denique ad mortem mitteretur, non modo imperium non recusaret, sed etiam incredibili cupiditate illud perficiendi flagraret, *humiliavit semetipsum, inquit Paulus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quin etiam semper Patrem Deum se homine majorem prædicabat, et omnia opera sua in eum tamquam in primum auctorem referebat. *Vado ad Patrem, inquit, quia Pater*

major me est, et rursus : A me ipso facio nihil : sed Pater in me manens facit ipse opera. In secundo gradu propterea Dominus versari non potuit, quod parem nullum, cui se subicere posset, haberet. Est enim ipse omnino medius inter creatorem et res creatas. Deum habet superiorem, sed cætera omnia inferiora. Ipse enim, ut ait Apostolus Petrus, *Profectus est in cælum subjectis sibi Angelis et Potestatibus et Virtutibus.* Et *Est caput, ut beatus Paulus ait, Omnis principatus et potestatis. Omnia enim, ut testatur idem Apostolus, Subjecit Deus sub pedibus ejus, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.* Porro in tertio, atque adeo perfectissimo humilitatis gradu nemo unquam, ut noster Liberator, excelluit. Quibus enim se Dominus non subjecit ? Terreno imperatori imperator ipse cœlestis se subjecit, cum nondum natus in Bethleem perrexit, ut ejus edicto pareret. Parenti Virgini et Josepho nutritori se subjecit, de quo legimus, *Et erat subditus illis.* Legis præcepto ipse legis et Prophetarum auctor se subjecit, cum offerri in templo, circumcidi et redimi voluit. Baptistæ Joanni ipse verus Baptista se subjecit, cum ab eo in aquis Jordanis baptizatus est. Discipulis suis ac servis ipse verus Dominus ac magister se subjecit, cum eorum pedes lavit. Hominum judicio ac tribunalibus ipse Judex vivorum et mortuorum se subjecit, cum ad crucem condemnatus est. Denique morti ac doloribus ipse vitæ et salutis auctor se subjecit, cum virgis cæsus, et in crucem raptus, atque sublatus est. Hæc est igitur humilitas filii Dei, hæc dexteræ manus porrectio, hic ligni descensus in aquas, ut securis, quæ ceciderat, enataret : et homo atque orbis totus, qui jacebat, erigeretur. *Deus, inquit Ecclesia, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti.*

De camelo ferunt, eum, cum onerandus est, sponte sua procumbere : deinde ubi onus super eum impositum est, surgere et onus simul attollere. Sic, auditores, Liberator noster fecit. Nam cum instar cameli magnus ac sublimis esset, ita ut sedem haberet in cælo et scabellum pedum suorum in terra, quisnam super humeros ejus mundum, qui ceciderat, imponere, aut eum in terra deprimere potuisset ? Non dicat Romanus. Ego Deum ad terram prostravi : non gloriatur Judæus, se manus impias in regem gloriæ injecisse. Nam nisi ipse sponte sua genua flectere et humi procumbere voluis-

set, nemo ipsum non modo lædere, sed ne attingere quidem potuisset. *Ego, inquit, pono animam meam : nemo tollet eam a me : sed ego pono eam.* Ipse igitur instar cameli semetipsum exinanivit, genua flexit, humi procubuit : deinde post paululum exurrexit, et nos simul in humeros suos sublato, de imo fluvio ad summum exivit. Nec enim surgere Dominus poterat, quin natura nostra, quam ille susceperat, simul exurgeret. Non enim corpus æthereum, ut Valentinus putabat ; neque phantasma, ut Manichæus somniabat, neque corpus sine anima, ut Apollinaris delirans asserebat, sed vere corpus humanum et verè animam humanam Dei Verbum suscepit. Neque solum corpus illud et animam illum Dominus in regnum cœlorum invexit ; sed nos omnes, si non re, certo spe salvos atque beatos effecit. *Cum essemus mortui peccatis, inquit Apostolus Paulus, convivicavit nos Christo, cujus gratia estis salvati et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus.*

Verum enim vero, auditores, illud oblivisci nullo modo debemus, nondum re ipsa, sed spe tantum salvos esse : et adventum Domini nos de lacu miseræ et de luto facis extraxisse quidem ; sed nondum a flumine penitus eduxisse, jacebamus in profundo, nunc in summis aquis natamus : hærebamus in luto, nunc extra aquas caput extulimus ; sed nondum tamen ad ripam pervenimus : magna pars fluvii trajicienda est, adhuc impetum fluminis, adhuc flatum ventorum, adhuc casum istum formidare debemus. Quid igitur nobis faciendum est, ut sine periculo fluvium istum trajiciamus, et securi ac læti ad ripam perveniamus ? Accipite consilium meum utilissimum ac saluberrimum et animis vestris mentibusque diligentissime commendate, et finis sit orationis.

Experientia ipsa testatur, auditores, eos qui periculosa flumina, ac præsertim equis transmittunt, si in aquas currentes intuentur, continuo perturbari, et ex equis ruere : si vero non in cursu aquarum, sed in eam ripam, ad quam tendunt oculos coniectos habeant, feliciter pene semper evadere. O consilium singulare ? Beati, plane beati, qui illud capere et sequi diligenter voluerint. Fluvius, quem transmittimus, res creatæ, labentes et perituræ sunt : ripa florida, pulcherrima, immobilis, ad quam pergimus, regnum cœlorum est. Qui igitur cursum istum aquarum, honorum, voluptatum, divi-

tiarum, deliciarum, et commodorum præsentium ac fragilium aspiciunt, ipsi seipsos decipiunt, et sibi ipsis ruinæ et interitus causa sunt. Res enim istæ, si aspiciantur, perturbant, excæcant, circumagunt, delirare atque insanire etiam homines prudentissimos faciunt. At ii, qui serio statuerunt, sibi oculos a Dei regno removendos non esse, et res adversas fortiter propter illud præmium patiuntur, et res secundas non minus fortiter propter idem præmium contemnunt, o quam, secure, quam jucunde, quam alacriter flumen transmittunt.

Aspicite, auditores, atque intuemini, quæ nobis exempla Dominus Christus, et ejus protomartyr, alter nascendo, alter moriendo reliquerunt. Stephanus beatissimus juvenis erat, sicut magna pars nostrum hodie est : carnis infirmitate circumdatus erat : fluvium, quem nos trajicimus trajiciebat : et cum die quadam fluvius intumesceret, et rapidissimo cursu ferretur, nec solum aquæ, sed magni etiam et crebri lapides cum aqua descenderent, et ipse in medio fluvio constitutus esset, quid illum fecisse putatis ? num animum abjecisse ? num lapidum impetum extimuisse ? Nihil horum fecit. Nam in solam ripam oculos coniectos habebat. *Ecce, inquit, video cœlos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Ecce quid ille aspiceret, quid intueretur, quid animo cogitaret, cum fluvium istum pertransiret. Atque hac ratione brevi feliciter *obdormivit in Domino*, hoc est, ad ripam, ad portum tranquillissimum pervenit. O verum somnium ! O quietem placidissimam ? Obdormivit B. Stephanus, ut in die novissimo gloriosus resurgeret. Obdormivit, ut jam a laboribus penitus requiesceret. Obdormivit in terris, ut perpetuo vigilaret in cœlo, et corona gloriæ juxta nomen suum coronatus, et martyrii palma illustris perpetuo triumpharet.

Sed quid ipse Dominus, princeps et caput martyrum fecit ? Non timebat, auditores, quidem iste cursum aquarum, tuto in aquas respicere poterat : atque ut apertius loquar sine periculo inter opes amplissimas, et in maximis honoribus versari potuisset ; nihilominus tamen, quia dux noster esse, et exemplo nos docere volebat, in aquas, labentes numquam oculos suos defixit, et nihil plane rerum præsentium habere voluit. Respicite ortum, respicite cursum vitæ, respicite obitum, et semper eum aut nudum aut seminudum videbitis.

Erubescat igitur Christianus, qui nisi in deliciis vivere non potest. Erubescat Christianus, qui dies festos agere nisi in comestationibus et ebrietatibus non novit. Ego quidem, auditores, vehementissime timeo, ne sicut virgo beata in die festo filium amisit, sic in istis festis diebus plerique Christianorum Domini gratiam et Dominum ipsum amittant, et dum adhuc de ortu Domini gaudent, in ipsis Dominus moriatur. Nam sicut per jejunia præcedentia Dominum introduxerunt, quis dubitat quin etiam per crapulam et ebrietatem illum expellant? Respicite, quæso, respicite ad quem modum nasci voluit. Nascitur Dominus orbis, et palatium ejus vile tugurium est: aula ejus, stabulum pecudum est: tapetia ejus, telæ aranearum sunt: lectulus præsepe, et famuli bos et asinus. Regina mater sedet in fœno, rex filius jacet in præsepio. O quam cito, dulcissime puer, rationem transmittendi fluminis demonstrare aggredieris! Nondum loqueris ut tibi ipsi prospicias; et satis loqueris, ut nos admoneas atque instituas. Vix natus es, et bellum contra voluptates ac ciasteli geris: et famem ac sitim, frigus, ac nuditatem et elia vitæ hujus incommoda incipis sustinere. Et hæc quidem initia sunt, majora te manent pro nostra salute ferenda supplicia. Cresce, puer dulcissime, cresce. Jam enim exacuitur culter, ut circumcidaris. Jam tibi fuga in Ægyptum, squalidæ solitudines, jejunia intolerabilia, tentationes gravissimæ, itinera frequentissima, persecutiones atro-

cissimæ, labores infiniti, dolores incredibiles, verbera sine numero, vulnera sine mensura, jam spinæ et clavi, jam crux et lancea tibi parantur. Nunc amarum calicem passionis primoribus tantum labellis degustas; post paululum autem totum usque ad fæces exhauries. Nunc jaces inter animalia mansueta, quæ te fovent, venerantur, adorant: tunc tauri multi, et canes multi circumdabunt te. Nunc te simplices pastores munerebus rusticanis honorant; tunc execrabiles scribæ et Pharisei in te maledicta, convitia, falsa testimonia et blasphemias evoment. Nunc Angeli cum lætitia canunt, *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: tunc turbæ insanæ clamabunt: *Tolle, tolle crucifige eum*. Nunc Maria et Joseph te medium habent: tunc in medio latronum, tamquam princeps sceleratorum, pendebis. Nunc hiemis asperrimæ frigus et horror lacrymas ex oculis tuis eliciunt: tunc plagæ ac vulnera sanguinem ex omnibus tui corporis membris elicient. Et hæc omnia, et alia multa non propter te, sed propter nos, et pateris et patieris: nos ægri sumus, tu pharmacum bibis: nos fures sumus, tu furtum exsolvis: nos culpas admisimus, tu luis pœnas: neque id solum, sed etiam lacrymis tuis risum perpetuum nobis acquiris: et nuditate vestem gloriæ, et stabulo paradisum, et laboribus quietem, et morte vitam beatam et sempiternam, quam nobis concedat Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XIII.

DE DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

THEMA

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre. *Gal. iv, v. 1.*

SYNOPSIS

Triplici sensu præsens thema explicatur, secundum sensum Ecclesiæ, Apostoli, et auctoris. Christus nos sua Nativitate humilitatem docere voluit, unde illum Deus Pater in specie servi et parvuli, cum esset absolutus hæres, sub tutoribus Joseph et Maria ad nos misit, ne ullam eum non recipiendi excusationem haberemus. Atque hic est Ecclesiæ sensus. Paulus autem reprehendere volens Galatas, quod ita ad legem veterem inclinati essent, statum legis veteris pueritiæ comparat, Evangelii vero maturæ ætati: ubi puerorum conditiones convenientissime Judæis adaptantur, ut sunt, non differre a servis, non uti pleno rationis iudicio, non provocari ad bonum spe magnorum præmiorum, nec metu gravium suppliciorum a flagitiis absterreri. Modernus festa celebrandi ritus improbatur. Tertio exponitur de nobis, qui etsi respectu Judæorum viri quidem sumus, tamen respectu sanctorum adhuc pueri sumus et hæredes Christi. Quanto utilius sit homini subesse quam præesse exemplo puerorum docetur, et quanto studio sancti veteres subesse affectarint. Ubi obedientiæ et vitæ monasticæ laus encomio egregio celebratur: et quorundam frivola sollicitudo objecta retunditur. Denique ad obedientiam et humilitatem superioribus exhibendam in omni statu, exhortatio epilogum agit.

Tribus modis Apostolicam sententiam, quam hodierna die nobis Ecclesia considerandam proponit, exponi posse video. Uno modo juxta sensum Ecclesiæ, altero modo juxta sensum alium ad nostrum propositum accommodatum. Quis est igitur sensus Ecclesiæ? Cur hodie infra octavam Natalis Domini sententiam istam Ecclesia legi voluit? Non alia de causa, auditores, quam ut nobis incredibilem Dei nostri caritatem, obedientiam et humilitatem, commendaret, qua his diebus formam servi pro nobis accipere dignatus est.

Videbat Deus genus humanum morbo superbiæ potissimum laborare, neque esse aliquid, quod omnes homines in suam perniciem magis appetunt, quam regere, præesse, dominari. Videbat præterea medicamenta verborum, et cohortationum, quæ per prophetas suos adhibuerat, parum aut nihil profuisse. Quid igitur fecit? Cogitavit de adhibendo medicamento efficaciori, videlicet de Christo. Magis enim movent exempla, quam verba, ut omnes noverunt. Ait igitur intra se: Mittam ad eos doctorem aliquem sapientissimum, cui non credere stultitia sit; et jubebo, ut servi habitum assumat, ut reipsa et factis doceat humilitatem. Sed quem mittam? Hominem aliquem? At fortasse dicent cum ideo servire, quod non potuerit regnare. Angelum aliquem? At estimabunt eum divino imperio compulsam, non libenter et ex animo in humilitate vivere? Scio quid faciam, *Verebuntur* fortasse *filium meum*: illum igitur mittam, ut cum

viderint homines filium meum sapientissimum, et naturaliter Dominum atque hæredem bonorum meorum, et quem nemo cogere, cui nemo imperare potest; tam sponte sua, et libera voluntate servi formam accipere, et humilitatem verbis et factis prædicare, excusationem nullam habeant, et *Convertantur et sanentur eos.*

Sed quomodo fiet istud? Si Filius Dei naturaliter Dominus atque hæres est omnium divitiarum Dei Patris, quo pacto servus esse poterit? Numquid hæreditati paternæ renunciabit? At id, neque potest, neque decet fieri. Qua ratione igitur fiet, ut idem sit hæres et Dominus; et tamen ut servus aliorum potestati subjiatur? Audite quale consilium salutis nostræ amator ardentissimus Deus invenerit: consideravit hæredem quanto tempore parvulus est nihil a servo differre, cum sit Dominus omnium, nec enim parvuli regere aut gubernare, vel seipsos aut alios possunt, quod proprium domino est; sed contra potius reguntur, gubernantur, tractantur, moventur ad arbitrium aliorum, quod est maxime proprium eorum, qui serviunt. Faciam igitur, inquit Deus, ut filius meus, qui secundum formam Dei servire non potest, naturam humanam assumat, et non repente existat vir naturæ atque perfectæ ætatis, sed primum sit infans, deinde puer, tum adolescens, postremo vir; atque hoc pacto quanto tempore parvulus erit more cæterorum infantium aut puerorum, nihil differet a servo. Hic est igitur sensus Ecclesiæ: Fratres, inquit, quanto tempore hæres Dominus noster ac liberator Christus, parvulus est, infans est, parvulus est, sicut istis diebus est, nihil differt a servo, non loquitur, non imperat, non ambulat quo vult; sed sub tutoribus et actoribus Josepho et Maria est, qui eum nutriunt, custodiunt, tractant et movent ut volunt; idque usque ad præfinitum tempus a Patre, hoc est, usque ad annum trigesimum, usque ad istud tempus erit subditus illis: et tum demum a Patre constituetur *Rex super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus*: tunc primum incipiet prædicatione Evangelii colla vel corda potius hominum sibi subicere, et omnem terram ad imperium suum adungere. Istud igitur fuit Domini nostri plenum sapientia, plenum pietate, plenum charitate consilium. Ista fuit illa admirabilis, et obstupescenda adinventio, de qua loquitur Isaias, cum in

illo suo pulcherrimo cantico ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in illa die, confitemini Domino et invocate nomen ejus, notas facite in populis ad inventiones ejus.* O qualem inventionem, auditores! O quam dignam omni acceptione, et quam dulciter complectendam, et animo altissime infigendam! *Confitemini Domino, et invocante nomen ejus.* Dicite superbis atque ambitiosis: vide miser quid excogitaverit Deus tuus, ut te a morbo isto liberaret, Filium suum sapientissimum potentissimum, regem angelorum, Dominum universitatis servum esse voluit, hominibus pauperibus subesse voluit, præsepi, et lacte, et fasciis et bajulo indigere voluit: istas fossas altissimas et profundissimas fieri, voluit ut arcem tuæ superbiæ debellaret: et tu adhuc non intelligis miser, quo te ista sua superbia ducat? Depone fastum, comprime tumorem, agnosce pulverem tuum; noli velle videri major Domino tuo, et sapientior magistro tuo. Hic est igitur sensus Ecclesiæ. Nunc sensum Apostoli videamus.

Castigare volebat beatus apostolus Paulus filios suos Galatas, quod a perversis quibusdam hominibus seducti, putarent esse necessarium cæremonias veteris legis simul cum Evangelio observare, circumcidere masculos, colere sabbatum, agere neomenias, et alia, quæ Judaico populo præscripta erant. Itaque comparat statum veteris legis pueritiæ, statum Evangelii ætati maturæ, ut inde Galatis et nobis omnibus ostendat, tam turpe esse Christiano cæremonias legis observare, quam turpe esset viro gravi cum pueris ludere. Quis non rideret, si virum aliquem quadraginta vel quinquaginta annorum videret currere, et clamare cum pueris per plateas, flagello verberare trochum

Ædificare casas postello ad jungere mures.

Ludere par impar; equitare in arundine longa?

Ita prorsus ridiculi et ridendi sunt, qui Judaicis fabulis intendunt.

Atque ut hoc paulo diligentius et accuratius explicemus, quæ sunt conditiones puerorum? Primum a famulis non differunt. Nam ut scitis et experientia didicistis, in domibus bene institutis, sicut servi, ita etiam pueri, non quod volunt agunt, sed ad arbitrium aliorum vivunt, quin etiam minorem libertatem pueri habent, quam servi, et minus tractant pecunias et res cæteras, quam servi: imo sæpe ipsis servis pro uno

nummo æreo supplicabunt. Deinde iudicium rationis nondum plenum et maturum habent, et magis sensibus more brutorum, quam ratione ducuntur: ex quo fit, ut pueris pædagogus attribuat, qui eos elementa doceat. At ideo perverso modo instituuntur ii, qui nondum pueritiam excesserunt, et tamen gymnasia philosophorum aut jureconsultorum frequentare jubentur: Nam nec in eo studio propter iudicii immaturitatem proficere possunt, et interim tempus illud amittunt, quo levioribus disciplinis humanitatem informari debuerant. Postremo nec spe magnorum præmiorum ad bonum provocantur, nec metu gravium suppliciorum a flagitiis deterrentur. Pueri siquidem multo facilius ducuntur pomis et placentis, quam promissione civitatum et regnorum. Et contra non usque adeo terrentur metu magnorum suppliciorum, carceris, exilii, crucis, sed id quod maxime timent, nihil est aliud quam virga.

Istæ sunt igitur conditiones parvulorum, quæ optime atque aptissime in Judæos conveniunt. Prima est a famulis non differre: et lex vetus in servitutem homines condempnabat, ut Apostolus ait: in servitutem vero, non solum quod eos de diaboli et peccati potestate non liberabat; sed etiam, quod iugo multiplicium et obscurissimarum cæremoniarum subiciebat, et quod minis et terroribus ad legem observandam compellebat: quod eisdem magis peccatores, atque adeo magis servos ex occasione faciebat. *Littera enim occidit, spiritus vivificat*: ex lege non deletio, sed cognitio peccati et *qui cognoscit voluntatem Domini sui et non facit, vapulabit multis*: Deinde lex per litteram jubendo et per spiritum non adjuvando, magis concupiscentiam hominum peccatorum excitabat, et eos iræ ac vindictæ magis obnoxios reddebat. Itaque *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum*; sed *peccatum occasione accepta per mandatum, majores vires accipiens, miserum hominem in servitutem adhuc duriores et graviores redegit*. Hoc est quod apostolus ad Romanos scribens; *Lex, inquit, iram operatur*. Nam per legem cognitio peccati, per cognitionem concupiscentia (siquidem ferimur in vetitum), per concupiscentiam legis transgressio, per transgressionem reatus atque obligatio ad pœnam. Servi igitur erant Judæi, nos vero liberi sumus, *ea libertate, qua nos Christus liberavit*: Nam et jugum illud grave tam

multiplicium cæremoniarum de cervicibus nostris Christus amovit, et vinculum peccati, quo crudeliter astricti tenebamur a diabolo ipse confregit. Et *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, quæ vere ac proprie lex nova et Evangelium dici debet, nos tales effecit ut jam Deo non tamquam vindici et exactori, timore quodam servili; sed ut amantissimo et dulcissimo patri, liberali et spontanea voluntate serviamus. Deinde Judæi nondum plenum et maturum iudicium rationis habebant, quæ est altera conditio puerorum. Hinc videlicet legem tamquam pædagogum habuerunt, et in scripturis suis non sublimes et theologicos sensus; sed litteram dumtaxat et grammaticam intelligentiam assequebantur. Nec parum inter eos profecisse videbatur, qui Deum unum esse cognoscebat, et vitulos aureos et argenteos pro Deo non adorabat: denique ita crassam adhuc, et plus quam bovinam et asininam intelligentiam habebant, ut Deus per Isaiam diceret: *Cognovit hos possessorem suum et asinus præsepe Domini: Israel autem me non cognovit*. Christiani vero, quorum status non puerorum, sed virorum gravium et perfectorum est, non amplius pædago subjecti in elementis primis versantur; sed ipsum Christum, doctorem, theologum maximum et sapientissimum, de reconditis ac arcanis mysteriis disserentem audiunt. Postremo pueri nec spe magnorum præmiorum ad bonum provocantur, nec metu magnorum suppliciorum a flagitiis absterrentur; sed pomis et placentis, et metu virgæ facillime ducuntur: ita quoque Judæi tamquam vere et proprie pueri, parvis rebus movebantur, promissione unius anguli augustissimi orbis terrarum victoria de inimicis, pace temporali. Denique nihil frequentius Dominus eis pollicebatur, quam terram fluentem lacte et melle. Et quid, quæso, avidius expetunt pueri quam lac et mel? At vero Christianis hominibus jam viris effectis, non lac et mel; sed regna atque imperia Deus promittit, nempe cœli possessionem consortium Angelorum, conspectum et colloquium Dei, gloriam, beatitudinem, immortalitatem. Pari ratione Judæi virgam metuebant, damna et supplicia temporalia: Christiani autem non virgam, sed patibulum; non jacturam temporalium bonorum, sed gehennam et ignem sempiternum metuunt. *Nolite timere eos* (ait Dominus), *qui occidunt corpus, nolite metuere virgam; sed timete*

eum, qui postquam occiderit corpus, potest etiam animam perdere in gehennam. Hinc igitur Apostolus Paulus argumentum sumit ad suos Galatas stultitiæ apertissime convincendum, tamquam si diceret : O insensati Galatæ, quis vos docuit repuerascere? Si tempus legis pueritia atque infantia quædam erat; si tempus Evangelii ætas gravis et matura est, unde vobis desiderium ex Evangelio ad legem redeundi? Quando visum est, ut aliqui ex senibus fierent pueri? Videmus quidam quotidie ex pueris fieri senes, sed pueros ex senibus fieri numquam vidimus.

Atque ista quidem Apostolus ad Galatas : sed quæ multo majori ratione in homines Christianos hujus temporis conveniunt. Nam, ut prætermittam cætera, quid, quæso, crastina die, pridie videlicet circumcisionis, et rursus paulo post pridie Epiphaniæ plurimi ex Christianis facient? Quales ineptiæ videbuntur, quales nugæ plus quam pueriles exercebuntur? Et quid est hoc aliud quam judaizare, quam repuerascere, quam ignorare Christianismum? Quid enim interest inter Judæos et Christianos, quantum ad festorum dierum celebrationem attinet? Nonne quod illi tamquam pueri epulabantur coram Domino, bibebant vinum, comedebant pinguis, mactabant boves et oves, et carnali atque externa quadam lætitia exultabant: isti vero, Christiani videlicet, et spirituales solemnitates spiritali lætitia, spiritualibus epulis, cantentes et psallentes in cordibus suis celebrare debent? O quantum absumus a religione et perfectione patrum majorum nostrorum. O quid illi istis diebus sentiebant. O quanto silentio, et quam altis contemplationibus suspendebantur. O quomodo spiritus eorum istis diebus pinguescebat, cor liquefiebat, oculi pluebant dulces lacrymas, omnia ossa et omnes medullæ exultabant! Non supererat illis tempus, quod in nugis et vanitatibus consumerent: totos dies, et magnam partem noctium stupor ille ingens, atque admiratio tot Sacramentorum, quæ his diebus Deus peregit, illa abyssus charitatis et humilitatis Dei nostri sibi vendicabat. Sed jam ad tertium et postremum sensum hujus loci veniamus.

Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre. Videtur mihi hoc loco Apostolus virtutem obedientiæ et humilitatis tamquam imprimis necessariam homini Chri-

stiano, commendare. Quemadmodum enim tempus legis cum tempore gratiæ, comparatum pueritia quædam est: ita quoque tempus gratiæ, si cum tempore gloriæ conferatur pueritia est. Et nos licet cum Judæis collati viri simus: tamen cum beatis hominibus, et cælum jam obtinentibus comparati, nihil aliud quam pueri sumus: et rectissime dicitur de nobis, ut B. Hieronymus exponit, *Quanto tempore hæres, hoc est, homo Christianus, qui vere est hæres Dei, cohæres autem Christi. Parvulus est, per fidem videlicet ambulat et non per speciem (nam fides est parva, et imperfecta cognitio, et propria puerorum). Nihil differt a servo, hoc est, pro suo arbitratu non vivit; Sed sub tutoribus et actoribus est, sub obedientia præpositorum, et patrum spiritualium degit, Usque ad præfinitum tempus a patre, usque ad finem hujus, et principium alterius melioris et felicioris vitæ.* Itaque omnes nos pueri sumus, et si salvi esse velimus, more puerorum vivere debemus; *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

Sicut igitur parvulis nihil pejus et gravius accidere potest, quam relinquere sibi: si enim parvulus aliquis tutoribus et actoribus destituatur, et rem suam familiarem per se administrare incipiat, an non paucissimis diebus omnia bona sua dissipabit et pauper ac mendicus fiet? Ita quoque nihil nobis omnibus periculosius, quam præesse, nihil utilius, quam subesse: nam pueri sumus. Omnes quidem homines incredibili cupiditate flagrant libertatis, neque mala est ista cupiditas, sed bona et naturalis et implebit eam Deus tempore suo: sed error noster in eo versatur, quod nimis properamus, et dum adhuc pueri sumus dominari et regere volumus. *Qui crediderit, inquit Isaias, non festinet, veniet aliquando tempus, quando tutoribus et actoribus non indigebimus, et magis liberi et domini et reges erimus, quam unquam optare potuimus. Sed Qui crediderit non festinet: Vanum est vobis ante lucem surgere: expecta modicum, et dum parvulus es, tutores et actores non aspernare, bonum est tibi ad tempus subesse magis quam præesse. Non vidisti aviculas adhuc implumes volare volentes sine alis, et miserabili casu ad terram corruentes? Non vidisti frumentum, quod nimis mature exortum est, statim exsiccari? Hinc videlicet beatus Franciscus vir sapientissimus dicere solebat: « In præstatione periculum, in obedientia lucrum, in*

humilitate meritum : et stultos esse illos, qui eo tempore, quod nobis ad meritum concessum est, non meritum, sed periculum magis amant : » hinc ipse idem non solum munere generalis magistri vel ministri, ut ipsi loquuntur, se abdicavit, nec solum generali et provinciali ministro, sed etiam privato custodi obedire voluit. Hinc etiam magnus ille Joannes, ut collatione 19. auctor Cassianus, cum annos triginta in eremo sanctissimam et sublimissimam vitam duxisset, tandem ad monasterium abbatis Pauli se contulit, et Deo gratius, ac sibi utilius, fructuosius, securius existimavit sub obedientia praelati alicujus, quam proprio judicio vivere. Hinc B. Hieronymus ad Rusticum scribens, et Bernardus in sermone tertia de circumcissione, et ante eos magnus Basilius in quæstionibus diffuse explicatis, vitam communem sub obedientia praelati utilitate et securitate vitæ solitariæ anteponunt. Ridebunt fortasse nonnulli, sed rideant quantum velint : ista est prudentia et sapientia vera sanctorum, quod pueri sumus, et mare magnum undosum et periculosum turbatissimum transeamus, et qui proprio sensu ducitur, propriis viribus et brachiis natat, qui vero Deo in homine obedit, et non facit quod vult, sed quod jubetur ; ille a Deo quodammodo fertur, et in Dei humeris quasi quiescens, non suis, sed Dei viribus, et brachiis natat. Hinc orta sunt monasteria, hinc religiones, hinc homines Deo suadente didicerunt prorsus vivere, ut pueri, non administrare rem familiarem, non uxores ducere, sed ad arbitrium aliorum vitam et mores suos componere. Id primum Apostoli fecerunt, deinde sancti pene omnes hoc genus vitæ adamaverunt : Nam præter Antonios, Paulos, Macarios, Hilariones, etiam Basilius, Nazianzenus, Hieronymus et Augustinus, Martinus, Benedictus, Gregorius et Beda, Anselmus et Bernardus, Dominicus et Franciscus monachi, et monachorum patres et pastores fuerunt. Imo vero post martyres fere omnes sancti homines, et miraculis et vitæ excellentia clari ex monasteriis et religionibus prodierunt.

Dicet aliquis, in modico suades nobis, ut omnes vitam istam amplectamur : « Opto apud Deum in modico et in magno. » Quid enim eam vitam laudem, quam Dominus consuluit, quam Apostoli tenuerunt, quam Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Bernardus summis laudibus prædicarunt, quam sancti pene omnes adamaverunt,

in qua ut Bernardus ait : « Homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, moritur securius, præmiatur copiosius? » quæ non audit querelas uxoris, nec gemitus liberorum, nec tumultum servorum : quæ hominem liberat sollicitudine opum acquirendarum, metu conservandarum, dolore amittendarum : quæ illum transfert de ordine hominum ad ordinem angelorum : quæ lætum in vita, securum in morte, beatum post mortem facit? Istam ego non laudem vitam? illos ego non prædicem, qui quanto tempore parvuli sunt sub tutoribus et auctoribus vivere decreverunt? Audi quid beatus Augustinus in epistola ad Hilarium scribens dicat : « Ergo ipse, inquit, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci ; neque enim quod dives non fui ideo minus mihi imputabitur : nam neque ipsi apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui et illud, quod habet, et quod optat habere, dimittit. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor. » Audiant hæc, qui a servitio Dei homines deterrent : « Quantis, inquit, possum viribus ad hoc propositum alios exhortor, et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est. » Et libro tertio contra litteras Petiliani : « Perrexit, inquit, deinceps Petilianus ore maledico in vituperationem monasteriorum et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum. »

At, inquis, si omnes religiosi fiant, mundus perigit : quis enim genus humanum propagabit? Quis urbes et regna gubernabit? Quis judicia et bella administrabit? Antiqua querimonia est, et ei sæpius Chrysostomus et alii Patres responderunt. Sed accipe breviter responsionem meam : eas tu et probatam ac sanctam religionem ingredi, ibique maneat, et pœnitentiam agas, donec omnes homines monachi fiant, et tum demum impendente periculo ne mundus pereat : habeto licentiam egrediendi. Stultæ et pueriles sunt istæ querelæ, neque tibi aut mihi cura incumbit providendi, ne mundus pereat : neque periculum est. Semper enim fuerunt, et erunt plures, qui viam latam quam qui augustam ingredientur.

Sed his omissis, quia non omnium est religiosos fieri, sed eorum dumtaxat, quod

Deus singulari beneficio ad obsequium suum vocat, et quibus inspirat spiritum perfectionis, contemptum rerum præsentium, desiderium futurarum (nec enim homines sunt, qui ista tam alta et tam sublimia persuadent, sed Deus ipse est), idcirco omnes exhortor, ut singuli in suo gradu et statu, quem elegerunt, obedientiam et humilitatem discant, ut

suis episcopis, suis pastoribus, suis præceptoribus, suis patribus tamquam tutoribus et actoribus, ut vere parvuli et hæredes regni cœlestis, penitus obtemperent, eisque subjaçant, ut hac ratione tandem ad veram libertatem et hæreditatem aliquando perveniant, quam nobis concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XIV.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI

THEMA

Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. *Isaiæ* LX, v. 1.

SYNOPSIS.

Etsi triplici mysterio festum hoc celebre sit, de uno tamen sola hac concione agitur, de vocatione scilicet Gentium per tres magos inchoata. Per Jerusalem in prophetica hac lectione intelliguntur Apostoli et fideles, qui intrepidi in fide permanserunt; ubi docemus constanter Ecclesiæ adhærere, etsi multi ab ea desciscant. Prophetæ poetis Ethnicis comparati. Sedere in loco sublimi vel humili, pro prosperitate, familiare Prophetis. Apostolos modis tribus surrexisse, et quomodo. Pauperum duo genera; et qua ratione vera gloria acquiratur per media debita. Quomodo Apostoli fuerint illuminati, per Christum scilicet, qui multis lux esse declaratur. Summa gloria Dei Patris Filius sapientissimus, et miracula etiam, quæ per Apostolos homines paulo ante rudes sequenter fiebant. Judæis obscuriores tenebras effudissè Deum quam gentibus demonstratur, quod in ridiculosis ineptiis sui Thalmud, et in recædificatione templi tempore Ruffini miraculose impedita luculenter appareret. Judæos vinci cæcitate a nostri temporis Hæreticis: hos vero a nonnullis Catholicis, qui vel solis ibi exorto oculos claudunt, vel ducentem stellam aut differunt aut facile deserunt, ostenditur.

Pars posterior propositum prosequitur thema, et in primis apostolos lumini periculose errantibus a longe apparenti comparat. Cur Deus Gentium vocationem ab humilibus et paupe-

ribus sit auspicatus causæ. 1. Ut Gentium conversio soli omnipotentiae Dei, et non regum industriæ adscriberetur. 2. Ut primitivæ Ecclesiæ fundamenta jacerentur firmiora. 3. Ut minus invideremus divitibus opes et honores, cum per ea nihilo sint meliores. 4. Quia facilius ignem verbi Dei instar lignorum aridorum concipiunt humiles, secus autem divites. Denique cum finis erat Evangelii homines a terrenis rebus abstractos divinis adjungere, facilius ab iis pauperes quam divites avelli quis non videt? Evangelii efficacia etiam reges convertere potuit, quod in hodiernis Magis apparet; ad quorum exemplum quisque conversionem suam instituere ad finem usque docetur.

Hodierna celebritas, auditores optimi, multis nominibus maxima et lætissima, et nostra, hoc est gentium propria, singularem devotionem ac religionem a nobis omnibus prope suo jure postulare videtur. Agimus enim hodie Domini apparitionem, et exultantibus animis beatæ spei initia celebramus, tribusque divinissimis, lætissimisque mysteriis ornatum, atque illustrem colimus diem. Hodie stella duce primitivæ Gentium tribus muneribus auro, thure et myrrha, Christum regem, Deum et hominem agnoverunt. Hodie liberator generis humani proprio baptismo aquas omnes ad sordes peccatorum eluendas et homines regenerandos consecravit. Hodie primo, eoque jucundissimo prodigio idem Dominus aquas mutavit in vinum, et nos dulcedinis et suavitatis cœ

lestis, quæ aquas temporalium tribulationum post hanc vitam consequetur, admonuit. Itaque cæteri festi dies, vel simplicem vel semiduplicem (ut Ecclesiæ verbis utamur), vel ad summum duplicem solemnitatem habent, sola celebritas hodierna merito, jureque optimo triplex nominari potest. Quia tamen mysterium primum maxime proprium est hujus diei, et ab Ecclesia Catholica matre nostra, tum in lectione prophetica, tum in Evangelio nobis proponitur, nos quoque prætermissis cæteris solam prophetica lectionem, quæ pulcherrima et jucundissima est Domino adjuvante explicare aggrediemur.

Initium igitur prophetica lectionis ejusmodi est : *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est : quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur, et ambulabunt Gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui.* Propositum Spiritus sancti in his paucis verbis non aliud mihi fuisse videtur, quam modum, et ordinem breviter explicare, quo gentes toto orbe diffusæ, ab impio cultu dæmonum, ad verum Deum convertendæ erant. Et quidem scripturæ divinæ ac præsertim vaticinia prophetarum sæpe repetebant Gentes aliquando convertendas atque ad agnitionem veri Dei adducendas fuisse. Sed mirum est, quam id parum intellectum fuerit antequam fieret : Nam ut in Actis Apostolicis B. Lucas refert, cum Apostolus Petrus Cornelium et alios nonnullos ex gentibus baptizari jussisset, et Spiritus sanctus super eos sicut olim super Apostolos descendisset, omnes obstupuerunt, et ipsi quoque Apostoli mirabantur. Existimabant Hebræi non gerere Deum curam aliquam gentium, sed eos penitus deseruisse. Verum aliud cogitabat Deus, id quod probe intelligens Apostolus Paulus, Judæis dicebat : *An Judæorum Deus tantum? nonne etiam gentium?* ac modus quidem, et ordo vocationis gentium talis fuit : Primum misit Deus in mundum Filium suum humana carne vestitum ; deinde per eum paucos, videlicet Apostolos, veræ fidei lumine illustravit : postremo per Apostolos ad Ecclesiam suam gentes adduxit, atque hoc est, quod paucis verbis Isaias docet, cum ait : *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et quæ sequuntur, singula verba perpendamus.*

Surge illuminare Jerusalem. Jerusalem dicuntur pauci illi Judæi, qui Christum receperunt, atque imprimis Apostoli. Antea quidem, quam Christus veniret in terras, omnes Judæi Jerusalem dicebantur, et ad populum Dei electum pertinebant ; sed posteaquam Christum coram Pilato negaverunt et aperte mallè se Cæsarem, quam Christum professi sunt, etiam Deus negavit ac deseruit eos, ut vaticinium Danielis impleretur : *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Itaque soli illi, qui permanserunt in fide patriarcharum et prophetarum, et Christo, quem illi venturum prædixerunt, adhæserunt, deinceps nomine sanctæ et electæ urbis Jerusalem censebantur. Ex quo nos etiam admonemus, ut cum videmus multos deserere fidem, et discedere ab Ecclesia, non perturbemur : siquidem Jerusalem semper est Jerusalem : Ecclesia semper est Ecclesia. Et sicut tunc scribis et Pharisæis, et legis doctoribus et sacerdotibus et multis de plebe cadentibus. Jerusalem tamen non cecidit, sed mansit in paucis illis, qui Christo adhæserunt : ita nunc licet homines multi, vel potius provinciæ multæ deserant ecclesiam ; ecclesia tamen non cedit. Itaque exeat quicumque velit, exeant scribæ, exeant pharisæi, exeant sacerdotes, exeant reges, exeant episcopi, exeant monachi, exeant legis doctores ; nunquam tamen ecclesiam, nunquam Jerusalem evertent, sed seipsos tantum perdent. Nam Ecclesia super firmam petram ædificata, et Jerusalem, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis, ruere non potest, et sive pauci, sive multi, illi Jerusalem faciunt, qui adhærent petræ et fundamento, cui Dominus ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Temporibus beati Hieronymi tanta confusio hæresum et sectarum inter Christianos erat, ut mundus totus nihil aliud, quam ingens quædam Babylonia videretur ; unus trahebat ad hanc partem, alius ad illam. Et quia tunc hæreses non ita perspicuæ et faciles et carnales erant, sicut modo sunt ; sed graves et subtiles hæretici solum amore veritatis moveri videbantur, atque idcirco omnes timebant, nec facile auderant isti parti vel illi adhærere ; quid tunc sancti et sapientes homines faciebant? Confugiebant in Jerusalem, hoc est, Apostolica sedi, sive cum paucis sive cum multis se adjungebant. « Hinc præsidiis, » inquit ad Damasum D. Hieronymus, fulsa mundi. Arriana rabies fre-

mit : hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat : ego interim clamito si quis cathedræ Petri jungitur meus est; et in epistola superiori : Ego nullum prævium, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, hoc est, cathedra Petri communionem consocior, super illam petram ædificatam ecclesiam scio : quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio. Istum igitur virum sanctum et sapientem his nostris perturbatissimis temporibus imitari debet, quicumque salutem suam vere consultum cupit.

Audiamus nunc quid ad Jerusalem, hoc est, ad cœtum et societatem apostolorum dicat Propheta : *Surge, inquit, illuminare Jerusalem.* Tales mihi omnino videntur in Ecclesia Dei fuisse Prophetæ, quales olim apud ethnicos fuerunt poetæ, mendaciis tamen et lascivis narrationibus semper exceptis. Quemadmodum enim poetis propositum erat non rem gestam simpliciter narrare; sed pulchro quodam modo, et artificiosis et venustis involucris ita dicere, ut admirationem et delectationem simul in animis audientium excitarent : volebat alicubi Virgilius docere, quo tempore ferendæ essent fabæ audi quomodo loquatur.

Candidus (inquit) auratis aperit cum cornibus annum Taurus, et adverso cedens canis occidit astro :

Rem eandem aliquis alius simpliciter ita dixisset : ad medum mensis Aprilis fabæ seminari debent : ita quoque prophetæ faciunt. Poterat enim Isaias simpliciter dicere. Veniet tempus, cum pauperes quidam et obscuro, ac rudes piscatores, doctores omnium gentium clarissimi et illustrissimi fient. Maluit vero more cæterorum prophetarum obscurius et venustius dicere : *Surge illuminare Jerusalem.* Existit enim in his verbis pulcherrima et elegantissima quædam translatio. Ita enim propheta cœtum illum exiguum et abjectum apostolorum alloquitur, quasi virginem aliquam captivam, et in pulvere sedentem alloqueretur, eique nuncium lætissimum liberationis et exaltationis adferret. *Surge, inquit, Jerusalem.* O pauperes piscatores, sedetis nunc in pulvere, surgite, sedebitis in thronis; estis humiles, eritis clari : estis peccatores, eritis sancti : estis piscatores, eritis imperatores. Familiare est sanctis scriptoribus, atque imprimis Prophetis per sessionem in loco sublimi et illu-

stri describere felicitatem et prosperitatem : et contra per sessionem in loco humili, in sordibus et pulvere, describere calamitatem et desolationem verbi gratia Isaiæ cap. 47. *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon : sede in terra, non est solium filiarum Chaldaeorum : quia ultra non vocaberis mollis et tenera,* quasi dicat : O tu rex Babyloniarum, sedes nunc sublimis in solio dominaris gentibus et populis multis, venient Persæ et Medi, et in pulvere sedere te facient : Et rursum cap. 52. *Excute de pulvere, con-surge, sede Jerusalem, solve vincula colli tui captiva filia Sion.* Ita igitur et nunc loquitur, *Surge Jerusalem,* O cœtus Apostolicus, evangelizo vobis gaudium magnum. Surge-tis vos aliquando de pulvere peccati ad sedem excellentissimæ sanctitatis. Surgetis de statu isto humili et obscuro ad honorem et culmen apostolicum. Surgetis de Judaica servitute, et abjecta ista spe promissionum terrenarum, ad Christianam et evangelicam libertatem, atque ad spem et expectationem bonorum maximorum et sempiternorum. Tribus enim istis modis apostoli surrexerunt et ascenderunt. Cogita B. Petrum : erat olim homo peccator sicut cæteri, erigit illum Deus ad fastigium tantæ et tam excellentis sanctitatis, ut esse posset doctor et magister pietatis omnibus, sicut etiam fuit. Erat olim unus quidam de piscatoribus Galilææ, capiebat et vendebat pisces, ea ratione et arte se et uxorem, et cæteram familiam sustentabat : erigit illum Deus ad apostolatam, et omnes regionēs et provincias orbis terræ ejus curæ et sollicitudini committit. Erat olim unus de cæteris Judæis, nihil sublime, aut altum cogitabat, aut sperabat, contentus erat illa promissione Domini : *Si audieritis me, bona terræ comedetis :* erigit postea illum Deus ad spem regni cœlestis beatitudinis et gloriæ sempiternæ. Hoc est igitur, *Surge Jerusalem.*

Sed ad quem modum Apostoli surrexerunt? Dedit illis fortasse Deus multas civitates, aut multa beneficia, aut saltem magnam vim pecuniarum? Nihil horum dedit. Neque enim temporales divitiæ requiruntur, ut aliquis clarus et illustris evadat : non requiritur, ut homo non sit pauper ; sed hoc requiritur, ut non vincatur et superetur a paupertate. Quidam pauperes inveniuntur, qui semper conqueruntur de divitibus, semper murmurant, semper blasphemant, semper quærent sive per fassive per nefas aliquid

acquirere: isti vere sunt pauperes, jacent sub inopia, et sunt miseriore omnibus hominibus; ferunt enim crucem, sed mali latronis, pauperes corpore, pauperiores animo, et in hoc sæculo et in futuro cruciantur. Alii sunt, qui licet nihil habeant, tamen nihil cupiunt, et scientes se patrem ditissimum habere, et conservari sibi hæreditatem amplissimam in cœlis, non magnificiunt inopiam istam, quæ ad quinque dies durat. Istis inopia non dominatur, sed ipsi potius dominantur inopiæ et ea bene utuntur ad æternas divitias consequendas. Sane graviter multi decipiuntur; omnes enim naturaliter desideramus ascendere, omnes cupimus nomen, famam, et gloriam: locus animorum nostrorum, quasi elementum nostrum sursum est: ideo sicut ignis semper conatur ascendere, quia sursum est locus ejus; sic etiam nos omnes semper ad loca sublimia suspiramus. Sed error plurimorum in eo versatur, quod honorem et gloriam quærunt quibusdam rationibus et modis, quæ ignominiam potius, quam gloriam merentur. Ascendere volunt per viam divitiarum, ad divitias vero per fraudes et usuras, et quid mirum si et in hoc sæculo et in futuro perpetuam confusionem et infamiam acquirant? Virtus honorem parit, non pecunia. Ac virtus præsertim humilitatis. An non Veritas ait: *Qui se humiliat exaltabitur*? An non videmus aquas tantum ascendere quantum descenderunt? Ita quoque nos tantum omnino ascendemus in cœlo, quantum hic in terris descenderimus. Libera præterea et spontanea Christi confessio illa est, quæ honorem et gloriam incredibilem nobis acquirit. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Quanta erit illa gloria, cum Deus ipse coram Angelis et beatis hominibus omnibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Confessoribus, Virginibus nos in loco edito et conspicuo collocatos omnibus audientibus et videntibus laudabit? Illa erit laus plena honoribus et veritatis: *Non enim qui semetipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Tunc vere plus honoribus et gloriæ recipiemus, quam unquam sperare aut optare potuimus. Ista gloria erit eorum, qui Christum libere confitentur, quos non pudet, sicut multos alios, esse pauperes propter Christum, injurias ferre, et contumelias propter Christum, caste et sobrie vivere propter Christum: qui non erubescunt recusare computationes, non ire ad choreas

et saltationes cum invitantur, non audire detractiones, eos qui male agunt fraterna charitate corripere. Denique qui timorem hominum timori divino postponunt, nec erubescunt libere agere, quod Christo placere noverunt. Quicquid dicant, vel cogitent homines, isti Christum confitentur in terris, et eos cum incredibili honore et gloria confitebitur Christus in cœlis. Ad hunc igitur modum Apostoli surrexerunt: non habuerunt magnas divitias, sed magnam charitatem: non dedit illis Deus, ut non paterentur; sed ut cum gaudio et exultatione paterentur: dedit magnum animum et copiosam gratiam, qua mundum et carnem et diabolum vincere possent, erant piscatores, et acceperunt cor et animum dignum imperatore.

Surge illuminare Jerusalem. Quid est illuminare? Nihil aliud, quam illuminaberis. Sicut enim apostoli surrecturi erant de statu humili ad statum sublimem; ita quoque transitori erant de tenebris ignorantiae ad lumen sapientiæ: et sicut de piscatoribus Apostoli, ita de rudibus et imperitis summi et sapientissimi Theologi futuri erant. Quid aliud aliquid significat illuminare? Quid? Gaude, lætare, exulta, serena frontem tuam Jerusalem. Tristia quidem et mœror vultum quodammodo obscurant; lætitia illustrat et serenat: *Dominus, inquit propheta, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* Et rursum: *Deus misereatur nostri et benedicat nobis illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. Illuminet vultum suum super nos,* hoc est, lætam et serenam faciem nobis ostendat, non tristem, non iratam, non turbatam, non obscuram. Videmus homines tristes, tetricos, melancholicos, gerere frontem contractam, obscuram, et quasi nubibus quibusdam et caligine obductam. Et contra videmus eos, qui lætantur et gaudent, habere frontem explicatam, apertam, serenam, et quodammodo splendere ac nitere vultus eorum. Surge ergo et illuminare, gaude et lætare Jerusalem. Quamobrem? *Quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Magna profecto ratio gaudendi quia venit lumen tuum. Sed cur tempus præteritum usurpat, cum de re futura loquatur? Nimirum, ut intelligamus tam esse certum, quod prædicat futurum, quam esse certum fuisse, quod jam præteriit. Deo siquidem, qui per prophetas suos futura prædicit, nihil est præteritum, aut futurum; sed omnia præsentia. Lumen vero de quo loqui-

tūr, cum ait : *Quia venit lumen tuum*, Christus est. Idem est enim quod hic ait : *Venit lumen tuum*, et quod paulo post apertius dicit : *Super te autem orietur Dominus*. Nec immerito Dominus lumen appellatur ; Nam *Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ*. Et de Christo B. Joannes, *Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et Ecclesia in symbolo, « Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. » Et Apostolus ad Hebræos, *qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* : Et ipse de se : *Ego sum lux mundi*. Itaque *Lumen tuum* dicitur Dominus, *Lumen* ratione divinitatis, *Tuum* ratione humanitatis. Nec enim lumen nostrum dici poterat Deus, antequam naturam humanam assumeret, quo pacto enim lumen nostrum diceretur, quod a nobis videri non poterat, et quod aciem nostram, sensusque vincebat ? Sed postquam clarissimum illud lumen humana carne quasi nube tectum est, et nimium illum fulgorem temperavit, tunc lumen Angelorum factum est lumen hominum et splendor gloriæ, fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis factus est nobis Dei sapientia. Tunc vidit *Omnis caro salutare Dei*. Tunc etiam ille sanctus senex, cujus oculi fortasse caligare incipiebant dicere potuit : *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum*.

Venit igitur *Lumen tuum, et gloria Domini super te orta est* : fortasse idem aliis verbis dicit ; nam *gloria patris est filius sapiens*. Neque fuit unquam filius sapientior Filio Dei, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ. Magna est gloria Dei Patris, quod mundum istum, tam pulchrum, tam omnibus numeris absolutum condiderit : quod solem, et lunam et stellas, quod tantam animalium plantarum, lapidum et metallorum varietatem, quod homines, quod angelos ex nihilo creaverit. Sed multo sine ulla comparatione major gloria est quod filium infinitæ sapientiæ et bonitatis genuerit. Nam mundus totus vix umbra quædam divini bonitatis et perfectionis dici potest : filius autem non umbra quædam, sed ipse candor est lucis æternæ, et *Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*. Itaque nihil majus, nihil excellentius, nihil gloriosius de Deo prædicare possumus, quam quod filium infinitæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis genuerit : et vere gloria Dei Patris est Filius ille sapiens, quem ab æternitate generavit. Fortasse etiam glo-

ria Domini, clarissima et illustrissima illa signa et prodigia significat, quæ per Apostolos fiebant. Nam cum illi, qui paulo ante homines obscurissimi et abjectissimi fuerant, omnium gentium linguis loquebantur, signa et prodigia maxima faciebant, solo verbo ægros curabant, mortuos ad vitam revocabant, dæmones pellebant, rhetores et philosophos confundebant, simplicibus verbis altissima dogmata persuadebant, corda peccatorum quantumvis dura mollebant ; omnes homines admirabantur et Deum glorificabant. Dicebant enim *Digitus Dei est hic*, non sunt ista opera hominum. Deus est qui loquitur, Deus qui operatur : hoc pacto majestatem et gloriam Domini in Apostolis omnes videbant, et quod nunc in Isaia legimus implebatur : *Et gloria ejus in te videbitur*.

Sequitur : *Quia ecce tenebræ operient terram et caligo populos*. Pergit explicare magnitudinem beneficii divini, quod Jerusalem, hoc est, apostolicus chorus accepturus erat. Ecce, inquit, rem admirabilem et stupore plenam dicturus sum ; tot sapientes erant inter homines, tot philosophi, tot rhetores, tot nobiles, tot divites, et illis omnibus omissis humiles piscatores Deus eligit, quos illustraret, quibus primitias Spiritus daret, quos principes Ecclesiæ constitueret : *Ecce, inquit, tenebræ operient terram, et caligo populos, super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur*. An non esset eximium et singulare privilegium hujus oppidi, in quo sumus, si Belgium totum in tenebris esset, et obscurissimam noctem pateretur, super Lovanium autem splenderet sol, et nos soli cælum serenum, et aerem purum atque apertum videremus ? Tale fuit privilegium Apostolorum, quando mundus totus, terra et populi, hoc est, Judæi et Gentiles in tenebris errorum versabantur : ipsi vero soli Deum verum agnoscentes in lumine degebant.

Sed cur, quæso, major obscuritas Judæis attribuitur quam gentibus ? Cur terram operient tenebræ, hoc est, Judæos : terrenos videlicet homines quibus nihil obscurius fingi potest ; populos autem hoc est, gentes, Paganos, Ethnicos sola caligo ? Sic enim habent septuaginta : *Et caligo super gentes*. Quod hic mysterium latet ? Num Judæi magis cæci futuri erant, quam essent gentes ? Omnino, auditores. Nam ii, quos Deus illustravit, si lumini sint ingrati, magis excæcantur, quam ii, qui lumen numquam ceperunt. Tales Judæi fuerunt : habuerunt

patriarchas, habuerunt legem et scripturas sanctas, habuerunt miracula divina, habuerunt angelos, et Deum ipsum maxime familiares: ad ultimum ingrati fuerunt, et veniente vera luce oculos suos clauserunt, et Deus, ut merebantur, deseruit eos, et permisit tenebris majoribus et densioribus involvi, quam unquam fuerint tenebræ Ethnicorum. Ita modo videmus: convertuntur gentes, veniunt indololatræ, publicani et meretrices ad fidem: et Judæi obstinatissimi in sua infidelitate perseverant. Ecce quam crassæ et palpabiles tenebræ oculos Judæorum teneant, vident omnia vaticinia in Christo esse completa: vident miracula a Christo et Apostolis et sanctis cæteris facta esse sine ullo numero: vident mundum totum juxta vaticinia prophetarum relicto cultu idolorum ad Christum esse conversum: vident se nec templum, nec regnum, nec sacerdotium, nec altare, nec sacrificium habere; vident se toto orbe dispersos omnium gentium pedibus subjectos esse atque hanc miseriam et calamitatem non annos decem, aut viginti aut triginta sicut olim, sed mille et quingentos annos pertulisse; et tamen satis intelligunt se post reversionem de captivitate Babylonis nunquam idola coluisse, et tamen adhuc non vident cur tam severe puniantur a Deo. *Quia ecce tenebræ operient terram.*

Libro decimo historiarum Ecclesiasticarum prope finem Ruffinus Aquilensis refert, temporibus apostatæ Juliani voluisse Judæos iterum templum in urbe Hierosolyma ædificare: sed cum de omnibus locis et provinciis convenissent, et ab imperatore facultatem et sumptus accepissent, et jam calcem et reliquam materiam præparassent, nocte quæ illum diem præcedebat, quo erant opus inchoaturi, vehementissimum terræ motum obortum fuisse, eoque non solum fundamentorum saxa longe lateque jactata, sed etiam porticus publicas, in quibus Judæi morabantur, funditus eversas, et Judæos oppressos ac necatos: deinde prima luce reliquam Judæorum multitudinem ad locum ruinæ ad mortuos requirendos concurrisse; sed statim ex domo quadam subterranea, ubi ferramenta et alia ad opus necessaria servabantur, globum igneum prodiisse, qui per plateam discurrens exustis ac necatis Judæis qui aderant ultrocitroque ferebatur: atque hoc iterum et sæpius, imo frequentissime tota illa die repetens, pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coercebat: et ne ista casu fieri

viderentur, sequente nocte in vestibus singulorum signum crucis, ita evidens apparuisse, ut nulla arte elui, vel aboleri posset. Hæc Ruffinus suis temporibus accidisse testatur, quæ commemorare volui, ut omnes intelligunt quantæ sint tenebræ Judæorum, et quam vere prædixerit Isaias, *Quia ecce tenebræ operient terram.*

Neque solum eo cæcitatem suam Judæi produnt, quod Solem justitiæ Christum jam in summo cælo constitutum, et orbem totum illustrantem non vident; sed etiam quod in suo Talmud absurdiores fabulas de Deo finxerunt, quam unquam finxerunt pagani: dicunt Deum quotidie semel irasci, et duas lacrymas effundere: præterea orare, et pœnitentiam agere. Item cum mundum crearet in parte Septentrionis magnum foramen in cælo reliquisset, ut si quando exurgeret aliquis, qui diceret, se cælum condidisse, tunc ei Deus responderet: Si tu cælum fecisti, perfice opus, claude foramen illud.

Ista sunt judicia Dei, Auditores, ista est plaga cæcitatæ super omnes plagas maxime formidanda qua justo Dei judicio puniuntur ii, qui divino lumini resistunt: ista plaga puniti sunt Judæi, et hoc tempore gravissime, et vere in judicio, et in furore puniri hæreticos videmus. Quis crederet eos, qui olim etiam doctores Theologi fuerunt, ita vehementer excæcari, ut dicant ea, quæ nec Judæi nec Turcæ, nec pagani unquam fuissent ausi pronunciare? Deum velle et constituere, ut peccata fiant; eum, qui conatur bene agere, peccare mortaliter: Deum opera bona non requirere, sed potius rejicere: Deum debere obedire diabolo: natura divinam passam et mortuam esse quis unquam Judæorum, Turcarum, Ethnicorum vel joco talia dixisset? Itaque Judæi densiores tenebras patiuntur, quam Ethnici. Sed hæretici adhuc densiores, quam Judæi: sicut etiam majus lumen a Deo Hæretici, quam Judæi receperant.

Neque dæst similis quædam plaga plurimis catholicorum. Quidam enim reperiuntur, quos Deus vocat interna admonitione ad vitam meliorem, sentiunt interdum se moveri et trahi ad bonum, vident oculis mentis lucem quamdam spiritualem similem stellæ, quæ hodie magos duxit ad præsepe; sed vel contemnunt, vel negligunt divinam inspirationem; vel etiam metuentes ne fiant nimis boni, de industria oculos claudunt:

et Deus qui non vult contemni, aut negligi munera sua, justo iudicio eos relinquit, et excæcari, et in sordibus peccatorum volutari permittit: et qui magni et sancti servi Dei fuissent, si vocantem et inspirantem Deum secuti essent, fiunt postea homines perversissimi, et tandem male pereunt.

At, inquit, Deus est bonus, et non semel sed sæpius vocat: et si non sequar hoc anno, sequar anno sequenti. Verum est, Deus est bonus, sed nunquid tu ideo eris malus, quia Deus est bonus? Nescis Deum simul esse justum, et iudicia Dei abyssum multam? Quid vero magis contigisset, si visa stella dixissent, expectemus adhuc modicum apparebit fortasse et anno sequenti: omnino male eis successisset, Deus enim magnus Dominus est, et non vult contemni, aut negligi munera sua. Habet duo brachia Deus longissima et robustissima: unum est misericordia, alterum iustitia. Extendit primum brachium misericordiæ, ut te complectatur: inspirat bona desideria: si tu resistis, et fugis, incidis in brachium iustitiæ, illo te apprehendit, et ad terram alidit et confringit.

Alii sunt qui sequuntur vocantem Deum et stellam præeuntem ad aliquod tempus, incipiunt in opera bona incumbere, abstinere se a flagitiis, frequentare sacramenta confessionis et communionis: sed cum maxime videntur fervere et currere, levi tentatione exoriente, et aliquando nulla de causa ad unum verbum amici alicujus resiliunt: isti quoque fugiunt brachium misericordiæ, et incidunt in brachium iudicii. Nam qui tales sunt, facillime obdurantur, et multo pejores fiunt, quam antea unquam fuissent. Sicut piscatores dicunt aquam calidam facilius congelari, quam frigidam. Et sicut experientia didicimus eos qui de ægitudine convalescunt, si antequam perfecte curentur recidant in morbum multo gravius laborare, quam antequam convalescere inciperent. Quis non videt eum periculosius cadere, qui altius ascendit? Quis non legit, quod ait B. Petrus; *Melius erat viam veritatis non agnovisse, quam post agnitam retrocedere?* Et quod ait Dominus: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et: *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne tibi deterius contingat;* Itaque auditores optimi, si Deum timemus, et admirabilia iudicia ejus, perseverantia nobis necessaria est non possumus sine incredibi-

li discrimine stare et retrocedere. Navigamus adverso flumine, et nisi perpetuo, sine intermissione laboremus in remigando, et quæ retro sunt obliti ad anteriora et altiora nos extendamus, magno impetu retro feremur et ad saxa et scopulos allidemur. Hæc de tenebris et caligine dicta sint.

PARS ALTERA.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. Explicatur his verbis privilegium singulare Apostolorum. Ipsi enim a Deo electi fuerunt, ut pro se, et pro aliis lumen et gratiam reciperent: et non solum sibi, sed etiam aliis lucerent, et sicut vitrum et chrysellum, non solum ipsum intime et profunde illustratur a sole; sed etiam soli simillimum efficitur, et res cæteras illustrat: ita quoque apostoli non solum ipsi lumen receperunt, sed etiam aliis fuerunt: ita ut aliquando Dominus eos lucem mundi appellare non dubitaverit. *Vos estis, inquit, lux mundi.* Et Isaias: *Ambulabunt, inquit, gentes in lumine tuo.*

Sed quomodo ambulabunt? Quo ibunt? ad ipsum lumen, quod videbunt, veniant vobis in mentem, qui noctu per ignotas et desertas regiones iter faciunt, vel per magnum mare navigantes oborta tempestate in medium Oceanum abducuntur, et media nocte cælo nubibus obducto, navigant in incertum, nec ullo modo conjectare licet, in qua parte mundi consistant. Si ejusmodi homines jam salute prope desperata post multos et diuturnos errores videant tandem alicubi procul aliquod lumen, an non statim in illud oculos conjicient, et arbitrati ibi esse domum vel portum aliquem, sine mora eo dirigent cursum suum? Pari ratione sub tempus illud quo Christus venit in terras, omnes gentes in densissimis errorum tenebris per magnum mare mundi hujus in incertum navigabant, tam tetra caligo super omnes populos et provincias ac regiones incubabat, ut etiam fornicationes et adulteria et scelus Sodomæ et Gomorrhæ non viderentur peccata; et deos ligneos et lapideos homines multo meliores et nobiliores adorarent, et eis res suas et seipsos stulti commendarent, qui nec audiebant nec videbant, et qui potius hominum custodia indigebant.

Quid tum fecit Deus? excitavit repente in edito quodam monte pulcherrimam civi-

tatem, ista est Jerusalem, ista est Ecclesia, quæ in Apostolis cœpit, et in ea maximum et clarissimum lumen sapientiæ, sanctitatis et signorum ac prodigiorum accendit: statim vero atque illud lumen splendere et procul fulgorem et radios suos diffundere cœpit, omnium gentium oculos, qui variis in locis errabant, in se unum convertit. Et ecce ex omni parte mundi, ex Asia, Africa, Europa turmatim gentes ad illud lumen confluebant, dicebatque alter ad alterum: *Venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob*; relinquamus errores, renuntiemus diis ligneis et lapideis, convertamur ad verum et vivum Deum, sequamur lucem, curramus ad lucem quam videmus. Hoc igitur Isaias spiritu prophetico cernens Ecclesiæ gratulabundus dicebat: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide. Ecce omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.*

Sed cur addit Propheta, *et reges in splendore ortus tui*? Numquid etiam reges in gentibus non numerantur? Cur separatim ponuntur? Voluit sanctus propheta divinæ sapientiæ, providentiæque ordinem exponere. Nam ut Dionysius Areopagita docuit, summo ordine providentia Dei per superiores causas gubernat ac regit inferiores per summos Angelos illustrat medios; per medios illustrat infimos; per infimos illustrat homines, et inter ipsos homines prius Judæos quam gentes et inter gentes prius pauperes, quam divites, prius obscuros, quam nobiles, prius privatos, quam reges illustrari voluit. Ambulabunt, inquit, primum gentes in lumine tuo; deinde etiam reges in splendore ortus tui. Ita legimus in Actis Apostolicis et in Ecclesiasticis historiis initio evenisse. Primi qui ad fidem veniebant erant sutores, piscatores, Simon coriarius, Lydia purpuraria et similes homines. Reges obstinati manebant, imo potius usque ad tempora Constantini non solum reges non convertebantur; sed etiam persequebantur, et necabant eos, qui converti volebant. Hinc B. Jacobus: *Audite, inquit, fratres mei d'lectissimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?* Hinc etiam Apostolus Paulus: *Videte, inquit, vocationem vestram,*

fratres, quia non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia. Hinc etiam Dominus se pauperibus missum profitetur, *Spiritus Domini super me.* Et rursum, *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

Est vero multiplex ratio cur Deus a pauperibus et privatis inceperit. Primum enim hoc Deus fecit, ut mundi conversionem suæ omnipotentiae, non principum industriæ homines adscriberent, si omnium primi imperatores et reges conversi fuissent, statim edictis publicis jussissent ubique confringi statuas, demoliri simulachra, cessare sacrificia, everti vel claudi templa idolorum; fortasse etiam populos suos ad fidem recipiendam compulsissent. Itaque dixissent omnes, Non Deus est, qui homines convertit, sed regum ac principum edicta. Quamobrem ut omnes intelligerent, fidem esse donum Dei, et non humana virtute, sed divina potestate everti regnum diaboli, maluit Deus per pauperes regnum suum mundi principibus non solum non juvantibus, sed etiam resistentibus auspiciari. « Non quæsivit, inquit Augustinus, Dominus per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet non solum orator, sed etiam imperator. Nullus nobilis, primo electus est, nullus doctus, quia infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ». Deinde primi Christiani optimi et probatissimi esse debebant. Quippe qui tamquam lapides majores et solidiores in fundamento Ecclesiæ ponebantur, quod si statim ab exordio prædicationis Evangelii principes mundi conversi fuissent, debilia fundamenta tanti ædificii jacta fuissent. Primi siquidem Christiani a regibus coacti ad fidem venissent, vel si ponte, certe persecutoribus caruissent. Nunc vero quoniam initio propter crebras persecutiones Christianum fieri res erat plena periculi et ignominiae, illi, qui tum convertebantur, optimi et constantissimi et ferventissimi, et vitam ac sanguinem milles fundere paratissimi erant. Itaque hoc modo Deus bonum ac firmum fundamentum jecit. Præterea voluit Deus nobis hoc exemplo demonstrare, quod non debeamus opes et honores divitibus et nobilibus invidere: hoc

ipso enim quod ad fidem et evangelium prius sutores et piscatores, quam reges et imperatores vocavit, satis ostendit, non omnes, qui sunt primi in terrenis bonis, esse etiam primos in cœlestibus ; sed contra sæpe primos apud homines, esse novissimos apud Deum. Neque esse terrenas divitias magnificiendas, quas videmus amicis Dei sæpe non dari ; sicut non magnificimus glandes et siliquas, quæ suibus post paululum interficiendis in magna copia tribuuntur. Rursum ab humilibus et pauperibus Deus incepit, quod ipsi magis parati atque apti sint ad semen Evangelii utiliter recipiendum. Cor divitis simile est agro spinis et tribulis referto. Neque vero divites mihi succenseant, ita Dominus, cum de semine loqueretur, parabolam suam exposuit. Nam cum dixisset : *Aliud cecidit inter spinas, et exortæ spinæ suffocaverunt illud*, explicando subjecit ; *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui, verbum audit, et sollicitudo sæculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur*. Cor pauperis terra est bona, et spinas et tribulos non habet. Est etiam dives similis ligno virenti ; pauper vero ligno arido : gratia Dei et Evangelii prædicatio similis igni : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur*. Jam vero quis nescit multo celerius et facilius ligna arida, quam virentia ignem concipere ? Imo vero, quod omnium pessimum est, ligna virentia omnino invita exsiccati videntur : statim enim atque ad ignem admoventur strident, fumant, gemunt : ita divites faciunt, ferre non possunt ignem tribulationis, quo exsiccati debent, ut in eis flamma divini amoris accendantur. Si flecti debent ad orationem, oportet eos habere pulvinar, ne frangantur genua. Si jejunandum est semel, sumunt in prandio duplo amplius, quam solerent, ne detur vacuum et stomachus conqueratur. Si eundum est ad concionem vel ad sacrum, et est aura frigidior, ipsi domi pellibus involuti apud ignem sedere debent. Itaque non mirum si pauperes prius, quam divites flammam Evangelii conceperunt ; sunt enim pauperes ligna sicca, divites ligna virentia. Præterea finis Evangelii non alius est, quam affectum et animum hominis a rebus terrenis abstrahere, et Deo ac rebus divinis adjungere, certum est autem homines divites et nobiles magis rebus terrenis inhærere, ac proinde difficiliter ab eis avelli posse, quam pauperes. Quid est facilius deponere pallium,

an deponere pellem ? Cum deponis pallium, dolorem non sentis. Quare ? Quia pallium nullo glutino carni tuæ adhæret. At pellem sine incredibile dolore exuere non potes, quod pellis arctissime carni conjuncta, et copulata sit. Postremo sicut aves, si alas habeant luto aut visco implicatas, per terram repere possunt, in sublime ferri et volare non possunt : ita quoque homines divites quia cordis alas mentem et voluntatem luto et visco rerum terrenarum plenas habent, frustra quotidie audiunt, *Sursum corda* : confitentur, communicant, orant ; sed tamen fere sine affectu, sine spiritu : non gustant, quæ sunt Dei : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Pauperes vero nihil habent, et nihil cupiunt habere, facili negotio feruntur sursum, levi motione rapiuntur in Deum. Beatus Antonius, beatus Benedictus, beatus Franciscus, non erant usque adeo docti, nunquam scholas theologicas viderant ; tamen facillime rapiebantur in Deum, atque altissimis contemplationibus sæpissimæ fruebantur. Quamobrem ? Quia liberas et expeditas sine luto et sine visco alas habebant. Habent reges sua regna, et divites suas divitias, in illis conquiescunt, vident se ab omnibus magni fieri et honorari : putant se esse aliquid, quotidie cogitant majora, inde est quod ægre admodum et sero convertuntur ad Deum. At vero pauperibus facile est contemnere regna, quæ non habent : facile est non diligere honores, quos nunquam sperant ; facile est iis rebus non adhærere, a quibus procul absunt. Istæ sunt igitur rationes cur pauperes et obscuri evangelium et fidem primi receperunt.

Sed quamquam reges et principes ægre convertuntur, et qui divitias habent difficile intrabunt, ut Dominus ait, in regnum cœlorum ; tamen tanta est virtus et efficacia Evangelii, ut etiam eos aliquando convertat. *Ambulabunt, inquit, gentes, in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui*. Etiam reges, inquit, qui videntur non posse converti, convertentur tamen, et ambulabunt in splendore ortus tui. Horum typum gerebant magi illi, qui nobiles et divites et sapientes et reges etiam fortasse erant : et tamen hodierna die stella duce ad præsepe Domini ex Perside venerunt, et ita venerunt, ut omnibus hominibus viam salutis et perfectionis exemplo suo demonstraverint. O nos beatos, auditores, si sanctos et sapientes istos reges imitari sciremus. Quicumque Deum ex animo quærere, et

sine errore invenire desiderant, nihil aliud agere debent, quam quod magos istos sapientissimos egisse legimus. Primum omnium terram suam, et cognitionem suam una cum magis lacriter relinquunt; deinde cum iisdem non falsis hominum rumoribus credant, sed stellam fulgentem diligenter considerent: non sequantur hominum mendacia, sed vocationem cœlestem, quid possint filii hujus sæculi suadere, nisi diligere sæculum? Quid? cogitas de castitate, et petis consilium a lenone vel meretrice? Cogitas de relinquendo sæculum, et consilium petis ab amatoribus sæculi? Vis fieri stultus, ut fias sapiens; et consulis mundi sapientiam, quæ tota est vana, totum habet foris et nihil intus? Non igitur audiant consilia hominum eorum qui nihil nisi carnem et sanguinem sapiunt; sed audiant potius quid in cordibus eorum Dominus Deus loquatur: audiant quid in scripturis veritas clamet: audiant quid Christus et apostoli consulant vel præcipiant: tum si viderint Herodem cum scribis et pharisæis turbari, non turbentur ipsi propterea; sed pergant quod Deus vocat, et sinant mundum et dæmones vociferari et comminari quantum volunt, jam quum ad stabulum et præsepe stella duce pervenerint, non offendantur ino-

pia et pannis Salvatoris, nec loci humilitatem et angustias considerent, sed contra potius abyssum charitatis et pietatis mirentur, qua Deus noster cum esset dives, egenus propter nos fieri voluit, ut nos inopia sua ditaret. Deinde cum magis non offerant Deo quisquilias, non quatuor, non quinque aureos; sed optimum quod habent, aurum, thus et myrrham: offerant se ipsos totos tanti quanti sunt. Nec enim Deus, qui se totum nobis tam liberaliter dedit, minus quam nos ipsos totos, totum cor, totum animum, totum affectum accipere dignatur; et tum demum vere nudi, rebus omnibus Deo donatis, secure et tranquille dormiant, ut angelicum responsum in somnis accipiant. Dormiant mundo et curis ac negotiis hujus sæculi, ut vigilent Deo et negotiis vitæ futuræ: et cum ab Angelo per quietem in oratione et contemplatione didicerint, non esse redeundum ad Herodem, per aliam viam revertantur in regionem suam: aliam vitam, vitam novam, vitam angelicam, vitam sanctam inchoare et continuare studeant, ut per eam ad vitam beatam et sempiternam perveniant, quam nobis concedat Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XV.

DE DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM

THEMA

Et Jesus proficiebat sapientia, ætate et gratia apud Deum,
et homines. *Luc. II, v. 52.*

SYNOPSIS

Exordio ab encomio Academicæ Lovaniensis sumpto concio in duas partes dirimitur; in quarum priore enodatur quæstio, cur Evangelista Lucas dicat Christum ætate, gratia et sapientia profecisse, cum tamen in utero materno fuerit plenus gratia et sapientia, adeo ut illi nihil addi potuerit, quod testimoniis Prophetarum, Evangelistarum, Pauli et SS. Patrum abunde probatur: imo ipsa ratio dictat, Christum in utero verum perfectum extitisse sapientia, animi vigore et sensuum maturitate. Dicitur tamen profecisse sapientia, quia sensus humanus in eo proficiebat, atque ea usu et experientia cognoscere incipiebat, quæ antea sola cognitione et contemplatione cognoscebat. Proficiebat autem gratia, quia quotidie ejus merita et corporis gloria augebatur; quæ pulchra solis similitudine explicantur, qui splendore et ardore crescere et decrescere videtur, nec tamen illum hujusmodi mutationibus esse subjectum constat.

In altera parte docetur, quomodo Christum imitari, et sapientia simul et gratia magis ac magis proficere possimus: ubi docetur hominem Christianum ardere charitate, et lucere sapientia debere: et quem perperam agant ii, qui studia humana, utpote gladios quibus jugulantur, condemnant, multorum patrum contrarium asserentium testimoniis ostenditur. Scientias ut piis prodesse, sic malis obesse.

Non sufficere humana scientia enitere, sed accedat charitas et humilitas necesse est: cujus rei formidanda de docto viro cum dæmone in extremis disputando victo, narratur historia. Tandem quomodo sapientia cum charitate sit conjungenda duo traduntur documenta: primum, ut quotidie aliquid mane et vesperi contemplationi divinæ tribuatur. Secundum, ut Sacramentum Eucharistiæ frequenter sumatur.

Humani generis assertor, optimi auditores non alia de causa ætate, sapientia et gratia profecisse dignatus est, quam ut nobis non ætate aut sapientia solum, sed simul etiam gratia proficiendum esse demonstraret. Ac si usquam alibi tam præclari exempli sectatores aliquos habet, certe in hac illustri ac veteri academia multos habere jure ac merito existimandus est. Etenim tot gymnasia sanctissime instituta, tot collegia a fundamentis erecta, tanta doctorum hominum celebritas, tot litterariæ exercitationes, tam crebræ de rebus gravissimis disputationes, et publicæ privatæque studiorum collationes finem alium non habent, quam ut juvenus, quæ frequentissima et florentissima in hac urbe versatur, in sapientiæ studio, doctrina ac eruditione proficiat. Quid vero tot fana religiosissima, tantus numerus sacerdotum, tantus ad res divinas concursus, tam assiduæ conciones, quæ nec una lingua, nec uno in loco habentur, sibi volunt? Quo spectant? Quo referuntur? Nonne eo, ut qui in hac urbe

sapientia et eruditione crescunt, in iis etiam divina gratia et charitas amplificentur? ac ut de præclaræ hujus academiciæ juventute sine mendacio dicere possimus. *Proficiebat sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines.*

Quæ cum ita sint, gaudeo hanc potissimum sententiam se mihi in hodierno evangelio explicandam obtulisse, in qua de nobis ipsis agitur, et ad quem modum in hoc studiorum curriculo versari debemus, ostenditur. Ac duo sunt, quæ in hujus sententiæ explicatione a me requirere prope vestro jure mihi videmini. Unum cur B. Evangelista, Dominum sapientia et gratia profecisse affirmet, quem plenum sapientia et gratia paulo antea asseruit: alterum, quò pacto nos Dominum imitari, et sapientia simul, et gratia quotidie magis ac magis augeri possimus.

Ut igitur ad primam quæstionem veniamus, res est, auditores, ejusmodi, de qua agimus, ut non facile expediri possit: neque uno atque eodem modo a sanctis patribus, doctoribusque theologis explicatur. Tale enim temperamentum moderatioque dicendi adhibenda est, ut nihil indignum Dei filio asseramus, et simul B. Lucæ sententiam integram conservemus, veramque, ut a Spiritu veritatis profectam esse demonstramus. Initio igitur illud veluti fundamentum firmissimum nostræ disputationis jaciendum est, Dei Filium Dominum nostrum secundum eam naturam, quam pro nobis et ex nobis accepit, numquam sapientia, justitia virtutibus cæteris, gratia, gloria et beatitudine caruisse: neque minus sapientem, aut justum, aut potentem, aut beatum in utero matris fuisse, quam esset, cum in templo et synagogis docebat, et signis et prodigiis clarissimus atque illustrissimus habebatur: Tantum enim sapientiæ et gratiæ charismatum, et donorum gloriæ et beatitudinis in illo amplissimo et capacissimo pectore Deus posuit, quantum omnino capere potuit: neque locus ullus in eo vacuus est relictus. Audite prophetam: *Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum spiritus Domini spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Audite evangelistam: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. Au-*

dite Apostolum. In quo sunt omnes thesauri (de Christo loquitur) sapientiæ absconditi. Audite rursum alium Evangelistam. *Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* Audite postremo magnum illum præconem, qui non alia de causa missus a Patre luminum fuerat quam ut testimonium perhiberet de lumine. *Quem misit Deus, inquit, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Num Apostolis, num Prophetis, num Patriarchis? Quid ergo sibi vult apostolus cum ad Ephesios scribens, ait: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi?* De illo igitur dumtaxat beatissimus Domini præcursor locutus est, cum ait: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, de quo mox subjecit, pater diligit filium, et omnia dedit in manu ejus.* Et alio loco: *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat: et de plenitudine ejus omnes nos accepimus.* De patriarcha Abraham in Genesi legimus: *Dedit Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo.* Tale aliquid B. Joannes de Christo et reliquis sanctis hominibus dicere mihi videtur. Nempe separavit Deus dominum a servis, et eum, qui natura est filius, ab iis, qui adoptione sunt filii: et servis quidem, ac sola adoptione filiis largitur munera, persolvit stipendia, dat spiritum ad mensuram, at ei, qui natura est filius, non munera, non stipendia, sed omnia, quæ possidet, totam videlicet atque integram hæreditatem. Denique ut sapientissimus doctor Augustinus ad Dardanum scribens, et rursum Psalmum 9 et 120. exponens ostendit, quantum inter caput et membra, tantum inter Christum et sanctos homines discriminis est. Quemadmodum enim in capite omnes sensus inveniuntur: cætera vero membra uno dumtaxat, eoque abjectissimo, nempe tangendi sensu prædita sunt; sic etiam Dei servis atque amicis certa quædam Spiritus sancti dona attribuuntur. *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu; alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum: alii propheta; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum.* At in principe nostro, et capite Christo omnia dona, omnes virtutes, omnes spiritus, omnes gratiæ, omnia privi-

legia singulari et excellenti quodam modo eminere videntur. Tametsi enim quædam virtutes sunt, quæ in Domino atque assertore nostro locum habere non potuerunt, ut fides, spes et pœnitentia; tamen id propterea factum est, quod eæ virtutes admistum aliquid habeant, quod cum rebus melioribus simul esse non poterat. Nam nec fidei obscuritas clarissimam lucem beatitudinis ferre, nec spes cum possessiones conjungi, nec pœnitentia cum innocentia in eodem pectoris domicilio habitare potest. Et nihilominus, auditores, quicquid laudis et perfectionis tres istæ virtutes habent, id totum in Christo fuit. Nam cum obedientia, fructus fidei: et adhæsiō ad summum et creatum bonum, perfectio spei; et odium ac detestatio peccatorum, laus pœnitentiæ sit, in his omnibus nemo unquam, ut noster liberator, excelluit. Quare si fide, spe et pœnitentia Dominus caruit, certe fidei, spei et pœnitentiæ fructu, perfectione et laude minime caruit.

Sed video, quid adhuc animum alicujus movere ac perturbare posset. Nam quod mens illa beatissima, quam Dei verbum una cum carne humana suscepit, sapientia et gratia ita sit plena, ut neque intelligentiam uberiores, neque gratiam ampliores capere ullo modo queat, nemo fere est, qui nesciat. Sed quod his præclarissimis donis jam inde ab utero matris Servator noster præditus fuerit, ut postea in sapientia et gratia proficere, sicut in ætate non posset; id vero dicet fortasse quispiam, explicandum planius, et testimonio aliquo, cui fides tuto adhiberi valeat, confirmandum est. Quem igitur vobis satis idoneum testem adducemus? Num eruditissimus et sanctissimus doctor Augustinus nobis satisfacere posse videtur? Is enim libro altero de peccatorum meritis et remissione, amplissimis verbis mentis ignorantiam et firmitatem, quæ cæteros infantes non modico animi intempore occupatos tenet, a nostro infante removendam esse omnino existimavit. *Quam plane ignorantiam, inquit, nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum, ut inhabitaret in nobis: nec illam ipsius an mi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.* Beatus quoque Epiphanius in eo libro, quem Anchoratum inscripsit: « Non ideo, ait, dictum esse in Domino Jesu Christo: Proficiebat sapientia, ætate et gratia; quod plenus sapientiæ et gratiæ adhuc puer, atque infans non esset, sed nimirum sapienter affirmat,

concruentem ætatem Dominum ad loquendum et docendum expectavisse, ne si adhuc infans loqueretur, et sapientiam suam adhuc puer ostenderet, non homo verus, sed phantasma juxta Manichæorum errorem existimaretur. » Verum ego, auditores, testem habeo Augustino et Epiphanio longe majorem et cui fidem non præstare omnino scelus nefarium sit. Siquidem Jeremiam Prophetam multo antequam Dominus ex Virgine nasceretur prædixisse scio: *Novum creavit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* Quæ est hæc fœmina, nisi Maria? Quis est hic vir, nisi Dominus Jesus, *Qui fuit vir propheta potens in opere et sermone?* Audi Beatum Hieronymum diligentissimum prophetarum enarratorem: « Novam rem, inquit, creavit Dominus super terram, absque viri semine, absque ullo coitu atque conceptu fœmina circumdabit virum gremio uteri sui qui juxta incrementa quidem ætatis per vagitus, et infantiam proficere videbitur sapientia et ætate (perpendite, quæso, diligenter hoc verbum, sapientia et ætate) sed perfectus vir in ventre fœmineo, solitis mensibus continebitur. » Quod si iste nondum satis aperte vaticinium exposuisse videtur, audi, quid Bernardus homilia altera super Evangelium; cujus initium est, *Missus est, dicat: « Novum, inquit, creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Quæ est hæc fœmina? Quis vero iste vir? Numquid non facile tibi est fœminam agnoscere, virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum a Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum non solum cum jam diceretur, vir propheta potens opere et sermone: sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel fovaret in gremio vel gestaret in utero. »

Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus; sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus; parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque perfecte plenus fuit Spiritu sancto; nec fuit hora, in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a

principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit *Spiritu sapientiae et intellectus*, etc.

Neque vero id a ratione abhorret: imo potius consentaneum est rationi. Nam nos quidem si sapientes fieri volumus, gymnasia frequentare; si Dei gratiam aut gratiae incrementum optamus, ad Sacramenta accedere; si regnum caelorum ingredi, et denarium illum diurnum accipere cupimus, tamquam servi in vinea Domini laborare, et pondus diei et aestus portare debemus. Haec vero in momento non fiunt: sed tempus ac spatium, et id non breve requirunt. At homini Christo, cui ex eo solum, quod Dei non servus, sed filius erat, omnis sapientia, gratia et gloria debebatur, neque tempus, neque merita expectanda, neque sapientia in gymnasiis investiganda, neque gratia in sacramentis quaerenda, neque laborandum pro gloria et beatitudine fuit: sed in quo temporis momento mens illa felicissima a Deo condita in corpus humanum infusa, et cum Dei verbo conjuncta et copulata fuit, in eodem justitia, sapientia, gratia et gloria penitus repleta fuit. Neque nos movere debet, quod Apostolus Paulus ad Philippenses scribens. Dominum nostrum gloriam corporis et nominis celebrationem obedientia atque humilitate sibi promeruisse testatur. *Huxiliavit*, inquit, *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Nec enim meritis illis Dominus obtinere volebat, ut sibi, quae debita non erant, debita fierent: sed ut quae uno modo ac nomine debebantur, multis modis ac nominibus deberentur.

Quae cum ita sint, dubitare non possumus, quin fundamentum, quod posuimus, omnino firmum et stabile sit. Quamquam enim id Bucerus aperte negavit, et Erasmus in dubium vertit; tamen non tanti est horum auctoritas facienda, ut propterea a communitate veterum, quam recentium theologorum sententia recedendum sit. Sed quanto nostrum fundamentum est firmitus, tanto nobis propositae sententiae explicatio difficilior fit. Quo enim verius est, Dominum ab ipso utero matris sapientia et gratia plenum fuisse, eo minus verum esse videtur (cum tamen verissimum et certissimum sit) quod beatus Lucas affirmat, cum ait: *Et Jesus proficiebat sapientia, aetate et gratia apud Deum et homines*.

Quid agemus, auditores, quo non vertemus? Quis nobis in hoc labyrintho viam

aperiet? Quis nobis interpretabitur, quomodo possit in sapientia proficere, qui plenus est sapientia? Praestat igitur fortasse prophetae consilium audire, qui ait: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi*. Interrogemus patres, consulamus majores: nempe veteres illos theologos, qui summa cum laude in verae sapientiae studiis versati sunt. Exponens Origenes primum caput Jeremiae, et omnino probare volens illa verba prophetae: *Nescio loqui, quia puer ego sum*, Domino ac Servatori nostro convenire; vere illum in sapientia et rerum cognitione profecisse contendit. Sic enim loquitur: « Jesus, inquit, necdum vir, sed adhuc infans, quia se exinanivit formam servi accipiens, proficiebat; nemo enim proficit, qui est perfectus: sed ille proficit, qui indiget profectu. Ergo proficiebat aetate, proficiebat sapientia, proficiebat gratia apud Deum et homines. Et vera de eo esse ista, quae dicta sunt, priusquam cognoscat puer bonum aut malum, ut Isaias loquitur: et nescio loqui, quia puer ego sum, ut loquitur Jeremias. » Neque vero B. Ambrosius longe ab hac sententia abesse videtur. Siquidem in eo libro, quem de Incarnationis dominicae Sacramento conscripsit, sicut divinam nostri liberatoris mentem atque intelligentiam non profecisse: sic humanam profecisse, constanter affirmat. « Jesus, inquit, proficiebat aetate et sapientia. Quis sensus proficiebat? Si humanus, ergo et ipse susceptus est. Si divinus ergo mutabilis per profectum. Quod autem proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum est, non mutatur. Quod ergo mutatur, non utique divinum. Sensus igitur proficiebat humanus. » Haec horum illustrium Doctorum sententia, auditores, tametsi nonnullis durior esse videtur: tamen si ita intelligatur, ut debet, verissima est. Nec enim ideo Dominum asserunt in sapientia profecisse quod aliquid antea ignoraret; sed quia usu et experientia cognoscebat, quae antea sola scientia et contemplatione didicerat. Et quamquam infusa (ut theologi loquuntur) sapientia semper Dominus sapientissimus fuit; nihil tamen prohibet, quin in ea sapientia, quam acquisitam vocant, aliquando profecerit, et de eo vere dicatur: *Antequam sciat puer vocare patrem et matrem*. Et, *Nescio loqui, quia puer ego sum*.

Sed quid jam de gratiae incremento dicemus? Num ad gratiam infusam et acquisitam

recurremus? Gratia, auditores, ut initio dicebamus, tanta fuit Domino in ipsa humanæ naturæ cum Dei verbo copulatione collata, ut crescere atque amplificari nullo modo posset. Nihilominus tamen in gratia profecisse dictus est, quia quotidie magis ac magis merita ejus augebantur, quibus gloriam corporis et nominis celebrationem sibi, nobis vero Dei benevolentiam atque amicitiam, et gratiam ac beatitudinem comparabat.

Sed ego, auditores, viam aliquam adhuc planiorem, et faciliorem et a B. Gregorio Nazianzeno, B. Cyrillo Alexandrino et Joanne Damasceno, sanctissimis et doctissimis viris ad hunc labyrinthum penetrandum aperiri video. Nec enim aliud esse censent homines isti sapientissimi, Dominum in sapientia et gratia profecisse quam sapientiam suam et gratiam hominibus detexisse, manifestamque fecisse. Beatus enim Gregorius, qui sibi theologi cognomen in omnem æternitatem confirmavit, oratione in magnum Basilium: « Servator noster, inquit, proficiebat, quemadmodum ætate, sic etiam sapientia et gratia. Non quod incrementum aliquod susciperet, (quid enim ex perfectis ab initio perfectius fuit?) Sed quia hæc, nempe sapientia et gratia, paulatim hominibus detegebantur. » B. vero Cyrillus libro in Joannem primo: « Si plena est, inquit, gloria ejus gratiæ et veritatis, quomodo sapientia, ætate et gratia profecisse apud Lucam scribitur? Aut quid accedere potest ad plenum, ultra quod nihil est? Sed non ut verbum aut Deus profecisse intelligitur. Verum quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potius de Jesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia, ut magis in dies agnoscentes, magis illum procedere et gratia crescere arbitrabantur. » Porro Damascenus libro tertio de orthodoxa fide: « Proficiebat, inquit, sapientia, ætate et gratia: ætate quidem crescens: per incrementum autem ætatis sapientiam, quæ in ipso inerat, in apertum promens. » Quod igitur de sapientia et gratia B. Lucas Evangelista scribit: *Non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat*, ut B. Bernardus loquitur: « Intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet: sed quod accedere videretur, quando volebat ipse, ut videretur. Quando enim et quibus volebat, sapiens apparebat: quando, et quibus volebat, sapientior: quando et quibus volebat, sapien-

tissimus. » Similiter et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio etiam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere vel saluti expedire sciebat. Ac ut similitudine illustrissima rem totam ob oculos ponamus, aspiciamus animis, auditores, atque intuemini clarissimum illum globum, quem solem nominamus. Nonne sol in ortu splendidus atque ardens: post aliquot horas splendidior atque ardentior; in meridie splendissimus atque ardentissimus nobis esse videtur? Nonne etiam eo ad vesperam occidente, et lucem et calorem ipsius remitti, ac prope extingui vulgus hominum putat? Et tamen quis nostrum tam leviter est eruditus, qui nesciat, solem hujusmodi mutationibus non subjacere, sed perpetuo splendidissimum atque ardentissimum esse, et non ipsum, sed ejus effectus alios esse in aurora, alios in ortu, alios in meridie, alios in occasu? Ad eundem modum, auditores, lux mundi, et *Sol justitiæ Christus Deus noster*, cum semper sapientiæ splendore illustrissimus, et charitatis flamma ardentissimus esset, tamen in utero virginis constitutus solum radios quosdam, tamquam primam auroræ lucem, emittebat: quam pauci quidam, ut virgo Deipara, ut Elizabeth, ut Joseph, ut Zaccharias, ut Joannes, conspiciere potuerunt. Paulo post nascebatur Christus, oriebatur sol, et tum eluritas Dei circumpastores effulgebat, et radii luminis ejusque in Persidem spargebantur, et ambulabant *gentes in lumine ejus et reges in splendore ortus ipsius*. Paulatim sol super horizontem attollitur, diem quadragesimum Christus attingit, et jam ita splendet, ut etiam senes ac pene decrepiti quorum oculi caligare solent, ipsum intueantur. *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, canit sanctus Simeon, *secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel*. Neque ibi sistit Sol justitiæ: sed altius paulo post ascendit: annum duodecimum agit, et jam augeri creditur sapientia et gratia, lumine et calore, templorum adita penetrat, oculos doctorum perstringit, insolitam lucem omnes mirantur. Demum pervenit ad meridiem, esse incipit quasi annorum triginta: et ecce *Populus, qui ambulat in tenebris, videt*

lucem magnam : spargit sol radios sapientiæ, et homines clamant : *Numquam sic locutus est homo, sicut h'c homo*. Calefacit corda hominum frigidissimorum, et glacie resoluta fluunt imbres lacrymarum. O quam multi, qui tamquam humidi vapores terræ incubabant, vel circum eam volutabantur, ab hoc sole illustrati et calefacti in sublime ferri cœperunt ! Et post hæc omnia occidit sol, et tum ita sapientiæ splendor et gratiæ ardor remitti visus est, ut qui sapientissimus putabatur, quasi insanus delideretur : et qui tamquam innocentiae et sanctitatis exemplar omnium ore celebrabatur, quasi princeps flagitiosorum in crucem cum latronibus raperetur. Habetis igitur quid sit *Proficiebat sapientia, actate et gratia*.

PARS ALTERA

Credere ego, atque optare debeo, auditores meos ita gratia et sanctimonia augeri, quemadmodum eos sapientia et eruditione proficere certo scio. *Est enim*, ut B. Bernardus loquitur, *tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum; lucere et ardere, perfectum*. Hinc enim Domini præcursor B. Joannes, quod *Lucerna* esset *ardens et lucens*, non solum propheta et plus quam propheta : sed etiam angelus ab ipso Domino meruit appellari. Sicut ex adverso dæmonum princeps, quia Lucifer solum, et non etiam ignifer esse voluit, Hesperus ex Lucifero; ex Angelo diabolus factus est. Non me latet, auditores, non defuisse olim, neque his nostris temporibus hæreticos deesse, qui studia litterarum damnent, et præter divinæ Scripturæ volumina nullos Theologos, nullos Philosophos, nullos historicos, nullos oratores legendos atque evolvendos putent; quique suis disputatoribus argumentis et rationibus interdiciant: et eos quosdam iudices librorum esse velint, qui nihil, nisi testimonia scripturarum memoriter referre ac recitare sciant. Quod profecto non facerent, nisi causæ suæ penitus diffiderent, et sapientiæ atque eruditionis lumen pertimescerent. Certe majores nostri sapientissimi homines, ii denique et Christianæ reipublicæ clarissima lumina et Catholicæ religionis firmissima propugnacula, longe aliud nos facere docuerunt: cum ea quæ vera, et nostræ fidei consentanea veteres Philosophi, poetæ atque historici dixerant, non solum non respuerunt: sed etiam ab il-

lis, tamquam ab iniquis possessoribus in usum Christianum merito jureque optimo vendicarunt. Nam quemadmodum Israeliticus ille populus cum ex Ægypto divino jussu discederet, execranda Ægyptiorum idola et gravia onera detestans, aurea tantum et argentea illorum vasa, pretiosamque suppellectilem ac vestem, quæ non quidem sua auctoritate sed Deo imperante ab ipsis male utentibus mutuatus erat, nunquam reddenda asportavit! Sic ii doctores nostri, cum studium humanarum doctrinarum et iugenuarum artium emensi sunt, superstitionis solum figmenta gravesque supervacanei laboris sarcinas aspernati, reliqua omnia, quæ usui vel pro se vel contra adversarios aliquando sibi profutura existimabant, quam diligentissime collegerunt et tenuerunt.

His armis sese instruxerunt ac munierunt veteres illi patres, qui christianæ religionis causam adversus Ethnicos susceperunt, qui quidem ipsum etiam Christum quasi male ratiocinantem in evangelio accusare non dubitabant, et sacrorum voluminum auctoritatem sophisticis cavillationibus convellere, gravissimosque de mundo, de homine, de Angelis, de Deo errores asserere nitebantur. Hoc firmissimum doctrinæ præsidium egregia illorum sapientissimorum hominum pietas sibi paravit, quo perditissimum hæreticorum in orthodoxam religionem furorem compescerent, impetum frangerent, audaciam reprimerent, conatus eluderent, copias opprimerent, dissiparent, delerent. Itaque quod est vel in pugna, vel in omni medendi arte multo maximum, et in quo exclamant homines et admirantur, gladium extorserunt hosti de manibus; et illa ipsa acie illi caput amputaverunt, qua is ipsorum jugulum petebat: eaque re fecerunt morbo medicinam, ex qua vis ejus omnis profluxerat.

Legite stromata Clementis: legite Justini apologias et orationem pareneticam ad gentes; legite Tertulliani apologeticum, Hieronymi libros in Jovianum, Theodoretii sermones ad Græcos: denique Cypriani, Lactantii, Hilarii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Cyrilli volumina diligenter evolvite, et ea tanta eruditionis varietate, tanta rerum ac verborum copia, tot veterum philosophorum ac poetarum testimoniis, tot exemplis ab antiquitate petitis referta esse videbitis, ut nulli sint poetæ, nulli oratores, nulli historici, nulli veteres philosophi, quos ab eis auctoribus, quo paulo ante

commemoravi, lectos non fuisse judicetis, ut jam mirum nobis non debeat videri, si beatus Hieronymus ad Magnum Oratorem scribens omnes pene omnium doctorum ecclesiae libros ejusmodi eruditionis plenissimos esse confirmet. Deinde Alexandrinus ille Clemens librostromatum primo, nonne reprehenditeos, qui nec philosophiam nec dialecticam attingere volentes, solam ac nudam fidem requirebant? Nec immerito, auditores: « Sancta quippe rusticitas, ut B. Hieronymus ad Paulinum scribens ait, solum sibi prodest, et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. » Libro vero stromaton sexto idem ipse vir doctissimus Clemens sicut Judæis legem ac Prophetas, ita Græcis philosophiam, tamquam proprium testamentum, a Deo donatam esse, neque alia de causa ab apostolo Paulo inexcusables appellari, contendit. Origenes autem, qui huic ipsi Clementi in ecclesiastica schola successit, philosophiæ studia vituperantibus respondet, ut ex libro historiæ ecclesiasticæ sexto intelligi potest, se philosophiæ quidem diligentem operam navasse; sed non absque virorum gravissimorum exemplo, Panteni, Heraclæ aliorumque, qui cum essent doctores Apostolici, nihilo tamen secius Philosophorum libros legere, et in philosophiæ studiis exerceri solebant. Jam vero Theodoretus historiæ tripartitæ libro octavo Dydimum refert grammaticam, rhetoricam, arithmeticam, geometriam, astronomiam syllogismosque Aristotelis didicisse, quod adversus mendacium arma veritatis existerent. Et sermone ad Græcos primo, posteaquam ostendit, christianos doctores ex libris Ethnicorum, spinis relictis, solas rosas colligere et quasi prudentissimas apes etiam ex amaribus floribus dulcissimum mel conficere, hæc verba subjecit: « Ac veluti, inquit, corporum curatores e venenatis feris atque serpentibus salutare medicinas conficiunt, deque ipsis viperis alia quidem rejicientes, alia elixantes, multos harum rerum præsidio morbos propellunt, ita et nos vestrorum poetarum, historicorum, Philosophorumque monumenta versantes alia ex iis ut noxia et pestifera declinamus alia vero sparsim nostræ inferentes doctrinæ auxiliarem nobis ac salubrem curationem afferimus. » Quid de duobus illis Græciæ luminibus Magno Basilio et Gregorio Theologo dicam? Certe Magnus Basilius oratione quarta et quinquagesima Moysen Ægyptiorum et

Danielem Chaldæorum sapientiam didicisse, et tum demum ad divinam sapientiam se contulisse commemorat: ostenditque, qua ratione Christiani magnam utilitatem ex disciplinis externis, et veterum Ethnicorum libris capere possint. Gregorius vero oratione in magnum Basilium, externæ sapientiæ reprehensores acriter reprehendit, eamque Christianis hominibus per utilem esse demonstrat. Dies me deficiet, auditores, si quæ dici in hanc sententiam possunt, coner expromere: præsertim cum non solum apostolicos viros sed ipsum etiam apostolum poetas ac Philosophos veteres legisse; et eorum testimonia sacris litteris inseruisse sciamus. Nonne enim cum Atheniensibus disputans illud ex Arato testimonium protulit, *Ipsius enim et genus sumus?* Nonne ad Corinthios scribens ex Euripide illud adduxit: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava?* Nonne etiam in epistola ad Titum ex Epimenide philosopho vel ex poeta Menandro, ut alii volunt, de Cretensibus dixit: *Cretenses semper mendaces malæ bestię, ventres pigri?* Et testimonium philosophi vel poetæ confirmans, nonne ait, *Testimonium hoc verum est?*

Quæ cum ita sint, qua fronte, quæso, quidam improbissimi atque imperitissimi homines, qui fidem negaverunt, qui religionem contempserunt, qui moribus corruptissimis semper fuerunt, nobis invidiam constare, et tragedias excitare audent, quod philosophorum libros lectitemus, et non solum divinæ sed etiam humanæ sapientiæ studiis animos excolamus? Intelligebat plane intelligebat ille Christianorum accerrimus hostis Julianus, quantas vires sapientia cum pietate conjuncta ad errores confutandos et veritate defendendam haberet. Intelligebat profecto sacrarum litterarum, quibus fidei et religionis nostræ veritas continetur, integritatem tueri etiam si pii, probi que simus sine doctrinæ et sapientiæ adjumento nos minime posse, nec ullam scientiam magis ingenium omnibus disciplinis excultum desiderare, quam sacram scripturam, quæ et propter sermonis simplicitatem et sententiarum obscuritatem, quam Hyperbatorum, eclipseon, anancapodotorum aliarumque figurarum usus frequentissimus efficit, in varios sensus trahi potest. Quocirca callidissimo excogitato consilio Christianis omnibus, lege de hoc lata, studiis artium humanarum interdixit.

Quare, auditores optimi, incumbite, ut facitis, incumbite diligenter in studia: sed il-

lud interim non obliviscamini, non lucere solum, sed etiam ardere: nec in sapientia tantum, sed etiam in gratia proficere nos oportere. *Proficiebat enim dux noster sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines.* Sunt enim omnes disciplinæ artesque per se præclaræ, magnæ laudabiles: sed quemadmodum si animum probum, integrum, et vere Christianum invenerint salutares sunt et expetendæ: sic etiam, si a charitate et pietate Dei separentur, tamquam gladius in manu furiosi, et iis ipsis, in quibus sunt, semper, et aliis iis sæpenumero periculum, damnum, perniciemque important. Quid enim si Christianam morum honestatem, vitæque probitatem et internam animi erga Deum religionem sustuleris? Quid, inquam, grammatico putidius, insolentius, corruptius? Quid poeta levius, impuruit, petulantius? Quid historico mendacius et ineptius? Quid rhetore vel oratore nocentius? Quid dialectico importunius aut fraudulentius? Quid philosopho intolerabilius et magis impium? Quid mathematico vanius aut dementius? Quid medico damnosius ac pestilentius? Quid jurisconsulto rapacius et inhumanus? Quid denique theologo inanius, fœdius, perniciosius reperitur? Fuerunt aliquando atque utinam modo non sint, nonnulli, qui philosophiam evangelicis præferabant, quibus Averroes Paulus erat; Alexander Aphrodesæus, Petrus: Aristoteles, Christus; Plato non jam divinus, sed Deus ipse. Qui vero ejusmodi sunt, superbiæ vento ita inflantur, ut omnes contemnant, despiciant, nihili faciant, et eos vix homines putent, qui de materia et forma, de motu et tempore, deque aliis rebus generis ejusdem loqui non possunt. Quare mirum non est, si cum ipsi Deum qui prima et summa veritas est, non quærant, a Deo quoque destituantur, in reprobum sensum tradantur, et in errores gravissimos ruere permittantur. Nec enim sine causa Tertullianus in libro adversus Hermogenem, philosophos Hæreticorum patriarchas appellat. Et B. Hieronymus in Luciferianos scribens, hæresim Arrianam argumentationum rivum de Aristotelis fonte mutuatum esse confirmat.

Neque vero humana sapientia solum, sed etiam divinarum scripturarum cognitio, si a charitate et humilitate sejuncta sit plerumque obest, prodest numquam. Neque ullos homines reperiri existimo (percipite, quæso, diligenter quæ dicam), nullos, inquam, homines

reperiri existimo, qui circa obitum ita de fidei nostræ arduis dogmatibus dubitare, et in abyssum infidelitatis cadere permittantur, ut ii, qui soli sapientiæ operam dederunt, et charitate atque humilitate, dum viverent, caruerunt. Historiam vobis non minus veram, quam formidabilem narrare volo, ut plane videatis, quid sit in sapientia et non in gratia; in eruditione et non in pietate proficere: Petrus Episcopus Patavinus vir doctus, disertus et pius, libro altero de ratione bene moriendi, duos quosdam viros eruditissimos fuisse refert: quorum alter cum obiisset, alteri in sua bibliotheca constituto totus ardens apparuit, terrore amicum et quærentem, cur in eas pœnas incidisset? respondit: Cum hora illa immineret, qua diem extremum clausurus eram, ecce, inquit, diabolus solitis suis armis instructus adfuit, interrogavitque de Deo, quid crederem? Cui ego: Id quod est in symbolo apostolorum. Tum ille: Rem certe, inquit, gratissimam mihi feceris, si quæ in symbolo continentur, mihi planius explicares. Ego igitur ab Athanasii symbolo exorsus, apostolorum symbolum exposui, ut potui: mihi vero, inquit, ille quæ de Patre Deo a te dicta sunt, partim vera, partim non vera esse videntur. Illum enim ab æternitate Deum esse certo scio; sed an etiam Pater æternitate esse possit vehementer dubito. Hic ego exclamo, dogma illud Arrianum atque adeo hæreticum esse. Sed ille: Non est, inquit, bone vir, clamoribus, sed rationibus disserendum. Tu si probare te posse confidis, Deum ab æternitate patrem esse, ac deinde ab æternitate filium genuisse, age, incipe, audiam patientissime: et si istud eviceris, gravi errore me liberabis. Si vero contrarium tibi persuadere potero, non sis ingratus, sed gravi quoque errore liberatum ingenue confitere. Nec enim parum refert vera an falsa de Deo sentiens moriaris. Itaque fretus ego doctrina et laboribus tot annorum et longa exercitatione disserendi, pugnam de fidei dogmatibus non recusavi: sed ille tot scripturarum testimoniis tanta vi tantaque copia rationum et argumentationum me obruit, ut plane mihi persuaserit, neque Filium, neque Spiritum sanctum esse: interim e corpore egredior, et ante Deum ita, ut eram, nemque hæresi arriana imbutus sistor. Ille me propterea in hunc ignem dejecit, qui tametsi atrocior est quam ut vos intelligere aut cogitare possitis, tamen esset utcumque tolerabilis, si finem aliquem habiturus vel

post mille sæcula speraretur. O quanto mihi utilius fuisset, si minus temporis et studii in sapientia quærenda, et plus in pietate comparanda potuissem. O me felicem, si quantum splendore litterarum enitui, tantum ardore charitatis flagrare studuissem. At nunc omnium me studiorum et laborum meorum pœnitet et semper pœnitebit: neque tamen pœnitendo quicquam proficiam.

Et si hæc ita se habent, auditores, cur nos noctes et dies in libris evolvendis consumere audemus, et de gratia atque amicitia Dei, de humilitate, de charitate, de virtutibus cæteris numquam cogitamus? Non igitur sola eruditione contentus esse vir doctus, sed multo etiam magis, si salvus esse velit, studere debet, ut cum doctrina probitatem vitæ cum luce ardorem et cum sapientia charitatem atque humilitatem conjungat.

Et quonam tandem modo id faciemus? Dicam equidem, auditores, modo non frustra dicam, neque longam seriem vobis proponam; sed res duas dumtaxat, quas experientia, atque usus et facillimas et utilissimas, esse docet, vobis breviter commendabo. Duo igitur sunt, quæ ab omnibus bonarum artium studiosis observari diligenter velim et ejus studia litterarum non modo nihil obfuturum; sed etiam vehementer profutura esse ausim polliceri.

Quænam igitur ista sunt? Unum est, ut aliquid quotidie temporis in contemplatione rerum divinarum, ut passionis dominicæ, ut beneficiorum Dei, ut finis ultimi, ad quem effecti et creati sumus, ut mortis, ut iudicii, ut gehennæ ponant: Hæc enim contemplatio illustrat mentem, accendit voluntatem, hominem totum immutat. Orabat Dominus, cum in monte Thabor, ut B. Lucas testatur in capite nono, *Facta est species vultus ejus altera*: et vestitus ejus albus et refulgens. Luna non illustratur, nisi faciem ad solem convertat, et in eo quodammodo intueatur se. Et nos, auditores, illustrari minime possumus, nisi mentis aciem in solem justitiæ defigamus. In contemplatione homo agnoscit seipsum, agnoscit præsentia, agnoscit futura; illa caduca, ista sempiterna esse videt: et interim communem hominum cæcitatem ac stuporem miratur, et se a tenebris ad lucem quotidie magis ac magis proficere gaudet. Nemo, auditores, nemo, mihi credite, Filii Dei humilitatem attente cogitabit, et continuo superbus erit: nemo quid sit mori, et in gehenna uri, serio sibi ante

oculos ponet, et mundi lenociniis decipi poterit. Sed quam crebro in hujusmodi contemplationibus versari debemus? Certe non rarius, quam bis in die, ii, quibus horologiorum cura commissa est, mane et vesperi pondera illa, quorum descensu rotæ horologiorum aguntur, attollunt et in sublime suspendunt! Nec enim rotæ versari in orbem possunt, quin pondera illa descendant: et si, cum usque ad terram descenderunt, non iterum attollerentur, continuo cursus horologiorum cessaret. Ad eundem modum, auditores, etiamsi mane per contemplationem erigimur, et Dei in nobis amore excitamus; tamen cum ab oratione discedimus, ad gymnasium pergimus, litteris operum damus, cum hominibus cæteris versamur, semper descendimus, et in nobis Dei amor frigescit, nec aliter fieri potest. Quid igitur agendum? Rursum vesperi pondera horologii attollenda sunt: rursus ad cordis conclave redeundum est: rursus ad ignem accendendum vel potius ignis rursus accendendus est. Siquidem flammæ charitatis, ille perpetuus ignis est, ad quem nutriendum mane et vesperi ligna supponenda sunt. Ecquis tandem hoc durum, quis arduum, quis difficile esse dicere audebit? Bis in die a studiis, et negotiis reliquis cessamus, ut corpus pascatur: et iniquum esse censebimus, bis in die a rebus iisdem cessare, ut animus recreetur? Corpus dormiendo multas horas consumit, et non licebit animo sibi horam unam, ut in sinu Dei per contemplationem quiescat vindicare? Totos dies aliquando conterimus ut Galeni vel Aristotelis, aut si vultis Tertulliani vel Irenæi locum unum intelligamus: et grave nobis erit, horam unam conterere, ut viam, quæ ducit ad cælum, cognoscamus? Denique quot horas quotidie doctores in gymnasiis disputantes auditis? Cur igitur non poterimus spatio horæ unius Deum in cordis gymnasium de æterna salute disserentem audire? Neque mihi respondeatis, quod imperiti quidam solent, hæc monachorum, non studiosorum studia esse. Nam si monachi dumtaxat regnum cælorum ingredi debent, ipsi dumtaxat orient, ipsi contemplantur, ipsi vitæ probitati ac pietati incumbant. At si salvi esse omnes cupimus, cur non omnes eam viam ingrediemur, quæ ad salutem et gloriam sempiternam ducit?

Porro alterum, quod ab iis, qui in sapientia et gratia proficere student, mihi requi-

rendum, videtur, illud est, ut quam frequentissime possunt ad sacrosanctam Eucharistiam accedant. Siquidem in eo sacramento ipse gratiæ auctor et donator delitescit, in eo cibus animorum, in eo mentium robur, in eo vita et salus nostra reposita est. Et quid magnum esset, si bonarum artium studiosi, qui neque uxores neque liberos neque familiæ administrationem habent, singulis diebus dominicis dominicam illam mensam frequentarent? Non est temeritas, ut quidam falso putant, ad Domini convi-

vium frequenter accedere; sed maxima contra temeritas est, credere, se sine cibo diutius valere et vivere posse. Non sine causa Dominus, et panem, et panem quotidianum sacramentum illud appellavit. Quare, auditores, contemplationem, nempe fornacem amoris et Eucharistiæ sacramentum, fontem videlicet gratiæ frequentemus, ut hic dum vivimus in sapientia et gratia proficere, et post obitum gloriæ ac beatitudinis compotes esse per Christum valeamus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XVI.

DE DOMINICA SEPTUAGESIMÆ

THEMA

Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. *I Cor. IX, v. 24.*

SYNOPSIS

Thematis hujus occasione, pro bravio currentibus tria esse necessaria ostenditur: ut scilicet in stadium admittantur, ut admissi currant, et ut bene currant. Quæ tria ad spiritualem quoque cursum applicantur. Stadium autem spirituale est donum justificationis, fidem, spem et charitatem continens: ad quod nos gratis admittimus, contra quam sentiant Pelagiani. Qui extra hoc stadium currunt, etsi currunt et fatigantur, frustra tamen laborare probatur: quod faciunt Hæretici et homines improbi. Deinde currendum et bonis operibus vacandum esse asseritur, contra Lutheri doctrinam; licet solus Christus bravium capiat, et nos per ipsum. Denique bene currendum; ut comprehendamus. Cur et quomodo Christus asininam nostram tarditatem ad cursum stimulet, ut nimirum curramus sine intermissione, quod et ipse cæli cursus assiduus nos docet, et mala punica in pontificia veste præfigurantur. Quomodo Deum incomprehensibilem comprehendere possimus a simili declaratur. Christianis cursoribus exemplo mundanorum cursorum oportet abstinere ad omnibus cursum impediens, ut sunt maxime ebrietas, convivia et tripudia; Quæ cum Græciam effœminatam perdiderint, etiam regionibus

nostris minantur. Germanorum insana et infamis bibacitas pro merito suo reprehenditur, uti et molles choragorum discipuli. Exortatio denique seria ad fugam Bacchanaliorum concludit.

Apostolica ista sententia, quam hodierna die, pro ratione temporis explicaturi sumus pulcherrima est, et simul hæresim Pelagianorum et Lutheranorum, et Bacchanalia Catholicorum, quæ istis diebus incipere solent, vehementer flagellat. *Nescitis, inquit, quod ii, qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* Initio dicit, *Nescitis?* interrogando: quod est idem ac si dicere vellet apostolus, non dubito quin sciat. Ea enim quæ ad carnem pertinent, et sensibus percipiuntur, omnes noverunt: ut si quis diceret, nescitis quam egregie homines in bacchanalibus bibere soleant? Nescitis quo mense celebretur dedicatio? Ita loquitur B. Paulus. Certe, inquit, scitis, quid faciant ii, qui currunt in stadio: sed non scitis fortasse inde tamquam per gradus ascendere ad spiritualia et cœlestia. Hoc ego vos docebo. Pingite igitur animis gloriam sempiternam, ad quam creati estis, tamquam aliquod bravium a Deo nobis proponi, et nunc intelligetis tria vobis esse necessaria, ut aliquis propositum bravium consequatur. Quæ sunt illa tria? Primum est, ut in stadium ad currendum admittatur: Nam qui currunt

extra stadium etiamsi currant velocissime, nihil tamen lucrantur : hoc docet Apostolus cum ait : *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt.* Alterum est, ut cum sunt in stadium admissi, non se ad sedendum vel fabulandum vel comedendum vel dormiendum componant, sed currant : Nam in stadio qui sunt, vel currant necesse est vel egrediantur. *Nescitis, inquit, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ?* Postremum ut non solum currant sed bene currant, hoc est, velociter recto cursu, continenter, sine intermissione : et hoc est, quod subdit apostolus, *sic currite ut comprehendatis.* Quod remedium ut curramus bene et sic curramus ut non frustra curramus, sed bravium comprehendamus ? Remedium est, se ab omnibus quæ cursum impediunt abstinere. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Quod nobis eo libentius, quam illis faciendum est, quod illi corruptibilem coronam, nos incorruptibilem accepturi simus. Jam hæc omnia ad spirituale bravium et spirituale cursum applicemus.

Primum igitur, qui gloriam sempiternam tamquam bravium accepturus est, in stadium admitti debet. Quid est hoc stadium ? Donum justificationis, quod fidem, spem et charitatem continet. Nam qui vel fidem veram non habent, ut Ethnici : vel habent quidem fidem veram, sed mortuam, ut qui inter Catholicos corrupte vivunt, isti vel non currunt vel ad bravium non currunt. Nam, ut dicimus, currere ad bravium, est mereri operibus bonis vitam æternam : quod non possunt ii, qui fidem veram et vivam, hoc est fidem, quæ per charitatem operatur, non habent. *Viam, inquit propheta, mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Tunc homo currit, cum habet cor dilatatum. Quid est, quo cor dilatatur ? Nihil aliud, quam latum illud mandatum, de quo idem Propheta, *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis,* et omnis consummationis, omnis perfectionis, omnis præcepti finis est charitas, quæ ita lata est, ut a Deo usque ad proximum, a cælo usque ad terram extendatur. Itaque stadium est justitia, fides, spes, charitas : et qui extra stadium illud existentes currunt, frustra laborant. Nam non datur bravium currentibus, sed currentibus in stadio. Laborant Hæretici ut Evangelium suum propagent, vigilant dies et noctes, scribunt multos libros, periculis et morti se

exponunt, sed frustra : Currunt enim in incertum, atque aerem verberant. Pari ratione homines improbi aliquando multum laborant in currendo orant, jejunant, eleemosynas faciunt, sed quia currunt extra stadium, fatigantur quidem, sed interim bravium non apprehendunt. Ponamus unum exemplum : vos multa similia invenire poteritis. Sunt aliqui qui tempore bacchanaliorum exeunt de stadio, ebrietate et choreis et aliis peccatis excidunt a gratia. Deinde adveniente quadragesima ad gratiam Dei per pœnitentiam non redeunt ; et tamen jejunant cum cæteris, fortasse eleemosynas majores et crebriores faciunt. Isti currunt sed non in stadio ; laborant cum cæteris, sed non coronabuntur cum cæteris. Quare ? Quia non currunt in stadio : et opera bona sine charitate non merentur bravium. Doctrina est Apostolica : *Si linguis, inquit, hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut symbalum tinniens.* Quamobrem, auditores, primum omnium id procurare debemus, ut admittamur in stadium : vel si semel admissi, nostra culpa ejecti simus, iterum per pœnitentiam in curriculum restituamur, quod tamen, cum habuerimus, non id nostris meritis, sed Dei gratiæ attribuere debemus. Nam sicut ingressus in stadium non acquiritur cursu, sed donatur favore et liberalitate principis : ita gratia justificationis non redditur meritis, sed gratis datur. In quo decipiebantur Pelagiani, qui putabant se ingredi posse stadium, et currere, etiam non vocati et admissi. *Gratia, inquit Apostolus, salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est :* tamquam si diceret, quod in stadium admissi estis, quod est principium salutis, et tales effecti, ut jam possitis currere, et bravium promereri, non vobis debebatur, sed gratis accepistis : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Unde ? Num ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos ? Nequaquam, sed *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non intrant stadium, quia cucurrerunt, sed ut currant. Non datur gratia, quia bene operati sumus ; sed ideo datur, ut bene operati possimus. Bonis operibus, inquit D. Augustinus, debetur merces, si fiant : sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Estne satis esse in stadio ? Non est satis, sed currere necesse habent, qui in stadium intraverunt. Dicitur enim curriculum, quod in eo curratur : et stadium per antithesin,

quod in eo non stetur, et qui forte stare et sedere volunt, statim eliciuntur, ne sint aliis impedimento. Atque hinc apparet error crassissimus Lutheranorum. Quid docet Lutherus? standum ac sedendum in curriculo, docet enim nulla esse opera necessaria, sed esse bene comedendum et bene bibendum, et in utramque aurem dormiendum: et tunc venturos angelos, qui nos in nostris plumis molliter quiescentes sine ulla molestia transferent ab bravium. Sed aliud profecto nos apostolus docet, dum beatitudinem comparat bravio: et nos non solum currere, sed etiam velociter et sine intermissione currere et sudare, et quasi in agone contendere jubet. Itaque, auditores optimi, cum Dei benignitate in stadium admissi simus, statim cursum operum bonorum auspicari debemus: non licet nobis ullo modo torpere vel otiari: in stadio sumus, non in triclinio, non in pomario, non in conclavi: et qui secus faciunt, non mirum, si justo Dei judicio excidunt a gratia, ad peccata relabuntur, ac de stadio expelluntur. Illi igitur qui in stadio currunt, omnes currunt, nulli stant aut sedent.

Sed quid sibi vult, quod sequitur, *Sed unus accipit bravium?* Num unus homo dumtaxat salvus erit? Ita prorsus. Unus dumtaxat, nempe Christus, sic enim ipse ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Itaque solus Christus, qui *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, solus, inquam, ipse accipit bravium. Sed non idcirco nos excludimur, nec frustra laboramus in currendo, Christus enim pro se et pro nobis accepit bravium. Est enim Christus caput nostrum, et nos membra ejus; ipse est vitis, et nos palmites. *Unus panis, et unus corpus multi sumus.* Non legistis de primis Christianis: *Erat multitudinis credentium cor unum et anima una?* Iste igitur unus, iste Christus unus, in quo nos omnes unum sumus, iste accepit bravium.

Sequitur: *Sic currite, ut comprehendatis.* Hoc est tertium et postremum, quod a nobis exigitur, si beati esse velimus. Non satis est esse in stadio, non satis est currere, sed necesse est bene currere. *Sic currite, ut comprehendatis.* Hoc est, currite ut oportet, recte, celeriter, sine intermissione. Nam ut in proverbio dici solet: « Non coronantur verba sed adverbia ». Facere, non est quod meretur coronam; sed bene facere: non currere, sed bene currere. Quis est qui bene

currit? Qui recte, celeriter et sine intermissione currit. Recte, hoc est recto cursu, non sicut ebrii, qui occupant totam plateam, et nunc ad unam partem inclinant, nunc ad aliam. Illi non recte currunt, qui non recta intentione in operibus bonis versantur. Venis ad concionem animo proficiendi? Recte curris. Venis animo explorandi, an sint verba Ciceroniana, quæ proferimus? Non recte curris. Versaris in studiis, ut Ecclesiæ laboranti opem feras? Recte curris. Versaris in studiis, ut fias canonicus, et sumptibus crucifixi in delitiis perfruaris? non recte curris. Doces, concionaris, scribis libros, ut amplificetur gloria Dei, et multi salvi fiant? Bene curris. Hæc eadem facis, ut hominibus placeas, et gloriam propriam quæris? Non recte curris, nec unquam pervenies ad bravium. Itaque dirigendus est cursus, dirigenda intentio: si distorta est, dicendum cum Propheta: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Deinde celeriter currendum. Non placent Deo homines pigri, tardi, socordes: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Cur putatis prohibuisse Deum Hebræis, ne unquam sibi offerent asinos, et primogenitum asini mutarent ove, nisi quod tardum et pigrum sit animal, et displiceat Deo tarditas et pigritia? Cur Deus tam sæpe nos flagellat? Cur tu in itinere verberas equum? quia non diligis eum? Non. Cur igitur? Ut celeriter currat. Ita etiam Deus assidue nos verberat, non quia non diligit; sed ut ad propositum nobis bravium magis festinemus. « Mala quæ hic nos premunt », inquit Gregorius, « ad Deum ire compellunt. » Videt benignissimus Pater cursum nobis, et cursum velocem esse necessarium: videt hostem humani generis perpetuo spargere ante pedes et oculos nostros varias illecebras, ut in iis colligendis occupati ad bravium non curramus: videt postremo nostram tarditatem esse magnam, nec minorem cupiditatem colligendi, quæ dæmones offerunt: quid igitur facit? Ingeminat flagella, multiplicat verbera, immittit timores periculorum, bellorum, seditionum, immittit ægritudines, tollit occasiones lucrandi, aufert homines charos, filios, fratres, uxores ut hac ratione saltem nos currere faciat viam mandatorum suorum. Et sane magis nos verberibus indigemus, quam multi sibi persuadeant. Cur existimatis Dominum, cum in Jerusalem in die Palmarum intravit asinam, et pullum ejus ascendisse,

nisi ut nostram quasi naturalem et asininam tarditatem designaret? Nam ut sancti pene omnes exponunt, asina illa et pullus ejus Judæos et Paganos significabant, super quos Christus ascendens, et habens providentiæ suæ gubernans, et calcaribus ac flagello tribulationum feriens, ad cœlestem Jerosoly mam perducit. Poterat vero equis vel mulis populos Judæorum et Gentilium designare, sed asinis voluit: ut nos insitæ nobis tarditatis admoneret, nec miraremur si tam sæpe et tam severe nos flagellat. Et vere, auditores, nos tam pigri, tam socordes sumus in spiritalibus bonis, ut non tam asinino, quam testudineo gradu moveri videamur, cum tamen in stadio sumus, et velocissime nobis currendum esset.

Verum non satis est recte et celeriter currere, nisi etiam sine intermissione usque ad bravium in cursu perseveremus. *Sic currite*, inquit, *ut comprehendatis*. Nam qui currunt ad aliquod tempus, deinde fatigati subsistunt, nihil omnino comprehendunt. Multi sunt, qui incipiunt bene agere, frequentare sacramenta, abstinere se a flagitiis; sed in medio cursu aliquando parva, aliquando nulla de causa cessant a cursu: opera illa bona intermittunt: et Deus, cui ista infidelitas et inconstantia maxime displicet, eos ejicit de curriculo et aliquando, imo vero frequenter ita obdurari et excæcari permittit, ut numquam amplius cupiant redire ad stadium, et sempiterno illo præmio, ad quod creati et vocati erant, et quod facile consequi potuissent, summa cum ignominia et confusione priventur. Itaque perseverantia nobis in isto cursu necessaria est. Videmus cœlos quomodo numquam vel ad momentum a cursu quiescant, et si quiescerent statim mundus totus, nisi aliunde suppleretur defectus, fortasse periret. Cur putatis summum sacerdotem in veteri lege, cum ornatu pontificio incedebat, in extrema veste habuisse mala punica, quæ in vertice quasi naturalem coronam gerunt, nisi ut intelligeremus, extrema opera, et finem atque exitum coronari, et eos solos salvos futuros, qui perseveraverint usque in finem? *Sic igitur currite, ut comprehendatis*.

Sed quæret fortasse aliquis, quid est hoc, quod Apostolus loquitur, *Ut comprehendatis*? Potestne aliqua res creata, quæ finita est, comprehendere creatorem, qui est infinitus? Proprie comprehendere, hoc est, totum capere et concludere Deum, nemo potest;

sed possumus, tamen eum comprehendere, si comprehendere idem sit quod apprehendere. Itaque beati omnes Deum cognitione et amore apprehendunt, et in eo delectantur, eoque fruuntur, satiantur, replentur, non quantum ipse cognosci et amari, satiare, replere et delectatione afficere potest, sed quantum ipsi capere possunt. Quemadmodum enim si dicas alicui: Vade ad oceanum, et reple amphoram istam aqua maris quantum potes: num intelligis, ut infundat totam aquam maris, ut nihil supersit, quod infundi possit? Non hoc intelligis, quod scis fieri non posse, sed ut infundat tantum, quantum amphora capere potest. Ita quoque nos currimus, ut Deum comprehendamus, eo cor nostrum impleamus, non quantum ipse implere potest, sed quantum vasa cordium nostrorum capere et continere possunt.

Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere: et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Perstat in eadem similitudine, ut nos doceat quid facere debeamus, ut in cursu recto et celeri perseveremus. Quid igitur facere debemus? Id quod faciunt cursores. Quid faciunt cursores? Ab omnibus se abstinere, quæ eos impedire possunt: a fornicatione, quæ debilitat vires: a cibis delicatis, quæ delicatam et teneram carnem efficiunt: a multis vestibibus et oneribus, quæ corpus fatigant: a nimio potu, qui mentem, oculos, pedes, totum corpus et animum lædit. Quam egregie putatis currerent ebrii ad bravium, qui super pedes suos consistere non possunt. Et si bravium est in oriente, ipsi currerent ad occidentem. Ab his igitur omnibus illi se abstinere, et nos quoque ad eorum exemplum abstinere debemus. Ac ne forte tibi hæc nimis molesta et gravia videantur, audi quid dicat: *Et illi quidem*, inquit, *ut corruptibilem coronam accipiant*, hæc omnia præstant, et tibi durum videbitur idem præstare, ut *Incorruptam* et immarcessibilem *Coronam* accipias? Magna profecto et vehementis persuasio, et argumentum, quod in die judicii tepidos Christianos incredibili pudore et confusione afficiet. Quid? Nonne turpissimum, et homine christiano indignissimum est, ut propter coronam gloriæ sempiternæ, quæ nullo pretio æstimari posset, propter regnum et imperium illud amplissimum, et quod sine fine durabit, et corpus et animam possidentis in summa et æterna fe-

licitate constituet, non velit ad paucos dies in stadio currere, et a fornicatione, ebrietate, choreis et aliis nugis abstinere? Cum Ethnici omnia ista et majora fecerint propter unam coronam ex myrto Veneri consecratam, vel ex oleo consecratam Minervæ, vel ex lauro consecratam Phœbo : qui sunt omnes dæmones et spiritus Tartarei. Quid illis proderant coronæ ex myrto vel ex lauro, quorum folia post paucos dies arescebant? At tibi numquid proderit corona gloriæ quæ corpus et animam semper virere ac florere facit? Sed si hæc non movent, moveant saltem ista tempora, tam turbulenta et tam periculosa, in quæ incidimus. Ego sane vehementer timeo, ne si pergamus sicut alias solemus bacchanalia celebrare et Deum ad iracundiam tot flagitiis provocare, compleatur tandem nostra malitia, compleatur et ira Domini, et disperdat nos Deus, sicut aliis multis regnis accidisse videmus. Quid enim obsecro perdidit Græciam, nisi illud ipsum quod nos facimus? Erant homines maxime dediti ebrietati, et conviviis ac tripudiis, ut ex orationibus Basilii et Chrysostomi cognosci potest. Deinde non multum solliciti erant de religione, permittebant sectas varias et hæreses crescere, ut lubitum cuique erat, quod magnus Basilius in epistola quadam ad Occidentales, et D. Hieronymus in epistola ad Damasum maxime deplorant. Postremo sedem Romanam, ubi radix et caput est nostræ religionis, non magnificiebant, neque aliud magis optabant, quam romanæ Ecclesiæ non subesse : quod vel ex eo perspicui potest, quod toties patriarcham suum Constantinopolitanum, qui initio erat ultimus patriarcharum, primum et universalem patriarcham esse voluerunt. Sed quid fecit Deus? Quia nimis bibebant, permisit ut eis dominarentur Turcæ, qui vinum secundum legem suam execrantur, et vineas succidunt ubi possunt. Quia tripudiis dediti erant, ita severum tyrannum cervicibus eorum imposuit, ut jam gemant sub jugo, et tanto onere oppressi choreas ducere et saltare, nec liceat, nec libeat. Quia de religione non erant solliciti, permisit eos excæcari, et veram fidem ac religionem perdere. Quia postremo Christiano pontifici subjecti esse nolebant, subjecit eos atrocissimis hostibus Christianæ fidei. Ita cum Græcis actum esse videmus et dolemus. Nolo malum aliquod minari, sed, quæso, non ipsi nobis exitium et ruinam extremam procuremus. Nam Germa-

niam sororem esse Græciæ quantum ad ebrietatem nemo non videt : quicquid inchoatur, vino inchoatur, quicquid finitur, finitur vino : Si aliquem invisit, propinando te salutatur, et tu bibendo respondere cogeris. Non sciunt amicos honorare, vel amorem vel benevolentiam ostendere, nisi vocent ad prædium : non sciunt prandere cum amicis, nisi eos ebrios, hoc est, animo mortuos et corpore pene mortuos dimittant. Quæ est hæc infelicitas? Bis aut ter in prandio bibo, et corpore et animo bene valeo. Invitas me ad prandium tuum, certe ut mihi facias rem gratam, et vis ut decies bibam, destruam vinum tuum, et stomachum meum et si non facio indignaris? Intelligamus, quæso, genus quoddam esse stultitiæ, ita amicos honorare velle : discamus sobrietatem parentem esse sanitatis corporis et animi ; bibamus ad sitim restinguendam, non ad libidinem explendam ; illud scientes, naturæ parum satis esse, libidini nihil sufficere.

Jam de choreis, saltationibus et aliis illecebris effrænis juventutis nihil est quod dicamus. Quis enim ignorat multos esse, qui Lovanium veniunt, ut doctores fiant in Jure, et fiunt doctores in choreis et in gladio? Quam multi sunt, qui cum ad parentes suos redeunt, si quærat ab eis, quid Lovanii didicistis? responsuri sunt, si verum dicere velint, didicimus vagari totas noctes per plateas : didicimus districto gladio bellum gerere cum lapidibus ; didicimus multa et nova genera chorearum : didicimus uno haustu bibere medium poculum : didicimus pecunias nostras, quæ unum mensem duraturæ erant, una hora consumere. Præclara profecto sapientia. Quam sit hoc malum, et quantorum malorum causa, quis non videt, auditores? Nam si qui versantur in studio sapientiæ, qui tam eruditam et sanctam civitatem inhabitant, qui suis moribus aliis hominibus lucere debent, ita vivunt, quid alios, quæso, facturos speramus? Certe qui hic instituuntur, doctores et gubernatores, præfecti ad judices aliorum locorum erunt : sed quid docere poterunt : nisi quod didicerint? Habeatur, obsecro, habeatur ab iis, quorum interest, magna ratio juventutis, unde salus et incolumitas totius reipublicæ dependet.

Jam de negligentia conservandæ religionis ac de conjunctione cum capite, unde salus membrorum dependet, nihil dico. Multitudo enim hæreticorum, quæ in tota hac regione atque in Flandria potissimum cum Catholicis

impune versatur et augetur in dies, satis torporem, et negligentiam nostram redarguit.

Quare, auditores optimi, Apostolum Paulum audiamus, atque in stadio constituti abstineamus nos ab omnibus, quæ a cursu nos impedire possunt. Quid magnum esset si semel nos etiam unum miraculum faceremus; et quo tempore alii scelestissime et corruptissime vivunt, eo nos optime et sanctissime viveremus? Polliceor vobis nos Deo rem gratissimam, nobis utilissimam, et toti patriæ salutarem effecturos, si ad iram omnipotentis Dei placandam, et eum toti regioni reconciliandum offeramus ei sacrificium trium sequentium hebdomadarum,

ita ut bacchanaliorum obliti unusquisque se domi contineat, nulli videantur homines larvati vel personati, nulla exercentur tripudia, nulla celebrentur sumptuosa convivia, nullus inveniatur ebrius: faciamus quod Ecclesia docet, quæ hodie peccatum primi hominis ad memoriam revocat, et lætis canticis intermissis, vesteque lugubri assumpta, et nos ad luctum et pœnitentiam exhortatur: hoc est, paremus nos ad quadragesimam, expiemus confusione et lacrymis præterita peccata, ut cum fructu et utilitate postea jejunemus. Quod ut faciamus præstet nobis Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XVII.

DE EADEM DOMINICA

THEMA

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Matth. XX, v. 1.*

SYNOPSIS.

Difficultas sensus hujus parabolici ex Origénis judicio dimetitur. Scopus et finis hujus parabolæ investigatur, qui eo tendit, ut intelligamus singulare Dei donum esse, quod gratiæ et Evangelii, et non legis veteris et Prophetarum temporibus vocati simus. Paterfamilias iste diligens, justus et liberalis fuisse ostenditur; qui est Deus ipse, ut qui tres diversas alit familias, unam filiorum in cœlo: alteram libertorum in terris; tertiam mancipiorum in pistrino gehennæ. Quomodo Deus in sacris litteris dicatur exire. Vineam esse Ecclesiam; operarios vero prælatos et doctores demonstratur, eorumque officium et dignitas asseritur. Denarius est ipsa felicitas, sive ipse Dei Filius (qui accommodate denario comparatur), per beatificam visionem possessus. Per quinque exitus quinque mundi ætates designari, quæ omnes unius diei spatio definiuntur a Deo, ut qui, cum sit æternus, tempus nobis visum longissimum, brevissimum æstimet. Qui operarii in singulis ætatibus ad quam devoluti sumus ultimum, conducti fuerint. Quomodo e foro ad vineam eundem sit, ubi mundus eleganti similitudine nundinis comparatur, quarum mercatura puerili ranarum piscationi simillima; ex quibus nos paterfamilias increpando evocat.

Absoluta tranctatione de vocatione ad laborem, in secunda parte agit de vocatione ad mercedem. Christus fidelis et prudens est procura-

tor, nescius decipere, nescius decipi; cur a novissimis mercedem persolvendo incipiat. Beatitudinis denarium licet singuli operarii accipiant, diverso tamen felicitatis gradu possidere Jovinianum probatur, nam quilibet pro sua capacitate sine murmuratione accipit. Operarii novi Testamenti operariis veteris anteponuntur, quia eorum sunt præstantiora merita; nam etsi hi plus laboraverint, minus tamen quam nostri, utpote quibus copiosior Spiritus sancti gratia communicata, effecerunt: quod figura duorum, qui racemum ex Palæstina ad Moysen tulerunt, aperte demonstratur. Coronidem addit eorum, qui in vinea Domini vocati otio indulgent, increpatio, qui accipitribus assimilantur, cum multi sapienter ignari fœcundis gallinis similes fiant.

Quæ nobis hodie ab Ecclesia Catholica proponitur Evangelica similitudo, auditores optimi, eam ita reconditam abstrusam esse vir doctissimus Origenes judicavit, ut ad eam pro dignitate explicandam ipsum Dei Filium, qui auctor ejus fuit, necessarium esse constanter assereret. Nos enim tametsi Christi sensum, ut apostolus loquitur, habeamus: tamen ita ab hujus parabolæ sublimitate ac profunditate abesse existimavit, ut solum pauca quædam de ea supplicari, et ea dicere atque in medium adferre possimus. Denique propter hanc unam parabolam de Domino ac servatore nostro prophetam cecinisse affirmat: *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem*

meam. Et, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. Ac Origenes quidem de elegantissima et pulcherrima comparatione iudicium verissimum, sapientissimumque fuisse, non dubitabis, auditores, si quanto, et quam gravibus quæstionibus ea sit obruta, consideretis. Ergo tamen partim temporis augustiis impeditus, partim fretus intelligentia vestra (non enim ad vulgus imperitum verba facio) multa consulto ac de industria prætermittam: et ea solum, quæ magis tum ad parabolam explicandam necessaria, tum ad mores nostros corrigendos utilia esse videbuntur, adducam.

Sed antea tamen quam ad ipsius parabolæ verba explicanda aggredior, quem sibi finem ac veluti scopum Dominus proposuerit, mihi quærendum atque diligenter investigandum esse videtur. Non enim alia de causa nonnulli in parabolis exponendis facile labuntur, et a veritate aberrant, quam quod verba præcedentia et sequentia non considerent; neque cur, quando et qua occasione parabola dicta sit, animadvertunt. Hujus igitur elegantissimæ similitudinis exitus, auditores, is est, ut ostendat eos, qui post salutarem Domini adventum ad Ecclesiam advocantur, et legis evangelicæ onus leve et iugum suave suscipiunt, multo feliciores et beatiores esse, quam ii fuerint, qui hunc eundem Domini adventum præcesserunt, et gravissimam legis antiquæ sarcinam portaverunt. Nam cum beatissimus apostolorum princeps Petrus pro se et pro cæteris apostolis a Domino quæsivisset, quid mercedis ac præmii accepturi essent quod sprete omnibus rebus, ipsum secuti fuissent? *Ecce, inquit, nos relinquimus omnia et secuti sumus te: Quid ergo erit nobis?* Eis Dominus respondit: *Amèn dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios aut agròs propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam habebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Atque hæc obscuriora esse videbantur, quam ut facile ab apostolis rudibus et illiteratis hominibus percipi posset: ad ea ergo illustranda et explicanda parabolam præsentem adhibuit. Statim enim ait: *Simile est regnum cælorum patrifamilias, et quæ sequuntur.*

Et parabola expedita, ut quo illa tenderet intelligeremus, rursus illa verba subjecit: *Sic erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

Itaque scopus ac veluti signum, quod nostra parabola intuetur, hoc est, ut ii, qui jam evangelio coruscante vocati sunt, non modo se detrimentum nullum accepisse existiment ex eo, quod ultima ætate, et mundo tam senescente vocati sunt, sed etiam singulari privilegio se a Deo donatos esse et patribus veteris testamenti præferendos. Ac denique duodecim tribus Israel in novissima die se esse iudicaturos intelligant. Quam nostrorum temporum beatitudinem illis etiam verbis Dominus noster ac liberator expressit, Luc. x. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt: et audire, quæ vos auditis, et non audierunt:* Et alio loco: *Alius est, qui seminat, et alius est, qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Et Apostolus Paulus, cum ad Hebræos scribens illos veteris Testamenti patres enumerasset, qui fide maxime enituerunt: *Et hi omnes, inquit, testimonio fidei probati non acceperunt re-promissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Itaque, auditores huc omnis parabola tendit, ut nos evangelii et gratiæ potius, quam legis et prophetarum temporibus vocatos esse singulare Dei donum et privilegium existimemus.

Illis igitur explicatis, perfacilis mihi reliquus cursus orationis ostenditur: fundamenta enim mihi videor jecisse totius disputationis. Ut igitur ad ipsam parabolam jam tandem veniamus, initio Dominus patremfamilias magnum imprimis, ac diligentem, justum et liberalem nobis describit. Quod enim *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, diligentiam tribuendum est:* Nam, ut Aristoteles in libro de ratione domus gubernandæ, scriptum reliquit; diligens paterfamilias sicut ultimus ad lectum se recipere, sic etiam primus e lecto surgere, et ad procuranda domus negotia exire debet. Quod autem iis operariis, quos hora prima conduxit, denarium diurnum persolvit, justitiæ tribuo: quod vero cæteris amplius, quam eis debebantur, largitus est, liberalitati adscribo. Atque hujus patrifamilias nomine Deus ipse sine ulla dubitatione intelligendus est. Ipse enim verus magnus paterfamilias est, cui non una, sed tres maximæ, dissimillimæ et

in locis disjunctissimis positæ familiæ sunt : una filiorum, altera libertorum, tertia mancipiorum. Filii in cœlestibus domiciliis vitam tranquillissimam ac felicissimam degunt: liberti in terris in sudore vultus sui vescuntur pane suo : mancipia catenis onerata in tenebricosum gehennæ pistrinum detrusa ac relegata sunt. Filios quidem paterfamilias nectare ac ambrosia pascit, et torrente voluptatis potat. Libertis autem calicem voluptatis spargit interdum felle amaritudinis, et potum dat *In lacrymis* quidem, ut psalmographus ait ; sed *In mensura*. At mancipia fugitiva solo pane tribulationis, et aqua lacrymarum et felle amaritudinis, sustentat. Hæ porro tres illæ familiæ sunt de quibus divinus apostolus ad Philippenses scribens ait : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.*

Quid igitur magnus ille paterfamilias fecit? *Exiit*, inquit, *primo mane conducere operarios in vineam suam*. Quid est hoc, Auditores? Deus exiit? Et unde exiit? Quonam ivit? Numquid non ipse ait : *Cœlum et terram ego impleo*? Et : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*. Et rursus : *Ego Dominus, et non mutor*. Nonne de ipso Jacobus apostolus ait : *Apud quem non est transmutatio neque vicissitudinis obumbrat o*. Quo igitur exiit, qui numquam movetur, et semper est ubique? Recognoscite mecum, auditores, metaphoram divinis literis familiarem. Tunc enim exire in sacris voluminibus dicitur Deus, cum se prodit, et extra se aliquid operatur. Cum Deus Pater Deum Filium mente atque intelligentia gignit, et rursus cum Spiritus paracletus, qui nec genitor, nec genitus, sed genitoris genitique suavitas est, a Patre et Filio tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit : operatur quidem Deus, sed ab æternitate intra seipsum sine ullo teste et sine ullo conscio operatur. Quocirca tunc non exire, sed in seipso manere ac delitescere dicitur. At cum orbem molitur, administrat, gubernat, immutat, quia extra se operatur, et manifestum se facit, propterea tunc exire non immerito dici potest. Itaque cum cœlum et terram fabricavit, exiit : cum Noe præceptum de arca ædificanda dedit, exiit : cum Abraham de Ur Chaldæorum eduxit, exiit : cum denique homo factus in terris apparuit, exiit : cum populum suum a Pharaonica servitute liberavit, exiit.

Et cur nam exiit? Nempe, *ut conduceret*

operarios in vineam suam. Quænam igitur est hæc vinea? Qui vero hi operarii? Vineam Ecclesia est. Quamquam enim *Domini est terra et plenitudo ejus*; tamen vineam quamdam ex omni orbe terrarum sibi elegit, et eam singulari providentia colit, de qua in sanctis voluminibus frequentissima mentio est; et nos de ea dicere multa possemus, si per tempus liceret, et ad alia magis necessaria non properarem.

Porro operarii sunt ii, quos Deus huic vineæ excolendæ singulis ætatibus præficit : quales olim patriarchæ, prophetæ, sacerdotes et apostoli fuerunt : nunc vero pontifices, concionatores, pastores, doctores et alii sunt, qui in hoc unum incumbunt, ut hæc vinea non silvescat, nec spinis aut tribulis obruatur, nec a bestiis in eam irrumpentibus devastetur ; sed floreat, vigeat, propagetur et fructus uberrimos pariat. Neque hoc munere aliud nobilius, excellentius, Deo gratius aut nobis utilius inveniri potest. Sic enim Deus hanc suam vineam diligit, ut quicquid ab initio fecit, in totum incommodum atque humilitatem hujus vineæ fecisse videatur. Quare, qui a Deo ad hoc tam sublime opus assumuntur, ut operarii in ejus vinea sint, certe grave illis videri non debet, omnibus negotiis aliis, et curis et lucris valedicere ; quin potius tam excellenti bono gaudeant, et strenuos se in hac vinea operarios, Deo et angelis spectatoribus, præbeant.

Profecto enim si Deus ad creandum cœlum hominem aliquem aut angelum administrum habuisset, maximo honore ac dignitate homo ille, vel angelus affectum se fuisse censeret. Neque alia de causa eos, qui signis et prodigiis claruerunt, admiramur, nisi quod instrumenta Dei in illis magnificis, et vires omnium rerum creatarum superantibus operibus, fuerint. Quanto igitur jure illorum sublimitatem et excellentiam suspicere, atque admirari debemus, quibus velut instrumentis ad vineam suam colendam et hominum animos illustrandos atque ad vitam revocandos uti dignatur? Opus enim sine dubio nobilius ac præstantius est hominis liberam voluntatem ad malum propensam ad Deum convertere, quam cœlum ac terram condere : et animum dormientem excitare, quam corpus jam defunctum ad vitam a morte revocare. Quid? Quod operari hujus vineæ, præterquam quod opus exercent per se præclarissimum atque eximium mercedem etiam tantam,

quantam optare non possent, sine dubio consequentur.

Audite enim quid sequatur in evangelio : *Conventione autem facta, inquit, cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Quid, obsecro, denarium istum significare existimatis? Nihil profecto aliud, quam æternam felicitatem, vel ipsum Dei filium designat, in cuius visione ac possessione nostra beatitudo consistit. Nam quemadmodum denarius figuram principis impressam gerit; sic ipse Dei Filius, *Splendor gloriæ Patris et figura substantiæ* Dei Patris ab apostolo Paulo nominatur. Et quomodo denarius non figuram modo, sed etiam verba quædam continet: sic etiam Dei Filius non solum figura, sed et Verbum Dei Patris est. Rursum, ut denarius rotunda figura præditus est, in qua nec finis nec principium invenitur: sic Filius Dei, ut apostolus loquitur *Nec initium dierum nec finem vitæ habet.* Ac ut pecuniis obediunt omnia, et per ipsas omnia fiunt; sic per Christum omnia facta sunt, et omnia Deus Pater ei subiecit. Hæc est igitur merces nostra *Et merces magna nimis*: quæ etiam non injuria denarius appellatur, cum decem præceptorum observatione comparetur.

Sequitur: *Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis: Ite et vos in vineam meam.* Quinquies hic noster diligens paterfamilias exivisse describitur: hora prima, tertia, sexta, nona atque undecima: quæ horæ sic accipiendæ sunt, ut ad initium primæ Solem oriri, ad finem duodecimæ occidere eundem intelligamus.

Quinquies igitur exivit, quia quinque sunt mundi ætates, quibus Deus semper alios atque alios operarios ad vineam suam colendam adduxit. Itaque totum tempus, quo mundi hujus status permanere, et Dei vinea coli debet, unius diei spatio definitur. Cujus quidem diei ab orbe condito usque ad tempora Noe hora prima, secunda et tertia; a temporibus Noe usque ad Abrahæ vocationem, quarta, quinta et sexta; ab Abrahæ vocatione usque ad Moysen legislatorem septima, octava et nona; a Moyse legislatore usque ad primum Christi adventum, decima et undecima affluerunt: a primo Christi adventu usque ad secundum hora duodecima ac postrema peragitur. Et quidem hora prima Adam, Seth, Enoch; hora tertia Noe, Sem, Melchisedech: hora sexta Abraham et cæteri patriarchæ; hora nona Moyses et prophetæ; hora undecima apostoli et eo-

rum successores vocati sunt. Atque hoc est, quod B. Augustinus in libro altero in Julianum docet, cum ait: *Excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat, ipsi dispensat.*

Quod vero nunc horæ undecim effluerint, et hora duodecima atque ultima agatur, et finis diei Solisque occasus immineat, testis est apostolus Joannes: *Filioli, inquit, novissima hora est, testis apostolus Paulus: Hæc autem omnia, inquit, in figuris contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Testis denique et apostolus Petrus: *Scientes, inquit, quia non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternarum traditionum: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem; manifestati autem novissimis temporibus propter vos.*

Neque vero mirum nobis videri debet, spatium tot annorum diem unam a Domino nominari! Nam si nos, qui aliquot annos vivimus, unam horam vel alteram facile contemnimus, et spatium brevissimum esse censemus: cum tamen bestiolis quibusdam, quas Aristoteles apud Hypanim nasci, et unum diem vivere affirmat, horæ singulæ et singulæ ætates videantur et si istud cogitare istæ bestiolæ possent non minoris ipsæ unam horam facerent, quam nos decem aut quindecim annos faciamus. Quanto magis Deus, cujus ætas est æternitas sæculorum, et cui sine mendacio dicitur: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternæ, quæ præterit,* omne nostrum tempus brevissimum esse docet, tametsi nobis maxime diuturnum esse videatur.

Quare, auditores, si vita præsens ita est brevis, ut nemo sit, qui vel semihoræ spatium vivat, cur tam solliciti in rebus præsentibus comparandis et cumulandis sumus? Contemnamus, quæso, contemnamus, ineptias (quod enim levius huic levitati nomen imponam?) et in illam æternitatem intueamur, quam nos omnes, qui hic vel in summis voluptatibus vel in extremis doloribus positi, emetiri debemus. Vocat nos Dominus a foro ad vineam, surdi non simus, aures non claudamus, neque puteamus nos a quiete ad laborem vel a labore ad quietem sed a labore ad laborem vocari. Sive in foro sumus, sive in vinea sumus la-

borandum est. Sed labor fori inutilis, labor inanis, labor laborem parturiens est : at labor vineæ mercedem magnam expectat, quietem atque otium maximum parit. Audite enim quibus verbis Dominus nos a foro ad vineam suam invitat. *Venite ad me omnes, inquit, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et quonam pacto, quæso, nos reficies, Domine? *Tollite, inquit, jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve.* Itaque jugum atque onus non deponere, sed immutare nos voluit : et a labore infructuoso ad laborem fructuosum vocat, cum a foro ad vineam vocat. Neque negligenter prætereundum est, auditores, vocem illam Græcam ἀγορά pro qua nos forum habemus proprie mercatum et nundinas (ut Origenes ait) significare. Quod enim Pythagoras dicere solebat vitam humanam magno mercatui persimilem esse, id nos quoque esse verissimum experimur. Quemadmodum enim in nundinis alii merces suas ostentant, et tabernacula atque umbra-cula, tamquam laqueos et retia pecuniis tendunt : alii subtiliori artificio, nempe circulatorum atque præstigiatorum homines cantu, tamquam sibilo aves ad se trahunt, et admirabili genere mercaturæ negotiantur ! Ibiq̄ue mendacia dominantur ; insidiæ, doli, deceptiones et fraudes regnant, ac demum omnia confusis tumultibus, rumore ac strepitu plena sunt ! Sic etiam in foro ac nundinis hujus mundi dæmones sunt, qui quasi versutissimi mercatores, ubiq̄ue figunt sua tentoria, iste voluptates, ille divitias, ille honores ac dignitates vendit. Nam qui emunt, vel voluptarii sunt, vel avari, vel superbi atque ambitiosi. *Omne quod est in mundo, clamat evangelista Joannes, hoc est, omne quod in foro et nundinis est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ. Carnis concupiscentia* quid nisi delicias, voluptates, comessiones ? ebrietates oculorum, aurium, narium et omnium sensuum delectationes emere ? *Concupiscentia oculorum* quid nisi domos, vestes, possessiones et pecunias quærere ? Quæ oculorum concupiscentia alio nomine avaritia non immerito dici solet : eo quod avari oculos solos oblectent, solos oculos pascant, parcissime vivant, sordidissime vestiantur : non animum sed arcam implere ; non ventrem satiare, sed oculos gestiant. Porro Su-

perbia vitæ, quod præter honorum sedes et dignitatum splendorem ambiret ? In hoc igitur foro omnia personant confusis vocibus mercatorum, et cum alius accedit, alius recedit ; alius vendit, alius emit ; alius vadit, alius redit ; isti canunt, illi contendunt, mirum est, quantus ubiq̄ue tumultus ac strepitus excitetur. Sed quod caput omnium malorum, iidem mercatores et præstigiatores sunt : siquidem amaritudinem venditant pro voluptate ; ignominiam pro dignitate, pro floribus spinas, et pro auro carbones, qui quoniam accensi sunt, mox ut tanguntur, manum comburunt. Neque hoc solum, sed quod multo est infelicius, rem eandem ut callidissimi fœneratores iterum atque iterum vendunt. Id quod rudi, sed apposita, nisi fallor, similitudine declarabo. Vidistis aliquando pueros circa paludes ranarum piscationi operam dantes ? Ipsi enim ranæ alicujus pellem filo alligatam aliis ranis, tamquam escam objiciunt, continuo vero non una, sed multæ undiq̄ue ranæ ad escam illam accurrunt, et ea, quæ cæteris esse velocior potuit, summa aviditate escam, quam neque rodere neque devorare potest, apprehendit. Interea vero piscator filum colligit, escam ad se trahit, ranam filo appensam capit atque occidit, et escam ab ejus ore violenter extractam aliis aperto ore expectantibus objicit : atque hac demum ratione sine magnis sumptibus, una atque eadem ranæ alicujus pelle ranas innumeras capit. Hoc est, auditores, hoc plane est, quos mundus et dæmon cum hominibus ranis istis stultioribus et simplicioribus faciunt. Nam iisdem penitus rebus, iisdem divitiis, agris, possessionibus, quæ sæpe hominis alicujus non solum labore et sudore, sed etiam sanguine partæ sunt, ac proinde pelles hominum non injuria dici possunt : istis, inquam, et hujusmodi rebus innumerales alios decipiunt, atque ad inferos pertrahunt. Ante centum annos multi erant, tum hic, tum in cæteris academiis, qui vel jurisprudentiæ, vel arti medendi vel aliis disciplinis operam dabant. Quorsum tandem auditores ? nempe ut escam divitiarum et honorum, quam eis mundus et diabolus ostentabant, accipere possent. Et vere arripuerunt, et divites ubiq̄ue nominabantur, et ore multorum celebrabantur. Sed numquid eos honores easque divitias rodere, ac devorare, aut certe secum portare potuerunt ? Nullo modo. Vix enim escam apprehenderant, cum ipsi a morte apprehensi, et

escam relinquere coacti fuerunt, et illam eandem escam ab aliis quibusdam, qui post illos nati fuerant, mundus objecit : Et eos paulo post nihilominus decepit. Illis vero alii successerunt, qui nunc in eadem studia diligenter incumbunt, et ore aperto iisdem divitiis atque honoribus inhiant : quorum exitum similem aliorum futurum, stulti sumus, si non providemus. Inspicite, quæso, testamenta majorum vestrorum, nihil aliud ibi legetis, quam, hoc uxori relinquo, hoc filiis relinquo, hoc amicis relinquo, hoc sodalibus relinquo et ne semel quidem dicunt : Hoc mecum fero, hoc mihi reservo. Interrogate agros, et possessiones vestras, quot nomina jam mutaverunt? olim Petri, deinde Pauli, tum Joannis, nunc Philippi, paulo post alterius nescio cujus agri et possessiones dicentur. Cur hoc? Nonne quia homines tamquam ranæ capiuntur, et esca semper eadem manet, et ad alios homines similiter decipendos conservatur? Aspiciate nunc, atque intuemini sedes Pontificum, regum, imperatorum : quam multi ad istas sedes singulis ætatibus aspiraverunt? et tamen qui eas post multos labores et sudores obtinent, ante ab iis dejiciuntur, et corruunt quam se in eis ad sedendum componere potuerunt. Heri sedebat unus, hodie moritur, et sedet alius : cras iste morietur, et sedebit alius. Atque ita sedibus, et honoribus semper viventibus, homines moriuntur, et nudi atque inanes in alias regiones, ubi perpetuo mendici atque ignobiles erunt, ingrediuntur.

Hæc igitur est mundi mercatura, hæc communis deceptio mortalium. Ita in hoc foro dæmones negotiantur. A quo nos revocare studens benignissimus hominum amator Christus in terras descendit, ad forum venit, et clamare non cessat : *Quid hic statis tota die otiosi? Cur in istis iniquis nundinis tempus teritis? Heu fugite crudele forum. Ite in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis.* Nonne vobis melius erit in vinea laborare, unde mercedem maximam reportetis, quam in isto turbulentissimo foro negotiari, ubi jacturam animarum vestrarum vobis ipsis summis laboribus comparatis? *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucrifaciat, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* O illos beatos, auditores, quorum aures hisce beatis vocibus apertæ sunt! O illos felices quorum corda hæc salutaria verba penetrant et qui studia sua, cogitationes

suas, contentiones suas in Dei honorem atque obsequium referre noverunt. Et cum omnibus hominibus in hac valle miseriarum laborandum sit, illi sine dubio vere fortunati appellari debent, qui Deum ducem secuti a foro ad vineam transeunt, et fructuose atque utiliter laborare sciunt.

PARS ALTERA.

Cum sero factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Duas vocationes in hac parabola Dominus describit : Unam ad laborem : alteram ad mercedem. Ac de priori quidem hactenus aliquid diximus. Nunc de posteriori pauca quædam dicenda sunt. Idem igitur Christus, qui secundum naturam divinam vineæ Dominus est, secundum humanam est procurator. *Pater enim non judicat quemquam ; sed omne iudicium dedit Filio. Et potestatem dedit Filio iudicium facere, quia Filius hominis est.* Ipse enim vere fidelis et prudens est, quales Deus procuratores requirit : et quia fidelis est nullum decipiet, et quia prudens est a nullo decipietur. Tunc autem operarios suos vocabit, cum dicet : *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Tunc enim omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

Nunc quidem, auditores, multi vocantur ad vineam, qui vel non audiunt, vel fingunt se non audire, vel aures occludunt, ut non audiant, vel absconduntur et fugiunt, ut non vocentur. At cum ad mercedem operarii vocabuntur, omnes erigent aures, omnes se ostentabunt : sed tamen non sperent se vocandos ad mercedem, qui ad laborem vocati laborare non voluerunt.

Voca, inquit, operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Sed cur, quæso, a novissimis incipitur? Nonne æquitas postulabat, ut a primis potius, quam a novissimis inciperetur? Hoc ideo factum est, auditores, ut privilegium singulare, et excellentia eorum, qui tempore gratiæ vocati sunt, ostenderetur. Tametsi enim hi omnium postremi ad vineam veniunt ; non tamen postremo, sed primo loco apud magnum patremfamilias erunt. Et quamquam beati in die iudicii simul denarium omnes

accipient, cum eis dicetur : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* : tamen ii prius denarium accipere videbuntur, ut Beatus Augustinus ait, qui minus expectaverunt : quemadmodum si duo a te beneficium aliquod peterent : et unus post unam horam, alius post duodecim horas, id quod petivit acciperet ; ille profecto prius beneficium accepisse diceretur, qui post unam horam, quam qui post duodecim horas illud accepit.

Sed jam isti operarii, qua mercede remunerentur, audiamus. *Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patrem familias, dicentes : Hi novissimi una hora facerunt, et pares illos fecisti nobis, qui portavimus pondus diei et æstus.* Quæ verba, auditores, difficillimis et obscurissimis quæstionibus plena sunt. Sed eas tamen, sicut non omnino prætermittere, ita non multis, sed paucissimis verbis expedire decrevi. Hic igitur primum quæro, cur singulos operarios singulis denariis donatos fuisse Dominus dicat ? quasi beati homines, juxta Joviniani errorem, paribus præmiis afficiendi sint, et unus alio in regno cælorum clarior atque illustrior esse non possit. Sed nodum istum facile dissolvemus, si cum Beato Augustino denario illo vitæ beatæ æternitatem significatam esse dicamus. Quamquam enim sancti homines gloria et beatitudine pares non sunt : tamen hoc uno pares sunt, quod omnium felicitas est sempiterna, neque alius, alio longiori spatio temporis beatitudine perfruetur. Neque minus facile eadem quæstio profligabitur, si nos (ut initio dicebamus) denarii nomine Dei verbum, ac Deum ipsum intelligere voluerimus. Siquidem propterea operarii omnes denarium unum accepisse dicuntur, quod unum atque eundem Deum omnis gloriæ ac beatitudinis fontem possideant. Sed nihilominus quemadmodum eundem solem clarius aquila, quam vesperilio intuetur, eundem gladium aliter miles fortissimus, et aliter parvus puer versare potest : eundem librum aliter, qui solam grammaticam novit, et aliter, qui est in philosophiæ studiis exercitatus intelligit : sic etiam unum atque eundem Deum, ex cujus visione beatus est, quicumque beatus est, alii aliis sese altius erigentes proprius, clarius et feliciter contem-

plantur. Neque vero ex hac disparitate præmiorum murmur aut quærimonia timenda est. Nam ii, qui minus gloriæ luminis et felicitatis accipient, se majoris capaces non esse apertissime omnino videbunt. Sicut enim si gigas, et pumilio a rege pretiosis vestibus donarentur, non queretur pumilio, quod vestem æque longam, ac gigas, a rege non accepisset ; sed contra congruentem suæ staturæ sibi datam esse gauderet. Ad eundem modum, qui magis hic in terris virtutibus ac bonis operibus creverint, ii longiori atque ampliori gloriæ indumento vestientur : Et omnes veste sibi consentanea se indutos atque ornatos esse lætabuntur.

Sed si hæc ita se habent, quid sibi volunt illa verba : *Et accipientes murmurabant adversus patrem familias ?* Quis hoc interpretabitur ? Quomodo murmur esse poterit in beatis ? Multis ac variis modis hæc verba sanctis Patribus explicantur. Sed mihi beati Chrysostomi expositio omnium verissima et optima esse videtur. Nempe docet vir iste sapientissimus, non omnibus quæ in parabolis dicuntur, aliquid ex altera parte in re per eam parabolam significata respondere. Ut enim gladius ad secandum quidem institutus est, non tamen ex omni parte secat ; sic etiam parabolæ ad aliquid significandum fingi solent : sed non idcirco omnia penitus significare debent. Plerumque enim nonnulla quæ alioqui non dicerentur ac una de causa necessario dicenda sunt, ut per ea sequentia cum præcedentibus connectantur. Itaque in hac parabola Dominus operarios hora prima vocatos murmurasse finxit, non quod murmur in beatis sit futurum, sed ut inde occasionem haberet explicandi, qui fieri posset, ut novissimos faceret primos, et primos novissimos, et tamen injustitiæ atque iniquitatis reprehendi nullo modo posset.

Neque a veritate aberraverimus, si dixerimus ita singulare futurum esse privilegium hora undecima vocatorum, ut si beati in cælis murmuri atque invidentiæ obnoxii essent, facile murmuraturi et invidentia flagraturi existimari possent. Verum in illo pacatissimo et tranquillissimo regno ista non erunt : imo potius invidentiæ charitas et murmuri congratulationes succedent.

Sed video quid adhuc aliquem movere ac perturbare posset : aut enim operarii illi, qui murmurabant mentiuntur, aut vere amplius, quam alii laboraverunt, vereque jactare possent, se pondus diei et æstum portavisse.

Quod mentiantur, credibile non est : neque Dominus vinæ illos mendacii reprehendit, quod certe fecisset, si mentiri illos intelligere potuisset. Si vero mentiuntur, et vere amplius quam ii laboraverunt, neque mentitur, scriptura divina, quæ ait : *Qui parce seminat, parce et metet.* Et rursus : *Reddet unicuique secundum opera ejus,* quomodo non est injustus Deus qui minus laborantes magis laborantibus anteponebat ? erigite animos, auditores, et hujus reconditæ quæstionis explicationem accipite, et finem quæstionibus imponamus. Apostoli, Doctores, Martyres, Virgines, Anachoretæ et alii, qui hora undecima vocati sunt, res propter Dominum multo majores atque excellentiores, magis arduas, magis difficiles, majoris operis, et laboris sine dubitatione gesserunt, quam ii gesserint, qui hora prima, tertia, sexta et nona vocati fuerunt. Nam ut alia interim omittamus, qui labores cum nostrorum anachoretarum laboribus conferri possunt ? Quid excellentius nostris virginibus ? Quid sublimius, quam mundo, dæmone et ipsis corporibus, sensibus reclamantibus in terris vitam Angelorum ducere ? Quæ prælia atrociora nostrorum martyrum præliis unquam fuerunt ? Quo studio, qua vigilantia, quanto ardore animi doctores nostri in libris conscribendis, scripturis interpretandis, hæreticis refellendis, Catholicis confirmandis, et in fide ac in officio retinendis, laboribus se manciparunt ? Quid vero de Apostolis, nostræ militiæ ducibus atque imperatoribus dicam ? quorum passibus disjunctissimæ terræ tam cito peragrari potuissent, quam Apostolorum non dicam cursibus, sed triumphis illustratæ sunt ? At vero Patriarcharum et Prophetarum temporibus, paucis quibusdam exceptis, qui ad Evangelium potius, quam ad legem pertinebant, vix aliqui fuerunt, qui cum obscurioribus ex nostris hominibus conferri possint. Ubi tunc erat maxima illa de omni orbe ad Christi imperium adjungendo Apostolarum sollicitudo ? Ubi Doctorum certamina cum Hæreticis ? Ubi exercitus Martyrum ? Ubi Virginum chori ? Ubi agmina Monachorum ? Quare cum majora nostrorum et præstantiora sint merita, non est iniquus Deus, qui eos primos ex novissimis facit, et iis, qui primi vocati fuerant, anteponebat.

Sed si hæc ita sint, cur qui primi ad vineam venerant amplius laboravisse, et pondus diei et æstus pertulisse se jactant ? Nimirum, auditores, quia vere ipsi amplius

laboraverunt ; tametsi res minus egregias, minusque arduas gesserunt. Siquidem undecimæ horæ operarii majori felicitate atque alacritate gravissima maximaque onera, quam ipsi res quasdam leves et exiguas ferre potuerunt. Id vero ex eo natum est, quod Spiritus sancti gratia multo copiosior et uberior apostolis et apostolicis viris, quam antiquorum temporum hominibus donata est. Porro divinam gratiam excellentissimorum et Deo gratissimorum operum radicem atque originem esse quis vestrum ignorat ? Quis apud apostolum aliquando non legit : *Abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem (scilicet solum) sed gratia Dei mecum.* Nam quemadmodum ille, qui plaustrum habet, facillime maxima onera de uno loco ad alium ferre potest, quæ alius, qui plaustrum non habet, ne movere quidem valeret : sic etiam, qui magna Dei grati præditus est, et maximo ardore charitatis flagrat, sine labore laborat, et nihil grave, nihil arduum, nihil difficile esse putat, quod illi amor imperat aut suadet. Hoc est igitur singulare privilegium evangelii, hæc nostrorum temporum beatitudo, ut minus laborantes magis ardua et laboriosa opera faciamus.

Quæ nostra beatitudo illustrissima quadam figura in veteri Testamento adumbrata fuit. Nam cum Hebræorum imperator Moyses duodecim exploratores in regiones Palæstinæ misisset, illi cum ad suos reverterentur, magnum quemdam palmitem cum suis uvis præciderunt, et eum vecti appensum super humeros duorum hominum imposuerunt. Illi igitur qui palmitem cum suis uvis in eo pendentibus ferebant, quorum unus præcedebat, alter sequebatur, novi ac veteris testamenti patres significabant : palmes autem ipsum Dei Filium servatorem nostrum in cruce sublatum designabat. Comparete nunc, auditores, eum, qui præcedebat cum eo, qui sequebatur, hoc est, eum qui veteris testamenti personam gerebat, cum eo, qui novi testamenti patres significabat. Uterque quidem onus ferebat ; sed ei, qui sequebatur palmes pro umbraculo erat, eumque a solis ardore defendebat. Rursus, si eum esurire vel sitire contigisset, palmes erat ad manum unde uvas decerpere, et seipsum reficere ac recreare poterat. Itaque non ei grave illud onus videbatur, quod tot commodis ac solatiis levabatur ? At is qui præcedebat non solum pondus illud sed

etiam æstum, et famem; et sitim et lassitudinem ferebat. Nam nec ventrem pascere, nec oculos oblectare uvis, quas portabat ei licebat. Ad eundem modum nos, qui post Christi adventum ad fidem vocati sumus, tametsi res arduas credere, res arduas sperare, res arduas gerere debemus; tamen tanta gratiæ divinæ copia, et Spiritus sancti muneribus donati sumus, tot adjumenta sacramentorum et divinorum voluminum aliarumque rerum maximi solatii habemus, ut plane suave Domini jugum et onus leve esse fateamur. Qui vero Christi adventum præcesserunt ita onere legis premebantur, et auxiliis, quæ commemoravimus, destituti erant, ut pondus diei et æstum portavisse quodammodo conquerantur. Et nihilominus uni eorum murmuranti jure ac merito paterfamilias ait: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.* Numquid liberalitatem injustitiam vocas? et bonitatem iniquitatem appellas? Placuit mihi, qui Dominus sum, et nemini quicquam debeo, istis, quos undecima horâ vocavi, gratiam uberiores largiri, et eos benevolentia singulari complecti, ut hac ratione præstantioribus virtutum operibus eniterent, et ego illos præmiis amplioribus donare possem.

Sic igitur erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, hoc est multi sunt, qui omnibus ætatibus et ex omnibus locis ad laborandum in hac vinea vocati sunt, et in regno cœlorum æterna beatitudine perfruentur; sed pauci sunt, quos singulari privilegio Deus elegit, ut ipso tempore gratiæ, et jam evangelio coruscante ad vineam operarii mitterentur. Hæc igitur habui, quæ de hac parabola pro temporis brevitate dicerem. Nunc ad nos ipsos veniamus.

Equidem, auditores, ego vehementer timeo, ne multi sint hic inter nos, qui ad laborandum in hac vinea conducti sunt, et se strenue laboraturos promiserunt; et tamen ita se gerunt, ut eis optimo jure Dominus dicere possit: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quid? hic in vinea Domini otiosi statis? crimen erat otiosum esse in foro, quid erat in vinea? Ad laborandum venistis, locum aliorum occupatis, et otiosi manibus complicatis alios laborantes aspicitis, et ipsi non laboratis? O quam multi operarii dici volunt, qui verbarii potius, quam operarii sunt. Nemo seipsum fallat, non verbarii, sed operarii mercedem accipient. *Voca,* inquit, *operarios, et*

redde illis mercedem. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Illi etiam, qui solum quærunt, quæ sua sunt, et non quæ Jesu Christi operarii quidem sunt, sed agri sui, non vineæ Domini. Certe operarii, quos ad vestros agros colendos vos conducitis, totum diem laborant vobis, ita ut vix unam horam, ut corpus curent, assumant sibi: et nisi id faciant, mercedem a vobis petere non audent. Et nos Dei operarii dici volumus, et maximam partem diei propriis negotiis procurandis conterimus. Longe aliud, auditores, nos apostoli et apostolici viri facere docuerunt, qui cum intelligerent se Dei operarios esse non posse, nisi omnibus aliis negotiis valedicerent, totos se ad hanc vineam colendam, rebus omnibus, quibus distinebantur intermissis, contulerunt.

Neque dicat aliquis, Mihi vineæ cura commissa non est: ego neque Pontifex, neque pastor, neque concionator: omnes enim qui in Ecclesia Catholica sumus, ad laborandum in vinea conducti sumus. Omnes si non verbo, certe exemplo ecclesiam universam juvare, et si non sermonibus, certe operibus concionari debemus. Omnes item animæ propriæ vitem omni studio ac diligentia excolere, et ejus curam agere omnes tene-mur. Non possumus autem duobus Dominis servire: non possumus in vinea Domini strenue laborare et animæ salutem diligenter quærere; et simul nostris divitiis cumulandis, honoribus augendis et explendis libidinibus incumbere. Quare non possum, auditores, non vehementer timere, ne illud de nobis aliquando dicatur: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi:* et accidat nobis, quod gallinæ atque accipitri evenire videmus. Accipiter enim dum vivit nobilium hominum manibus gestatur, cibariis optimis nutritur, in ipso Domini sui cubiculo locum habet. Gallina vero si vel semel e stabulo egrediatur, et in cubiculum aliquod ingrediatur, continuo clamatur post eam, et exire compellitur. Verum in morte res omnino alio modo se habet. Accipiter enim cum moritur in cloacam projicitur; gallina vero argenteis vel aureis patinis inclusa ad mensam Domini cum honore defertur. Pari ratione, auditores, nos qui sapientiæ operam damus, de rebus divinis, de Angelis, de Deo disserimus, in atriis Domini pene semper versamur, sacramenta cœlestia pertractamus, primi sumus et domestici ac familiares Dei

esse videmur. Multi vero reperiuntur homines illiterati, expertes doctrinarum, simplices, rudes, qui tametsi interdum magno fervore charitatis flagrant, et velut fœcundæ gallinæ ova multa bonorum operum pariunt; tamen novissimi pene ab omnibus judicantur: et si semel gymnasium aliquod casu aliquo ingrediuntur, sibilis, et pedum suplosionibus expelluntur. Sed veniet tempus, quando multi novissimi fient primi, multi primi novissimi. Multi enim sapienter indocti, et scienter ignari, qui nunc despiciuntur, contemnuntur, nihili fiunt, ad Antonios. Paulos, Benedictos, Franciscos in cœlum ab Angelis portabuntur. Multi vero, qui scientiæ vento inflati super nubes, ut accipitres volant, ad Aristoteles et Galenos in gehennam pergant. « Surgunt indocti, ait

Beatus Augustinus, et rapiunt cœlum, et nos cum nostris doctrinis demergimus in infernum. » Ecce quomodo volutamur in carne et sanguine, ebrietati studemus, comessationibus operam damus, in rebus, quæ ad corpus pertinent solliciti, in iis, quæ ad Dei honorem et animarum salutem spectant, pigri ac dissoluti sumus. *Sic igitur erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Quæ cum ita sint, auditores, si ubique primi, ubique Dei familiares et domestici esse cupimus, cum gallinæ humilitate et fœcunditate accipitris velocitatem et nobilitatem jungamus et sic hic terris gratia et in cœlis gloria apud Deum primi erimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XVIII.

DE DOMINICA SEXAGESIMÆ

THEMA

Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *II Cor. XII: v. 7.*

SYNOPSIS

Providentia Dei in servandis electis suis a periculo præsumptionis et pusillanimitatis, navis gubernatori assimilatur. Quid sit revelare. Revelationem esse triplicem, sensibilem, spirituales et intellectualem; quarum omnes S. Paulus habuit, ut quibus unis Evangelium suum acceptum ferat. Magnam differentiam esse inter sapientiam divina revelatione et humana doctrina acquisitam. Divina dona, quorum alioquin non extollere sed humiliare, aliquando ex depravata humana natura ad superbiam inflare. Diabolus duplici de causa stimulo confertur. Quomodo Deus malorum tentationibus ad suorum gloriam semper utatur et usus fuerit, exemplis demonstratur.

Tentationes esse colaphos dæmonis, quarum remedia sunt oratio et corporis mortificatio. Quantopere Deus gaudeat nostra perseverantia in oratione; et quomodo aliquando exaudit ad utilitatem, non ad voluntatem orantis. Virtus in infirmitatibus quomodo perficiatur. Sanctos infirmitatibus gloriari solere, secus quam faciant filii hujus sæculi. Tandem ad judicia mundi contemnenda et soli nutui divino obsequendum brevis exhortatio concludit.

Epistola hodierna tota quidem pulcherrima est, sed tamen prolixior, quam ut spatio semihoræ explicari possit. Quocirca elegi postremam partem, quod ea mihi utiliore doctrinam continere videatur. Docet enim Apostolus quam admirabili providentia Deus utatur in electis servis suis ad portum æternæ salutis dirigendis. Nam quemadmodum periti navium gubernatores, si navim suam nimis levem esse et nimis super aquas exstare videant, ut periculum sit, ne a quolibet vento quamvis exiguo facile evertatur, eam arena et lapidibus graviolem efficiunt: si vero contra nimis onustam et demersam in aquas esse animadvertunt, ut vel progredi non possit vel inter fluctus et procellas graviter periclitetur, tunc parte aliqua oneris et mercium in mare projecta eam relevant, atque hac providentia tandem integra in navim, incolumes homines, et salvas merces ad portum deducunt. Ita quoque Deus navim animarum, corporumque nostrorum simili providentia inter periculosos fluctus magni, et ut plurimum turbati maris sæculi hujus, ad portum salutis dirigit. Duo magna pericula imminent servis Dei. Unum ne nimirum deprimantur, alterum ne nimium extollantur. Tunc deprimuntur nimium, cum in tentationibus et tribulationibus animum despondent, et desperantes posse se dæmonum,

et carnis ac mundi, tam multis, et tam gravibus et tam assiduis tentationibus, et partim apertis, partim occultis diu resistere, a spiritu pusillanimitatis et desperationis absorbentur, atque ab alto virtutum cadentes. hærent deinceps in profundo, et in luto aquarum multarum, animumque adjiciunt ad bona caduca et fluxa, quæ ante contempserant. Quid tunc facit Deus? Relevat non nihil navem, donat illis consolationem aliquam spiritalem, interdum etiam visionem aut revelationem aliquam, ex qua admonentur, non defuturam Dei gratiam, brevi tempestatem cessaturam, et tranquillitatem secururam. Itaque hoc modo eriguntur in spem bonam, et dicunt cum Propheta: *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate*. Quio vero si semper consolationibus fruerentur, extollerentur nimium, exstarent nimis superaquas, putarent nimis super aquas, putarent se cæteris meliores, ac periculum esset ne a vento superbiæ, qui maxime dominatur in hoc mari, tandem everterentur; propterea Deus addit aliquid arenæ et lapidum, permittit eis tentationes et pugnas, et aliquando etiam sinit eos in parvis certaminibus vinci, ut intelligant, se non suis viribus, sed auxilio Dei vincere et superare majora. Hanc igitur providentiam Dei circa se B. Apostolus agnoscebat cum diceret: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Jam singulas partes hujus sententiæ consideremus.

Ne magnitudo revelationum. Quid est revelare? Nihil aliud, quam mysteria alioqui occulta et secreta, et quasi velo quodam cooperta aperire. Ponamus exemplum: Si Deus alicui dignetur ostendere, quid sit in posterum futurum, quod sane per se est occultissimum, verbi gratia, quis erit post centum annos status Ecclesiæ; a quibus hominibus regna et imperia gubernabuntur; utrum deficient hæreses, an crescent. Pari ratione si Deus aperiat alicui servo suo quid cogitent, vel quid cupiant alii, et utrum boni sint an mali, vel quæ sit veritas alicujus arduæ quæstionis de qua multum inter homines ambigitur, is procul dubio revelationem divinam habere, vel habuisse dicetur.

Porro tribus modis mysteria sua Deus revelat. Quædam enim est revelatio, quæ ad sensus corporeos pertinet, et sensibilis dici potest, qualem habuerunt Abraham, Loth,

Jacob, Gedeon et alii, qui Angelos in forma corporea corporeis oculis viderunt, et per eos, quæ futura erant, divina revelatione cognoverunt. Quædam vero pertinet ad imaginationem, et spiritualis appellatur, qualis fuit Pharaonis et Nabuchodonosor: quorum priori similitudine septem spicarum plenarum, et septem spicarum inanum, ventura ubertas et penuria a Deo revelata fuit; posteriori vero similitudine statuæ mutationes regnorum summorum Deus revelavit. Quædam postremo ad ipsam mentem atque intelligentiam pertinet, quales fuerunt multæ revelationes Moysis, ut ex c. XII. lib. Num. intelligi potest: atque hanc postremam et sublimissimam revelationem intellectualem B. Augustinus vocat: qui secundum ista tria genera revelationum tres cælos distinxit, quos Apostolus Paulus in hac ipsa epistola se transcendisse commemorat: Habuit enim ipse omne genus revelationis, ut merito dicere posset: *Ne magnitudo revelationum extollat me*: sensibilem habuit, cum ei in Damascum iter facienti Christus apparuit, et vocem illam Domini corporeis auribus audivit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Spiritalem habuit cum ei per quietem Angelorum ministerio apparuit vir Macedo, deprecans eum, et dicens: *Transiens in Macedoniam adjuva nos*. Illo enim modo Deus ei revelavit, ut B. Lucas testatur Act. XVI. velle se ut in Macedoniam ad prædicandum proficeretur. Aliam quoque spirituales revelationem habuit tempore cujusdam naufragii, cum ei per quietem Angelus apparuit ac dixit: *Ne timeas, Paule, Cæsari oportet te assistere, et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum*. Porro intellectualem revelationem tunc procul dubio habuit, cum usque ad tertium cælum raptus audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quis enim vel suspicari possit, quam multa, quam magna, quam abstrusa, quam secreta mysteria de Trinitate, de Christo, de Ecclesia in illo raptu viderit vel audierit? Tam sublimis ista una revelatio fuit, ut licet multas alias sæpe habuerit, tamen propter istam unam præcipue dicat: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Neque vero quatuor istas dumtaxat divinas revelationes Apostolus habuit, sed multas præterea alias. Nam omnem scripturarum intelligentiam, omnia Christi mysteria, omnem denique theologiam divina revelatione

habuit. Quod enim ad pedes Gamalielis discerat, pene nihil erat ad eam sapientiam, qua postea præditus fuit. Itaque ipse idem ad Galatas scribens: *Notum, inquit, vobis facio evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.*

Tantum vero interest inter sapientiam, quæ habetur a Deo per revelationem, et eam, quæ habetur ab homine per doctrinam, quantum inter diem et noctem. Est enim ista humilis et obscura, laboriosa, aspera; et quod infelicius est, sæpe multis et magnis erroribus admista: illa vero tota lucida, tota facilis, tota jucunda; *Beatus homo, quem tu erudieris. Domine, et de lege tua docueris eum,* talis fuit sapientia magni Antonii, qui litteras non noverat, et tamen summos philosophos et rethores, B. Athanasio teste, disputando superavit: talis fuit D. Francisci, de quo quidam, ejus temporis doctissimus, testimonium præbuit: *Vere, inquit, hujus patris scientia instar aquilæ pennis in sublime fertur; nostra graditur humilis super terram.* Talis fuit magna ex parte B. Bernardi et D. Thomæ, quorum uterque plus didicit orando, quam legendo. Id quod propter adolescentes sapientiæ studiosos dixerim, ne forte putent se tempus studiorum suorum amittere, cum orationi et meditationi dant operam: non amittunt, sed lucrantur. Plus enim discit hora qui animum per orationem purgandum et illustrandum divino lumini sæpe offert, quam alioqui disceret decem diebus. Sed ad propositum redeamus.

Ne magnitudo, inquit, revelationum extollat me. Non est natura revelationis, ut hominem in superbiam extollat: sed contra potius dona Dei hoc proprium habent, ut semper animum humiliorem efficiant. Habetis exemplum in arboribus, quanto enim magis crescunt in arbore poma, vel numero vel magnitudine, tanto arbor ramos suos deprimat ac demittit ad terram: ita sancti homines quanto plura et majora recipiunt dona Dei quanto plures et majores fructus operum bonorum in eis, et per eos Spiritus sanctus producit, tanto ipsi magis fiunt humiliores, et magis obligatos atque astrictos sentiunt divinæ bonitati. Aspicite Virginem Deiparam, quæ tamquam arbor fœcundissima his sanctis fructibus onustissima erat: quam profunde ramos suos inclinat; *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit Spiritus*

meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Unde igitur fit, ut sæpe ex donis Dei homines superbiant? Ex corruptione naturæ, quæ ita depravata, et ad seipsam conversa per peccatum est, ut immoderatam gloriam propriam quærat: et si quid boni habet, persuadet sibi se a se bonum illud habere, ac dicit: *Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* Verum benignissimus Pater noster, qui figmentum nostrum optime novit, nec ignorat, quoniam pulvis sumus, etiam huic morbo remedium optimum adhibet, cum assidue nos flagellat: et hoc est quod sequitur in apostolo: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* In quibus verbis duæ sunt pulcherrimæ metaphoræ. Primum enim dæmonem comparat stimulo, idque propter duos stimuli effectus. Nihil enim aliud hoc loco stimulum vocavit, quam baculum præacutum. Est enim in codice Græco *σκόλοψ*, quod non tam stimulum, hoc est, lignum ferro in extrema parte, armatum, quam baculum, ut dicebamus, præacutum significat. Satan igitur ejusmodi baculo comparatur: primum quidem, quia sicut patres in terris, posteaquam baculo liberos suos pro aliquo scelere puniendos usi sunt, eum in ignem projiciunt: ita quoque Pater noster cœlestis utitur quidem dæmone et angelis ejus, improbisque hominibus tamquam baculo, ut servos ac filios suos electos aliquando puniat, sed eos postea tamquam ligna arida et inutilia in ignem æternum projicit. Deinde, quia sicut stimulus, acutum illud lignum, quantum est ex se nihil novit nisi ferire, pungere, nocere; et tamen homo, cujus est regere et movere baculum, utitur illa molestia, illa punitione, illo vulnere in bonum ejus, qui pungitur et feritur nimirum ut celerius currat: pari ratione Deus noster vidit Satanam a se recepisse, propriaque voluntate impium, superbum, invidum, nocendi cupidum, denique stimulum quemdam effectum, nihil aliud moliri, quam ut homines vexet, pungat, feriat, in desperationem primum, et deinde in gehennam præcipitet. Quid fecit Deus? Ait quodammodo intra se, Ego quidem possem nullo negotio omnes conatus hujus ferocissimæ belluæ impedire, stimulum istum retundere, et frangere possem, sed melius erit, ut permittam Satanam sævire et tentare quantum velit, et in ejus confusionem illis ipsis molestiis et tentatio-

nibus utar ad servos meos illustrandos, et usque in cœlum evehendos. Ista est sapientia ac providentia admirabilis Dei nostri : quia sicut medici ex ipsa vipera, quæ est animal venenatissimum et nocentissimum, medicamentum faciunt optimum et potentissimum contra venenum : ita Deus ipsis tentationibus dæmonum, quæ traherent homines in gehennam ipse in meritum et gloriam eorumdem hominum convertit. Filii Jacob a dæmone incitati vendunt fratrem suum Joseph, et Deus illa ipsa venditione utitur ad Joseph illustrandum et dominum totius Ægypti, nec non fratrum suorum constituendum. Saul Davidem persequitur, ut eum de medio tollat, et Deus illis persecutionibus utitur, ut Davidem celebriorem et clariorem reddat. Judæi a dæmone acti Christum morte turpissima interire faciunt, ut non solum corpus; sed etiam nomen et famam ejus simul extinguant; et Deus ipsa cruce et passione utitur ad Christum exaltandum, mundum redimendum, Satanam confundendum, infernum claudendum, cœlum aperiendum; ipsam vero crucem vertit in decus et ornamentum maximum, ita ut etiam reges et imperatores eam in fronte gerant, eaque muniri et insigniri gloriantur. Ita igitur sanctum Job, Apostolum Paulum, Martyres, Confessores, Virgines, sanctos denique omnes, dæmones tentationibus afflixerunt, ut eis multum nocerent, et gratia Dei effecit, ut illæ ipsæ tentationes multum eis prodesent, ut eos tamquam stimuli ad currendum versus patriam cœlestem vehementius incitaret. *Multipliatæ sunt*, inquit David, *infirmittates eorum, postea acceleraverunt*, et B. Gregorius, *mala quæ hic nos premunt, ad Deum ire compellunt*. Verum nos miseros sæpe stimulus iste non tam procedere quam retrocedere facit. Vidistis aliquando malos quosdam equos, qui quanto magis flagello et calcaribus feriuntur, tanto ipsi magis retrocedunt? Tales nos sæpenumero sumus, qui cum deberemus flagelis erudiri, et proficere, atque ad Deum ferventioribus studiis accedere, nos contra ad impatientiam vertimur, et novis peccatis longius a Deo recedimus.

Jam vero altera metaphora est in illa voce, *Colaphizet*. *Datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet* : Comparat enim elegantissima similitudine tentationem colaphis. Nam quemadmodum colaphi non tam dolore,

quam pudore afficiunt; ita tentationes animas castas et puras maxima quadam verecundia et rubore afficiunt. Si sponsa aliqua pudica et casta, coram sponso, quem valde diligit, et a quo vehementer diligitur, ab aliquo lenone sollicitaretur, an non maximo pudore suffunderetur? Ita quoque animæ sanctorum, quæ perpetuo Deum ante oculos intuentur, cupiunt toto animo puritatem, et nihil in se videre, quod Deo displiceat; et tamen aliquando pati coguntur fœdissimas cogitationes : cupiunt spiritus paupertatem, et tamen aliquando ingerunt se cogitationes, et desideria pecuniarum : cupiunt veram humilitatem, et tamen aliquando sentiunt motus superbiæ et inanis gloriæ exoriri; ista omnia quid sunt aliud, quam colaphi dæmonis, qui licet non noceant, si eis non consentiamus; tamen rubore afficiunt, et tanto rubore, ut B. Benedictus maluerit inter spinas jacere, et D. Franciscus in nive tempore frigidissimo volutari, et sancti cæteri res gravissimas pati, quam cum isto rubore vivere. Dicebat aliquando B. Franciscus, tolerabilius viro spirituali sine comparatione aliqua, maximum frigus sentire in carne, quam vel modicum ardorem libidinis carnalis in mente.

Sed si hæc ita se habent, quid de illis dicemus, quorum animæ frontem habent meretriciam et non solum ad hujusmodi turpes cogitationes non erubescunt, nec sibi indignantur ut deberent; sed etiam delectantur in eis, et cum spiritu fornicationis lenone fœdissimo libenter loquuntur? neque id solum, sed etiam per tripudia, et lascivas cantiones et oculorum petulantiam ejusmodi cogitationes procurant? Sane ejusmodi animæ non sponsæ Christi, sed scorta dæmoniorum sunt.

Sed quod remedium contra colaphos diaboli? Multa sunt remedia. Utinam eis uti vellemus : sed præcipuum est reddere colaphos colaphis. Dæmon te colaphizat, tu colaphiza dæmonem. Quomodo fiet istud? Duobus modis, asperitate corporali et oratione. Non legistis de illo sancto Patre apud Palladium, qui cum tentaretur a Dæmone, ipse intolerabiles labores corporales subibat. Interrogatus vero cur hoc faceret, respondit : *Vexo vexantem me*. Vere enim terretur Dæmon, et erubescit ad jejunia, ad cilicia, ad orationes sanctorum. Utrumque remedium Apostolus Paulus adhibebat. De priori habuimus dominica præcedente. *Castigo cor-*

pus meum et in servitutum redigo. De posteriori habemus hodie : *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me : et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea.* Ter Dominum oravit, sicut etiam Dominus in horto ter oravit, tum ut intelligamus perseverantia in oratione opus esse ; tum etiam, quia *Deus licet magnus Dominus sit, et rex magnus super omnes Deos,* non tamen fatigatur audiendo. Imo potius cupit, ut sæpe ad ejus colloquium accedamus, idque propter nostrum bonum. Nostrum enim est bonum accedere, sicut bonum ejus qui friget, est ad ignem accedere. Itaque sicut tu, si cuperes cum aliquo sæpe colloqui propter ejus bonum, cum ille veniret ad te negotii alicujus causa, tu eum diu aliis sermonibus detineres et postea diceres, jam non superest tempus, ut negotium tuum expediamus, sed cras redeas : sic et Deus ideo prima vice negotium non expedivit, ut etiam secundo Apostolus rediret : neque rursum secundo, ut etiam tertio rediret. Tertia vero vice tandem expedivit, ne spem fortasse amitteret, atque animum desponderet.

Sed quid ei respondit ? Non dixit : Esto liber a tentatione, sed : *Sufficit tibi gratia mea.* Exaudivit quidem apostolum, sed ad utilitatem, ut B. Augustinus loquitur, non ad voluntatem : non dedit, quod petebat, quia non expediebat ; sed aliquid aliud multo salubrius et utilius, nempe magnam gratiam qua non solum tentationi non cederet, sed etiam eam vinceret ac superaret, et ex ea gloriosissimum nobilissimumque triumphum reportaret. Itaque ait : *Sufficit tibi gratia mea et rationem reddens,* subjunxit, quia *Virtus in infirmitate perficitur.* Scio multis modis sententiam istam a sanctis patribus exponi, sicut etiam multas ex superioribus ; sed temporis angustia me premunt, atque ad exitum festinat oratio.

Ad quem igitur modum *Virtus in infirmitatibus perficitur* ? Plane ad eum modum, quo a sapientibus imperatoribus, ea pars murorum vel castrorum magis munitur, ad quam sæpius hostes accedere solent. Vult Deus aliquem servum suum excellere laude castitatis : quid facit ? Permittit eum vehementer tentari a spiritu luxuriæ, ut eo modo si cautior, fugiat pericula, quærat remedia :

nec solum quærat, sed etiam adhibeat. Idem de fide, de patientia, de humilitate aliisque virtutibus intelligendum est. Illos enim legimus in aliqua virtute magis enituisse, qui de vitio ei virtuti contrario, magis tentati fuerunt. Nec mirum : majori vigilantia, majori studio, majori sollicitudine eam virtutem tanquam partem murorum debiliorem, et sæpius ab hostibus tentationum arietibus pulsatam custodiebant, vallabant, communiabant. Atque hiuc demum nascebatur, ut tanta utilitate perspecta, cum apostolo in infirmitatibus suis gloriarentur.

Libenter igitur, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Quid est in infirmitatibus gloriari ? Nihil aliud, quam inde gaudere et animari, unde mundus dolet, et animum dejicit. Filii hujus sæculi tunc excitantur, et animantur, cum omnia prospere succedunt, cum ab hominibus magni fiunt, cum vident se laudari et prædicari. At servi Dei contraria via incedunt, in infirmitatibus, in tentationibus, in contumeliis, in afflictionibus gloriantur. Et quanto magis se ab hominibus hujus mundi contemni et conculcari animadvertunt, tanto ipsi majorem animum sumunt proficiendi in via Domini. Intelligunt enim tunc magis se Deo placere, cum magis displicent mundo, et cum magis displicet eis mundus.

Hanc viam, optimi auditores, si sapimus ingredi debemus, non magni facientes quid de nobis sentiat, aut cogitet aut loquatur mundus. Nonne Apostoli *Tamquam purgamenta,* et quasi *omnium peripsema* erant in hoc mundo ? et tamen eos Deus columnas præcipuas in domo sua esse voluit, eos elegit, quibus mysteria sua revelaret, per quos mundum totum illustraret, per quos principes ecclesiæ constitueret. Quicquid homines dicant tantus est unusquisque, quantus est apud Deum, non major aut minor : falsa sunt et temeraria hominum judicia. Quare demus nos operam, ut apud Deum probati et perfecti inveniamur, et hic in terris gratiam, in cælis gloriam veram et sempiternam consequamur, per Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XIX.

DE DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

THEMA

Si linguis hominum loquar et angelorum : charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, etc. *I Cor. XIII, v. 1.*

SYNOPSIS

Ignorantiam bonorum verorum omnium malorum radicem esse, cæ perversis hominum iudiciis patescit. Eloquentiam multis parasangis a charitate superari. Concionatores malæ vitæ et exempli sonantibus campanis assimilantur. Charitati omnem sapientiam, omnem scientiam cedere, ut quæ sola signum sit, quo filii Dei agnoscimus. A majore ad minus deinde probatur, temporalia bona sine charitate prorsus nil esse : ubi divites et pauperes pomis diversis conferuntur. Charitatem quoque actus omnes heroicis per se relinquere. Deinde impulsæ quorundam objectio diluitur. Quid sit, et quibus nobis cognoscatur charitas. Cujus principium et finis est ipse Deus. Quomodo eadem charitas sese suis effectibus evidentissime prodat et probet, qui sunt, bene agere et mala pati. Tandem ad charitatis studium serio invitamur, et incitamur.

Altera concionis pars reddit rationem, cur Ecclesia hoc die nobis tantopere commendet charitatem ; ut scilicet fures, qui illam nobis auferre conantur aut vitemus aut tollamus. Qui vero illi furunculi sint, jucundissima indicat parabola filiæ cujusdam nobilis (quæ est hominis anima), quam quinque diversi proci, id est, sensus externi, matrimonio sibi jungi cupiunt, quod illa spreto regis filii connu-

bio sequitur, præter et contra matris voluntatem. Denique auctoritatibus tum sacris tum profanis in chorearum lasciviam invehitur auctor.

Apostolus tamquam medicus peritissimus plagas animorum nostrorum curaturus, non tam varios multiplicesque dolores nostros considerat, quam ad ipsam radicem morbi, unde languores omnes nascuntur, medicamentum adhibet. Quænam est radix morborum ægritudinumque nostrarum ? Non alia quam crassa quænam ignorantia, vel potius cæcitas, qua pluris facimus minora, quam majora bona. Bona animi tantum bonis corporis præstare, quantum animus præstat corpori, extra controversiam est. Videmus tamen quotidie homines omnium generum, ætatum, sexuum, conditionum pro bonis corporis, vel acquirendis, vel conservandis nihil non facere : de bonis animi majorem partem hominum fere nihil curare. Rursum inter ipsa animi bona, cum quædam sint speciosa, sed inania, si sola sint, ut eloquia et sapientia : quædam optima et utilissima, ut charitas, humilitas, castitas, virtutes cæteræ : videmus homines priora bona, bona apparentia, sed non existentia, floribus, quam fructibus, similia, maximo studio consecrari, posteriora, quæ vera et solida sunt bona, et ad illud bonum perducunt, ubi est omne bonum, plerumque negligere. Quid

non faciunt aliqui, ut variarum linguarum peritiam acquirant? Quos labores non superant, quos sumptus non faciunt, quas peregrinationes non suscipiunt, ut ad eximiam eruditionem aliquam, vel in jurisprudentia, vel in arte medicinæ vel in ipsa philosophia aliquando perveniant? At ut charitate et gratia Dei, qua nihil in hoc mundo salubrius et pretiosius habere possumus, excellant, non solum plerique nihil faciunt, sed ne cogitant quidem unquam aliquid facere. Certe si interrogarem multos eorum, qui hic adsunt, an cupiant excellere sapientia, non dubito quin responderent, cupimus et vehementer. Si rursus quærerem, an cupiant excellere charitate, fortes dicerent, si verum vellent dicere: sane numquam cogitavimus, an velimus excellere charitate. Quot sunt præterea, qui non parcunt frigori, nec vigiliis, atque ad multam noctem legunt Aristotelem, vel Ciceronem, vel etiam Augustinum et Hieronymum, ut docti et eruditi evadant, quibus fortasse numquam persuaderemus, ut totidem horas, si non semper, saltem aliquando, consumerent in oratione, ut ignem charitatis in suis pectoribus magis accenderent? Et tamen certo scimus, solam charitatem aurum esse ignitum, quo emitur regnum cælorum: sapientiam et eloquentiam, si a charitate sejungantur, non prodesse, sed obesse. Istam igitur tam periculosam et perniciosam plagam cæcitatibus, qua nos ut pueri cupimus magis nuces et poma, quam aurum et gemmas, parva magnis corporalia spiritualibus, temporalia sempiternis anteponimus, apostolus curare volens, ostendit hodie, nihil penitus esse, quod cum caritate comparari possit, non eloquentiam, non sapientiam, non opera alioqui heroica et illustria. Atque eloquentiam quidem audite, quibus verbis præ charitate deprimat, atque dejiciat, et semper mementote apostolum esse, qui loquitur, raptum usque ad tertium cælum, cui tuto et sine ullo metu fidem adhibere possumus: *Si linguis, inquit, hominum loquar et angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens*. Primum non ait, Si lingua hebraica, græca, latina aut aliqua alia, sed si linguis hominum, hoc est, si omni genere linguarum, quibus toto orbe homines utuntur, neque id solum, sed etiam si omnibus linguis omnium angelorum, qui verbis non corporeis, sed spiritalibus conceptiones et cogitationes exprimunt suas, et sine ulla

comparatione multo clarius, celerius, efficacius, dulcius loquuntur, quam homines: si, inquam, his omnibus linguis ego unus disertissime, ornatissime, suavissime, efficacissime loquar, ita ut quicquid velim facile persuadeam, admirationi et stupori sim omnibus, miraculum orbis, et Deus quidam inter homines esse videar; si charitas absit, nihil sum aliud quam æs resonans aut cymbalum tinniens.

Quid est æs resonans? Monstrum admirabile, simul surdum et loquax, quis unquam vidit hominem ab infantia surdum et non mutum? An portentum non esset, videre hominem, qui nihil unquam andivisset et tamen semper loqueretur? Tale monstrum est campana surdissima et loquacissima: loquitur aliis, vocat ad conciones, ad lectiones, ad arma; et tamen ipsa non audit seipsam, nec intelligit quod loquitur, et ne semel quidem descenderet ad orationem audiendam. Tale monstrum sunt omnes concionatores, qui excellunt eloquentia, sed non charitate: loquuntur aliis, sed non sibi: stant in loco sublimi, clamant e suggestu, tamquam campanæ ex turribus, et ipsimet nihil aliud faciunt, nec intelligunt, similes sunt fistulis, quæ nihil habent præter vocem, quod aliquando Demosteni Æschines objecit: totum enim corpus earum nihil est aliud, quam collum: tolle vocem, nihil valent: tolle collum, nihil sunt. Quid præterea habet æs resonans? Sonitum inanem, terret, sed non lædit, quando bombardæ sine globo tormentario solo pulvere onerata disploditur, edit sonitum maximum, sed interim mœnia et turres non cadunt: ita prorsus qui sine spiritu, sine effectu, sine charitate concionantur, feriunt quidem audientium aures sonitu verborum; sed nequaquam dejiciunt turres vitiorum. Itaque eloquentia, vel cum charitate conjungenda est vel nihil valet.

Sed parum esset, si sola eloquentia, et non etiam sapientia sine charitate esset inanis: ideoque ulterius pergunt apostolus, et ait, *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam: etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*. Vide, quo paulatim ascendit et omnia subjicit caritati. *Si habuero, inquit, prophetiam*, hoc est donum prævidendi futura, vel donum explicandi scripturas, juxta illud apostoli Petri: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione*

non fit : vel etiam utrumque neque id solum, sed etiam *Noverim mysteria omnia* hoc est, non solum spiritu prophetico aliqua mysteria futura prævideam, sed omnia, quicquid Deus unquam facturum est; vel non solum possim aliquam partem scripturarum exponere, sed omnia mysteria quamvis abdita et recondita : neque scripturarum dumtaxat cognitionem habeam, sed *Omnem præterea Scientiam*, tam divinam, quam humanam quantam Salomon et Moyses, omnes prophetæ, omnesque Angeli habuerunt; addo etiam tantam fidem, ut signa et prodigia edere, atque adeo montes solo verbo, atque imperio transferre possem; si hæc omnia mihi uni suppetant, et sola charitas non suppetat, non dico parum sum, sed nihil penitus sum. Quamobrem? Quia omnia ista sine charitate mortua sunt. Accipe hominem aliquem procerum, pulchrum, robustum, sanum, vestitum serico, ornatum auro, et gemmis, cujus manus, pedes, oculi, totum corpus, omnia membra, omnes partes summam inter se proportionem habeant; denique Sampsonem fortiolem, Salomone sapientiolem, Absalone pulchriorem, Augustino feliciorum : quid, quæso, erit, si animam tolles? Certe nihil erit. Nam nec homo dici poterit, sed statua potius vel simulacrum mutum : imo minus quam simulacrum : simulacrum enim super pedes suos stare potest, nec se aut alia facile corrumpit. At homo mortuus stare non potest, et semper foetet, et magis ac magis ad corruptionem tendit, donec tandem in modicum cinerem convertatur. Ad eundem modum, si quis abundet omnibus donis spiritalibus, dono linguarum, spiritu prophetiæ, gratia sanitatum, et charitas desit, quæ est vita virtutum et donorum, ille coram Deo mortuus est, nihil est. Quemadmodum enim, ut Chrysostomus annotavit, non agnoscimus, nos regem ad sericum, vel aurum vel argentum, sed ad purpuram : ita Deus non agnoscit filios suos electos ad prophetiam, ad sapientiam, ad fidem mortuam, ad miracula, quæ etiam non filiis communia esse possunt; sed ad vestem illam nuptialem et purpuream charitatis, qua insignimur, cum hæredes regni cœlestis per Christum iustitiamur.

Quod si dona ista sublimia et spiritualia sine charitate mortua sunt, quid tandem de terrenis et fluxis bonis iudicandum est? Dicit aliquis : Ego sum ex illustri familia,

habeo tot famulos, tot equos, tot genera vestium, tot beneficia, tot possessiones, mensam semper opiparam, non subsum alicui, facio quod volo. Et ego securus affirmo si cum his omnibus charitatem non habet, nihil est; et si absque charitate migrat, *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Mallem ego in aliquo sordidissimo stabulo mancipium abjectissimum et vilissimum esse et charitate præditum inveniri, quam primus et nobilissimus omnium hominum absque charitate. Totum enim tempus, quo hic vivimus, vix est unus dies nostræ veræ vitæ, quæ non diuturna sed æterna in alio sæculo futura est. Et quid prodest, obsecro, esse hic primum et nobilissimum ad unum diem, et postea ultimum et vilissimum et infelicissimum in æternum? Ille qui est primus, nobilissimus ditissimus, pulcherrimus, sed absque charitate, similis est pomis quibusdam, quæ exterius videntur pulcherrima, et optime rubent, exhibent suavem odorem; sed intus habent vermem, qui omnia consumit. Qui vero est abjectissimus, vilissimus, pauperimus, sed cum charitate et gratia Dei, similis est pomis coctis sub cineribus, quæ exterius quidem videntur horrida et deformia; sed tolle corticem, et invenies rem optimam et suavissimam. Ita prorsus, auditores, multos videbitis nobiles, divites, formosos, qui quasi poma pulcherrima, eminent in ramis arborum, sed cum tempore mortis coliguntur, et cortex aufertur, invenitur vermis peccati, inveniuntur animæ foetidæ, plenæ superbia, ambitione, invidentia, odiis, amoribus pravis : denique ad mensam Domini non inferuntur, sed in sterquilinum gehennæ sub Tartareis projiciuntur. Contra vero videbitis aliquos, qualis erat Lazarus, ille mendicus, et ulceribus plenus, qui videntur quidem oculis hominum homines nihili, purgamentum hujus sæculi; et interim sunt poma cocta sub cineribus paupertatis, igne tribulationis, et cum per mortem cortex aufertur, invenitur dulcissimum pomum, invenitur anima plena charitate, plena succo, plena virtutibus, plena gaudio, plena pace, plena Spiritu sancto. Itaque statim, instruitur, et quasi conditur saccaro et melle divinæ gloriæ et mensæ summi Regis manibus Angelorum infertur. Ista est felicitas, iste est honor, ista est gloria, quam charitas parit, cujus ambitiosi esse debemus.

Sequitur, *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero*

corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Non ignoro, D. Hieronymum in commentariis super caput quintum epistolæ ad Galatas, de hac sententia disputasse, et pro eo, quod nos legimus, *Ardeam*, ipsum legisse *Glorier*, sicut etiam in codice Græco legit ipse *καυθήσωμαι* nos vero *καυθήσωμαι*: sed parum refert, nam sententia fere est eadem. Certe Chrysostomus et Theodoretus, Theophylactus et cæteri Græci *καυθήσωμαι* legerunt. Non solum igitur eloquentia et sapientia, sed etiam heroicis operibus major est charitas. Si distribuero, inquit, facultates meas, non aliquas tantum, ut multi faciunt, sed omnes penitus, ita ut nihil mihi retineam, si non solum mea, sed meipsum quoque pro aliis impendam, nec solum patiar me ad supplicia, ad pericula, ad mortem trahi; sed ipse me offeram, ipse me ingeram, ipse tradam corpus meum, ita ut ardeam, quo nihil sublimius in operibus cogitari potest, si charitas absit, nihil mihi prodest cum his omnibus eleemosynis, et heroicis operibus, ignem æternum non evadam; sicut etiam hæretici, qui necantur et comburuntur procul dubio non evadunt. Nam ut ait B. Cyprianus: « Hæretici mori possunt, coronari non possunt, nec est mors illa fidei corona, sed pœna perfidiæ.

Sed dicet aliquis fortasse. Si opera bona sine charitate nihil prosunt, cum animadverto me sine charitate esse, nihil faciam, non orationi, non jejuniis, non eleemosynis, non aliis bonis operibus incumbam. Non ita, auditores, sed tum maxime, cum in peccatis sumus, bonis operibus insudare debemus, ut Deum placare possimus. Opera siquidem bona, etiam sine charitate illa, de qua loquitur Apostolus, quæ filios Dei nos facit, si modo ex animo pœnitente et fidei proficiantur, multum omnino juvant; Deus enim tametsi gratiam et charitatem non meritis reddit, sed donat gratis: disponit nos tamen per opera bona ad gratiæ et charitatis receptionem. Hinc Joannes Baptista peccatores hortatur, ut faciant fructus dignos pœnitentiæ. Et Daniel regi iniquo consulit, ut eleemosynis peccata sua redimat: Et Dominus per Isaiam peccatoribus dicit; *Lavamini, mundi estote: quiescite agere perverse, discite benefacere: quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillos, defendite viduam: et venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum,*

sicut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra ut vermiculus, sicut lana alba erunt. Quod igitur Apostolus ait, non sic intelligendum est, quod opera bona sine charitate nullo modo prosint; sed si sola sint, ad meritum vitæ æternæ non prodesse. Vere enim, qui sine charitate moritur, cum omnibus suis eleemosynis et jejuniis in gehennam descendit. Quare perspicuum est nihil esse nobilius et excellentius charitate, et eam omnibus rebus aliis sine ulla dubitatione anteponendam.

Sed quidnam est ista charitas? Quæ sunt ejus conditiones? Unde cognoscimus, an charitatem possideamus? Charitas, auditores optimi, non facile cognosci potest. Est enim virtus quædam, de qua philosophi numquam locuti sunt. Nec mirum: siquidem ejus principium et finis est solus Deus. Virtutes morales labore atque industria humana acquiri possunt; at charitas a solo Deo infunditur. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, inquit Apostolus, *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: vestis quædam est charitas ita nobilis et pretiosa, ut non possit aliis manibus fieri, quam Dei summi et sapientissimi opificis. Non est opus hominum vel Angelorum. Concurrit quidem liberum arbitrium a Deo excitatum et adjutum, dum anima vestem istam pretiosam induit; non enim, ut Lutherani putant, ita vestitur anima charitate, ita justificatur homo, sicut vestiretur lignum aliqua toga, quod non sentit, nec movetur, nec juvat seipsum; sed tamen vestis a solo Deo efficitur: nec vinditur proprie, sed donatur. Superat enim omne pretium. Est etiam charitas planta quædam peregrina, quæ non nascitur per se in his nostris frigidis regionibus, sed a Deo agricola prudentissimo, ex pomario paradisi in agros cordium nostrorum aliquando transponitur. Atque idcirco summa diligentia conservanda est: nihil enim facilius quam ut plantæ peregrinæ in aliena terra exarescant.

Itaque auctor charitatis est Deus: finis quoque verus et proprius est solus Deus. Aspice virtutes cæteras. Finis temperantiæ est cohibere concupiscentiam; finis fortitudinis, moderari iram; finis misericordiæ, tollere miseriam; finis vel objectum (ut theologi loquuntur) fidei est veritas Dei; finis religionis, cultus Dei; finis spei, bona sempiterna; finis charitatis, Deus ipse. Deum intuetur, Deo inhæret, a Deo nascitur, in Deum terminatur, in Deo sedem ha-

bet, ubi nec fides, nec spes locum habere possunt : et quod maximum est, non solum est in Deo, sed est ipse Deus, et omnes, quos inhabitat, facit quodammodo Deos : sicut ignis quicquid apprehendit convertit in ignem, et lapis chymicus, si detur, quicquid tangit, convertit in aurum. Ita charitas Dei omnes, quos replet facit Deos. *Videte qualem charitatem dederit nobis Pater*, inquit B. Joannes, *Ut filii Dei nominemus et simus*. Et B. Petrus, *Magna, et pretiosa*, inquit, *nobis donavit, ut divinæ efficiamur consortes naturæ*.

Quæ cum ita sint, non mirum nobis videbitur, si charitatem asserui rem esse sublimiorem, quam ut a nobis perfecte cognosci possit. Sed nihilominus quædam signa sunt, quibus se prodit, quæ ab apostolo hoc loco prolixè declarantur, cum ait: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, etc.* Atque imprimis quidem duobus signis, quæ sola explicare volumus, tota perfectio Christianæ vitæ continetur. Quid est proprium Christianorum? Mala pati et bene agere : reddere siquidem bonum pro bono et malum pro malo, etiam ethnici et publicani noverunt: reddere malum pro bono proprium est dæmonum et impiorum : at reddere bonum pro malo, sugere *mel de petra oleumque de saxo durissimo*, id vero proprium est Christianorum. His igitur duobus signis se charitas prodit, patientia et benignitate : mala patiendo et bene agendo. *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est*. Vis videre, utrum charitas Dei cor tuum inhabitet : vide num sis paratus quidlibet pati et agere pro gloria Dei et salute proximorum, exponere pecunias, exponere honorem, exponere vitam, contumelias pati, a voluptatibus abstinere. Nam qui diligit, omnia tolerat, ne amittat quod diligit. Pecunias amisisti? Statim incipis quærere, interrogare istum, illum : curris ad ecclesias, ne forte qui invenit pastori vel ædituo vero domino restituendas assignaverit. Vel etiam per præconem significari jubes te partem aliquam donaturum ei, qui invenerit, si restituat. Ista omnia facis, quia diligis pecunias, si non dilegeres non movereris. Pari ratione avari malunt sæpe jejunare, et frigus ac nuditatem pati, quam videre cumulum pecuniarum minui. Quamobrem? Quia diligunt eas. Ita igitur qui Deum diligunt, omnia ferunt, omnia tolerant, omnia patiuntur, omnia vincunt, ne Deum offendant, quem diligunt. Quos dæmonum conflictus, quæ mundi certamina, quas carnis ille-

cebras in sanctis confessoribus et Virginibus charitas non superavit? Quæ supplicia, quos cruciatus, quas mortes charitas non vicit in martyribus? Quid vero Filium Dei ad terras descendere coegit, nisi charitas? Quid eum laboribus, doloribus, tentationibus, persecutionibus exposuit, nisi charitas? Quid eum cruci affixit et in cruce continuit, nisi charitas? Nam clavos tenere non potuisse Dei filium Sampson fortiolem, quis dubitare potest? Ergo sola charitas invicta, patiens est, benigna est, *Fortis ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Audi vocem amantis et omnia quasi ad certamen provocantis: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas! an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in omnibus*, inquit, *superamus*. Quamobrem? Unde tanta fortitudo, tanta patientia? *Propter eum*, inquit, *qui dilexit nos* : charitas hoc fecit. *Certus sum enim quia neque mors; neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*.

Habetis igitur, auditores, quantæ sint et quam eximiæ laudes charitatis, et quibus signis se prodat. Reliquum est, ut omnes serio totis viribus summo studio operam demus, ut in ea proficiamus. Quis enim in hoc illustri sapientiæ domicilio frequentat gymnasia vel jurisprudentiæ, vel medicinæ, vel philosophiæ vel theologiæ, et non quotidie cogitat quomodo possit in sua facultate proficere, ut tandem cum laude ad lauream magistrerii ac doctoratus perveniat, et non cum ignominia ac dedecore rejiciatur? Schola Christi, auditores, schola charitatis est : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Ille proficit in hac schola, qui augeatur quotidie charitate, et in die ultimi judicii, quando fiet examen generale, et magna illa promotio coram toto orbe et omnibus angelis Dei, nemo interrogabitur de textibus Aristotelis, nec de Aphorismis Hippocratis, nec de titulis et paragraphis Justiniani; sed omnes quæstiones de charitate erunt. Et nos hoc scimus, et tamen non erubescimus tot annos in hac schola versari, et nihil promoveri? Sed si nos honor laureæ et gloria magistrerii non movet, cur saltem virgam non timemus? Habet magister noster virgam et

optime stultos pueros punire novit, sicut scriptum est, *Virga in dorso ejus, qui indiget corde*: et cum virga non prodest, novit etiam eos de schola projicere. Cur tam multi hoc tempore exeunt de Ecclesia, fiunt Calvinistæ, fiunt Anabaptistæ, fiunt Lutherani? Nisi quia non proficiebant in schola charitatis, et ideo magister noster Christus justo judicio eos dereliquit, et de gymnasio egredi permisit. Quare si in schola ista cum gratia et benevolentia præceptoris et nostra maxima utilitate permanere volumus, nullus dies præterire debet, in quo non saltem cogitemus de proficiendo et ad perfectionem charitatis saltem votis et suspiriis tendamus.

PARS SECUNDA

In hac posteriori parte concionis nostræ unam quæstionem explicare volumus: et quoniam pollicitus sum, vobis velle me diebus istis aliquid utile simul, et jucundum adferre, more prudentium medicorum, qui amaras potiones, vel saccaro, vel melle cooperiunt, quæstio nostra non minus habebit jucunditatis quam utilitatis. Quæritur igitur, cur hodie potissimum legatur in ecclesia epistola ista, in qua laudes et præconia charitatis explicantur? Respondetur, hoc ideo fieri, quod his tribus diebus grassentur ubique latrunculi quidam perditissimi, qui infinitos homines, ac præsertim incautos adolescentes spolient thesauro charitatis. Itaque ecclesia Catholica mater nostra, cum gemitu et lacrymis proponit hodie in evangelio dominicam passionem. In epistola præconium charitatis, ut omnes intelligant summa vigilantia conservandam et custodiendam hoc tempore charitatem, tum propter eum, qui dilexit nos usque ad mortem, et mortem crucis, tum propter ipsum bonum excellentissimum et penitus singulare charitatis.

Qui sunt igitur latrunculi illi pessimi, ut vel ab eis caveamus, vel eos comprehendamus, et in patibulo suspendamus? Parabola quædam brevis rem totam vobis explicabit. Erat quondam fœmina quædam prudentissima, cui nata erat unica filia, tam eximiæ pulchritudinis, ut nemo eam videret, quin statim ejus amore raperetur. Crevit postmodum puella, et simul crevit matris sollicitudo. Nam cum virgo jam nubilis esset, vehementer angebatur mater, ut adolescentem ingenuum et probum inveniret, cui eam

tuto in matrimonio collocaret. Interim vero dum illa fluctibus cogitationum dies et noctes agigaretur, ecce adsunt quinque fratres, quos quidem iidem parentes genuerant, sed ipsi omnino diversa studia secuti fuerant. Nam primogenitus erat leno; secundus coquus; tertius unguentarius; quartus symphoniacus; postremus politissimus, et pulcherrimus erat pictor. Isti igitur quinque fratres cum eam puellam misere depetirent, sed leno præsertim et coquussinguli seorsim matrem ejus conveniunt, et laudes suæ artis explicantes, virginem sibi in matrimonium dari petunt. Primus leno. Ego, inquit, filiam tuam toto tempore vitæ suæ lætissime vivere faciam, ducam in varias civitates, omnes tabernas mecum visitabit, non erit domus ubi ducantur choreæ, quin ipsa primis vocetur: denique voluptates omnes, qua ars mea promittere potest, quæ multæ sunt et magnæ, filiæ tuæ, uxori, ut spero, meæ ego promitto. Intravit deinde coquus. Ego, inquit, in coquinis habito magnorum virorum, omnia genera epularum coquere et condire novi; nec solum cibos, sed etiam vina condio, quocirca et coquina et cella vinaria in mea est potestate: utro vero ista prudentia, ut semper meliores partes, tam in epulis, quam in vino mihi accipiam. Audivi enim magistrum meum sæpe dicentem, stultos esse coquos, qui meliores bolos ad mensam domini portari sinerent. Itaque filia tua mecum optime et jucundissime habitabit; habebit semper opipara prandia et lautas cœnas: vel si voluerit, totus dies erit prandium vel cœna. Isto exeunte, repente adfuit unguentarius: Domus mea, inquit, officina est pigmentorum atque aromatum, omnia spirant suavissimos odores, ut non tam domus privati hominis quam templum vel sacrarium aliquod odoribus plenum esse videatur. Quocirca filia tua, quæ procul dubio more cæterarum fœminarum unguentis et odoratis aquis valde delectatur, nusquam melius, quam domi meæ erit, ibi vestes, sudaria, chirothecas, mappas, breviter omnia suaviter olentia habebit. Post unguentarium secutus est symphoniacus, qui et ipse artem suam jactans: Domus mea, inquit, semper personat vocibus musicorum, nunc ludimus fistulis, nunc cytharis, nunc vero organis, nunc omnibus simul musicis instrumentis: nunc vocibus carmina lasciva, tenerosque amores centu suavissimo decantamus. Quare filia tua, si mihi, ut spero, uxor contingat, se

beatam dicere poterit, et non tam in terra, quam in cœlo, atque adeo in paradiso deliciarum habitare putabit. Postremus adfuit pictor: Et quis, inquit, magis filiam tuam oblectare poterit, quam ego, qui non solum faciem ejus stibio cerussa que depingam, ut omnium oculis formosissima videatur, sed etiam totum orbem meo penicillo ante ejus oculos adducam, ibi videbit prata floribus quasi depicta: ibi flumina, et lacus et varios piscium lusus: ibi maria tumantia et naves fluctibus agitatae: ibi montes, ibi valles, ibi silvas, ibi civitates, ibi cœlum modo serenum, modo turbatum: ibi prœlia et conflictus exercituum. Denique quicquid oculis desiderare poterit, etiam seipsam et vultum suum in tabula vivis coloribus expressum cernet.

Vix abierant quinque isti proci, cum ecce statim adest legatus cujusdam potentissimi et celeberrimi imperatoris, qui matrem puellæ illius conveniens: Dominus meus, inquit, rex magnus et potens, quod scire te non dubito, unicum filium habet, sapientissimum, optimum, pulcherrimum, quem hæredem jam instituit omnium regnorum et divitiarum suarum: audivit vero habere te filiam virginem, pauperem quidem et obscuram, et filio suo nullo modo parem; sed tamen pulchram, et ingenue ac liberaliter educatam, nec non optimis moribus præditam; et quia non indiget, neque requirit filius ejus in uxore divitias aut nobilitatem, cum sit per se ditissimus et nobilissimus, et quod potissimum est, quia fama audita filiæ tuæ eam vehementer adamavit, me misit, ut hæc tibi significarem, cupere se ut filiam tuam filio suo in matrimonium tradas: quod si feceris, et te et ipsam in palatium regium magna celebritate introduci faciet, et vobiscum omnia sua bona, omnia regna, omnem nobilitatem, omnes titulos honoris communicabit.

His auditis, vocat mater filiam, quæ in altero secretiori cubiculo delituerat, et omnia quæ dicta fuerant attentissime audierat: illam, inquam, vocat et tanquam nescienti exponit breviter conditionem eorum omnium qui eam in uxorem flagitabant. Quia vero puella, ut erat levior, verbis illorum fratrum, ac præsertim lenonis, qui choreas pollicitus erat, valde illecta videbatur; cœpit mater, quæ sapiens erat, ut diximus, et litteras noverat, eam vehementer objurgare: Quid, inquit, tibi proderunt saltationes et choreæ illius lenonis? Quando saltaveris diu, quid

tandem habebis, nisi lassitudinem corporis et ægritudinem animi? Nescis tu pericula saltationum? Quam multæ putas iverunt Virgines ad choreas, et redierunt meretrices? Ignoras quid acciderit filiæ Herodiadis, quæ suis tripudiis causa fuit, ut lumen orbis, magnus ille Joannes, qui Dominum baptizaverat, extingueretur; et ipsa postea, ut Nicephorus tradit, cum semel trajiceret flumen glacie concretum, fracta glacie cecidit in aquas ad collum; et paulo post caput ejus frigore et glacie concretum est, deinde resectum non ferro, sed glacie, etiam super ipsam glaciem saltationem lethalem exhibebat. Nescis quid sanctus Ambrosius propter eam dicat: « Saltet, inquit, sed adultera filia: quæ vero pudica est, orationem discat, non saltationem. » Quid vero cum coquo illo uncto et sordido facies? Et quid tandem habebis cum bene comederis et biberis, nisi dolorem capitis et stomachi? Non audivisti, quam atroci supplicio puniantur in gehenna, qui gulæ dediti fuerunt? Non legisti de divite illo epulone, qui tam misere ululabat, et clamabat: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma?* Et cur putas lingua ejus tam atrociter cruciabatur, nisi quia lingua discernuntur sapes, et ille epulabatur quotidie splendide? Vis ergo tu, filia, esse tam stulta, ut propter delectationem, quæ non est longior quam sit gula tua, incidas in miseriam sempiternam? Jam vero quid tibi unguentarius ille pollicetur, odores? Quid vanius odoribus? Nonne odor est fumus quidam? Certe crede mihi, filia, odores nec satiant, nec nutriunt, sed corpus et animum enervant ac debilitant, et tandem utrumque projiciunt in gehennam, quæ est cloaca et sentina quædam maxima et profundissima, qua omnes fœtores totius mundi congregari debent. Si igitur tam delicata es, ut sine odoribus vivere non possis, quomodo tunc vives in illis gravissimis et teterrimis fœtoribus gehennæ?

Jam de symphoniaci et pictore quid dicam, filia? Quid enim habebis posteaquam audieris concentum illum musicum, et videris tabulas illas depictas? Non vides ista omnia, quam cito finiuntur, et ne vestigium quidem post se relinquunt? Quin igitur potius amas filium regis, apud quem ista omnia non deerunt, et ipse vero terras et maria, et quicquid desiderare potes, non pi-

ctum sed verum exhibebit. Itaque volo, filia, ut acquiescas consilio meo, et oblita penitus pictoris mendacissimi, symphoniaci levisissimi, unguentarii vanissimi, coqui sordidissimi, et impurissimi lenonis, in matrimonium filii regis consentias. Tunc virgo matris sermonibus permota se omnia facturam, quæ mater vellet pollicita est. Redit igitur legatus negotio fœliciter confecto (ut videbatur) ad regem, et statim oritur utrinque gaudium et exultatio magna, utrinque aguntur dies festi.

Sed quid interim accidit? Interea dum nuptiæ parabantur, veniunt dies bacchanaliorum, et nocte quadam transibant aliqui personati cum tympanis per plateas, ubi etiam erant quinque illi fratres. Tum stulta puella quasi ignem haberet in pedibus domi se continere non poterat: tandem fecit miraculum Lutheranum illius sanctimonialis apostatricis, aperuit ostium, exivit foras, exiit pudorem, induit frontem meretriciam et personatos illos sequi cœpit. Sed quid fecit rex? num injuriam istam pertulit? Non sane. Sed totum amorem in odium convertit et personatos illos et puellam simul extremo supplicio affecit.

Hæc est parabola. Quam quidem non dubito majorem partem vestrum optime intelligere; exponam tamen, sed brevissime, ut simul intelligant tardiores, et tædio non afficiantur celeriores. Fœmina illa prudens anima est humana, quæ rationis atque intelligentiæ compos a Deo creata est: proles ejus est humana voluntas, quæ etiam cor in sanctis libris dici solet: quinque proci, quinque sensus sunt.

Sensus videndi, qui formis et coloribus delectatur, est pictor. Sensus audiendi, qui delectatur sonis et cantibus, est symphonicus. Sensus olfaciendi, qui delectatur odoribus, est unguentarius. Sensus gustandi, qui delectatur cibus et potibus, est coquus. Sensus tangendi, qui delectatur choreis et turpibus voluptatibus, est leno. Isti sunt latrunculi, qui istis diebus maxime grassantur, quos procul dubio juvant latrunculi alii multo deteriores, quos non videmus; spiritus videlicet tartarei, spiritus fornicationis, spiritus ebrietatis, spiritus comessionis, spiritus tripudiorum, spiritus larvarum, et alii multi, quorum longum esset vel nomina recensere. Isti mirum est quantam vim habeant hoc tempore ad humanam voluntatem suis blanditiis, lenociniis, illecebris allicien-

dam. Porro rex magnus et potens, Deus Pater est, Filius regis dominus noster Jesus Christus, vere sapiens, et *speciosus forma præ filiis hominum*. Legati ac nuncii sunt scriptores sancti, per quos nobis perpetuo dicitur: *Filii, præbe mihi cor tuum; Et rursum; Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*. Et quidem humana voluntas consilio ac prudentia rationis admonita; sensuum illecebras facile repudiat, et Dei Filium eligit in sponsum. Ita vidimus in die Natalis Domini, in festo trium regum, in celebritate purificationis, multi ad confessionem et communionem accesserunt, et quasi arrham hujus sancti et felicis matrimonii susceperunt. Sed quid? Veniunt dies bacchanaliorum, et *Stultus, ut luna mutatur*, perdita ista puella cordis humani contineri non potest, currit post latrunculos, explorat diligenter ubi saltatur, ubi potatur, ubi cantatur, ubi tympano et fistulis luditur. Et Deus noster, qui est Deus zelotes injuriam istam ferre non potest et sponsam et latrunculos, hoc est, cor et corpus perdit in gehennam. Non est diu, quod audivimus aliquos hoc ipso anno ebrios factos, repente obiisse: quo ierint nescimus. Hoc unum scimus, quod apostolus monet, ebrios regnum Dei non possidere. Non licet modo per temporis augustias omnes latrunculos oratione persequi et cum eis gladio verbi Dei pugnare atque eos telis rationum et argumentorum confodere, quod sane libenter faceremus.

De choreis tantum dicam unum verbum, atque ideo potissimum, quod intelligam nonnullis non videri hoc verum malum, et sciam Lovanii esse publicas scholas, ubi docetur ars tripudiorum. Sed ego profecto, si adulterium et fornicatio est malum videre non possum, quo modo viros cum fœminis tripudiare non sit malum, cum hoc ad illud maxime provocet? Audi Sanctum Job; *Pepigi fœdus, inquit, cum oculis, ut ne cogitarem quidem de virgine*: et tu ibis, et saltabis cum virgine, et saltando ad libidinem te concitabis, et nihil periculi imminet? Cur igitur sapiens monet? *Cum saltatrice ne assiduus sis, ne forte pereas inefficacia illius*, nisi quia si possunt paleæ ad ignem accedere, et non comburi, et adolescens potest cum fœminis tripudiare, et non ardere. Quid? Sancti viri, B. Antonius, B. Hilarion, B. Hieronymus, in solitudine habitant, jejuniis et orationibus perpetuo operam da-

bant, et vix se a spiritu fornicationis, a desideriiis et cogitationibus pravis defendebant; et tu ad calorem adolescentiæ addes calorem potationis, deinde ibis et ridebis, cantabis, saltabis cum puellis, et nihil mali suspicabor? Sed nolo credatis mihi. Audiamus quid veteres scriptores, tam profani, quam sacri de hac re scriptum reliquerint. Marcus Tullius, vobis satis, ut arbitror, notus, ita turpitudinem saltationum execratur, ut in defensione Murenæ dixerit: « Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit; et multarum deliciarum comes est extrema saltatio. » Et alio loco saltationem tanquam crimen turpissimum objecit Antonio. Erubescite igitur, Christiane, erubescite, vinceris ab Ethnico, et ab Ethnico procul dubio in iudicio condemnaberis. Ille solo naturali lumine dicere potuit, non esse saltationem, nisi ebriorum vel insanorum et tu Filius Dei, cœlesti lumine illustratus, apud quem tales ineptiæ ne nominari quidem debuerant, quando maxime flere deberes, maxime insanis. Relinquamus, profanos. Dicas tu nobis, Ambrosi beatissime, senex reverendissime, lumen Ecclesiæ Christianæ, quid tibi de choreis et saltationibus videtur? « Merito, inquit in libro tertio de virginibus, merito inde, hoc est, ex choreis, in injuriam divinitatis proceditur: quid enim ibi verecundiæ potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur? » Dicas et tu, Beatissime Hieronyme, quid sentis de choreis? « Cæterum, inquit, in libro contra Helvidium, ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyria garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? » Transeamus in Orientem: Consulamus quoque duos ex Patribus Græcis. Dicas nobis Græciæ ornamentorum, os vere aureum, magne Chrysostome, qui inter alias virtutes, ita laude jejuniorum excellebas, ut jejunator publice dicereris, dicas, quæso, nobis de conviviis et choreis sententiam tuam: « Audite, inquit in hom. 49. in Matth. Audite hæc viri, qui magnifica convivia ebrietate plena consecramini, audite, inquam, et diaboli barathrum perhorrescite: ubi saltus lascivus, ibi diabolus certe adest. Non enim ad tripudia hos pedes nobis præbuit Deus, sed ut modeste incedamus, non ut impudenter camelorum more saliamus. Quod si corpus turpe fit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est? His tripudiis diabolus saltat, his a dæmonum mini-

stris homines decipiuntur. » Hæc Chrysostomus. Sed audite postremo, quibus verbis magnus Basilius vir gravissimus, sanctissimus, doctissimus insaniam istam in oratione contra ebriosos deploret: « Viri simul, inquit, et fœminæ communibus choreis constitutis, vinoso dæmoni traditis animis sese mutuo affectionum stimulis consauciarunt. Risus ab utrisque effusi sunt, cantilenæ turpes, habitus meretricii, ad petulantiam irritantes. Rides, dic mihi, et proterva te oblectatione delectas, cum lacrymas fundere oportuerat et ingemiscere ob præterita? Cantilenas canis meretricias ejectis psalmis et hymnis, quos didicisti? Moves pedes, et furiose exilis, ac infeliciter tripudias, cum genua flectere oportuerat ad orationem? » Hæc magnus Basilius. Sed relinquamus homines sanctos: audiamus quid ipse Spiritus sanctus, spiritus veritatis, qui errare non potest, per Isaiam dicat: *Citharæ, inquit, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris et opus Domini non respicitis et opera manuum ejus non consideratis.*

O miseros vos, fecit Deus opus admirabile in diebus istis, ut vobis cœlum aperiret, crucem ascendit, et usque ad mortem laboravit; audistis hoc in Evangelio hodierno: Ecclesia gemit, Angeli stupent, dæmones tremunt, et vos soli, propter quos ista fiunt, in flagitiis occupati, vino somnoque sepulti, *Opus Domini non respicitis et opera manuum ejus non consideratis.* Audite sententiam iudicis nostri: *Propterea, inquit, dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino.* O si intelligeritis quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis, quid sit, potare calicem illum amarum iræ Dei, usque ad fœces, de quo legitis in Psalmo: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Quis ex vobis, inquit Isaias, habitare poterit cum igne devorante? Quis ex vobis habitabit cum ardoribus sempiternis? Si non potestis nunc ab ebrietate, a choreis, a nugis abstinere, quomodo vivas illas flammâs et acerbissimum stridorem dentium ferre poteritis? Quare vigilemus fratres, et thesaurum charitatis contra latrunculos illos diligenter custodiamus et gratiam in terris, gloriam in cœlis veram et sempiternam consequemur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XX.

DE EADEM DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

CONTRA BACCHANALIA

THEMA

Ecce ascendimus Jerosolymam, etc. *Luc.* XVIII, v. 31.

SYNOPSIS.

Exordio ab excusatiuncula de insolita concionandi methodo sumpto, præmittitur historia Israelitici populi a servitute Ægyptiaca liberati; quæ deinde mystico sensu nobis accommodatur per Pharaonem diabolum, per Moysen Christum, per Ægyptum mundum, per servitutem peccatum, per mare rubrum baptismum præfigurari. Magnificentia cælestis Jerusalem sacræ Scripturæ testimoniis probatur. Botrus ex terra promissa allatus figura Christi crucifixi: Quam difficile iter sit ad terram illam promissionis cælestem D. Antonii exemplo declaratur; et tamen per solam hanc tribulationum viam eo perveniri Christi et sanctorum exemplo docemur. Quomodo Christum de tribulatione concionantem omnes aversentur et excludant: imo alios hac pergere volentes retardent et evocent, quo maxime facere student ambitiosi, luculenta oratione demonstratur.

Altera pars in tractatione bacchanaliorum occupatur, ubi de illorum festorum origine, incremento et decremento agitur, deque eorum apud Christianos restauratione et solemnitate. Deinde Bacchus et Bacchi assecæ pisci asino marino apte comparantur: eorum mores, vivendi ratio, symposia ex divo Basilio, colloquia mensalia, jucunda et graphica narratione depinguntur. Tandem contra ebrie-

tatem, præsertim civitatis Lovaniensis, seria et severa invectio subjungitur, quæ sacrarum litterarum testimoniis, et duabus horrendis duorum ebriosorum dumnatorum historiis stabilitur.

Duo sunt, auditores optimi, quæ me hodie potissimum impulerunt, ut novo quodam et mihi certe inusitato uterer genere dicendi, atque historiam evangelicam, quæ nobis hodierna die ab Ecclesia Catholica proposita est, non ut historiam, sicut vere est; sed ut parabolam explicarem. Unum, quod viderem Evangelium hodiernum, si solius historiæ verba consideranda sunt, planius per se atque illustrius esse, quam ut nostræ orationis lumen desideret: Alterum, quod intelligerem, idem evangelium, si secundum spiritalem quamdam abstrusamque intelligentiam explicetur, nobis omnibus ad eam viam, quæ ducit ad cælum, inveniendam, atque ingrediendam maximam lucem esse allaturum. Porro Evangelii principium tale est: *Assumpsit Jesus duodecim discipulos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Verum antequam ad hæc verba Evangelii veniamus, pulcherrima quædam figura veteris instrumenti præmittenda est, quæ nobis viam ad Evangelium sternet, atque aditum ad eam expositionem, quam molimur, aperiet.

Cum igitur Israeliticus ille populus quon-

dam ex Ægypto divino jussu decederet, simulatque Pharaonis tyrannidem evasisset, et mare Erythræum duce Moyse siccis pedibus transivisset, se regiones, quasdam opulentissimas atque uberrimas, quæ lacte et melle fluerent, ingressurum existimabat. Verum eis longe aliud, quam arbitrabantur, evenit. Siquidem ante vastissimas, desertas atque incultas solitudines peragrare necesse fuit, quam terram illam uberem, et lacte et melle manantem conspicerere potuerint. In illis vero squalidis solitudinibus locisque desertis, non solum lactis et mellis nimia copia non abundabant; sed etiam panis et aquæ inopia maxime laborabant. Itaque partim tædiosolitudinis illius affecti, partim labore itineris victi, variisque difficultatibus fracti, de reditu in Ægyptum cogitare cœperunt: neque semel alius alium excitavit, ut ducem aliquem sibi ipsis eligerent, signoque sublato iter in Ægyptum arriperent. Sed cum hæc ad Moysis aures pervenissent, ille ut princeps vigilantissimus, mox duodenas lectissimos viros in Palæstinam direxit, eisque præcepit, ut omnem terram diligentissime perlustrarent, ac regionis totius ubertate, amœnitate, pulchritudine et elegantia explorata, ad suos redirent: futurum enim sapientissimus imperator arbitrabatur, ut cum populus Hebræus Palæstinæ fertilitatem et pulchritudinem prædicari ab exploratoribus audiret, continuo terræ illius amore inflammaretur: nec solum præteritarum molestiarum oblivisceretur; sed etiam ad majores superandos labores, gravioraque adeunda pericula excitaretur. Pergunt igitur exploratores, et diebus quadraginta Palæstinam universam ob-eunt, et ad suos revertuntur, et ficus, uvas, aliosque fructus, quorum terra illa feracissima est, adferentes et populo ostentantes dicunt: Terra ad quam peregrinando obivimus, vere fluit lacte et melle, optima, fertilissima et pulcherrima est. Verum omnem illam dulcedinem ficuum et uvarum, quam animo jam conceperant, repente in amaritudinem vertit legatorum sequens oratio: *Verum, inquit, cultores fortissimos habet, et urbes grandes atque muratas; populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamus.* Hæc igitur exploratorum oratio quantum animos multitudinis terræ illius prædicatione inflammavit, atque erexit; tantum eosdem laborum ac difficultatum commemoratione debilitavit ac fre-

git. Ita ut non modo vulgus Hebræorum terram illam ipsam ingredi non vellet; sed etiam paucos quosdam, qui ingredi cupiebant, impediret, ac pene lapidibus obrueret: nihilominus tamen post aliquot annos sublatis iis, qui terram promissionis intrare non voluerunt, ac Moyse jam defuncto, Josue filium Nun ducem, ac principem totius populi Deus constituit, et per eum summa facilitate veteres Palæstinæ habitatores a sui sedibus deturbavit, et in eis populum suum magni videlicet Abrahami nepotes, collocavit. Hæc igitur est figura: nunc explicationem ejus accipite.

Ad primum, quid Pharaos, quid Moyses, quid Ægyptus, quid servitus, quid mare Erythræum, quid liberatio ipsa significet, quis vel mediocriter in sacris litteris versatus ignorat? Quis nescit Pharaonem Diaboli, et Moysen Christi personam gessisse? Atque Ægypto mundum servitute peccatum mari Erythræo baptismum et liberatione liberationem designatam adunbratamque fuisse? Tunc igitur rubrum mare transmittimus, et Ægypto relicta versus terram promissionis iter aggredimur, cum baptismo culpæ solvimus, et mundo ac pompis ejus renunciantes ad cœlestem illam Jerusalem, quæ super omnium montium cacumina cœlestiumque orbium regiones posita est, properamus. Sed quemadmodum Hebræi mari Erythræo transmissio ante vastissimas desertissimasque solitudines quam terram promissionis intraverunt, sic et nos non statim ab aquis baptismi: ad quietem et felicitatem transimus; quin potius baptismo aquæ baptismus ignis succedit. Ut enim Dominus ac liberator humani generis Christus simul ac in Jordane fluvio baptizatus est, in loca deserta se contulit, ut a Diabolo tentaretur, jejuniisque ac vigiliis operam daret: sic etiam nobis post aquas baptismi varia dæmonum prælia, labores, dolores, molestiæ vincendæ ac superandæ sunt. In baptismo enim Christi militiæ nomen damus, Dæmoni bellum indicimus: neque dæmoni solum, sed et mundo et carni. Quocirca ut B. Apostolus ait, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Et ut primi illi sanctissimæ nostræ fidei ac religionis cultores dicebant: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.*

Quid igitur magna pars Christianorum, atque hoc potissimum tempore facit? Sane quod Hebræi, non, inquam, fecerunt, sed

facere vel voluerunt vel cogitaverunt: nempe levi de causa in Ægyptum redeunt, et ultro se in potestatem Pharaonis tradunt. Itaque multo gravius, quam illi peccaverunt, nos peccamus. Illi enim verbis et cogitatione sæpe in Ægyptum redierunt: nos autem verbis quidem Ægyptum detestamur, moribus in Ægypto pene semper diversamur. An non est in Ægypto, hoc est, in regno Diaboli et in tenebris densissimis versari, omni tentationi succumbere? peccandi opportunitates quærere? vestes compositas non ad utilitatem, sed ad vanitatem gestare? comessionibus et ebrietati studere? corpus diligenter curare? animæ salutem negligere? omnes artes omnesque disciplinas perdiscere? cursus cœlorum atque astrorum investigare? et solam recte vivendi, recte moriendi rationem ignorare? Qui summo studio quærunt, ad quem modum cum hominibus loqui, cum hominibus agere, hominum gratiam aucupari, hominibusque placere debeant; quo autem modo Deum precibus placent, cum eo in gratiam redeant, amicitiam ejus promereantur, non modo non studiose quærunt, sed ne semel quidem cogitant, in quam obscura Ægypto, in quam crassis tenebris, in quam cæca nocte versantur? Deus igitur, qui hæc omnia multo ante prævidet, nec ignorabat naturam nostram a solitudinis asperitate abhorrere, et Ægypti delicias vehementer adamare, Prophetas et apostolos, ac imprimis magnum illum Josue, filium, inquam, suum ad nos misit, qui cœlestis Jerosolymæ venustate, pulchritudine, ubertate, elegantia, magnitudine atque amplitudine explorata, harum rerum prædicatione animos nostros accenderet atque ad eam urbem, vel vi expugnandam, excitaret.

Venerunt igitur ad nos exploratores, et alii aliis verbis; omnes tamen magnifica quædam longeque præclarissima de cœlesti nobis Palæstina retulerunt. Audite Davidem: *Quam dilecta*, inquit, *tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Audite prophetam Isaiam: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Audite Baruch: *O Israel quam magna est domus Domini, et quam ingens locus possessionis ejus.* Audite Tobiam: *Beatus ero, inquit, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem. Portæ Hierusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo*

omnes plateæ ejus sternetur, et per vicos ejus Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, ut sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Audite Apostolum Paulum, qui et ipse unus de exploratoribus fuit: *Non sunt, inquit, condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelatur in nobis.* Denique quod apostoli omnes exploratores ac testes fide dignissimi sint, habemus virum summa auctoritate et religione et fide apostolum Joannem, qui apertissimis verbis id testatur: *Quod audivimus, inquit, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, annuntiavimus vobis.*

Neque vero exploratores isti vacui redierunt. Botrum enim miræ magnitudinis et suavitatis, Christum videlicet cruci appensum attulerunt. Quid enim aliud liber psalmodum, quid volumina prophetarum, quid apostolorum, libri sonant quam Christum et hunc crucifixum? David vero quasi princeps quidem exploratorum non modo botrum ostendit, sed etiam ad gustandum invitat. *Gustate, inquit, et videte, quam suavis est Dominus.* Et sane, auditores, quanta sit hujus botri suavitas illi optime noverunt, qui crucem Domini assidue contemplantibus usu atque experientia didicerunt. Ex hoc igitur fructu, quem hic in solitudine modicum degustamus, facile potest intelligi quanti sit ipsius terræ promissionis amœnitas, venustas, ubertas. Nam si Christus in cruce pendens, ubi non est species ei, neque decor contemplantis animum pascit, illustrat, inflammat, oblectat; quid obsecro faciet, cum in sede gloriæ suæ lumen et decorem indutus, se oculis nostris cernendum, et brachiis charitatis complectendum præbebit?

Sed enim, auditores, si nostris exploratoribus credimus, non facile ad hanc felicissimam et pulcherrimam regionem perveniri potest. Nam præterquam, quod ipsa civitas super altissimos quosdam montes ædificata, et mœnibus, fossis, vallis, munitissima est, et quamquam est amplissima, tamen portam unam dumtaxat, eamque humillimam et angustissima habet. Custodes etiam fortissimi de genere giganteo perpetuo excubant; circum eam aditus omnes observant, et quantum prudentia, consilio et viribus possunt, contendunt efficere, ut nemo omnino terram illam ingrediatur. *Non est nobis, inquit terræ illius explorator Paulus, Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, adversus*

infirmos et debiles, et nostri similes hostes, qui videri, vulnerari, occidi possunt: *Sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* Isti profecto hostes, qui telis igneis utuntur, quique summa alacritate ubique discurrunt. Ejusmodi sane sunt, auditores, ut nos cum illis comparati vere locustae, et minores etiam quam locustae videamur: et tamen per medias illorum acies transeundum est, si Jerosolymam ingredi cupimus. De magno Antonio Beatus Athanasius refert, eum quadam die dum oraret raptum in spiritu ab Angelis, in caelum deferri coepisse: continuo autem innumerabiles Daemonium legiones occurrisset, qui transitum totis viribus prohiberent. Cumque Angeli a Daemonibus quaererent: Cur id facerent, cum nulla penitus in Antonio crimina invenirent? Illi usque ab ortu B. Antonii repetentes omnia ejus errata, etiam levissima et minima, commemorare coeperunt. Verum Angeli mox daemonum ora compescuerunt, atque dixerunt: non debere eos ab ortu peccata repetere, quae Christi essent benignitate extincta atque deleta: sed ea solum, si qua tamen esse poterant quae postea admisisset, quam monachus factus esset, et se Dei obsequio consecrasset. Et quamquam multa daemones adferebant: tamen non tam ea Antonii peccata, quam daemonum apertissima mendacia erant, et liberum Antonio iter ad caelum aperiebatur. Post paululum vero B. Antonius ad se rediens, et ea revolvens, quae viderat, et cibi, et potus, et somni et quietis oblitus proximam noctem totam fletibus et lamentatione peregit, tacitus apud se cogitans quanta esset multitudo ac ferocia hostium humanorum, et quam arduum ac laboriosum per aerem iter ad caelum. Quod si tam in B. Antonium audebant, quem semper virum bellicosissimum experti fuerant, quem omni genere virtutum armatum videbant, cum quo non veris criminibus sed solis mendaciis contendere poterant, quid in nos non audebunt? quo impetu nos adorientur? qua libertate nobis ad caelum transitum denegabunt, quos a se devictos ac prostatos non semel, sed saepius, non injuria gloriari possunt? Quae cum ita sint, an dormire, otioque vacare nobis liceat, cum hostes tales habeamus, qui numquam dormiunt, et nihil agunt, nihil cogitant, nihil moliuntur, nisi in nostrum interitum atque perniciem. Vos ipsi, quaeso,

sapienter judicate. Sed nos ad institutam narrationem revertamur.

Noster igitur fortissimus et sapientissimus Josue qui dux et princeps a Deo electus erat, ut quos Moyses non poterat, ipse in verae ac caelestis Palaestinae agros introduceret, paratus ad iter, atque accinctus ad praelium, et in ipso ingressu terrae promissionis constitutus tali oratione milites suos ut in hodierno Evangelio legimus, affatus est: *Ecce, inquit, ascendimus Jerosolymam.* Nunc terram promissionis ingredimur: tardis et moribundis corporibus ascendere grave est; sed aliter ad illam, quae sursum est, Jerusalem non pervenitur. Neque solum ascensionis labor superandus est; verum etiam consertissimae inimicorum acies perrumpendae, omnia conjecta tela contemnenda per media hostium arma transeundum, et multa, magnaue vulnera non tam scuto propulsanda, quam excelso fortique animo excipienda sunt. *Oportet enim Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Neque alia sors militum et alia imparatoris erit. Verum ne forte inopinati hostium impetus vos perterreant, atque animum desondere cogant, breviter vobis, et cursum laborum nostrorum et praeriorum ac certaminum eventum exponam. *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur: et postquam flagellaverunt, occident eum, et tertia die resurget.* Itaque in Jerusalem, hoc est, ad pacem et requiem et gloriam et vitam beatam ac sempiternam tendimus. Haec enim est via, quae Jerosolymam ducit: neque putet aliquis se viam aliam faciliorem invenire posse. Haec est via, hanc ego primus teram, hanc omnes, qui salvi esse cupiunt, ingrediuntur. *Regnum enim caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Audivistis nostri ducis orationem. Verba veritatis sunt, auditores, falsa esse non possunt. *Caelum et terra transibunt, verbum Domini non praeteribit. Verbum enim Domini manet in aeternum.*

Multi quidem reperiuntur, qui filios Ruben et Gad imitantes, hic in terris partem suam habere cupiunt, et frequenter habent. Siquidem Rubenitae et Gadditae ut ex capite trigesimo secundo Numerorum intelligi potest, antequam terram promissionis ingrederentur, loca quaedam obtinuerunt, illisque contenti nihil in ipsa terra promissionis quaesierunt. Istos igitur Rubenitas et Gaddi-

tas multi sunt, qui imitantur, qui futurorum bonorum nullam rationem habentes, solis præsentibus, licet caducis et fragilibus, inhiant: quibus omnibus cum moriuntur, dicitur: *Recordare fili, quod recepisti bona in vita tua*: ultra Jordanem partem tuam habere evoluisti. At ii, qui Christum ducem sequuntur, et bonorum cœlestium atque æternorum compotes fieri cupiunt, omnes sive uno, sive alio modo per multas tribulationes in cœlestem Jerusalem intrare debent. Quibus tandem gradibus Christus, et omnis ejus exercitus in gloriam æternam intravit? Nonne vere Dominus illus, cæsus, consputus, spinis coronatus et in crucem actus est? Nonne princeps Apostolorum Petrus per crucem in cœlum ascendit? Nonne coapostolus ejus et collega Paulus propter cœlestis portæ humilitatem caput amisit? Nonne Apostolus Bartholomæus propter angustias ejusdem portæ, non modo vestibus sed et ipsa pelle spoliatus est? Nonne cæteri omnes per exilia, damna, vincula, verbera, ignominias, patientiam, castitatem, sobrietatem et ipsam mortem viam sibi ad sempiternam beatitudinem aperuerunt? Hæc igitur una vera via ad vitam est, auditores: nemo se decipiat, hæc una est via, quæ tamen deserta et inculta atque interclusa jam frondibus, et virgultis mihi esse videtur. Neque alia de causa, quam propter id quod sequitur in Evangelio: *Et ipsi, inquit B. Lucas, nihil horum intellexerunt: et erat verbum istud absconditum ab eis: et non intelligebant, quæ dicebantur*. Nulla pars est Evangelii, quæ difficilius ab hominibus seipsos amantibus intelligatur, quam hæc, in qua de laboribus et molestiis perferendis agitur. Intelligebant Hebræi, quæ de ficibus et uvis, et melle et lacte ab exploratoribus dicebantur: sed de bello cum Jebusæis et Chananæis gerendo, quæ ab iisdem exploratoribus dicebantur non intelligebant. Sic et nos, quod Deus paradysum voluptatis nobis paraverit, satis facile intelligimus: at quod per multas tribulationes transeundum sit, id vero nullo modo capere possumus. Omnes utilissimas esse tribulationis affirmant, omnes constantiam in adversis laudant: tribulationes enim calcaria sunt, stimuli sunt, fustes sunt, quæ nos ad regnum cœlorum compellunt: sed cum ad fores ædium nostrarum molestia aliqua vel calamitas pulsat, omnes fingunt se non esse domi, et Dominam tribulationem excludunt: rari sunt, qui cum scribis et pharisæis

non dicant: *Descendat de cruce et credimus ei*. Non libenter, Domine, te de isto gestu prædicantem audimus: descende de cruce et credimus tibi: de gloria, de regno, de beatitudine disserere si volueris te attentissimis animis audiemus: at de castitate, de sobrietate, de patientia, de cruce, de condonandis injuriis, de præferendis incommodis, de periculis subeundis, tetrica oratio est, obscura, involuta, recondita; non capimus, non intelligimus. *Descende ergo de cruce et credimus tibi*.

Nonne hæc vera sunt, auditores? Quid horum negari potest? Clamat ipsa veritas: *Væ vobis qui habetis consolationes vestras in hoc sæculo*. Quis hoc intelligit? Quis consolationes et voluptates non quærit? Clamat imperator noster, et in crucem ascendit, ut melius audiatur: *Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Quis hoc intelligit? Quis capit? Cui non ænigmata obscurissima esse videntur? Quis paupertatem divitiis, et luctum risui, et persecutiones gratiæ et favori hominum anteponit? Nonne hoc tempore surdis auribus ista canuntur?

Neque vero solum plerique hominum, quæ de cruce et virtutibus dicuntur, non intelligunt: verum etiam eos, qui intelligere conantur, quoad possunt impediunt; non secus, ac olim Hæbræi illos paucos, qui terram promissionis cum Josue ingredi cupiebant, non solum impedire, sed etiam lapidibus obtrudere conabantur. Nam cum cæcus quidam, ut B. Evangelista commemorat, secus viam per quam Dominus iter faciebat, sedens et mendicans magna voce clamare cœpisset: *Fili David, miserere mei; qui præibant, increpabant eum ut taceret*. Quotidie ista videmus, auditores, existat enim aliquis, qui sedeat secus viam cæcus ac mendicans, hoc est, qui nondum viam illam, quæ ducit Jerusalem, viam virtutis, amoris Domini sit ingressus, quique adhuc in communi mortalium cæcitate versetur, et malum putet bonum et bonum malum; et falsa ac fragilia veris æternisque bonis anteponat, qui denique sedeat, et nunc aliquam voluptatem, nunc aliquam dignitatem emendicet, iste si forte interius a Domino illustratus se cæcum et mendicum esse et extra viam sedere animadvertat, atque ad Dominum illustratorem suum clamare incipiat: *Fili David, miserere mei*: si mendicitatem suam erubescat: si viles illas divitiarum cumu-

landarum et honorum augendorum cogitationes abjiciat; si spreto omnibus rebus magno, et excelso animo Christum ducem sequi, et regnum cœlorum per vim capere apud seipsum statuatur: quam multos emendatores et reprehensores habebit? Quam multi contentent, quantum poterunt, ut eum ab isto cursu retardent, in sua mendacitate contineant, ignem desiderii, quem in eo Christus excitavit, extinguant? Quem multi adversus eum clamabunt, ut ipse non clamet, eique dicent: Tace, quid est quod loqueris? Num incipis insanire? Currebas bene, magnam de te spem concitaveras. facile ad aliquem sublimem honoris gradum ascendisses, numquid amicis et cognatis tuis dedecori esse cupis, quibus splendori et ornamento esse debueras? Quid homines dicent? Quid cogitabunt? quid suspicabuntur? Nempe te, quod cupiebas, obtinere non potuisse, ac propterea animum despondisse: neque repentinam istam mutationem futurorum bonorum desiderio, sed rerum præsentium desperationi: neque virtuti ac pietati, sed inconstantia, ac levitati ascribent. Hæc sunt diaboli argumenta, quæ illis hominibus subministrabuntur, qui Deo sapientiores et prudentiores, vel esse vel videri volunt. Sic enim legimus in Evangelio: *Qui præbant, inquit, increpabant eum, ut taceret.* Non dignantur isti Dominum tanquam ducem sequi sed præire contendunt. Excitat Dominus cæcum, ut clamet: increpant isti cæcum, ut taceat. Sed meus cæcus, si vere sapiens erit, sapienter considerabit carnis prudentiam mortem esse, et inimicos homines esse domesticos ejus. Proinde quanto magis ei silentium imperatur, tanto magis clamabit: *Fili David miserere mei: fili David miserere mei.* Domine, ut videam, ut aperiantur oculi mei, hoc a te peto, hoc a te impetrare desidero. Ex quo tandem fiet, ut a Domino penitus illustretur, et eum summa alacritate et libertate sequatur et ex cæco ac mendico nobilissimus Christi miles evadat, et una cum suo imperatore Chananæis et Jebusæis devictis terram promissionis obtineat, et ad ipsam cœlestem Jerusalem maxima sanctorum hominum et angelorum acclamatione perveniat.

ALTERA PARS.

Quæ de hodierno Evangelio dicenda esse putavi, habetis jam, auditores optimi, nunc

quoniam semihoram adhuc integram habemus, videndum est, quo pacto eam utiliter consumamus: nec enim arbitror vos tam cito abire velle. Quid igitur dicemus, auditores? Nescio an decipiat, certe videmini mihi aliquid velle de celebritate bacchanaliorum, quæ nunc agitur, audire. Quamquam enim hujus festi ne commemoratio quidem in toto breviario reperitur: tamen ubique terrarum summa religione colitur, estque celeberrimum, solemnissimum, duplex, triplex, amplius adhuc. si aliquid amplius reperitur, ita ut transferri nullo modo possit. Ego quidem non libenter soleo, præsertim hoc loco, res ludricas rebus seriis miscere, tamen cum ex rebus ludricis res seriæ colligi possint, cur non liceat vel semel in anno, et tali opportunitate oblata in medium aliquid minus severum afferre? Parebo igitur vobis, et ad quem modum ad nos hæc sacrilega sacra pervenerint, quales fuerint auctores vitia et mores illius, qui hoc ritu et cæremoniis colitur, paucissimis verbis complectar.

Bacchanalia igitur ab Ægyptiis primum celebrari cœpta sunt. Deinde Orpheo auctore et magistro, Græci ac Thebani imprimis eadem sacra didicerunt, ut altero sermone ad Græcos vir doctissimus Theodoretus commemorat: neque vero sacris istis alia antiquiora facile reperiri possunt. Orpheus enim qui horum rituum, et cæremoniarum non tam inventor et auctor, quam prædicator et propagator fuit omnium græcorum poetarum et theologorum ut ipsi loquuntur, vetustissimus est. Ac ut B. Augustinus lib. de civit. 18. cap. 44. auctor. est, Orpheus vatibus Hebræorum superiorum Judicum æqualis fuit. Cum igitur ad Thebas Orpheo auctore Bacchanaliorum superstitione pervenisset, non diu in illis unius urbis augustiis se continuit. Repente enim omnis Græcia earum cæremoniarum desiderio flagrare, et eas summa aviditate discere ac celebrare cœpit. Deinde progressa longius fœda superstitione loca vicina infecit, Alpes transcendit, Italiam invasit, ad ipsam usque Romanam urbem penetravit. Ad extremum omnia regna, omnes provincias, totum pene terrarum orbem complexa impuris ritibus, et nefandis cæremoniis occupavit. Verum Senatus Romanorum, si B. Augustino credimus, post aliquot annorum spatium ita illorum sacrorum vel potius sacrilegiorum turpitudinem erubuit, ut ea in urbe Roma

celebrari omnino prohibuerit, Quæ Romanorum constantia vereor ne in iudicio plurimum nobis obsit, auditores. Nam, quis non timeat, ne in iudicio Christianos Catholicos Ethnici Romani condemnent, quod illi bacchanaliorum ne nomen quidem audire voluerint? Et homines Christiani non solum nomen, sed et rem ipsam hactenus diligentissime conservant? Sed nos ad rem nobis propositam redeamus.

Posteaquam hæc turpis religio orbem occupatum, atque oppressum tenuisset, humani generis Liberator de cœlo adveniens, quasi salutaris quidam fulgor mundo illuxit, ad cuius exortum continuo omnes errorum tenebræ fugari dissiparique cœperunt. Apostoli enim ardentibus tædis orbem peragrabant, ubique ignem accendebant, omnia loca non solum lustrabant, sed etiam illustrabant, et cum omnia sacrilega falsorum deorum sacra, tum potissimum bacchanalia tamquam christianæ religionis puritati, integritati et sobrietati maxime contraria persequebantur: et ea de festorum dierum catalogis et calendariis expungi delerique iuebant. Bacchus igitur ex omni parte adversum se bellum atrox excitari animadvertens tempori paulisper cedendum putavit. Itaque Christiani orbis finibus relictis nescio ubi se abdiderit, alicubi tamen se sine dubio abdidit. Post aliquot annos cum jam extincta penitus et nomen et sacra bacchanaliorum crederentur, Bacchus iterum ex antro, in quo aliquandiu latuerat caput erexit: atque ex administris suis Dæmonibus intelligens Christianorum studium in tuenda atque amplificanda religione deferbuisse, aereos quosdam principes, sagaces imprimis atque disertos ad se vocari iussit, eosque paucis ante quadragesimam diebus ad vulgus Christianorum legatos misit, ut cum illis pro sua prudentia de Baccho revocando et restituendis bacchanalibus agerent. Legati venerunt, sed initio aperte se prodere non sunt ausi, neque temere omnibus Christianis sua consilia credenda esse putaverunt. Itaque observatis quibusdam, qui de fide religione ac bonis moribus minus solliciti videbantur, quique libentius conviviis interressent, et in bibendo magis strenue se gerebant, eos primum accesserunt, sed nocte intempesta, ne videlicet agnoscerentur, et quanquam non satis aperte loquebantur, et in aurem potius, quod volebant, insusurrabant, quam clara voce dicebant, oratio tamen illorum ut a

majoribus nostris accepimus, talis fuit. Tempus imminet, quod vos quadragesimam appellatis, quo tempore, neque ludis, neque jocis, neque conviviis vacare licet: sed inedia diuturna corpus affligendum est: templa et conciones frequentandæ: peccata ad memoriam revocanda, confessioneque et lacrymis expianda multa denique severa ac tristia munia obeunda sint. Cur igitur his paucis diebus animum non relaxatis? Cur paulo liberius voluptatibus non indulgetis? Certe homines estis, carnei estis. Ista continuatio laborum non modo carneos, sed et ferreos homines frangeret. Cum amicus dimittitur, magis caute, quam alias tractari solet: et vos nunc a vobis carnem quodammodo ablegatis, et spiritui nutriendo et confirmando toto quadragesimæ tempore diligenter incumbetis, cur igitur carni, vel his postremis diebus non aliquid tribuitis? Hæc et horum similia Bacchi legatos dulciter insusurrantes, non solum attente, sed etiam valde amice homines illi audiebant. Quod cum ipsi legati animadvertissent, propius accedentes, et seipsos prodentes dixerunt: Bacchus Dominus noster, non tam suæ fortunæ impatiens, quam vestrorum laborum misertus, nos ad vos misit; et quamquam ille a vobis injuria affectus est, tamen et injurias cordonare, et ad vos redire paratus est, neque petit, ut ei suam pristinam dignitatem et ornamenta restituatis; sed hoc solum, ut paucos dies ante quadragesimam ei vobiscum tuto versari liceat, ut ejus aliqua saltem memoria conservetur. Placuit hæc oratio vulgo Christianorum neque solum Bacchi petito justa, sed et honesta visa est.

Itaque neque petita venia ab episcopis, neque sapientium consilio expectato, iterum bacchanalia catalogo festorum adscribere, et dies festos agere at celebrare cœperunt. Verum talis moderatio ac temperamentum primis illis temporibus adhibebatur, ut Bacchi festum omnino simplex esse videretur. Non ebrii fiebant, non totas noctes ludebant, non per plateas discurrebant, non larvas induebant, non choreas ducebant, non aliquid denique faciebant, quod Christianum, hoc est sobrium hominem dedeceret. Solum enim parumper animos relaxabant, et si quid ad solitas epulas et potationes addebant, omnino modicum erat. Et siquidem hoc malum non longius progressum fuisset neque fines cujusdam moderatæ remissionis

transivisset (tametsi laudandum et probandum non erat) tamen utcumque ferri tolerarique potuisset. Verum post aliquot annos festum simplex semiduplex evasit; postmodum etiam duplex. Accesserunt vespere duplices, accessit octava, accessit solemnitas quædam peculiaris: denique præter vigiliam et jejunium, et id omne, quod habent cætera festa, celebritatis accessit; jam vero ita celebre factum est ut se hominem non putet, qui his diebus multo liberius ludis, jocis, cibo, potu, quam alioqui soleret, non indulgeat. Atque ad id jam insanie in toto pene Christiano orbe deventum est: ut non immerito Mahumetanis et Agarenis ludibrio simus. Ecce, inquiunt, qualis est natio Christianorum: nunc usque ad fauces ventrem et stomachum implent, nunc inedia semetipsos cruciant, hodie tamquam insani bacchantur per urbes post duos dies cinere caput aspergent, templaque atque aras religiosissime frequentabunt: Neque Christianos solum, sed et ipsum Christum irrident. O qualem, inquiunt, Christiani Deum habent, quam egregium legislatorem, qui hæc vel præcipit vel permittit? Non sine causa, auditores, hodie potissimum Ecclesia mater nostra illud nobis Evangelii verba proponit: *Ecce accendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur gentibus, etc.* Neque dubitandum est, quin multi ad fidei nostræ veritatem converterentur, nisi Christianorum corruptis ac depravatis moribus retardarentur. Quod enim a Christo et ejus sanctissimâ religione animo abalienati sunt, nos ipsi nostris peccatis et exemplis in causa sumus.

Sed hæc hactenus: Jam enim tempus est, ut de vita et moribus hujus, quem insani homines colunt, et Bacchum appellant, nonnihil dicamus. Et licet res gestæ et mores ejus, de quo agimus, longissimam orationem prope suo jure postularent: ego tamen ea solum attingam, quæ ab hominibus hujus urbis, majori religione coli solere audivi. Atque ita moderabor orationem meam, ut tempus mihi præscriptum dicendo non excedam.

Piscis quidam reperitur, quem Aristoteles tradit cor in ventre reconditum atque inclusum habere: quocirca Epicharmus comicus eleganter unico verbo eum *ἐκτραπελόγαστρον* appellavit, hoc est a communi ventris ratione descendente, Græci communi vocabulo *όνον*, nos asinum marinum nominamus. Hujus igitur monstri Clemens Alexandrinus simillimos dicit esse Bacchi sectatores. Si ve-

ro tales sunt ii, qui aliquam Bacchi similitudinem in seipsis exprimere conantur, certe licebit nobis Bacchum definire, principem illorum asinorum, qui cor in ventre reconditum habent. Bacchus igitur et ejus sectatores, quod pace ipsorum dicam, primum asinorum similes sunt, tardi, pigri, torpentes, desidiosi, stupidi: denique fustibus et verberibus melius, quam verbis erudiuntur. Hæc enim omnia ex eo nascuntur, quod cor habeant in ventre. Clamant concionatores: tempus jam est de somno surgere, ambulandum est, currendum est, iter ad cælum est longum, vita humana brevis: periculum est, ne ante portæ claudantur, quam pervenire possimus: non est hoc tempus in ludis et jocis contendum. Non audit asinus noster, et tamen aures longissimas habet. Habet quidem cor, sed est inclusum in ventre: nihil audit, nihil cogitat, nihil quærit, nisi quod ad ventrem, ad Deum videlicet suum colendum et satiandum pertinet: ejus enim *Deus venter est*. Loquere parumper de hordeo, de conviviis, de potationibus, videbis si asinus excitabitur, si eriget aures, si alacriter respondebit. Ea siquidem, quæ ventrem tanguunt cor etiam tanguunt. Sed cætera videamus.

Mirabimini profecto naturam hujus monstri: non solum cor habet in ventre, sed etiam tale corporis temperamentum ab ipsa natura sortitum est, ut si totas noctes insomnes ducat, ut choreis vacet, ut per urbem bacchetur, et omnibus cæli injuriis caput exponat suum, nihil penitus ægritudinis contrahat. Si vero horam unam meditationi rerum didivinarum vacare velit, aut ad aliquem ægrotum consolandum noctu pergere, et apud eum aliquam partem noctis excubare, vel charitas vel necessitas moveat. continuo caput debilitatur, frangitur, recreatione indiget: neque die sequente ante meridiem electo surgere potest. Rursum cum omnes libri medicorum ad bonam corporis valetudinem inediam utilissimam et crapulam perniciosissimam esse doceant; tamen noster homo, vel raro vel numquam jejunat, quod capitis dolorem timeat: ex nimio autem cibo et potu nihil timet. Et cum alii ebreietatem gravissimum crimen esse putent, ipse exclamat, cum mensæ accumbens aliquem vinum cum aqua miscentem videt, nempe eo modo res a Deo creatas temerari, atque adeo sacrilegium committi censet: ita ut nemo unquam ab igne, sicut iste ab aqua, abhorruerit.

Sed quoniam jam ad mensam, nescio quo

modo oratio nostra devoluta est, de convivii quoque illius, et de tota ratione vivendi breviter, si non displicet, exponamus.

Ratio vivendi quantum ex iis, qui cum eo aliquando fuerunt, cognoscere potui, talis ab eo observari solet. Nunquam mane e lecto surgit, antequam solem intelligat surrexisse. Aliqui hoc ignaviæ ascribunt, ego parcimoniæ tribuo. Id enim propterea facit, ne nimium olei in lampade consumatur. Accidit tamen plerumque, ut post unam aut duas horas suas plumas relinquat. Verum habet excusationem suam : id enim fit, vel quod multitudo ac densitas nubium solis radios ad eum pervenire non sinit, vel quod horologium delirat, et signat horam sextam cum octavam, signare deberet. Deinde ubi surrexit vel obambulat mœnia civitatis, vel aliquo ludo vires exercet, ut paulo post strenue cum perdicibus et gallinis in mensa bellum gerat. Denique viribus, et fame et siti quantum satis esse videtur excitatis, itur ad mensam : neque unquam est solus, semper aliquos compransores et compotores habet. Primum verbum pene semper esse solet, Heus tu, vide, ut vinum non desit, pocula semper sint plena. Hic ego, auditores, obruor jam multitudine lancium, discorum, patinarum, aliorumque vasorum, quibus epulæ inferuntur : neque facile possem totam convivii celebritatem exponere. Sed novi quid faciam, illa ipsa verbis vobis referam, quibus magnus Basilius oratione contra ebriosos hoc idem convivium aliquando descripsit. « Incipiente die, inquit, symposii sui variis tapetibus ac floribus aulas exornant, studiumque suum ac diligentiam in poculorum apparatu ostentant, ad perfrigerandum vinum craterasque ac phialas velut in pompa aliqua, ac conventu publico disponentes ; ut vasorum diversitas satietatem ipsis suffuretur, et poculorum alternatio, ac permutatio longam ipsis ad potandum immorationem inducat. Accedunt ad hæc quidam symposiarchæ, et vino fundendo præfecti, ac architriclini, et ordo in confusione et dispositio in re incomposita excogitatur. Ut quemadmodum magistratibus exterius ex satellitibus auctoritas augetur : sic etiam ebrietati, velut reginæ cuidam, famulatum adjungentes, opprobrium ipsius excellenti studio ac ornatu contegant. Ad hæc coronæ, et flores et unguenta, et suffitus et innumeræ externæ animi voluptates majorem occasionem fruentibus faciunt. Deinde procul progresso

convivio certamina de ampliori potu oriuntur : et horum certaminum præfectus est diabolus, et victoriæ præmium peccatum. Quæ oratio turpitudinem eorum, quæ fiunt, assequi possit ? Omnia absurditate, omnia confusione referta sunt. Superati ebrii sunt, victores ebrii sunt, ministri vero eos derident, manus officium negat, os non suscipit, venter dejicit, et tamen malum non remittit. Miserum corpus naturali robore exolutum undequaque defluit, violentiam immodici potus non sustinens. Porro ubi jam vino exsatiati putantur esse, tunc bibere incipiunt, et jumentorum more bibunt, velut a fonte sponte manante, et æquales numero canales accumbentibus remittente. Nam progresso jam convivio ingreditur ad ipsos adolescens quidam generosos habens humeros, nondum ebrius, phialam habens magnam vini perfrigerati, qui depulso ipsorum pocillatore stans in medio per aliquos canales æqualem compotoribus ebrietatem distribuit. Nova hæc est immodestiæ mensura, ut æquis portionibus inter se bibendi petulantiam exercentes, nullus in bibendo alterum excedat. Inclina te paululum ad miserum ventrem tuum, disce suscipientis vasis magnitudinem : ne respicias ad poculum, quando evacuaturus sis ipsum : sed ad tuum ipsius ventrem, qui jam dudum expletus est. Usquequo tandem vinum ? Usquequo ebrietas ? Deinceps consequens est, ut cænum pro homine fias, adeo totus admixtus es vino, et cum ipso putrefactus et quotidiana crapula vinum oleas. Atque hoc corruptum velut vasa, quæ nullius amplius sunt usus. Miserabile profecto Christianis oculis spectaculum : vir in ætatis vigore consistens, validus corpore, inter copias militares splendidus, domum deportatur non potens se erigere, neque propriis pedibus ab re. Vir qui horrendus esse debebat hostibus, pueris in foro ridendi occasionem præbet, citra ferrum prostratus est, sine hostibus occisus est. » Hæc Basilius, qui certe pulcherrime nobis Bacchi convivium depinxit.

Sed numquid in isto convivio nihil dicitur ? Numquid more monachorum silentium illis imperatum est ? Non sane, auditores, non sequuntur mores monachorum : imo pene non alia de re, quam de ipsis monachis loquuntur, istorum simplicitatem rident, illorum vitam contemnunt, aliquos hypocritas et magistros nimis severos, aliquos nimis liberos et dissolutos vocant : neque ab ordi-

ne presbyterorum, Pastorum et pontificum abstinent. Si quis est in hoc ordine, qui confiteri cupiat et sua peccata non recordatur, eat ad convivium Bacchi, et ibi omnia diligentissime enumerari audiet. Mirum est profecto nonnullos, qui rhetoricæ numquam operam dederunt, tamen inter bibendum tam copiose, vel crimina aliorum exaggerare vel recte facta extenuare, ut facillime persuadeant, etiam si falsa et incredibilia aliquando narrent. Verum ut ille sapienter ait :

Fecundi calices quem non fecere disertum ?

Temporis brevitatis me compellit, auditores, ut Bacchum relinquam cum suis compotoribus in mensa : sed non ægre feret. Hoc enim ipse in more positum habet, ut multas horas sedeat ad mensam, sed interdum etiam prandia cum cœnis jungat. Hoc unum tamen addam, si mihi semel hominem adire liceret, profecto non tacerem eum in magno errore versari. Nam ipse quidem voluptatem in ebrietate quærit, et tamen ebrietas non tam conciliat, quam arcet voluptatem. Nam quemadmodum nimius fulgor sensum videndi, et magni sonitus sensum audiendi corrumpunt, moderati autem voluptatem efficiunt ; sic etiam immodicus et frequentissimus potus sensus languidos et emortuos reddit, ut omne vinum insipidum et aquam mixtum illis esse videatur. At iis, qui raro et moderate bibunt, omne vinum sapit : nam et sensus bene constitutos habent et ad potum accurrunt tamquam ad amicum accipiendum, quem multo tempore non viderunt.

Sed quoniam mihi aulam accedere, et hæc regi ebriosorum significare non licet, his omissis ad vos veniam, ac serio vobiscum agam, auditores, et paucis verbis orationem meam concludam. Agunturne aliquando Lovanii ista convivia ? Dicetis fortasse, aliquando quidem nos invisit, neque facile repellere tam blandam amicam possumus ; neque nobis tam immane scelus videtur esse, si interdum liberiores et jucundiores simus. Quam enim tu ebrietatem dicis nos hilaritatem potius et jucunditatem appellamus. Mihi vero, auditores, tam turpe vitium hoc esse videtur, ut vehementer probem illius sancti et summi pontificis consilium qui ebriosos excommunicandos et ab ecclesiis repellendos censebat. Narrabo vobis jucundam historiam. Cum primum in has regiones

ingrederer, quas audieram fertilissimas et uberrimas esse circumspiciebam, ut formam vinearum et copiam cernerem, sed cum vineæ nusquam apparent, et ab aliis intelligerem in iis locis vinum non crescere, sed advehi aliunde, quæsi ab aliquo, an essent hic præclara ingenia ? Præclarissima, ait ille : neque talia in multis orbis partibus facile reperies. Tum ego : Sane non injuria ; nam cum nihil magis ingeniis obsit, quam vinum, hic ubi vinum non bibitur, quomodo non optima et acutissima ingenia erunt ? Quid, inquit ille, hic vinum non bibunt ? Imo vero rarissimos invenies, qui non bibunt usque ab ebrietate. Qui ego : fortasse rustici quidam sunt impurissimi, qui hoc facere solent : nam de cæteris non audeo tale aliquid suspicari. Tum ille : Miror, inquit, simplicitatem tuam : et rustici et non rustici, et plebei et patricii et Philosophi et Theologi, ac demum pene omnes hoc faciunt. Jam ego non miror, inquam ego, si hic vinum non crescat. Nam singulari Dei providentia factum est. Si enim nunc ebrii fiunt, cum vinum aliunde advectum maximo pretio emunt, quid facerent, si non emerent, sed unusquisque suas vineas haberet ? Fateor vobis, auditores, ebrietas est omnibus turpis, et homine libero indigna ; sed in hominibus hujus urbis et academiciæ turpissima esse videtur. Et cum primum hoc vitium dominari in hac urbe audirem, vix adduci poteram, ut crederem esse verum. Refugiebat enim animus meus tale aliquid de tam pia et tam erudita civitate credere. Meipsum quodammodo pudebat, tale aliquid cogitare. Nam si hoc vinum vitium abesset, cui, quæso, civitati in toto Christiano orbe hæc una civitas invideret ? Imo vero, quæ civitas reperiretur, quæ cum hac de eruditione, de pietate (quæ duo christianæ religionis maxima ornamenta ac veluti lumina clarissima sunt) contendere auderet ? Credite mihi, auditores, multa gymnasia, multas academias, multa musarum domicilia vidi, sed rara sunt, ac prope nulla, qua cum hac illustrissima sede ac veluti arce quadam sapientiæ, vel auditorum multitudine, vel doctorum celebritate vel loci ipsius commoditate comparari possint : et tamen tam densas tenebras huic splendori turpissimum ebrietatis vitium offundit, ut omnis reliqua gloria ac celebritas, humilis, obscura exigua ac prope nulla videatur. Quid enim tam indignum homine docto, quam ebrietas ? Quid

tam ingenium hebetat, quam ebrietas? Quid tam cum sapientia pugnat, quam ebrietas? Quæ consilia momenti alicujus ab ebriis hominibus expectabimus? Deinde quid foedius, quid miserius, quid scelestius homine ebrioso? Insanorum, phreneticorum, a dæmone obsessorum multo melior conditio est, quam ebriorum. Illorum enim omnes miserentur: et si quid peccant, omnes ignoscendum putant; at ebriorum miseretur nemo: tantumque abest, ut eis peccantibus ignoscendum sit, ut Aristoteles libro de moribus tertio, duplicato supplicio eos afficiendos censeat. Quid? quod nullus est morbus, qui ita totum hominem corrumpat, ut ebrietas: febres, vulnera, plagæ, aliaque id genus corpus debilitant, sed animum non modo non frangunt, sed frequenter etiam roborant, ut B. Apostolus dicat: *Cum infirmor tunc fortior sum.* Insania contra, ac mentis inopia, nec non ruditas et stupiditas, animorum ægritudines sunt, sed corpori nihil nocent: at ebrietas tale venenum est, ut et corpus et animum simul inficiat. « Ebrietas, inquit magnus Basilius, rationis perniciēs, roboris corruptio, senectus immatura brevis temporis mors. » Quid enim aliud sunt ebriosi, quam idola gentium? Oculos habent et non vident; aures habent et non audient: manus resolutæ sunt, pedes mordificati sunt. Sed quid dicemus? ubi ebrietas est, ibi stupra, ibi adulteria, ibi prodiones, ibi cultus idolorum, ibi omnia flagitia et facinora esse solent. Nam ut fimus apes, ita vinum excitat libidines. Quid Noe patriarcham ludibrio filiorum exposuit? Ebrietas. Quid Loth hominem sanctum alioqui nefario scelere contaminavit? Ebrietas. Quid populum Hebræorum vitulum aureum fabricare, et eum pro Deo colere persuasit? Ebrietas. Quid Holofernem ita sopivit ut sanctam Judith ingredientem, gladium arripientem, vagina nudantem, et caput ipsius amputantem non sentiret? Ebrietas. *Jacebat enim,* inquit Scriptura divina, *ab ebrietate sopitus.*

Sed ad ipsa divina volumina parumper veniamus. Audite, quæso, quid ipse Dei spiritus, spiritus sobrietatis et veritatis, qui docet nos utilia, per Salomonem dicat: *Luxuriosa,* inquit, *res vinum et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et rursum: *Cui vix? cujus patri vix? cui rica? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Audite*

quid idem Domini spiritus per Isaiam ebriis comminetur: *Vix qui potentes estis ad bidentum vinum: et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et item: *Vix qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis: cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum, in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis nec opera manuum ejus consideratis. Propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino.* Quamobrem, auditores? nonne ut omnes ebriosos absorbeat? Audite quid ipse Dominus animorum medicus peritissimus, qui morbos nostros optime curare novit, dicat: audite, inquam, a qua re nobis cavendum admoneat. *Attendite,* inquit, *vobis ne forte graventur corda vestra crapula, et ebrietate et curis hujus mundi: et veniat super vos repentina dies illa.* Quis vestrum, auditores, si ab aliquo peritissimo medico audiret: Cavete ne succum illius herbæ aliquo modo sumatis, nisi repente interire vultis: quis, inquam, vestrum si hoc audiret, non sibi diligentissime ab illa herba caveret? et si eam in suo horto crevisse animadverteret non eam radicitus evelli mandaret? Cur igitur eandem fidem Christo medico sapientissimo non adhibemus, qui succum ebrietati incaute sumentibus repentinum interitum et corporis et animi comminatur? Audite præterea, quid nostræ militiæ post Christum imperator Petrus suis militibus jubeat: *Sobrii,* inquit, *estote, et vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:* O præceptum salutare! *Sobrii,* inquit, *estote, et vigilate.* Ut vigiletis, ut sobrii sitis. Nam ebrii vigilare non possunt. Vigilantia vero maxime vobis necessaria est, cum hostem habeatis, qui numquam dormit, neque unquam ebrius est. Olin, auditores, Carthaginienses ideo pene semper hostium suorum exercitus fundebant, quod (ut Aristoteles æconomicorum priore auctor est) se a vino cum dimicaturi erant, abstinerent. Quid igitur nos facere parerit, si hostes incorporeos, semper vigilantes, semper sobrios vincere voluerimus?

Sed objiciunt nobis communem illum Doctorem orbis apostolum Paulum, qui ad Thimotheum scribens ait: *Noli adhuc aquam bibere.* O impudentiam incredibilem! Apostolum Paulum ebrietatis patronum facere non verentur. Et cujus sunt illa verba; *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et

rursum illa; *Ebriosi regnum Dei non possidebunt?* Quid, quod illis ipsis verbis, quibus Timotheo suo vini bibendi licentiam concedit, vobis omnibus ebrietatem et crapulam interdicat? Primum enim diligenter monet: *Teipsum, inquit, castum custodi*: deinde subdit: *Noli adhuc aquam bibere*, ut intelligeremus beatum illum Timothæum, quod Clemens Alexandrinus annotavit, non vino, sed aqua perpetuo uti consuevisse. Tum addit: *Modico vino utere*, utere, inquit, non frueri: nec enim ad voluptatem; sed ad usum vinum concedebat. Quod Plinius etiam fecit, cum ait: *Modico vino uti non immania quædam pocula exhaurire debes*: sed utere, inquit, modico vino. Postremo adjecit: *Propter stomachum et frequentes tuas infirmitates*. Nec enim unquam magister temperantiæ vinum bibere atque ab aqua abstinere Timothæum jussisset, si ille stomacho confirmato et corpore robusto fuisset.

Verum, auditores, ne hæc documenta scripturarum tamquam verba hominum, et inanes comminationes contemnamus, brevissimas, sed verissimas et plane formidabiles historias referre volo. Beatissimus Pontifex Gregorius libro quarto dialogorum virum quemdam scribit fuisse, qui cum puellam quamdam ex sacro fonte suscepisset, eamque ut spiritalem filiam in domum suam induxisset, lætitiæ et vino indulgere cœpit: denique ebrius effectus nocte proxima eodem se scelere polluit, quo olim Loth, vir alioqui sanctus, se polluerat. Non diu Majestas divina tam nefarium scelus inultum dimisit. Septimo enim die obitu repentino consumptus est. Cum cadaver ipsius de more in tumulo collocatum humatumque fuisset, ignis ex ipso sepulcro oriri visus est, qui non solum ossa et mortuas ejus carnes absumpsit; sed et ipsum tumulum penitus concremavit. Et si tale fuerit corporis non sentientis incendium, quale fuit et nunc etiam est incendium animæ sentientis? Num intelligitis jam quale præcipitium sit ebrietas? Nec enim dicere possumus stuprum, non ebrietatem tales pœnas commeruisse, nam si ebrietas non fuisset, neque flagitium illud unquam fecisset. Sed jam historiam alteram audite.

Venerabilis Beda capite decimo quinto, libri quinti historiæ Anglicanæ: « Novi, inquit, ipse fratrem, quem utinam non noscerem, cujus etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ignobiliter viventem. Serviebat enim multum ebrietati et cæteris vitæ remissioris illecebris. Percussus itaque languore, atque ad extrema perductus vocavit fratres, et multum mœrens, ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos et Satanam immersum in profundum Tartari; Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum juxta eum flammis ultricibus contraditum. In quorum vicinia, inquit, heu misero mihi, locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt exhortari diligenter, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam emendandi, cum ipse viderim judicium meum jam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit. Et corpus ejus in ultimis monasterii locis humatum, neque aliquis pro eo Missas facere vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. Factum est hoc nuper in provincia Barniciorum, ac longe lateque diffamatum, multosque ad agendam, non differendam scelerum suorum pœnitentiam provocavit. ». Hactenus Beda. Cuinam igitur, auditores, post exempla tam horribilia adhuc ebrietas placebit? Iste, cujus funestissimum exitum commemoravimus, non hæreticus, non adulter, non ambitiosus, non avarus erat. Sed quid? Ebrietati studebat: et tamen prope ipsum Caipham et reliquos Domini perditissimos interfectores in gehennæ incendiis locum habere meruit. Quare nemo, auditores, qui animæ suæ rationem aliquam habet, nemo, inquam, dicat: Non malum est ebrietas; vel: Leve peccatum est ebrietas: sed potius rei turpitudinem, damna, incommoda sapienter consideret, et aliquando tandem ad quietem et tranquillum sobrietatis portum se recipiat: quem nobis condatur Christus Jesus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXI.

DE EADEM DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

THEMA

Contendite intrare per augustam portam. *Luc. XIII, v. 24.*

SYNOPSIS

Captat benevolentiam a frequentia auditorum.

Scopus et occasio præsentis sententiæ, et quam exiguus sit salvandorum numerus, explicatur.

Porta angusta ipse Christus est atque ut per eamdem intremus, ex parte Christi eam aperiri oportet; ex parte autem nostra, ingredi.

Enodatur dubium, quomodo lex Christi sit porta angusta. quæ tamen alibi jugum suave et onus leve appellatur, et respondetur quatuor modis. Primo, quod præmia proposita et spes futurorum leve reddant jugum et onus facili- tent. Secundo, quod via virtutis ingredientibus initio arcta appareat, quæ tamen magis ac magis dilatatur; quod et Homerus et Aristoteles non ignorasse videntur. Tertio quod solummodo pinguibus, id est, gulosis; proce- ris, hoc est, superbis, et oneratis rerum terre- narum pondere angusta sit porta. Quarto, quod porta legis sit angusta, per se solum considerata, sed gratia accedente dilatetur: illa est lex vetus, hæc vero Evangelium.

In altera concionis parte tria genera hominum proponuntur, qui quidem quærun- t intrare, sed non possunt, et quartum penitus non conatur intrare per angustam hanc portam. Ex primo genere sunt Judæi, Mahumetani, hæ- retici et infideles omnes qui quia portas, la- tas sibi ipsis aperiunt, per angustam intrare nequeunt. Secundum genus est eorum, qui quia in itinere hujus vitæ (quæ anno jubilæi comparatur) terrenis curis detenti nimium

morantur, tarde pervenientes excluduntur. Tertium genus est eorum, qui quod difficulta- tibus, et tribulationibus absterrentur, vel quia modum intrandi non norunt, non contendunt nec laborant intrare; ubi modus intrare vo- lentes docetur. Quartum infelix genus est pec- catorum, qui Christo vocanti non acquiescant, sed surdis auribus perstant in errore. Tan- dem gravis invectio contra bacchanalia succe- dit: ubi propositis diversis calamitatibus pu- blicis auctor serio ad emendationem vitæ nos adhortatur, et refutatis quorumdam munda- norum objectionibus ab ebrietate et intempe- stivo bacchanaliorum cultu dehortatur.

Etsi negare non possim, auditores optimi, me non sine magno dolore animi videre dies istos spirituali mœstitiæ ab Ecclesia conse- cratos, stultissima atque inanissima lætitia ab hominibus transigi: tamen illud etiam confiteri debeo, frequentia ista atque con- cursu vestro hoc potissimum tempore, in quo locus concioni esse non posse videba- tur, me non mediocriter recreari. Intellego enim in hac urbe, atque adeo in hoc illu- strissimo sapientiæ domicilio, sicut multi hoc tempore toti sunt in corporibus ac sen- sibus oblectandis occupati: ita quoque non deesse, qui conscientiæ curam gerant, et qui ad spiritales epulas invitari se, ac deduci facile patiuntur. Et quamquam existimo multos eorum in concione adesse, quibus maxime esset concio necessaria: tamen non propterea muneri nostro deerimus, sed imitabimur sapientes medicos, qui cum pe-

stis in urbe grassatur, si eos curare non possunt, qui jam peste correpti sunt, saltem diligentiam adhibent, ut corpora adhuc sana atque integra suis medicamentis a morbo defendant. Quod ut facile præstare possimus, pulcherrimam et elegantissimam quamquam sententiam explicabimus, quæ decimo tertio capite Evangelii S. Lucæ continetur, et sic quidem intelligemus, quæ sit via, quæ ducit ad cælum : deinde quantum ab ea via Christiani homines tempore bacchanaliorum recedant.

Sententia igitur, quam hodie suscepimus explicandam, talis est : *Contendite intrare per angustam portam : quia multi dico vobis quærent intrare, et non poterunt.* Quis est finis, ac veluti scopus, quam sibi in hac sententia Dominus proposuit? Non alia de causa, ut ex verbis superioribus cognosci potest, hanc sententiam Dominus protulit, quam ut ostenderet paucos esse, qui salvantur, multos, qui pereunt. Ac proinde eos, qui bacchanalia celebrant, in numero salvandorum non futuros. Pinguiores enim et crassiores sunt Bacchi cultores, quam ut per angustam portam ingredi valeant. Proposuerat igitur quidam Domino quæstionem : « Si pauci sunt, qui salvantur? » Dominus vero ita sapienter respondit, ut iisdem verbis, et paucos esse diceret, qui salvantur, et simul rationem exponeret, cur essent pauci. *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam. Quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.* Quod est idem ac si apertius dixisset : omnino sunt pauci, qui salvantur, neque ob aliam causam, quam quod angusta et arcta porta vitæ et salutis sit. Hoc Dominus in animis nostris infigere conatur, cum toties repetit : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et rursus clamat : *Lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem : et multi ingrediuntur per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Hoc denique et Isaias illustri, sed horribili similitudine nobis ante oculos ponit. Sic enim loquitur capite vigesimo quarto : *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea; et racemi, cum fuerit finita vindemia : hi levabunt vocem suam, et laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus : hoc est, quam raræ remanent olivæ in arbore postquam excussa fuerit : et quam rare inveniuntur uvæ in vitibus post vindemiam : tam pauci ex toto nu-*

mero hominum salvabuntur. Quis non tremat? Quis non obliviscatur poculorum et chorearum, si rem istam cogitare incipiat. Quod poma in arboribus reperiuntur, posteaquam ab agricolis collecta fuerunt? Fortasse tria vel quatuor, quæ in summitate arboris cum essent, vel oculos vel manus colligentis effugerunt. Et in vineis post vindemiam, quot racemi reperiuntur? Certe tam pauci, ut facilius grana uvarum, quam botri numerari possint. Quare cum tam pauci sint, qui salvi fient, si cum iis conferantur, qui peribunt, merito de electis Isaias ait : *Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus : hoc est cum finito regno Antichristi Christus venerit in nubibus cæli cum potestate magna et majestate, cum impiorum innumerabiles multitudines in gehennam deturbaverit, cum omnes blasphemos, omnes fornicarios, omnes ebriosos, omnes immundos æternis incendiis adjudicaverit : tunc pauci illi, qui relictii fuerint, levabunt vocem suam, atque erumpent in laudes Domini et præ gaudio et lætitia toti gestient. Eant nunc, si placet, homines Christiani et agant bacchanalia sicut Ethnici, comedant et bibant more Epicureorum, ducant choreas, induant personas, discurrant tota nocte per urbem, bacchentur, luxurientur, insaniant, et videant, quid paulo post eis eveniet. Profecto enim si paucissimi sunt, qui salvi fient, in numero salvandorum isti non erunt, sed cum iis potius numerabuntur, qui *Tenant tympanum et cytharam, et, Ducunt, in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Habemus igitur in quem finem ac veluti scopum tendat hæc sententia. Nunc ad eam breviter explicandam veniamus.*

Contendite, inquit, *intrare per angustam portam.* Unus fuerat, qui quæstionem proposuerat; Dominus vero non uni, sed multis ait : *Contendite intrare per angustam portam.* Tametsi enim unus quæstionem proposuerat, tamen multi erant, qui solutionem quæstionis audire cupiebant. Sed quid est porta illa angusta, per quam ingredi jubemur? Certe non aliud, quam ipse Christus. Ipse enim alio loco aperte dixit : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur.* Et rursus : *Ego sum via, veritas et vita.* Ad quem igitur modum intratur per Christum? Duo requiruntur, ut quis per Christum in cælum ingrediatur. Unum ex parte Christi alterum ex parte nostra. Ex parte Christi quod requiritur, est, ut is portam aperiat. Ipse enim habet *Clavem do-*

mus David, et aperiet, et nemo claudet, claudet, et nemo aperiet. Et hoc quidem olim est factum. Tunc enim nobis Christus beatitudinis portam aperiebat, cum hic in terra agens patiebatur, atque usque ad mortem Patri obediens erat. Ut enim prioris Adæ inobedientia et superbia portam regni cœlorum clausit : ita posterioris obedientia atque humilitas eandem portam reseravit. Itaque quod ex parte Christi requiritur, præsto est : patet enim porta, et usque ad consummationem mundi patebit. Verum ex parte nostra hoc requiritur, ut Deo adjuvante portam istam, quæ jam ut diximus, patet, ingrediamur. Ingrediverimus vero, quando ea media ad salutem consequendam accipimus, quæ Christus instituit, nempe virtutes et sacramenta : quæ quoniam difficilia sunt, idcirco porta salutis, porta angusta dicitur : Virtutes homini christiano necessariae, ut fides, spes, charitas, humilitas, castitas, patientia et aliæ, sine quibus salutem consequi nullus potest, nonne difficultatem maximam continent? Sacramenta quoque, ac præsertim confessionis, certe sua, et magna difficultate non carent. Quid enim difficilius, quid magis arduum, quid a natura hominis magis abhorrens, quam ut quis hominem alium adire, atque ei omnia sua flagitia, omnes fœditates, omnes turpitudines, et maxime arcanas et reconditas explicare teneatur? *Angusta est igitur porta*, per quam ad latissimum et maximum regnum ingredi debemus.

Sed fortasse quæret aliquis : Si lex Domini porta est angusta, cur idem Dominus alio loco jugum suum suavè et onus suum leve esse affirmat? Quomodo ista cohærent, *Contendite intrare per angustam portam* : et, *Jugum meum suave est et onus meum leve*? Multis modis nodus iste explicari potest. Beatus Chrysostomus exponens caput septimum Matthæi, legem Domini asserit esse per se quidem gravem ac difficilem : sed tamen simul esse levem ac suavem, si futura præmia et futura supplicia perpendantur : *Non enim sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Si æger propter amorem sanitatis etiam amarissima pharmaca facile sumit : si agricola propter spem messis futuræ æstivos ardores atque hiberna frigora contemnit : si mercator propter aurum tempestates ac procellas, et ipsa naufragia, necnon pericula latronum et piratarum nihil esse du-

cit : si miles propter quamdam inanem gloriæ et honoris umbram levia esse putat onera armorum, famem, sitim, vigiliis, labores, vulnera, pericula, mortem denique ipsam : quomodo homini Christiano non facilia ac levia videbuntur quæcumque Dominus jubet, si is gloriam illam maximam et sempiternam, quam Deus militibus suis promittit, considerare voluerit? Non sine causa Apostolus ad Ephesios scribens, tanta sollicitudine orare se dicit, ut *Deus gloriæ det illis spiritum sapientiæ, et, illuminatos oculos cordis, ut sciant, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiarum gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.* Intelligebat enim tantam esse cœlestis præmii magnitudinem, ut sola ejus consideratio omnia gravia et amara, levia et dulcia possit efficere. « Has cogitationes », inquit D. Cyprianus Exhortatione ad martirium, « quæ persecutio potest vincere? quæ possunt tormenta superare? Durat fortis et stabilis religiosus meditationibus fundata mens, et adversus omnes diaboli terrores et minas mundi animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat. » Jam vero tormenta quoque ac supplicia futura ita diuturna atque atrocia sunt, ut ad ea effugienda omnes labores, quos hic in terris patimur, ne labores quidem nominandi sint.

Sed et alteram solutionem quæstionis ejusdem breviter si placet accipite. Via Domini initio angustissima est, sed paulatim magis dilatatur : hoc est, ea quæ Dominus præcipit initio dura atque amara esse videntur, sed usu tamen paulatim mollescunt, et consuetudine levia suaviaque redduntur. Hinc est illa vox B. Hieronymi : « Virtutes duræ sunt incipienti, molles proficienti, suaves pervenienti. » Et illa D. Augustini : « Semitæ æquitatis dum inchoantur, arctæ videntur et angustæ; dum autem profectum accipiunt, spatiosæ videntur et latæ. » Hinc Salomon in proverbii ait capite quarto : *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum fueris ingressus non arctabuntur gressus tui* : hoc est, antequam ingrediaris, absterreberis fortasse, sed cum fueris ingressus, alacriter cures. Homerus princeps poetarum græcorum, vir ethnicus, sed sapiens, scribit Ulysses, cum per ea loca transire deberet, ubi Circe fœmina maga homines in belluas suis præstigiis herba quadam communivisse, cujus nomen est *moly*, quæque radices teterimas, sed flores candidissimos, et lacti

quam simillimos habet : nimirum ut ostenderet, viros sapientes, quos in Ulysse describat, ne victi cupiditatibus ac libidinibus variis quasi belluæ quædam efficiantur, virtutis præsidium sibi comparare solere. Virtutem vero esse persimilem herbæ illi, quæ radices atras et flores candidos habet, cum aspera ac difficilia sint virtutis initia; fructus vero optimi ac suavissimi, per se patet. Nam et philosophus, licet ethnicus, id aperte vidit et docuit, homini studioso esse voluptatem, studiose vivere. Et noster sapiens aliis verbis rem eandem ita expressit, *Gaudium est justo facere iudicium.*

Sed rursus quæstio nostra alio etiam modo potest solvi : Si cum Theophylacto dicamus, a Christo portam angustam et viam arctam esse appellatam, non tam quod talis sit, quam quod talis proceris, ac pinguibus, atque onustis Bacchi amatoribus et cultoribus videatur. Vere enim si essent homines parvi atque humiles, si multa inutilia onera deponerent, si omnia vestimenta penitus exuerent, angustiam fortasse in via, et porta Domini non invenirent. Nunc vero nihil aliud cogitant, quam quomodo perpetuo crescant, corpore pinguescant, animo intumescant, extendantur, dilatentur, inflentur, neque unquam cessant onerare se oneribus gravibus curarum ac sollicitudinum terrenarum. Et quid mirum, si hominibus ejusmodi porta regni cœlestis arcta atque angusta esse videatur. Non talis certe videbatur Apostolis Domini, non talis iis postea visa est, qui Apostolicam perfectionem imitati renuntiaverunt omnibus, quæ possidebant, et nudi nudum Christum sequi voluerunt. Nec enim verbis explicari potest, quam lata atque ampla porta Domini illis omnibus efficiatur, qui semel mundum cum suis pompis conculcare, spem sæculi omnem contemnere, cœlo cor suum affigere, magno ardore animi soli Christo adhærere, et non solum terrenis opibus se spoliare, sed et desiderium et cogitationem a se penitus abscindere ac remove potuerunt.

Postremo illud quoque ad nostræ quæstionis explicationem addendum videtur, legem ac præcepta Domini portam esse illis angustam, si per se ac soli considerentur : at vero si eis Dei gratiam atque auxilium adjungatur non portam angustam, sed jugum suave atque onus leve appellari debet. Hoc enim interest inter legem et Evangelium, quod lex præcipiebat, ut sancti essemus ; non

autem dabat gratiam, per quam homines sanctificarentur. Præcipiebat, ut cum Dæmone certamen iniremus ; sed arma ad certamen necessaria non subministrabat. Præcipiebat, ut ex carnalibus spirituales efficeremur ; sed Spiritum sanctum, quo spirituales esse possemus, non donabat. Præcipiebat, ut in cœlum proficisceremur, sed scalas et gradus, quibus in cœlum ascenditur, nobis non dabat. Itaque lex erat jugum, sed non suave : erat onus, sed non leve. At vero Evangelium illa eadem præcipit ; sed simul adjumentum præbet, ut ea non solum fieri, sed etiam facile fieri possint. Quare Evangelium est jugum, sed suave : et onus, sed leve : et simul via est angusta et lata ; aspera et jucunda. Audite prophetam : *Propter verba, inquit, labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* Ecce jugum et onus : viam angustam et arctam. Audite rursus eundem : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Ecce adjumentum gratiæ. Et item : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum :* tunc enim via dilatatur, et cursu transmitti facillime potest, cum etiam cor igne charitatis dilatatur. Cur, quæso. sancti omnes opera maxima, atque admirabilia facile perpetrabant, nos vero parva atque exigua non sine labore perficimus? Certe non alia causa est, nisi quia illi fervebant, nos frigemus. Non dubito, quin sint aliqui studiosi adolescentes, qui sobrie et caste vivant : sed qui de choreis, de larvis, de conviviis semper cogitant, fortasse non credunt ; verum decipiuntur. Multi enim etiam hodie adolescentes reperiuntur, quibus non ita, ut illi putant, castitas laboriosa, et quibus non solum non molesta, sed etiam est jucunda sobrietas. Ejusmodi vero illi omnes sunt, qui sciunt, cujus sunt hæc dona : qui Dei opem implorare, et ejus gratiam atque amorem quærere, et invenire didicerunt : qui intelligunt, quanta sit in Sacramentis efficaciam, in scripturis adjumentum, in oratione solatium. Postremo, qui adhuc de angustiis viæ Domini conqueruntur, nondum mihi, quid Evangelium significet cognovisse videntur. Quid enim Evangelium, quid gratia, quid lex amoris, quid Spiritus sanctus, quid Christus, quid Jesus, quid Liberator sonant, nisi libertatem, nisi charitatem, nisi suavitatem, nisi facilitatem.

PARS POSTERIOR

Quæ sit porta, de qua Dominus loquitur, et cur angusta appellata sit, hactenus exposuimus, nunc verba illa exponenda sunt : *Quia multi, dico vobis, quærent introire, et non poterunt.* Tria sunt hominum genera, quæ quærunt intrare, et tamen non poterunt. Est etiam quondam genus eorum, qui ne quærunt quidem intrare. Initio igitur quidam sunt, qui quærunt in regnum cælorum intrare, sed idcirco non intrant, quia non per angustam portam, sed per latam quærunt intrare. Hoc genere continentur Mahometani, Hæretici, Judæi, infideles denique omnes. Mahometani quærunt intrare, cupiunt salvi fieri; sed ideo non intrant, ideo non fiunt salvi, quod non per angustam portam Christi, sed per latam portam Mahometis ingrediantur. Mahomet enim cum videret angustias religionis christianæ, aliam quamdam portam aperuit latam atque amplam, sed quæ recta ducit ad gehennam. Videte quam lata sit porta Mahometis : nihil docuit credendum, quod superet cujusquam intelligentiam, non trinitatem, non incarnationem non mortem, non resurrectionem filii Dei. Nihil etiam docuit sperandum, quod oculus non viderit et aures non audierint : sed flumina lactis, et mellis et vini, ventris saturitatem, libidinum expletionem, servorum multitudinem, denique continuas ferias et perpetua bacchanalia, hanc esse docuit beatorum felicitatem. Nam quod permittat uxorum multitudinem, et habenas laxet libidinibus, et alia multa, quæ portam illam latissimam faciunt, facile patior sileri. Pari ratione omnes Hæretici non ferentes angustias hujus portæ unusquisque sibi propriam portam aperit : venit Lutherus, et aperit unam portam usque adeo latam, ut etiamsi curru vel lectica vehi velles, vel si utrumque parentem in humeris gestares ; tamen adhuc satis commode eam ingredi posses. Nulla continet præcepta, nulla leges, nulla exigit opera : Jejunia vero et castitatem, dolorem et satisfactionem pro peccatis, atque alia id genus, tamquam noxia execratur. Denique ita lata est hæc porta, ut etiam homines ebrii (qui alioqui diu laborant, ut ædium suarum fores inveniant) per hanc sine errore et offensione ingrediantur. Veniunt denique Zwinglius et Calvinus, et aliam quamdam portam adhuc latiore aperiunt; nam angu-

stias quasdam de fide augustissimi Sacramenti, quas Lutherus reliquerat, isti boni architecti penitus sustulerunt, quamquam hæc porta bis antea aperta a Berengario semel, semel a Wicleffo, et bis ab Ecclesia cum ingenti labore obstructa, nunc tertio ad perniciem innumerabilium animarum non tam ædificata, quam restaurata atque aperta a Zwinglianis et Calvinistis est. Per has igitur portas, quæ latissimæ sunt, infinita hominum multitudo ingreditur, quos omnes illis verbis Dominus revocat : *Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt :* quia non per angustam portam, quæ sola ducit ad vitam, ingrediuntur. Non vos decipiat amplitudo portæ Lutheranorum et Calvinistarum. Quid enim prodest commode, et non per angustias intrare, si intretis in gehennam? Imo potius, si sapitis, suspecta sit vobis ista latitudo portæ, ista facilitas fidei. Nam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad fidem : et fides vere Christiana est illa, quæ propter sublimitatem et excellentiam suorum, mysteriorum illud exigit, ut intelligentia a voluntate captivetur.

Porro alterum genus est eorum, qui per angustam quidem portam intrare cupiunt, sed serius veniunt, atque idcirco quærent intrare, et non poterunt. Porta illa, quæ Sancta appellatur, quam Romæ anno jubilæi pontifex summus aperire solet, tam diu est aperta, quam diu tempus jubilæi durat. Tempore illo evoluta subito clauditur, ac deinceps etiam si rex quispiam adveniret atque ingredi cuperet, ea porta aperiri non posset. Ad eundem modum porta cæli, quam ipse Christus pontifex summus ac sempiternus sua morte et passione reseravit, nunc quidem patet; sed non nisi jubilæo durante patebit. Dominus enim cum portam aperuit simul jubilæi annum instituit; cujus quidem jubilæi spatia tametsi vere ad mundi consummationem extendantur, tamen si homines singulos consideremus, uniuscujusque annus jubilæi tam diu durat, quam diu vita ipsius durat : vita deficiente annus jubilæi finitur, et porta salutis æternis seris et repagulis clauditur. Quia vero multi sunt, qui dum vivunt curis et sollicitudinibus mundi hujus occupati hærent in itinere, præsertim cum se diu adhuc supervicturos, et annum jubilæi longissimum futurum arbitrantur, idcirco Dominus eorum prævidens periculum ita sollicite eos admonet : *Contendite*

intrare per angustam portam; hoc est, nolite hærere in via, sed properate, currite, donec annus jubilæi durat, donec tempus habetis pœnitentiæ, donec porta salutis patet. *Multi enim quærent intrare*, sed quia serius veniunt, intrare non poterunt : et frustra pulsabunt portam, frustra dicent : *Domine, Domine, aperi nobis*, frustra optabunt unum diem ad pœnitentiam. Hæc vero, auditores, propter quos, quæso, dicuntur? Certe non propter eos, qui jam obierunt, et stant foris, et pulsant dicentes, *Domine, aperi nobis* : illis enim ista non prosunt, sed propter nos et nobis dicuntur, et nobis non universis sed singulis, non dicuntur homini cuidam communi, non dicitur Ideæ Platonis, sed mihi et tibi et isti et illi. Et quid, quæso, dicitur; nempe hoc, (aperiamus, quæso, aures cordis) hoc, inquam, dicitur vobis : nunc patet janua cœli, nunc vestri jubilæi annus agitur, nunc vobis regnum cœlorum offertur, nunc invitamini, ut intretis : nolite omittere opportunitatem istam. Multo enim citius, quam putatis, non cogitantibus vobis porta claudetur, sicut infinitis aliis de improviso clausa est, et in æternum miserimi atque infelicissimi eritis et horam unam hujus pretiosi temporis, quod modo nihili facitis, toto animo cupietis, et non dabitur vobis.

Sed jam ad tertium hominum genus veniamus. Sunt igitur alii quidam, qui per angustam portam et satis mature ingredi cupiunt; sed tamen victi angustiis portæ, tandem non ingrediuntur. His Dominus ait : *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare*, hoc est, tentabunt, an possint intrare, periculum facient, an per illas angustias ingredi valeant; sed quia non contendunt totis viribus, ideo tandem non intrabunt : hoc genere innumerabilis multitudo hominum continetur. Quis enim enumeraret eos, qui quotiescumque ad confessionem accedunt statuunt apud se jam deinceps ingredi velle angustam portam, fugere ebrietatem, fornicationem, contentiones, æmulationes, rixas, iras, tripudia, et alia, a quibus nos abstinere Apostolus præcepit. Itaque isti quærent intrare, incipiunt intrare, sed statim atque nonnihil comprimuntur, retrocedunt. Si unum verbum audiant, quod eis non placeat, mox abjiciunt patientiam, et ira succensi de ultione cogitare incipiunt : sic etiam propositum sobrietatis et castitatis tamdiu servant, quamdiu peccandi occasio non se offert : quin etiam

alioqui sæpe renovant desideria, sæpe concipiunt spiritum et numquam pariunt. Hos igitur admonet Dominus : *Contend te*, inquit, *intrare per angustam portam*, non pascitur Dominus sterilibus desideriis, non sufficit velle intrare, sed contendere necesse est. *Multi enim, dico vobis, quærent intrare*, multi volent, multi cupient, multi tentabunt, sed quia non contendunt, neque vim faciunt, idcirco non intrabunt. *Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. Cum in aliqua domo spectacula aliqua exhibentur, vel comœdia aut tragœdia aliqua agitur, numquam vidistis quam vehementer se comprimant in ingressa ejus domus? Omnes cupiunt esse primi, et tanto ardore spectandi aliquid novi ducuntur, ut non magni faciant illas angustias, neque laborem illum introeundi considerent, modo spectaculis aut comœdiæ interesse valeant. Jam igitur in regno cœlorum ejusmodi spectacula exhibentur, ut solo eorum aspectu spectantes felices efficiantur : neque sperandum est, ut præcedant nos famuli, qui viam aperiant; sed unusquisque per se, sive dives, sive pauper, sive nobilis sit, sive ignobilis, unusquisque per se viam sibi facere, et trudi ac trudere debet, si pulcherrimis et felicissimis illis spectaculis interesse volumus. Quæ cum ita sint, quis nostrum erit, qui laborem ingrediendi per angustam portam ferre non velit? Quis non facile comprimi se, et affligi ad tempus patiatur? Non dubito, quin multi ingredi vellent; sed non possunt, et ideo non possunt, quia non sciunt : nec enim sine arte per angustas et humiles portas ingrediendum est. Si porta esset humilis, et tu rectus incederes, et caput non inclinares, nonne frontem læderes, et tamen non intrares? Sic etiam si porta est angusta, nisi te ad modum crucis conformare scias, et quasi transversis lateribus ingrediaris, frustra ingredi cupies : hoc est igitur quod Dominus ait : *Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt*, quia nimirum se ad formam crucis componere minime sciunt, et modum ingrediendi per angustias ignorant. Itaque debes te ad modum crucis conformare, hoc est, statuere apud te, omnes tribulationes, atque ærumnas forti, atque infracto animo tolerandas esse, et ad hunc modum facillime ingredieris. Sic Dominus, auditores, intravit, sic enim *Oportuit Christum pati*, nempe crucifigi, *et ita intrare in gloriam suam*; sic

Apostolus Petrus, sic Apostolus Andreas, sic omnes electi in regnum cœlorum ingressi sunt. Omnes enim crucis figuram imitati per multas tribulationes summo cum labore, angustias portæ hujus intraverunt.

Venio nunc ad ultimum et infelicissimum hominum genus, nempe ad eos, qui non solum non contendunt intrare, sed ne cogitant quidem, an velint intrare. Et si multi quærent, et non poterunt, quid de istis fiet, qui ne quærent quidem? Et quam multos esse arbitramini in hoc numero? Certe hoc tempore perrari omnino sunt, qui ad hoc genus hominum non pertineant. Quis hoc tempore Dei timorem et suæ salutis studium non obliviscitur? Cui non apte verba illa conveniunt: *Tenent tympanum et cytharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, et in puncto descendunt ad inferna, qui dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, hoc est, per viam arctam, quam doces, ambulare non volumus: sed viam latam ingrediemur, bacchanalia celebrabimus, tripudiis, sonis et cantibus incumbemus. Quis hoc tempore, si non verbis, certe factis hoc non dicit? Nonne hisce diebus orbis Christianus ferme totus insanit, ut non immerito Mahometanis et Agarenis ludibrio simus. Ecce, inquit, qualis est natio Christianorum, nunc usque ad fauces ventrem et stomachum implent, nunc inedia semetipsos excruciant; hodie tanquam insani choreas ducunt, larvas induunt, bacchantur per urbes, post duos dies cinere caput aspergent, templaque atque aras religiosissime frequentabunt: neque Christianos solum, sed ipsum etiam Christum irrident. Et qualem, inquit, Christiani Deum habent, quam egregium legislatorem, qui hæc vel præcipit vel permittit. Non sine causa, auditores, hodie potissimum et Ecclesia mater nostra illa nobis evangelii verba proponit: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum et conspuendum*. Vere enim nunc Christus traditur gentibus ad illudendum et conspuendum. Sed numquid Judæi olim impune Christum ad illudendum et conspuendum gentibus tradiderunt? Non sane siquidem post annos quadraginta Christus Judæos gentibus tradidit non solum illudendos et conspuendos, sed etiam interficiendos atque delendos. Et quis non videt nobis idem ob causam eandem non solum aliquando eventurum, sed in præsentia evenire? Nonne

Deus assiduis comminationibus nos terret? Audimus Italiam ita adhuc horrendis tremoribus concuti, ut alicubi homines desertis civitatibus in tentoris habitent, neque gelu aut nivibus in urbes compelli possint. Audimus Germaniam superiorem tanta penuria ac difficultate annonæ laborare, ut calceos, furfures, spongias pauperiores comedant. Quis vero inde multa atrocitas et pestem gravissimam secuturam non formidat? In his nostris regionibus quot pagos superioribus temporibus mare absorpsit? Gallia et Hispania, quam atrocibus bellis proximis annis afflictatæ sunt? Hæresis vero, quæ est plaga omnium gravissima, quandonam vehementer, quam hoc tempore fuit? Quid de immanitate Turcarum regis dicemus? nonne singulis annis aliquas Christianas provincias suo imperio adjungit et reliquis tamquam sæva tempestas perpetuo imminet? Itaque Deus hoc tempore omnibus pagis, atque flagellis simul expugnationem cordium nostrorum aggreditur. Clamat enim his vocibus et utinam non ad cor Pharaonis, utinam non surdis auribus clamet. Et quid clamat? Sit finis flagitiorum, sit finis libidinum, sit finis insanæ, sit finis bacchanaliorum: alioqui enim, si sic pergitis, me gentibus illudendum tradere, pergam et ego vos gentibus perdendos et diripiendos tradere. Mavult enim sine dubio Turcas regnare, quam perditos Christianos. Illi enim contemnunt Deum, quem non noverunt, et cujus sacramenta non susceperunt; nos vero Deum, quem novimus et cujus Sacramenta suscepimus, conculcamus: propter nos blasphematur Dei nomen inter gentes: nec solum propter nos blasphematur, sed nos ipsi illud blasphemamus, nos gentibus peiores sumus. Refert enim D. Augustinus libro decimo octavo de civitate Dei capite decimo tertio, Senatam Romanorum ita bacchanalium turpitudinem exhorruisse, ut ea in urbe Roma celebrari omnino prohibuerit. Itaque surgent Romani in iudicio, et condemnabunt generationem istam, quod illi bacchanaliorum ne nomen quidem ferre potuerunt: et homines Christiani non solum nomen, sed et rem ipsam diligenter conservarunt.

At, inquis, nimis est durum, tali hoc tempore vitam severam arripere: nunc omnia ad lætitiâ et voluptatibus invitant. Imo vero plane contrarium ego video. Nonne jam inde a septuagesima ecclesia mater nostra omisit

hymnos et cantica jucunditatis, assumpsit indumenta tristitiæ, totum hoc tempus pœnitentiæ et peccatorum recordationi consecrauit? nonne ad funus sponsi ac liberatoris sui celebrandum præparatur? Nonne passionem Domini hodie in evangelio audivimus? Cujus rei sunt hæc signa? Lætitiae, an tristitiæ? Quid? quod his moribus, et hoc genere vivendi facimus mendaces omnes Sacerdotes? Illi clamant in templis et præsertim hora tremendi sacrificii populum Christianum hoc tempore ob memoriam peccatorum esse in luctu, et lacrymis et squalore; et interim vero major pars Christianorum tota est in conviviis, in potationibus, in tripudiis.

At juvenes sumus: dandum est aliquid ætati: et laborum continuatio non solum homines carneos, sed etiam ferreos frangeret. Imo vero, auditores, quia juvenes sumus ideo continendi et coercendi sumus. Est enim ætas nostra quasi equus indomitus, non eget calcaribus ad malum, sponte sua in vitia præcipitatur. Cur novis fomentis incendium nostrum augemus? Deinde cur non possunt adolescentes aliis honestis oblectationibus recreari? Num desunt vobis infinita genera ludorum, quæ sine peccato exerceri possunt? Quid necesse est viros cum fœminis tripudiare? hoc enim est stipulam igni admovere. Quid necesse est cum gladiis tota nocte per urbem discurrere, et in gravi periculo, vel pereundi vel perimendi semper versari? Quid necesse est cantica lasciva ebrietate condire? Numquid potus sobrius et honesta symphonia sensus nostros non oblectaret? Denique an adolescentes non sæpius ipsos senes moriendo præveniunt et sane dico vobis, nulla ætate homines facilius in gehennam descendunt.

At major pars hominum hoc agit. Verum est id quidem: sed ideo major pars hominum æternis suppliciis addicetur. Ideo Dominus ait, paucos esse, qui salvantur: multos vero qui pereunt. Ideo Isaias clamat: *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum sine ullo termino.* Quare si

quis est, qui vere Deum et animam suam diligat; si quis est, qui tamquam bonus miles a parte Dei contra Diabolum stare velit; si quis est, quem zelus aliquis tangat honoris Domini sui; si quis est, qui dolorem aliquem capiat, ex tot et tam multiplicibus offensionibus, atque injuriis Dei, hoc tempore se ostendat: non est difficile tempore pacis militiam profiteri: non est multum in quadragesima et in hebdomada sancta larvam non induere; ebrium non fieri, choreas non ducere; sed nunc, nunc est tempus, ut se veri Dei cultores et milites prodant, nunc totus fere orbis adversus Deum quasi conspirat. Si rex noster ab aliquo peteret, ut in ejus gratiam duobus sequentibus diebus jejunaret, aut domi se contineret, non dubito quin impetraret. Nunc vero Deus ipse, qui te condidit, qui te redemit, qui tibi regnum cœlorum impetravit, cui non solum tua, sed etiam te ipsum debes, exiguum unum a te petit: non postulat, ut jejunes, non ut domo non egrediaris; sed hoc unum dumtaxat, ut Filium suum et Dominum tuum non exponas gentibus ad illudendum et conspuendum, ut his tribus diebus in officio te contineas: quis igitur ex vobis adeo ingratus ac durus, adeo immemor beneficiorum erit, ut rem tam exiguam pro Deo non faciat? Ego ipse, qui nihil sum, si ab aliquo vestrum beneficii loco peterem ut hac nocte ab ebrietate se abstineret, me profecto impetraturum sperarem: quanto igitur magis par est, ut id a vobis omnibus impetret Christus, qui semetipsum tradidit pro nobis, et in patibulo suspendi voluit, ne nos spenderemur in gehenna? præsertim cum multo major sit voluptas futura, quam paulo post ex bona conscientia capiemus, quam sit ea molestia, quam modo libidines compescendo perferemus. Ita igitur dilectissimi, ita, quæso, contendamus intrare per augustam portam, ita sobrie et modeste nos geramus, ita *Luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est*, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXII.

DE DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ

THEMA

Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *II Cor. vi, v. 1.*

SYNOPSIS

Sacram Scripturam duplici sensu interpretari, Ecclesiæ familiare est; hinc et thematishujus sensus tam secundum Apostolum, quam secundum Ecclesiam explicatur. Omnium temporum commoditates quadragesimam secum adferre probatur; sex tamen præcipue adducuntur illius utilitates. Prima commoditas quadragesimæ est copię verbi Dei et concionum frequentię; ubi duo reprehenduntur abusus audiendi conciones, unus eorum, qui non dignantur illas adire et audire: alter eorum, qui non sine debito audiunt: et quomodo cum fructu audiendæ sint conciones pulchra traditur doctrina. Secunda quadragesimæ commoditas est orationis. Tertia jejunii, ubi triplex taxatur hominum genus, primum eorum qui omnino non jejunant, secundum, eorum, qui male jejunant; tertium eorum qui, coacti et inviti, vel metu inducti jejunant. Quarta commoditas quadragesimæ est elemosynæ. Quinta pœnitentiæ. Sexta communionis; et quomodo isthæc singula fieri debeant docetur.

Consuevit Ecclesia duobus modis uti verbis divinæ Scripturæ: interdum enim adducit in eum sensum, quem verba præseferunt, qui litteralis dicitur: interdum vero in aliquem sensum spiritalem. Cum celebratur dedicatio templi, Ecclesia illud Evangelium

proponit, ubi legimus, *Hodie salus huic domui facta est.* Quæ quidem verba secundum litteralem sensum de domo Zacchæi intelligi debent. Ecclesia vero eadem illa verba secundum spiritalem sensum, de templo illo intelligi vult, cujus agitur dedicatio. Quibus etiam duobus modis Apostolos ipsos scripturi instrumenti veteris usos fuisse scimus. Ita igitur hodie verba ista Apostolica; *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, quæ ab apostolo Paulo dicta fuerant de gratia novi Testamenti, applicat Ecclesia ad gratiam quadragesimæ. Itaque sensus apostoli, et litteralis talis est: Venite jam tempus illud acceptabile, quod omnes Prophetæ prædixerant, et omnes justî hactenus desideraverant: Deus enim misit Filium suum, ut per eum sibi mundum reconciliaret. Deinde misit nos Apostolos et legatos suos et posuit in nobis verbum reconciliationis: *Hortamur igitur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Venite reconciliamini Deo, dum est tempus acceptabile, et dum adhuc durant dies salutis. Sensus vero spiritualis, quo Ecclesia hodie utitur, iste est: Venit nunc tempus quadragesimæ, tempus optimum saluberrimum, pretiosissimum, in quo licet a morte peccati ad vitam gratiæ et charitatis resurgere. Quare *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam istam recipiatis*, ne tempus tam pretiosum sine fructu præterire patiamini: est enim hoc tempus, *Tempus acceptabile et dies salutis.* Omnia tempus habent, inquit Ecclesiastes, et suis spatiis trans-eunt universa sub cælo. *Tempus nascendi, et*

tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi et tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis.

Sed hoc tempus quadragesimæ, auditores, omnia illa tempora simul complectitur. Est enim modo *Tempus nascendi et tempus moriendi*; nascendi Deo, et moriendi peccatis. *Tempus plantandi, et tempus evellendi*: plantandi virtutes, et evellendi vitia. *Tempus occidendi, et tempus sanandi*: mortificandi membra nostra, quæ sunt super terram, et sanandi novum hominem, qui renovatur de die in diem. *Tempus destruendi, et tempus ædificandi*: destruendi turre superbiæ et Babylonis, ædificandi muros sanctæ et gloriosæ Jerusalem. *Tempus flendi, et tempus ridendi*; flendi ob amissam gratiam et debita contracta, ridendi ob spem remissionis. *Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi*: tempus ut concionatores spargant verba Dei, quæ sunt lapides illi vivi, quibus occiditur Goliath; et tempus ut populi colligant eadem verba, non ut res inanes et inutiles, sed ut gemmas et lapides pretiosissimos. *Tempus amplexandi et longe fieri ab amplexibus*: amplexandi Christum sponsum animæ, et longe fieri ab amplexibus impurissimarum fœminarum. *Tempus acquirendi, et tempus perdendi*: perdendi bona temporalia eleemosynas largiendo, et acquirendi sempiterna usuram a Deo recipiendo. Nam *Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi*: custodiendi bona desideria, quæ Deus hoc sancto tempore inspirat, abjiciendi paulisper curas et sollicitudines hujus sæculi. *Tempus scindendi, et tempus consuendi*: scindendi habitum peccati; et consuendi vestem innocentiae: vel scindendi chirographum Diaboli, et reficiendi legem Dei nostri, quam peccando laceravimus. *Tempus tacendi, et tempus loquendi*: tacendi verba scurrilia, inutilia, otiosa, lasciva, blasphema, detractiones quoque et murmurationes, et loquendi mille linguis laudes Dei, et gratiarum actiones,

quod nos tam diu ad pœnitentiam expectaverit. *Tempus dilectionis, et tempus odii*: dilectionis animæ in vitam æternam, odii ejusdem animæ in hoc mundo. Nam *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Tempus belli, et tempus pacis*: belli cum Dæmone, mundo et carne, pacis cum Deo, proximo et nobiscum. Cum igitur tantæ sint utilitates hujus temporis, merito Ecclesia nos hortatur, ne gratiam hujus temporis a Deo nobis collatam in vanum recipiamus.

Sed quamquam tam multæ sunt utilitates Quadragesimæ, tamen præcipue sunt sex, juxta numerum dominicarum: Copia verbi Dei, orationis, jejuniorum, eleemosynarum, pœnitentiæ et communionis. Siquidem ista sex tempore quadragesimæ maxime exercentur ab iis qui gratiam temporis hujus non in vacuum recipiunt. Singula breviter explicemus.

Primum habemus tempore quadragesimæ maximam copiam verbi Dei, maximam copiam concionatorum, maximam copiam spiritualium medicorum. Reliquo tempore anni vix diebus festis in uno aut altero templo habentur conciones, nunc tempore quadragesimæ singulis diebus, et multis in locis habentur. Quid igitur dicit Ecclesia? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Videte ne frustra dederit vobis Deus tot concionatores. Qui sunt, qui in vacuum gratiam Dei istam recipiunt? Hi sunt, qui vel conciones non audiunt, vel non bene audiunt. Primum aliqui non dignantur audire, et sane magnam injuriam faciunt verbo Dei, et periculum est, ne super eos veniat illa fames, quam Dominus per Amos Prophetam comminatur: *Non fames panis, sed fames audiendi verbum Domini.* Quid? Toto anno concionatores frangunt sibi caput, ut cogitent quid tibi velint dicere; deinde spatio unius horæ ea proferrunt, quæ ipsi magno labore et longe tempore collegerunt, et tu adhuc eos non audies? At, inquirunt, scimus quid concionator dicturus est: nimirum, ut faciamus bonum et declinemus a malo. Ponamus ita esse, videlicet nihil novi te a concionatore auditurum. An propterea conciones frequentare non debes? Concio sequidem non solum habetur, ut doceantur auditores, quod fortasse nesciunt; sed etiam ut moveantur ad bonum faciendum, quod sciunt, et non faciunt. Aliud enim est legere in cubiculo suo verba mortua, aliud in concione audire Spiritum

sanctum per vivum organum suum magna virtute, et efficacia vel vitia arguentem, vel opera virtutum persuadentem. Apostolus Petrus una atque brevissima concione, tria millia hominum convertit. Quod si eadem illa verba, quæ apostolus dixit, in libris tantum scripta legissent, fortasse ne unus quidem conversus fuisset. Quoniam igitur in cubiculo tuo sæpe legisti, quid facere debeas, et tamen medicamentum istud non profuit, aliud medicamentum experiri nimirum vivam vocem audire debes. Alii sunt, qui audiunt quidem conciones, sed ideo in vacuum gratiam istam recipiunt, quod non desiderio proficiendi, sed curiositate ducantur. Magnus est hodie abusus hominum Christianorum in concionibus audiendis. Ita enim plerique ad concionem veniunt, quasi ad comœdiam aliquam venirent, ut notent, ut judicent, ut delectentur. Et sane si in egressu a concione staret in porta templi aliquis, qui singulos interrogaret, quid tu ex concione refers? Unus diceret, non habet verba Tulliana: alter diceret, non habet bonam vocem: tertius diceret, est nimis prolixus. Ista referre sciunt, de emendatione autem morum, *sicut erat in principio*. Itaque similes sunt cribro, quod frumenta dejecit et paleas retinet: et ideo semper sunt iidem, numquam ex concionibus proficiunt.

Hortamur igitur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quod ut præstare possitis, ista sunt observanda: primum, cum templum ingrederis orare debes ex animo Deum, ut concionatori donet memoriam promptam, linguam solutam et planam, et imprimis fervorem et efficaciam: loquatur ad cor, doceat utilia, non ad pompam concionetur: tibi vero donet cor docile, mentem illuminatam, animum obedientem. Deinde audire debes attente, et non respicere huc atque illuc, neque fabulari cum sodalibus, sicut aliqui faciunt, qui nec ipsi audiunt quid dicatur, et eos qui audire cupiunt impediunt. Audire etiam debes cum fide, et animo exequendi, quod utile animæ tuæ esse didiceris, sicut ægroti medicum audiunt. Si aliquis in hanc urbem veniret, qui diceret se remedia habere optima et præsentissima, non solum contra morbos et ægrotudines varias, sed etiam contra paupertatem, et contra insidias inimicorum, quam libenter, quæso, quanta intensione, quanto silentio audiretur? Ista omnia remedia pollicetur et præstat verbum Dei. Docet enim quomodo possis curari a

morbis vitiorum, quomodo possis fieri dives gratiæ et virtutum, quomodo possis omnes hostes tuos, mundum, carnem, dæmonem superare. Postremo concione absoluta, non debes egredi more ingratorum et rusticorum hominum insalutato Domino hujus domus, sed genua flectere, et agere gratias Deo, quod tibi per concionatorem loqui voluerit, atque orare ut bonum semen, quod semina-verit in corde tuo, fovere, rigare, conservare, ad frugem denique et maturitatem perducere dignetur.

Alterta utilitas hujus temporis, est commoditas orandi. Concionator enim tametsi medicus est animarum, tamen dicit tibi morbum tuum esse gravem et periculosum, et ideo se solum non sufficere, sed necesse est tibi adhuc alium medicum sapientio-rem adire. Itaque mittit te ad orationem, ut medico illi cœlesti ac divino, qui omnes morbos curare novit, plagas omnes animæ tuæ demonstres. Ecclesia vero hoc tempore quadragesimæ offert filiis suis magnam occasionem et commoditatem orandi. Auget enim preces multas in divinis officiis, et subtrahit corpori mediam partem cibi, ut cibus animæ, qui est oratio, hoc tempore duplicetur. Sed quia multi ista beneficia non advertunt, nec intelligunt, sibi cibum corporis subtrahi, ut possint mane maturius surgere, et habeant plus temporis, ad orandum, et liberi a vaporibus et fumis, qui ex nimio cibo oriuntur, et cerebrum opplere et obscurare solent, ferventius, frequentius, attentius, purius, diutius in oratione versentur, ideo Ecclesia hodie clamat: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Constituit, Deus hoc tempore audire te quam diu volueris, habes magnam opportunitatem accedenti, et orandi, vide ne tantam commoditatem sine fructu præterire sinas.

Porro tertia utilitas quadragesimæ jejuni-um est. Non dubito nonnullis non videri gratiam, nec beneficium, sed pœnam potius et molestiam, et libenter, si possent, care-ent isto beneficio. Sed tamen decipiuntur, et Ecclesia optimo jure jejuni-um gratiam appellat, cum ait: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quando enim nihil esset aliud, numquid non magnum be-neficium est, quod toto hoc tempore media ex parte liberi sumus ab eo tributo, quod ventri debemus? Sanctus quidam pater no-

mine Serapion Sidonius, ut Palladius refert, dicebat se in trium fœneratorum manus incidisse, in desiderium pecuniarum, desiderium voluptatum et voracitatem ventris: et quidem duobus primis ita se tandem satisfecisse, ut sibi deinceps nunquam amplius molesti fuerint; tertio vero nunquam satisfacere potuisse. Si enim, inquit, tres dies aut quatuor præteream, in quibus debitum tributum ventri non solvam, statim irascetur, frenit, mortem comminatur. In horum fœneratorum manus nos omnes incidimus, auditores; sed quadragesima hoc boni nobis præstat, quod media ex parte ab isto fœnore reddendo nos absolvit. Deinde morbus noster ex repletionem nascitur et idcirco verbum Dei medicus animorum ordinat nobis in ediam quadraginta dierum. Sed quid dicit Ecclesia? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipitatis. Videte ne frustra venerit tempus quadragesimæ.*

Qui sunt, qui in vacuum gratiam Dei recipiunt? Tria genera hominum. Primum quidam sunt, qui nullo modo jejulant, et isti non solum in vacuum, sed etiam in perniciem et damnationem animarum suarum tempus quadragesimæ suscipiunt. Nam, ut ait magnus Basilius oratione secunda de jejunio: « Angeli hoc tempore per omnes Ecclesias jejulantes describunt: et minus periculosum est militi abjecto scuto ad aciem inimicorum fugere, quam homini christiano extra catalogum jejulantium inveniri ». Et B. Ambrosius, ut alios interim præteream: « Non leve, inquit, peccatum est fidelibus indictam quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est: qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Ille, qui peccatum non habebat, quadragesimam jejulavit: tu non vis quadragesimam jejulare, qui peccas? » Hæc Ambrosius. Et sane cum nihil sit in observationis Catholice Ecclesiæ antiquius, celebrius, communius, venerabilius, solemnius jejunio quadragesimæ, et certum si hoc jejunium, ut Epiphanius, Hieronymus, Theophilus, Leo et alii Patres testantur ab ipsis apostolis institutum et ordinatum fuisse: sic ut maxima et intolerabilis est hæreticorum audacia, qui hoc jejunium, hanc apostolicam traditionem, hanc Dei hominis, ut beatus Ignatius ait, imitationem penitus substulerunt; ita maxima et intolerabilis est quorundam Catholicorum intemperantia, qui

toto hoc tempore, tota jejulante Ecclesia, ipsi soli jejulare non possunt vel non volunt.

Alii sunt qui jejulant quidem, vel certe putant se jejulare, sed male jejulant. Et ideo ipsi quoque in vacuum gratiam istam jejulorum recipiunt. Qui sunt isti? Illi sunt, qui usque adeo timent, ne forte detur vacuum in stomacho, ut in prandio sumant duplo amplius, quam antea solerent, et ex jejunio crapulæ occasionem sumunt, et magis inepti sunt ex uno prandio ad legendum, orandum, meditandum, quam antea fierent ex duobus. Deinde vesperi non quidem cœnant, ut ipsi dicunt, sed tamen aliquid sumunt. Est autem illud aliquid tantum quantum sufficit, ut noctu non frigeant, et sequenti die non esuriant. Itaque si bene omnia numerentur fere plus comedunt cum jejulant, quam cum non jejulant. Nemo seipsum fallat, istud jejunium non vocatur: sed hæc est regula jejulorum: semel tantum in die, et moderate cibus sumendus est, hoc est, semel sumere potes quantum naturæ sufficit, non quantum libido flagitat. Unum et simplex prandium, non duplicatum sumi debet. Tempus sumendi cibus erat olim hora nona, hoc est, hora tertia post meridiem, quæ est hora obitus Domini. Quamdiu enim Dominus feria sexta pro nostra salute in cruce pependit vivus, tamdiu veteres Christiani in quadragesima jejulabant. Verum hoc tempore charitate refrigescente consuetudò obtinuit, ut circa meridiem jejunium solvatur. Itaque circa meridiem, vel paulo ante, vel paulo post jejunium solvi potest. Vesperi autem tametsi nihil omnino sumendum esset, tamen licebit semel aut iterum bibere. Et quia dicunt aliqui potum sine cibo nocere, quamquam ego textum istud nondum in Hippocrate viderim, licebit etiam non tam per modum cibi, quam per modum medicinæ duos aut tres bolos, vel panis vel alterius cibi sumere. Sed tam multa et tam varia velle comedere, quæ alicui pauperi ad duo prandia sufficerent, etiamsi tu non voces cœnam, nullo modo licet.

Alii postremo sunt qui jejulant et bene jejulant, quantum ad modum et tempus sumendorum ciborum; sed inviti, et quasi coacti, et omnino servili quodam animo, et solum metu, vel Ecclesiæ, vel parentum vel superiorum hoc faciunt, et mallent ipsi multa numquam institutam quadragesimam. Non placet hoc Deo: *Hilarem datorem diligit Deus. Tu autem cum jejulas,* ait Dominus,

unge caput tuum, et faciem tuam lava, hoc est, ut Basilius exponit, exhibe signa lætitiæ, noli tristari ob alimonie subtractionem; sed gaude ob animæ curationem, ne pluris ventrem, quam animam facere videaris. Itaque, fratres, *Hortamur, vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Non nos prætereat tempus tam salubre, amplectamur libenter magno animo, summaque alacritate sanctam quadragesimam, nutricem animarum, antidotum peccatorum, scutum nostræ militiæ, parentem sanitatis.

Jam vero quarta utilitas est eleemosyna. Medicus enim animorum animadvertens morbum nostrum esse gravem, nec sufficere inediam, aliud medicamentum instituit, quo egeruntur excrementa et corpus relevatur et purgatur. Tale medicamentum est eleemosyna, qua divitias cum Apostolo arbitramur ut stercora; et facile ac libenter ejiciamus, ut animæ sanitatem recuperemus. Habemus vero in quadragesima magnam eleemosynæ faciendæ opportunitatem. Quid enim magnum esset, quid nobis deperiret, si cœnam, quam substrahimus nobis, pauperibus largiremur? Sane nihi periret, sed cresceret potius: sicut aquæ puteorum, ut magnus Basilius annotavit, si non hauriantur, decrescunt, si hauriantur, crescunt: sicut etiam frumentum, si in horreis conservetur putrescit; si in agro projiciatur, multiplicatur. Nec unquam fuit ullus vere deditus eleemosynis faciendis, qui opibus indiguerit. Deus enim nunquam se vinci patitur liberalitate. Non mentitur Scriptura, quæ dicit: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*. Magnus ille Joannes Alexandrinus, cognomento Eleemosynarius, quicquid habebat, statim dabat, et tamen semper plura recipiebat, et nesciebat. Unde B. Franciscus hoc donum a Deo acceperat, ut omni petenti aliquid daret. Et certe videmus, Deum non solum eum maximis divitiis spiritalibus (nam temporales non cupiebat) vivum et mortuum auxisse, sed etiam tam ingentem familiam ejus tot millium religiosorum, tot annos sine ullis redivisibus viventium, semper aluisse. Quare *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Date et dabitur vobis*. Nolite amittere tempus lucrandi: nunc aguntur nundinæ spirituales. Simus liberales erga

Deum, et Deus erit procul dubio liberalis nobiscum.

Quinta et sexta utilitas quadragesimæ est susceptio sanctorum sacramentorum pœnitentiæ et communionis. Quamvis enim alio tempore Ecclesia solum hortetur et consulat, ut saluberrima ista Sacramenta frequentemus; tamen hoc tempore materna auctoritate præcipit. Et quidem confessio peccatorum si fiat sicut oportet, medicina est, amara illa quidem et molesta, sed simul optima et efficacissima, ad omnem ægritudinem quamvis gravem et periculosam, profligandam. Post ea vero sequitur sacra communio, medicina tota dulcis et suavis, in qua medicus ipse cœlestis et divinus ad nos venit, et animæ dicit: *Noli timere, salus tua ego sum*. Et statim unctione gratiæ pristinam sanitatem, et nitorem et pulchritudinem restituit. Sed quid dicit Ecclesia? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Magna gratia Dei est confessio peccatorum: sed quid prodest confiteri ex consuetudine quadam sine dolore, sine pœnitentia, sine proposito satisfaciendi, sine animo non relabendi? Magna gratia Dei est sacrosancta communio: Sed quid prodest thesaurum istum maximum et incomparabilem a Deo recepisse, si statim per incuriam et negligentiam nostram illum amittimus? *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Illi recipiunt in vacuum, qui post confessionem et communionem nihil putant superesse, cum tam multum omnino supersit. Confessio enim et communio peccatum delent, sed habitum malum non evellunt. Itaque, gratia Dei adjuvante, contra malas propensiones tam diu viriliter pugnandum est, donec habitus mali penitus extirpentur, et in locum eorum virtutes succedant, et tunc demum ingreditur anima fines pacis et tranquillitatis. Tunc sine labore, sine tædio, sine fastidio in operibus bonis versatur. Tunc perfecta charitas foras mittit timorem et dolorem. Tunc dulcè est jejunare, dulcius orare, dulcissimum sacramenta cœlestia frequentare. Tunc gustatur *Pax illa, quæ exuperat omnem sensum*, quæ est *pignus hæreditatis nostræ; et manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, quod nobis concedat Deus qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXIII.

DE EADEM DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ

THEMA

DE JEJUNIO.

SYNOPSIS

Tentationem esse duplicem, alteram Christi, alteram Diaboli; et de utraque verba hac concione fiunt. Christum nos jejunio tentare quadrupliciter. Primo, ut exploret, an vere et ex animo ipsum diligamus; et sic olim Abraham, Jod, Tobias et populus Israeliticus tentatus fuit. Secundo, ut cognoscat, num animas nostras diligamus, quod elucescit si carnem nostram domemus, et anima de corpore ceu vindictam aliquam sumat, quam nisi jejunante corpore refici non posse, similitudinibus ostenditur. Tertio nos Christus tentat, an vero quoque carnem nostram amemus, quod fit subtrahendo ei omnia quæ nocent, ut scilicet solent medici ægrotantibus: nam et Christum ipsum, ut idem sequeremur, hoc fecisse demonstratur. Quanta sit utilitas jejunii in corpore curando, in prolonganda vita, in augenda re familiari, evidenter probatur. Quarto nos Christus jejunio tentat, num vere sponsam suam ecclesiam diligamus: ubi etiam quadragesimæ antiquitas multis patrum testimoniis contra hæreticos novatores asseritur. Quibus tentationibus deinde diabolus nos aggrediatur, et quomodo iis singulis obviandum sit, docetur. Cur quadraginta diebus præcise, sine interpolatione, omnibus simul sit jejunandum enucleatur. Quam mite et discretum institutum sit j. junium; quam commodo tempore; quosque illud non obliget, manifestatur. Tandem ne in hoc ullus sibi

blandiatur nimium, et ut serio jejunemus admonemur.

Quemadmodum hodierna die liberator noster Christus propter jejunium quadraginta dierum tentatur a diabolo, ita nos omnes, optimi auditores, hoc tempore jejunio dierum totidem tentamur a Christo. Sed longe est aliud genus tentationis, quo Diabolus Christum, ab eo, quo nos tentat Christus. Diabolus enim tentat, ut ad peccatum nos alliciat, et per peccatum socios sibi in suppliciis, ac tormentis acquirat: Christus vero ideo tentat, ut exploret; explorat vero, ut tentatos et probatos merito coronet. Neque vero minus gloriosum nobis erit, in ea tentatione, qua tentamur a Christo, non succumbere, quam hodie fuit Domino omnem diabolicæ tentationis conatum, et fraudes eludere. Et sicut tentationibus Diaboli a Domino superatis, *Accesserunt angeli, et ministrabant ei*: ita et nos si Domino tentante tales inventi fuerimus, quales oportet, sine ulla dubitatione Angelorum manibus cum triumpho et gloria, regnis cœlestibus inferemur. Quia vero ex his duobus tentationum generibus, hoc posterius minus est notum, et tamen ejus cognitio hominibus christianis per necessaria est, idcirco statui hodierna concione de utroque quidem, sed potissimum de hoc posteriori verba facere.

Ut igitur ad rem nostram propius accedamus, jejunio quadragesimæ tentat nos Dominus Deus noster. Verum non est una ac simplex tentatio, sed varia et multiplex pugna quadragesimæ: quas tamen tentationes

omnes ad quatuor capita revocare poterimus. Initio igitur præcipit Dominus jejunium quadragesimæ, ut tentet, an vere et ex corde eum diligamus. Atque ut tentationem istam primam facile percipias, finge Deum ipsum tecum ita loqui: Non ignoro, te carnem tuam vehementer diligere, id mihi certe non negabis: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet ac nutrit eam.* Hinc igitur apparebit, an vere me magis, quam tuam carnem diligas, si eam propter me parumper affligas. Ita quondam Dominus egit cum patriarcha Abraham: siquidem post longam sterilitatem dedit ei filium unum, et filium talem, ut in eo speraret omnes tribus terræ esse benedicendas. Itaque Abraham filium illum suum incredibili amore prosequabatur. Sed quid tunc egit Deus? Legite caput vigesimum secundum libri Geneseos: *Quæ postquam gesta sunt, inquit Scriptura divina, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Magna profecto tentatio: *Tolle, inquit, filium:* et filium non quemcumque, sed *unigenitum:* et non unigenitum quemcumque, sed *Isaac,* id est, illum, probum, illum sapientem, illum maximæ spei, illum, quem maxime diligis, illum tolle, ut occidatur, et concremetur in holocaustum. Neque committes hoc munus alteri, sed tu ipse manibus tuis ipsum mactabis. Quid igitur fecit Abraham? Quid? Ut in hac tentatione probatus et fidelis inveniretur, non cepit consilium ab uxore, et munus lucis vel auroræ non expectavit, sed statim nulla interposita mora de nocte consurgens ad eum locum profectus est, in quo filium suum immolaturus erat: et sine dubio immolasset, nisi eum angelus Domini prohibuisset. Tum vero Dominus: *Nunc, inquit, cognovi, quod timeas Dominum, quod non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Pari ratione tentavit Deus filios Israel annos quadraginta, variis tribulationibus eos affligendo, antequam in terram promissionis, terram affluentem lacte et melle eos introduceret. Hinc Moyses dicebat: *Tentat vos Dominus Deus vester ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Et rursum: *Duxit te Dominus Deus tuus per desertum quadraginta annis, ut affligeret te atque tentaret.* Ad eundem mo-

dum tentatus est Job: ad eundem modum Tobias, cui post illam gravem tentationem angelus ait: *Quia justus eras, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Postremo ad hunc modum omnes martyres tentati sunt. Cum enim capiebantur, ligabantur, carceribus includebantur, virgis cædebantur, catenis onerabantur, lapidabantur, cremabantur, bestiis obiciebantur, minutatim discerpebantur, tunc a Domino tentabantur, ut periculum faceret, an homines illi plus Deum suum, quam corpus suum diligenter. Itaque in libro Sapientiæ de Martyribus legimus: *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se: tamquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Hoc igitur idem Deus agit nobiscum et alias sæpe cum variis ærumnis et calamitatibus vexari nos patitur, et tunc potissimum, cum in ediam tam longam et carni nostræ tam ingratham præcipit. Quid igitur stulti homines et mundi hujus amatores agent? Quid? Miserrimum Esau imitabuntur: *En, inquit, morior. Quid mihi proderunt primogenita?* Itaque uno lentis edulio *Vendidit primogenita: et abiit, parvi pendens, quod primogenita vindidisset.* Sic etiam stulti homines: *En morimur, inquit, esurimus, sitimus, deficimus, capita dolent, quid nobis proderit quadragesima? Manducemus et bibamus, dum vivimus cras enim moriemur: et sic abeunt, et parvi pendunt, quod tam vili pretio infinitam hæreditatem vendant.* At vero probus Christianus et fidelis Domino suo, Abrahamum et Jobum, et Tobiam et sanctos Martyres imitabitur, dicetque apud se: Dominus præcepit jejunium quadragesimale, ut tentet, an diligam eum. Nunc igitur tempus est, ut me prodam, nunc humiliabo in jejunio animam meam, nunc ostendam me plus Deum, quam corpus meum diligere. Dominus vero respondebit, ac dicet: *Euge serve bone, Nunc cognovi quod times Deum: quia non pepercisti carni tuæ propter me.* Atque hactenus de tentatione prima.

Porro altera tentatio eo tendit, ut manifestum fiat, utrum vere animam nostram diligamus. Deus enim tametsi, ut par est, in primis diligi vult, et maxime omnium: tamen vult etiam res alias, præsertim animas nostras diligi. Neque vero fidelis servus dici potest, qui ita Dominum suum diligit, ut res Domini sui non diligit. Hæc est igitur altera tentatio, num animas nostras diligamus. Nemo est, qui se animam et corpus habere, et

animam esse corpore majorem non putet. Nemo est etiam, qui se animam suam magnificere, atque adeo eam vehementer diligere non existimet, tamen cum ad praxim devenitur, multos videmus, qui ita se gerunt, ut non solum animam non diligere, sed neque animam habere videantur. Nam pro cibo, et vestibus, et commodis et voluptatibus corporis semper laborant, ac suum tempus, ingenium, ac opes consumunt; animæ vero numquam recordantur. Ait igitur Dominus: Hinc apparebit, an diligas animam tuam, si jejunium quadragesimæ libenter suscipias. Tametsi enim jejunium carni tuæ non placeat, tamen animæ utilissimum est. Nam cum aliquis singulari certamine dimicaturus est, diligenter corpus confirmat et corroborat: quia corpus corpori objicere debet. At anima cum dæmonibus bellum gerit, qui toti sunt spiritus, Non legistis apostolum Paulum: *Non est nobis, inquit, colluctatio adversus carnem et sanguinem non adversus milites carneos bellum gerimus, non adversus corpora, Sed adversus Principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum adversus, spirituales nequitias in cælestibus.* Cum igitur non corpus cum corpore, sed spiritus cum spiritu pugnare debeat, spiritus armandus, spiritus instruendus, spiritus confirmandus, spiritus impinguandus est. Id vero fieri non potest, nisi corpus jejuniis spoliatur et debilitetur. Siquidem jejunium corporis cibus est animæ, nuditas corporis lorica est animæ, infirmitas corporis robur est animæ, Hinc nimirum apostolus Paulus aiebat: *Cum infirmior tunc fortior sum,* hoc est cum corpore sum debilius, cum magis jejuno, cum magis laboro, magis affligor, tunc sum robustior et melius valeo. Hinc etiam Plato sapientissimus philosophorum academiam suam in quodam loco infecto ac pestifero posuit, ut magnus Basilius testatur, ne videlicet nimia sanitas carnis, animæ sanitatem, hoc est sapientiam impediret. Est igitur utilissimum jejunium animæ.

Præterea caro tua quasi turris quædam est, et tamquam arx munitissima, in qua residet lex peccati, et ex qua diabolus semper oppugnat arcem mentis ac rationis. Diabolus enim utitur corpore tamquam instrumento ad debellandam animam: et quo corpus magis viget ac floret, eo est aptius instrumentum Diaboli. Cur ægroti ac debiles malis desideriis non valde perturbantur? Quia caro languet. Cur fortes et bene valentes vehementer fornicationum, et adulteriorum cogi-

tationibus æstuant? Quia floret caro. Cur tunc maxime ad libidinem incitaris, cum bene comedisti et bibisti? Quia tunc maxime invenit dæmon carnem tuam, instrumentum suum, accommodatum ad expugnandam animam. Quid igitur tibi erit faciendum, si animam diligis? Nonne fame et obsidione debellanda erit turris carnis tuæ? Nec enim alia ratione melius, quam fame ejusmodi arcem expugnari solent.

Postremo anima tua non petit a te misericordiam, sed justitiam. Siquidem caro tua toto fere anno, ac præsertim in diebus bacchanaliorum, absque ulla misericordia cogit animam jejunare: nunc vero adventit tempus quadragesimæ, hoc est, advenerunt quasi quædam bacchanalia spiritus, et certe par est, ut anima parumper reficiatur, et corpus jejuset. Quæ cum ita sint, si non prorsus es acceptor personarum, si non es omnino iniquus, si vel minimum animam diligis, nonne coges corpus jejunare, ut anima recreetur? Quod vero non possit anima convivia sua exercere, nisi corpus jejuset: neque possit spiritus sua bacchanalia agere, nisi interim corpus quadragesimam faciat, nullo negotio demonstrari potest. Siquidem animæ cibus est verbum Dei et oratio. Tunc anima pinguescit, cum magno fervore Dominum deprecatur: tunc affluit deliciis, cum nullo impediendo Dei contemplatione frui potest: tunc mensæ omnium generum dapibus instructæ assidet, cum in lectione sanctarum scripturarum, et meditatione versatur. Hæc vero omnia quis nescit, quantum et crapula impediuntur, et jejuniis adjuvantur? *Qui corporali jejunio mentem elevas,* canit his diebus Ecclesia. Accipite similitudinem cytharæ, testudinis, lyræ atque aliorum ejusdem generis musicorum instrumentorum. Hæc omnia, nisi interius vacua atque inania essent quem sonitum ederent? Certe vel obtusissimum vel nullum. Nunc vero, quod vacua sint, ita sonitu suo aures mulcent, ita oblectant, ut nihil jucundius audiri possit. Sic etiam auditores, cum nos ventrem cibo et potu replevimus, magis de somno aut de luxuria, quam de oratione cogitamus. Et si ad orandum accedimus, non nisi torpentes ac stertentes oramus. At post jejunium facillime et liberrime mens assurgit in Deum et jucundissime ac suavissime Dei laudes, hymnos ac psalmos resonamus. Magnus Basilius duas elegantissimas similitudines ad rem istam explicandam exhibet. Una est a sole et vaporibus

sumpta. Quemadmodum enim crassi illi vapores, qui de locis humidis ascendunt, cœlum nubibus obducunt, et radios solis ne ad nos penetrent, impediunt: sic etiam ex crapula et ebrietate fumi quidam, et quasi vapores in nobis excitantur, qui cœlum rationis obscurant, et radios divini luminis nobis eripiunt. Altera similitudo a fumo et apibus ducitur. Sicut enim apes mellis procreatrices ex alvearibus suis expelluntur fumo; ita sapientia Dei, quæ tanquam apis quædam in animis nostris mel virtutum, gratiæ, et consolationum cœlestium gignere solet, nulla re alia facilius quam fumo crapulæ et ebrietatis ejicitur. Hæc Basilius. Quæ cum ita sint, quanto jure sit jejunandum si animam nostram diligamus, nemo non videt.

Sequitur tentatio tertia, qua Dominus per jejunium quadragesimæ illud explorat, an vere carnem nostram diligamus. Deus enim, qui non solum animam, sed etiam carnem ex nihilo procreavit, utramque naturam diligit et utramque in nobis diligi jubet. Hic vos dicetis fortasse: Hæc tentatio placet nobis; jam periculum non est, ne tentatione victi succumbamus. *Quis enim unquam carnem suam odio habuit?* Imo vero non alia de causa jejunium horremus, quam ne carnem nostram, quam vehementer diligimus, offendamus. Quid si demonstrem ego vobis, eos carnem suam non diligere, sed odisse, qui non libenter jejunant? An non constabit tunc, optimo jure Dominum jejunium præcipere, ut tentet, an vere carnem nostram, diligamus? Quæro igitur a vobis; Si sit aliquis æger qui ardentissima febre afflicteretur, et vehementer sitiens gelidam aquam poscat, medicus dari prohibeat, cognati atque amici omnes eum hortentur ut non bibat, et eam tamen obstinatus in proposito omnino velit bibere, numquid eum dicemus carnem suam diligere? Ego vero hoc non dicam: nam velle immoderatas cupiditates ægrotæ carnis explere nihil est aliud, quam velle eam occidere. Itaque qui amat carnem ægrotam, eam odit potius quam diligit. Qui vero odit ægrotam, ut habeat sanam atque idcirco ad tempus contristat, et siti et inedia, pharmacis et potionibus, sectionibus, exustionibus vexat, is vere carnem suam amare dicendus est. Jam vero nos, auditores, si verum confiteri velimus, nonne omnes ægrotam et languidam carnem gestamus? Quis nostrum concupiscentiam, et variarum perturbationum multiplicem ægritudinem non experitur? Quis no-

strum cum Apostolo dicere non potest: *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum? Et Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ?* Neque vero perfecta sanitas ante diem resurrectionis et gloriosæ immortalitatis expectanda est. Interim dum hic vivimus, semper ægroti sumus. Ac proinde si quis carnem suam ut sanam alat, et nutriat, sine dubio eam occidit. Quæ cum ita sint, si aliquid sapimus, et vere carnem nostram diligimus, nonne eam jejuniis, et aliis medicamentis affligemus: ut aliquando eam sanam et immortalem habere possimus? Hoc enim est vere carnem diligere, nempe ei veram et perfectam et sempiternam sanitatem optare ac procurare. Quid prodest carni, quod eam delicate nutris, si nutris ad gehennam? Si pascis, ut fiat ipsa pabulum ignis æterni? Nonne magis diligeres, si hic parum inedia et siti vexares, ut eam sanam, et gloriosam in æternum haberes? hoc est, quod Dominus quodam loco ait? *Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit in hoc mundo animam suam, in vitam æternam custodit eam.* Qui vitam istam temporalem diligit, ac proinde non patitur ulla molestia affici carnem suam, nec eam jejuniis, vigiliis, laboribus affligit, in vitam æternam non custodit eam.

Ac ut intelligamus, quam necessarium sit nobis ægrotis more et legibus ægrotorum vivere, quid ipse medicus noster liber ab omni morbo et ægritudine fecerit, consideremus. Erat jam, ut dicebamus, medicus noster Christus omnino sanus, poterat suo jure vivere ut sanus, non egebat sectione venæ, non inedia, non pharmacis, non balneis, non alia re ulla: et tamen quia inter ægrotos agebat, vivere voluit ut ægrotus. Sic enim apud se ratiocinabatur: isti, inter quos ago, et ad quos curandos veni, omnes sunt ægroti; et si quidem vivere velint, ut sani, nunquam erunt sani. Quid igitur agam? Ego ipse vivam legibus ægrotorum: utar balneo baptismatis, permittam mihi venas aperiri, longa inedia me affligam, adhibebo pharmacum orationis, et alia omnia, quæ sunt ægrotorum, agam. Quamobrem, auditores, si medicus noster et medicus sanus jejunat, ut nobis exemplum jejunandi præbeat, quanto nos magis jejunare debemus, si carnem nostram vere diligimus, et sani aliquando esse desideramus?

Quid? Quod jejunium non modo pharmacum est utilissimum ad illam perfectam et

æternam sanitatem consequendam, quæ nobis in altero sæculo promittitur; sed etiam est res optima et saluberrima ad vitam istam temporalem conservandam et propagandam? Antiphanes medicus peritissimus, ut Clemens Alexandrinus libro secundo pædagogi refert, unam esse causam pene omnium morborum asserebat, ciborum varietatem. Magnus Basilius concione prima de jejunio, jejunium bonæ valetudinis parentem appellandum esse existimavit: medici omnes nonne ad sanitatem restituendam in corporibus affectis inediam adhirent? Nonne vinum et carnem ægris hominibus interdicut? Deinde, cur, quæso, primi illi homines, qui ante diluvium vixerunt, ad nongentos et eo amplius annos pertingebant? Nonne una causa erat, quia neque carnibus, neque vino, neque magna epularum diversitate; sed simplici et sobrio cibo utebantur? Nam et magnus Basilius homilia undecima de opere sex dierum, et D. Hieronymus libro secundo in Jovinianum hoc tradunt: nempe usum carniū et vini ante diluvium non fuisse. At ut ista nimis antiqua prætereamus, anachoretæ nostri, Pauli, Antonii, Macarii, Hilariones, cur, quæso, pene omnes annum centesimum, vel etiam transcendebant? Certe vix aliam causam, quam incredibilem sobrietatem invenimus.

Vide præterea, quam sit utilis carnis sobrietas. Quis unquam jejunans alienis pedibus opus habebat? Quis jejunans ostium domus suæ invenire non potuit? Quis jejunans stomachum crapula gravatum sensit? Quis jejunans caput vertiginosum habuit, et omnia circumferri et moveri existimavit? Quid, quod jejunium est omnium ciborum optimum condimentum? Nemo enim ita laute comedit, ut is, qui ante jejunavit. Videmus istos epulones, et perdices et gallinas fastidire, at iis, qui jejunant, et cæpæ et alia optime sapiunt. Itaque qui crapulæ et ebrietati dant operam summo cum labore cibos exquisitos et vina pretiosa quærunt et parant, et tamen exiguam omnino voluptatem capiunt. Nihil enim est tam jucundum, quod non assiduitate vilescat. At homines sobrii, et frequenter jejunantes, ex cibo et potu etiam simplicissimo, et nullo labore quæsito maximam capiunt voluptatem. Quapropter sapienter sane voluptatis patronus Epicurus, ut D. Hieronymus libro secundo in Jovinianum refert, pomis atque oleribus dumtaxat, iis qui delicias quærunt, esse victitandum

suadebat. Major enim est labor, quo reliqui sibi comparantur, quam sit voluptas, qua comeduntur. Neque vere solum carni, sed etiam universæ rei familiari, atque adeo toti vitæ humanæ utilissimum est jejunium. Multos crapula et ebrietas ex divitibus pauperes, ex dominis servos effecit: Sobrietas vero ac jejunium contra, multos ex pauperibus divites, ex servis dominos effecit. « Numera, inquit Basilius, quæ domi habes hodie, et numera postea, nihil penitus per jejunium minuetur: at si convivia exercere incipias, nihil brevi habebis. Venter enim depositum non servat; imo vero nihil est in commerciis et contractibus ventre infidelius. At vero jejunium debiti naturam non novit, non olet usuras, mensa jejunantis non strangulat pupillum, jejunantis filium usuræ paternæ non premunt. » Et quid adhuc de jejunii utilitate, dicemus? Non haberet vir suspectas nuptiarum insidias, si uxorem jejunantem cerneret: neque uxor consumeretur zelotypia, si virum in jejunio convivantem haberet; si jejunium coleretur nusquam esset penuria, nusquam bella, nusquam carceres, nusquam patibula: non haberent oppida sicarios, non silvæ latrones, non mare piratas, non fabricarentur arma dominante jejunio, sed omnes ubique maxima atque altissima pace fruerentur: si quidem ex crapula oriuntur penuriæ. Cum enim Dominus populos nimis pingues esse videt et inde lascivientes et rerum abundantia abutentes, tum eos penuria ac sterilitate flagellat: ut qui libenter et sponte jejunare non volumus saltem penuria compellente jejunemus. Porro ex penuria fraudes, contentiones, furta, parricidia oriuntur. Ad hæc vero comprimenda et coercenda carceres et patibula necessaria sunt. Quamobrem si radix omnium malorum saturitas semel abscinderetur, et ei sobrietas, jejuniumque succederet, nihil prohiberet, quin in summa tranquillitate et pace viveremus.

Sequitur quarta et postrema tentatio. Tentat enim nos jejunio quadragesimæ Dominus Deus noster, ut videat an Dei sponsam et matrem nostram Ecclesiam diligamus. Ecclesia siquidem Catholica cum ab initio jejunium quadragesimale ab apostolis suscepisset, illud usque ad nostra tempora diligentissime conservavit. Nec enim existimare debetis, quadragesimam esse rem novam, aut ante aliquot annos ab aliquo Pontifice, aut Concilio esse constitutam. In Apostolorum ca-

nonibus, canone octavo, qui quadragesimam non jejunaverint, jubentur, si clerici sunt, deponi ; si laici excommunicari. D. Ignatius Joannis Apostoli discipulus in epistola ad Philippenses, eos sollicite monet, ut jejunium quadragesimæ magni faciant. Quandoquidem qui quadragesimam jejulant, non homines sed Deum ipsum imitantur, qui carnem nostram pro nobis indutus nostram quadragesimam consecraturus quadraginta dies et quadraginta noctes jejnavit. C. Thelesphorus summus, ac sanctissimus Pontifex, qui septimus a D. Petro Romanæ sedi et universæ ecclesiæ præfuit, non solum quadragesimæ meminit : sed etiam in epistola illa, quam ad universos scribit, præcipit, ut clerici ab ipsa quinquagesima jejunium auspicentur, ita ut septem integras et plenas hebdomadas jejulent. D. Basilius oratione secunda de jejunio : est quidem inquit, omni tempore jejunium utile volentibus ipsum. Neque Dæmonum insultus jejulantem petere audent, et custodes vitæ nostræ Angeli libentius perseverant, apud eos, qui animam purgatam habent per jejunium. Nunc vero, nempe in quadragesima, multo amplius cum in omnem terrarum orbem ejus præconium annunciatur, et neque insula aliqua, neque terra firma, non civitas, non gens, non extremitas est, ad quam prædicatio ipsius non perveniat. Sed et exercitus, et viatores, et navigatores et mercatores omnes æqualiter et præceptum audiunt, et cum gaudio suscipiunt. Quare nemo seipsum ex jejulantium catalogo eximat, in quo omnia genera, omnis ætas et omnes dignitatum differentia recensentur. Angeli sunt qui per singulas ecclesias jejunantes describunt. D. Epiphanius libro tertio contra hæreses, prope extremo, quadragesimæ jejunium inter apostolicas traditiones numerat. Divus Hieronymus in epistola, quam adversus Montani errores ad Marcellam scripsit : « Nos, inquit, unam quadragesimam ex traditione Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejnamus. » D. Ambrosius sermone vigesimo quinto : « Non enim, inquit, fratres, leve peccatum est fidelibus, indictam quadragesimam a Domino violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est : Qui dicit se in Domino manere debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Ille qui peccatum non habebat quadragesimam jejnavit, tu non vis quadragesimam jejulare, qui peccas ? » Divus Joannes Chrysostomus in ipso

principio operum suorum, in illa omnium homiliarum prima, non alia de re, quam de quadragesimæ præstantia et utilitate verba facit. Theophilus Alexandrinus in opere paschali : « Habemus, inquit, quadragesimam ab apostoli institutam et ordinatam. » Divus Augustinus epistola centesima decimona, quadragesimæ observationem ab ipsis divinis litteris, et veteris et novi testamenti, desumptam esse demonstrat. Denique divus Leo, ut cæteros omittamus, sermone nono de quadragesima, quadragesimæ jejunium ab ipsis apostolis per doctrinam institutam atque ordinatam fuisse luculenter docet.

Porro in Concilio Laodiceno ante annos mille ducentos celebrato frequentissima mentio est quadragesimæ. In Concilio Tolitano octavo, capite nono, ita severe patres illi quadragesimam observandam esse discernunt, ut iis et corporis Domini communionem in paschate negent, et toto anno carniæ usum interdican, qui absque necessitate quadragesimam violare ausi sunt. Quæ vero sit talis necessitas non homines quoscumque, sed solos Domini Sacerdotes dijudicare voluerunt.

Sed quamquam hæc ita se habeant, quamquam quadragesimæ observatio a Domini imitatione profecta, ab apostolis instituta, antiquitate roborata, populorum consensione confirmata, Ecclesiæ universæ auctoritate munita, usque ad nostra tempora perduraverit ; tamen hæretici tamquam superstitionem et rem inutilem execrantur. Quamobrem tentat nos Dominus Deus noster hoc jejunio, an Ecclesiam magis, quam Hæreticorum synagogas diligamus : tamquam si diceret : Fieri non potest, ut tibi persuadeas, me tot luminibus Ecclesiæ ; tot eruditissimis et sanctissimis viris, qui et verbo et opere quadragesimam docuerunt, contemptis quibusdam Lutheranis vel Calvinistis turbulentis et votifragis hominibus, qui quadragesimam damnant veritatem revelasse. Hinc igitur apparebit, si tibi hæreses displiceant, si eas factis ac operibus refellis. Nam cum Ecclesia quadragesimæ jejunium doceat, et Hæretici jejunia execrentur, tunc ostendis te Ecclesiæ filium esse et Hæreticorum fidem ac morem detestari, cum illud ipsum jejunium summa devotione et alacritate suscipies, quod illi maximo et implacabili odio, tamquam veri Epicuri discipuli, persequuntur. Habetis hactenus, auditores, quæ de tentationibus illis, quibus a Domino tentamur dicenda esse

hoc tempore existimavi : nunc de tentationibus, quibus ob quadragesimam nonnulli tentantur a Diabolo, pauca quædam dicenda sunt. Nec enim dubitandum est, quin sicut hodie propter jejunium Christum ipsum tentare ausus est idem etiam aliquos nostrum propter idem jejunium tentaturus sit.

Sed nemo turbetur, nemo paveat, nemo trepidet ; non erit difficile hosti jam fracto ac debilitato respondere. Vicit enim Christus et dum vicit, artem vincendi nobis demonstravit. Ille igitur primum cum te propter jejunium esurientem viderit dicere incipiet : Cur præcepit tibi Deus ut his diebus jejunares ? Putasne fortasse Deum tua esurie et ventris torsionibus delectari ? Sed responde : Deum non esurie aut ventris torsionibus sed castitate, obedientia et fervente oratione, quæ per jejunium mirum in modum adjuvantur, delectari. Rursum ille dicet : Nonne si sis prædestinatus etiam sine jejunio salvus eris ? Putasne Deum, ut te prædestinaret, jejunium tuum expectasse ? Et rursum tu responde : A Deo quidem homines prædestinari ut ad gloriam illam, ad quam prædestinantur, per jejunia, et alia bona opera pervenire debeant. Hoc enim Deus prædestinavit, hoc decrevit ut per hæc media ad illum finem perveniamus. Diabolus dicet : Christus pro te jejunavit, ut te hoc labore liberaret. Cur te frustra crucias jejunando, quasi Christi jejunium sine tuo jejunio ad tuam salutem non sufficeret ? Tu responde : Christus etiam voluit baptizari, et certe pro me et non pro se : et tamen non propterea ego non debeo baptizari. Sic etiam licet pro me ipse jejunavit, tamen ego quoque ad ejus exemplum jejunare debeo. *Christus enim, inquit Apostolus, passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequeremini vestigia ejus.* Diabolus dicet : Postquam omnino jejunare proposuisti, cur saltem non jejunas potius ex voluntate, quam ex necessitate ? non legisti : « Voluntarie sacrificabo tibi ? » Cur Ecclesia vobis præcipit jejunium, nonne melius esset si vestra sponte et non coacte jejunaretis ? Tu vero responde : Quemadmodum ægroti non proprio judicio, sed ex præscripto medici medicinam sumunt : ita et nos ex præscripto Ecclesiæ potius, quam ex sententia nostra jejunare debere. Jejunium præterea ab Ecclesia imperatum melius est, quam sponte susceptum. Hoc enim ex una virtute procedit, nempe ex temperantia, illud ex

duabus, nempe ex temperantia et obedientia. Et quando jejunium etiam imperatum ex sola obedientia nasceretur, adhuc etiam tanto esset melius et præstantius, quam jejunium sponte susceptum, quanto virtus obedientiæ melior est, quam temperantiæ. *Melior est enim obedientia, quam victimæ.* Et hoc est sacrificium, nempe veræ obedientiæ quod voluntarie non ex tristitia, sed cum gaudio et alacritate immolare debemus. Itaque nos, licet ex obedientia, tamen voluntarie et libenter, cum gaudio et alacritate in jejunio carnem nostram Deo sacrificamus.

Diabolus dicet : Quid sibi vult ista numeri quadragesimi superstitio ? Numquid jejunium triginta vel quinquaginta dierum non placeret Deo ? Tu vero responde : Non ex superstitione, sed ex religione et Christi imitatione, et Apostolorum traditione quadraginta dierum jejunium observamus. Primum enim, quia decem præcepta quatuor modis violamus, ore, opere, cogitatione, omissione, idcirco quater decimum numerum dierum jejunando et carnem nostram affligendo complemus. Deinde quadraginta dies jejunamus, ut Deo decimas et primitias totius anni consecremus. Nam dies triginta septem decimæ sunt dierum omnium unius anni : addimus vero tres dies ad triginta septem, ut non solum decimas, sed etiam primitias Deo offeramus. Postremo ille numerus quadragenarius, ut B. Ambrosius lib. iv, in Lucam admonet, multis modis in sacris litteris est consecratus. Quadraginta diebus pluit super terram in diebus Noe, antequam orbis mundaretur ; et nos quadraginta dies jejunamus, ut in die judicii diluvium ignis evadere, et cum sanctis gloriose et feliciter innovari possimus. Quadraginta annis fuit Hebræus populus in deserto et cœlesti cibo usus est, antequam in terram promissionis terram fluentem lac et mel, ingrederetur, et nos quadraginta diebus a cibus corporeis abstinemus, ut cibo cœlesti et pane Angelorum commodius nutriamur, et tandem ad veram terram promissionis perveniamus. Quadraginta dies jejunavit Moyses, ut legem Dei digito scriptam accipere mereretur, et nos dies totidem jejunamus, ut eandem legem facilius observemus. Quadraginta dies jejunavit Elias, antequam igneo curru raperetur in cœlum : et nos totidem dies jejunamus, ut igne charitatis

succensi ad regna cœlestia evehamur. Quadraginta dies jejunavit Christus, antequam se tentandum exponeret Diabolo : et nos dies totidem jejunamus, ut armis jejuniorum instructi diaboli tentationes facilius superemus. Quadraginta mensibus Dominus Evangelium prædicavit et quadraginta horis jacuit mortuus in sepulcro, et quadraginta diebus commoratus est redivivus in terris : et nos dies totidem jejunamus, ut Domini Evangelium cum fructu audire, et mundo vitiisque mori, et Deo soli vivere possimus. Denique secundum legem, qui virgis cædendi erant, non amplius, quam plagis quadraginta affici poterant : et nos dies quadraginta jejunamus, quia est jejunium quasi quædam carnis flagellatio, et numerum quadraginta plagarum secundum leges excedere prohibemur.

Postremo Diabolus dicet : Si quadraginta diebus jejunandum est, cur omnes illos dies simul tanto labore jejunas? Nonne esset melius et facilius in quatuor partes jejunium secare, ut decem dies in vere, decem in æstate, decem in autumno, decem in hieme jejunares? Tu vero responde : Jejunium necessario continuandum esse, ut aliquando turris carnis nostræ te arx vitiorum fame expugnari possit. Quemadmodum imperatores exercituum, si putant se obsidione unius anni urbem aliquam occupaturos, certe continuabunt obsidionem, ne forte dum ipsi ab obsidione cessant, interim civitas illa de cibo et potu sibi provideat, ut quæ uno anno capi poterat, jam ne decem quidem capi possit. Sic deinde sapientissimo consilio definitum est ut omnes uno tempore jejuneamus, ut sic facilius civitates sibi de piscibus et oleribus prospiciant, et homines facilius jejunent, cum alter alterum exemplo suo ad jejunandum trahit, et omnes facilius Deum placemus, quam si singuli seorsim ac diversis temporibus jejunaremus. Sicut enim si ingens aliquod onus trahendum sit a quadraginta hominibus, si omnes simul ad funem manus admoveant, facile illud trahent : si vero quisque pro se, et unus post alium trahere conetur, omnes fatigabuntur, et tamen onus non trahetur. Ad eundem modum Deum ad misericordiam facilius trahimus, si omnes simul quasi impetu quodam spiritus et fervoris jejunemus, oremus, in cœlum clamemus, quam si hodie unus, post mensem alius jejunaret.

Quid? Quod nullum tempus commodius

ad jejunandum, quam hoc, quod Apostoli elegerunt, potest inveniri? Nam in æstate prolixitas dierum fastidium gignit; pisces non sunt adeo salubres, ægritudines sunt frequentes. In hieme ob maximum frigus externum augetur calor internus stomachi, ac propterea indigent homines multo cibo. Præterea sunt pisces eo tempore vixit humidi, neque facile inveniuntur olera, quæ tamen magno usui sunt in diebus jejuniorum. In autumno sunt etiam morbi frequentes, propter crebras temporum mutationes, et negotia ac labores hominum tunc sunt plurima, et maxima, propter vindemias et cæterorum fructuum collectiones. Itaque nullum est tempus ad jejunium magis aptum, quam verè præcipue si principium veris accipiatur, sicuti nos in quadragesima facimus : tunc frigore adhuc durante corpora sunt sana, tunc pisces sunt optimi, tunc olera ubique ferme reperiuntur, tunc negotia in agris et vineis sunt paucissima, tunc sanguis et humores crescunt, tunc homines sicut cætera animalia magis ad libidinem concitantur, tunc medicorum omnium sententia evacuatio aliqua, tam pro salute corporum, quam animarum necessaria est nulla vero salubrior, facilior, expeditior, et magis secundum naturam evacuatio reperitur, quam ea, quæ fit per inediam. Itaque vere B. Hieronymus ad Marcellam ait : « Nos unam quadragesimam jejunamus tempore nobis congruo. » Et vere ecclesia in oratione hesternæ diei jejunium « Animabus, corporibusque curandis salubriter » institutum esse confitetur.

Et vide rursum clementiam Dei et matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ, tametsi jejunium quadraginta dierum præcipit, tamen non hoc præcipit, ut absque cibo ullo jejunes, sicut Dominus et Elias et Moyses jejunaverunt, illi enim fortiores nobis ac robustiores erant. Neque Dominus ait : *Qui vult venire post me, tollat crucem meam, sed crucem suam*, hoc est, suis humeris ac suæ infirmitati ac debilitati accommodatam : neque rursum præcipit, ut cum jejunas, nihil præter panem et aquam accipias, sicut multi sanctorum fecerunt : sed hoc solum, ut a quibusdam cibis, nempe carnibus, ovis et lactiniis abstineas, et semel dumtaxat in die reficiaris, idque vel post meridiem vel non multo ante meridiem. Quamquam si optimum consilium sanctorum patrum sequi velis, et duplici cum fructu jejunare, prandium, quod subtrahis tibi, pauperibus lar-

giaris, ne lucri atque avaritiæ causa jejunare videaris. Præterea nullum ecclesia ad jejunium cogit, qui vere non possit. Itaque ab hac lege excluduntur senes, excluduntur fœminæ, quæ infantes vel utero gerunt vel uberibus lactant, excluduntur et ii, qui in laboriosis operibus exercentur, et pedibus iter faciunt: nam qui equitant, bene possunt jejunare, quoniam equi eorum non jejunant. Isti omnes, et si qui alii sunt, qui justis de causis a lege jejuniorum excluduntur, id solum præstare debent, quod possunt. Ac præsertim pueri paulatim ad jejunium assuefaciendi sunt, jejunent hoc anno semel in hebdomada, anno sequenti bis, et sicut crescunt ætate et mole corporis, ita etiam virtute et bonis moribus augeantur.

Sed illum omnibus vigilantissime et omni animi provisione procurandum est, ne vide licet caro nos decipiat: sæpe enim fingit se debilem ac ægrotam et jejunium ferre non posse quæ tamen si vellet, sine ulla dubitatione posset. Narrabo vobis lepipam historiam. Audivi aliquando hominem quemdam extitisse, qui cum esset domi suæ in deliciis enutritus, fere semper ægrotabat, et vel ipsum aerem metuebat, et nisi cibos tenerrimos et optimos habuisset, se statim moriturum arbitrabatur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, et ab iis ad triremes alligatus diu noctuque sine ulla intermissione laborabat: ejus cibus erat panis, isque bis coctus, potus aqua, obsonium verbera. Quis non diceret, post paucos dies iste morietur? Et tamen post paucissimos menses sanissimus, robustissimus et pinguis effectus est. Itaque similis est caro nostra animantibus brutis, quæ nec bonis verbis, nec blanditiis nec persuasionibus sed solis verberibus obtemperare didicerunt. Alas equum hordeo et non labore per aliquot dies, videbis, si non statim fiat indo-

mitus, et si non calcitrabit et mordebit cum equitare volueris: sic est caro nostra, quanto lautius nutritur tanto fit petulantior. Comparete mihi cum hebdomada sancta dies bacchanaliorum, quanta petulantia, quanta ineptiæ, quantus tumultus, quot peccata, quot mala in bacchanalibus? Quis ea enumerasset? At in sancta hebdomada, quanta modestia, quanta gravitas, quanta quies, quantum silentium, quanta sanctitas ubique? Ipsæ profecto plata, ipsum forum in illis diebus sanctitatem et religionem mihi spirare videntur. Quis auctor hujus tantæ mutationis, nisi sobrietas, nisi jejunium? Nam quemadmodum aliquo gravi præceptore in scholam ingrediente tumultus omnes et strepitus puerorum sedantur: ita adveniente jejunio risus molles, cantilenæ meretriciæ, saltationes furiosæ et ineptiæ cæteræ ex urbe discedunt.

Aggrediamur igitur, aggrediamur magno animo, atque amplectamur Quadragesimam nutricem animarum, antidotum peccatorum, sapientiæ procreatricem, vitiorum expultricem, parentem sanitatis. Si rem tam exiguam, quale est jejunium pati non possumus: quomodo martyrium pateremur? Certe isti, qui quadragesimam jejunare non possunt, si infideles advenirent, non fidem unam, sed septem ut Tertullianus ait, denegarent. Et si dies quadraginta cum tot ciborum condimentis et varietatibus jejunare non possumus, quomodo in inferno sempiternum jejunium ferre poterimus? et tale jejunium, ut unam guttam aquæ semper quæramus, et numquam inveniamus? Arripiamus igitur sanctum istud militiæ spiritualis scutum, et adversus omnes diaboli terrores et minas carnis invicto atque infracto animo dimicemus: esuriamus in terris ut saturemur in cœlis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXIV.

DE DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ

THEMA

Rogamus vos, et obsecramur in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oportet vos ambulare, et placere Deo; sic et vos ambuletis, ut abundetis magis. *I Thessal. vi, v. 1.*

SYNOPSIS.

Pastori tria esse necessaria, tabulas scilicet legis, virgam et manna; quæ omnia D. Paulo adfuisse ex ipsius epistolis probatur. Quam caute et circumspecte in via et lege Domini sit ambulandum, quæ recta, ardua et arcta, esse multis ostenditur, Lutheri impia hæresis contra bona opera destruitur, et illorum utilitas astruitur. Quam utile sit exercitium, vespertinum conscientiae examen. Quomodo sedulo, expedito et sine sarcinis in via Domini ambulandum nobis sit, et quomodo id fieri debeat, pulchra similitudine nobis convenienter applicata ostenditur; videlicet moris civitatis cujusdam externum regem sibi eligentis, quem anno revoluto nudatum in insulam incultam et sterilem ableget. Exhortatio denique ad elargiendas eleemosynas, a dignitate et utilitate ipsius eleganter demonstrata, finem imponit.

Beatissimus Pontifex Gregorius, in eo libro, quem de cura pastorali conscripsit, inter alia multa, quæ omnibus iis, qui præsent, necessaria esse docet, imprimis requirit, ut sicut in arca fœderis erant olim simul cum tabulis legis, virga et manna: ita pastores et præsides aliorum, in suis pectoribus habeant cum eruditione divinæ legis, virgam severitatis et manna clementiæ, ut pios et

probos blande fovere et ad perfectionem inflammare: improbos vero atque scelestos severe corripere, ac ut Apostolus loquitur dure increpare sciant. Ista laude, si quis alius divinus Apostolus vehementer excelsit: Cum enim ad Corinthios scribit, in quibus quædam gravia crimina deprehenderat, vide quomodo eos terret: *Quid vultis? inquit, in virga veniam ad vos?* Et rursus ad Galatas, quos facile moveri et circumferri omnivento doctrinæ cognoverat, *O insensati Galatæ, inquit, quis vos fascinavit non obedire veritati?* At Philippenses et Thessalonicenses, qui firmiores et constantiores erant et in doctrina fidei vehementer proficiebant, semper commendat et consolatur, et tamquam bonus pater bonos filios blanda et dulci cohortatione ad magis et magis proficiendum impellit. Et Philippensibus quidem inter alia sic ait: *Fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi.* Thessalonicenses vero, audite, quomodo laudat, et laudando provocat ad bonum; *Et vos, inquit, imitatores mei estote sicut et ego Christi, imitatores nostri facti estis et Christi, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio spiritus sancti: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sic nobis necesse quicquam loqui.*

Merito igitur tam bonos et obedientes fi-

lios (quod omnes patres et pastores imitari debent) non jubendo et imperando ; sed orando et obsecrando hoc loco cohortatur. *Rogamus, inquit, vos et obsecramus in Domino Jesu, hoc est, si Dominum Jesum diligitis, sicut certe diligitis, facite quod rogamus. Quid est, quod rogat ? Id, quod omnes concionatores a suis auditoribus petunt. Nimirum, ut Jacobus ait : ut non sint Auditores tantum, sed etiam factores verbi : Id cupit, quod agricolæ a suis agris cupiunt, ut bonum semen in eis multiplicetur, et semper cum fœnore reddant, quod accipiunt. Rogamus, inquit, et obsecramus, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. Laboravimus, inquit, in vobis verbo et exemplo ostendimus, quæ sit via, quæ ducit ad cælum : docuimus, quomodo, quam caute, quam prudenter, quam considerate per hanc viam incedendum sit. Rogamus igitur et obsecramus, ut sic ambuletis, hoc est, ut caute ambuletis, et magis ac magis in hoc itinere progrediamini. Hæc Apostolus. Quæ quam merito, quantoque jure ab eo dicantur, facile intelligemus, si quæ, et qualis sit via Domini diligenter considerare voluerimus. Si super magnum et rapidum aliquod flumen ab una ripa ad aliam pons esset constitutus, qui rectissimus et angustissimus esset, et præterea semper ascenderet, certe nemo esset, tam audax, qui non admodum caute et considerate super illum incederet, et si videremus aliquos in eo saltantes et ludentes, numquid non horreremus ac trepidaremus, et magna voce clamaremus : Quid agitis, stulti ? Num non videtis ubi sitis ? Videte quomodo caute ambuletis. Talis pons est lex Domini, quam Deus præparavit, ut ambulemus in ea, et per eam ad vitam æternam intraremus. Si vis ad vitam ingredi, ait Dominus, serva mandata. Et sanctus David : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Et rursum : Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.**

Est vero ista via, recta, ardua, angusta. Recta est lex Domini, quia, nihil pravum, nihil distortum, nihil obliquum, nihil vitiosum admittit vel permittit. Leges humanæ, etiam illæ, quæ bonæ et sanctæ sunt, multa vitia nec puniunt nec prohibent, non solum interna, ut prava desideria, pravæ cogitationes, pravæ affectiones, de quibus judicare non possunt ; sed etiam externa, ut ar-

tem lenonum et meretricum, et alia quædam : *At lex Domini immaculata, et justificationes Domini rectæ, omnia vitia atque scelera, tam parva, quam magna ; tam interna, quam externa ; tam aperta, quam occulta ; tam cogitationum et verborum, quam operum et factorum : Omnia denique quæcumque illa sint, et prohibent puniunt. Neque mirum ; legis enim divæ lator est Deus, qui tam potens est, ut nemo effugere possit manus ejus : tam sapiens, ut renes et corda scrutetur, et melius ipse videat, quid velimus et cogitemus, quam nos videamus : tam bonus, ut omnis iniquitas quamvis parva et exigua, etiam verborum otiosorum ei displiceat.*

Itaque recta est lex Domini. Neque solum recta, sed etiam ardua. Semper enim ascendit, et hominem perducit ad summam et sublimissimam perfectionem. Nihil est in homine intelligentia et voluntate præstantius : Quocirca culmen perfectionis humanæ, quod etiam philosophus vidit et docuit, in intelligendo et amando consistit ; lex autem Domini ad summam et perfectissimam sapientiam et charitatem ducit. Quantum enim ad sapientiam attinet, quid sublimius, quam Deum, qui est ipsa sapientia et veritas, facie ad faciem videre ? Quantum vero ad charitatem, quid perfectius, quam ita ardentem inhærere summo bono, ut ab eo divelli et separari non possis ? Ac utrumque veri et summi boni conspectum felicissimum et amorem ardentissimum lex Domini pollicetur, et exhibet, quare similis est scalæ, quam vidit Jacob, quæ a terra usque ad cælum pertingebat, quod vero arcta atque angusta sit hæc via, architectus, qui eam stravit et ambulavit satis aperte non semel, sed sæpius docet : *Arcta, inquit, est via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Itaque non est via equorum neque curruum, sed hominum ; et hominum non nimis pinguium, nec nimis oneratorum.

Verum hoc loco me continere non possum, quin stultam et ridiculam Lutheri expositionem in medium adferam, ut videatis quam acutum venenum draco ille teterrimus gestaret in pectore. Sic igitur scribit in sermone quodam super illa verba Domini : *Sic Deus dilexit mundum, etc.* « Ego, inquit, dico tibi, quia angusta est via, oportet et fieri tenuem, si vis per eam venire, ac per portam penetrare. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt pe-

netrare, ideo oportet te tenuem atque angustum fieri. Hoc fit autem, quando in te desperas; si autem adveneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, aliqui penetrare non poteris ». Hæc Lutherus. Qui quidem, ut videtis, more araneorum, quæ ex dulcissimis floribus, unde apes mella conficiunt, venenum trahunt, et more hominum ægrotorum, qui saluberrimos quosque cibos in corruptos humores convertunt, ex illo ipso scripturæ loco, qui nos ad opera bona maxime exhortatur, illo, inquam, ipso opera bona reprehendit: Via, inquit, est angusta, cave igitur ne te bonis operibus oneres. Ergo Lutheri sententia, misera erit Thabita, quæ, ut Actis Apostolicis dicitur, obiit plena operibus bonis et eleemosynis, quas fecerat. Imo juxta veterem hæresim, quam beatus Irenæus Marcioni attribuit, Cain, Sodomitæ et omnes improbi et scelerati homines in regno cælorum erunt: Abel, Abraham et omnes sancti erunt in gehenna, quod illi nudi et vacui, isti cooperti et pleni fuerint bonis operibus. O stultam hæreticorum sapientiam, quæ timet onus operum bonorum, et non timet sarcinas flagitiorum! O virum prudentissimum Lutherum, qui onustus cucullo, obedientia et castitate timuit angustias viæ quæ ducit ad vitam, et non timuit onustus uxore et liberis servis et ancillis, magna familia, multis divitiis, et quod caput est, multis et magnis plaustriis peccatorum? Sed quid, quæso, aget Lutherus, cum in die judicii *Reddet Deus unicuique, ut Scripturæ ubique testantur, secundum opera ejus?* Si *beati* sint mortui, qui in Domino moriuntur, quia *opera eorum sequuntur eos*, ut Apocalypsis docet, an non miseri sunt omnes ii, qui Luthero adhærentes opera bona tamquam inutilia rejecerunt? Et si opera bona cursum nostrum ad salutem impediunt, cur Apostolus ad Timotheum scribens, tam serio divites hujus sæculi exhortatur, ut curent *divites fieri in operibus bonis*, et hoc modo *sibi thesaurizent fundamentum bonum in futurum?* Et cur idem Apostolus Titum instituens ait: *Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus.* Deinde Spiritu prævidens venturum Lutherum, qui contrarium prædicaret, statim subdit: *Hæreticum hominem post unam aut alteram correptionem devita.* Non igitur opera bona, sed scelera et pravæ atque immoderatæ cupiditates sunt, quibus onusti

esse non debemus. Nam superbia inflat, divitiæ extollunt, deliciae et voluptates humores malos nutriunt atque augent, ut superbiæ, avaritiæ et luxuriæ deditos via illa angusta capere non possit. At humilitas, paupertas, castitas, virtutes cæteræ, hominem parvum, tenuem, brevem efficiunt, denique talem, ut via Domini alioqui arcta atque angusta, amplissima latissimaque esse videatur. Humilitas enim comprimit atque evanescere facit tumorem malum. Paupertas vero voluntaria onus divitiarum, quasi gibbum cameli, libenter deponit. Porro castitas quasi myrrha et tamquam sal exsiccat humores carnales libidinis. Denique opera bona, opera virtutum, jejunia, orationes, eleemosynæ, tantum abest ut gravent, et impediunt, ut quanto magis crescunt, tanto magis levem et expeditum hominem faciant, non secus atque avium alæ; avis implumis volare non potest, nascuntur alæ incipit volatus: crescunt alæ crescit et volatus.

Habemus igitur viam, de qua B. Apostolus loquitur legem Domini, et esse viam rectam, arduam, angustam atque idcirco eum recte monere, ut per eam caute et prudenter ambulemus. Quia enim via est recta, si non recte incedamus, facile labemur. Quia est ardua, si non ascendamus, nihil proficimus. Quia est arcta, si onera non deponimus, frustra per eam ingredi tentamus. Quid igitur Apostolus dicit? *Rogamus vos et obsecramus, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulari, sic et ambuletis.* Quid est quod ab eò accepimus? Quid nos docuit? Id quod habet alio loco: *Videte, inquit, quomodo caute ambuletis.* Non existimetis vos per prata et campos ambulare: ambulatis per pontem rectum, arduum, angustum: præcedant oculi gressum, vide ubi pedem ponere debeas; antequam loquaris, cogita quid loqui velis, et an expediat ita loqui. Et multo magis antequam ad agendum aliquid te componas, cogita quid est, quod vis agere, an Deo placeat, et salutis animæ tuæ conveniat, alioqui incidet in detractiones, murmurationes, testimonia falsa, judicia temeraria et alios innumeros diaboli laqueos, quos facile vitare ac fugere potuisses, si verba et opera tua iudicium rationis non antevertissent. *Videte ergo quomodo caute ambuletis.* Quam sunt hodie homines ad omne vitium projecti, quam facile detrahunt, quam facile judicant, quam facile jurant et pejerant, quam facile lites et ini-

micitias sumunt, quam facile rapiunt, si quid possunt? Quid Apostolus clamat? *Videte quomodo caute ambuletis.*

Verum enim vero, auditores, quoniam iis, qui jam assueverunt inconsiderate ac temere ambulare in ipso cursu difficile esset cogitare, ubi pedem figere debeant: idcirco utilissimum et saluberrimum consilium est, saltem ad vesperam, antequam ad quietem se recipiant, seipsos quasi ante tribunal iudicii quotidie sistere, et rationem omnium verborum cogitationum, actionum, ab anima sua petere, ut si difficile est in ipso cursu videre, quomodo caute ambulent, saltem non sit difficile post cursum cogitare, an caute ambulaverint. Itaque si tibi salus tua cordi est, nullum diem præterire debes, in quo ad vesperam non petas a teipso rationem, quomodo caute ambulaveris. Ac primum, quia est recta, cogita an verba, cogitationes, opera recta fuerint, an contra obliqua et distorta. Et si cogites bene, videbis te sæpe ad marginem pontis cum maximo periculo cadendi jacuisse, sæpe etiam te extra pontem in mediis aquis pene suffocatum invenies.

Deinde quia via est ardua, et sursum versus tendit, cogita, an ascenderis, an profeceris, an sis melior, quam esses antea. Quod si non ascendisti, scito te nec ambulasse. Et si ambulasti, et non ascendisti, procul dubio descendisti. Id quod fere accidit nostri temporis hominibus, qui modo ascendunt, modo descendunt, sicut de Penelope tradunt poetæ, quæ semper eandem telam modo texebat, modo destruebat. Post paucos dies aderit Pascha, omnes ascendere incipient, sed iterum statim descendent. Adveniet postea dies celeberrimus Natalis Domini, omnes turmatim current, omnes cupient ascendere, non sufficient ad excipiendas confessiones Sacerdotes. Sed quamdiu iste fervor durabit? Usque ad profestum trium regum, vel ad summum ad bacchanalia. Ista sunt itinera Christianorum hujus temporis, istum ludum ludimus toto anno, modo ascendimus, modo descendimus, numquam vero progredimur: modo frigemus, modo tepemus, numquam fervemus. Et tamen in hoc mundo non alia de causa sumus, quam ut pontem istum ascendamus, et per eum ad montem Domini perveniamus, ubi *Videbitur Deus deorum in Sion.* Itaque, auditores, quia via est ardua, quæ ducit ad vitam nihil, melius agere possumus, quam cogitare ubi simus, quo tendamus utrum progrediamur, utrum ascenda-

mus, ne forte veniat nox, in qua nemo potest ambulare, et nos adhuc ad initium pontis a Domino reperiamur.

Postremo, quia eadem hæc via non solum recta et ardua, sed etiam arcta est atque angusta, serio cogitare debemus utrum pluribus et majoribus sarcinis onusti simus, quam ut viæ illius angustiae non capiant, Nam profecto quid nobis proderit, hic in terris operibus maximis abundare, si eas nobiscum ad locum, ubi perpetuo mansuri sumus, ferre non poterimus? Quare cum certum sit, nos oneribus supervacaneis gravatos, viam illam angustam ingredi non posse, quid utilius, quæso, nobis erit, quam multos pauperes vocare atque eos rogare, ut nos in opibus nostris ad cælum transferendis adjuvare velint? Et aliis demus ferendos cibos, vestes aliis, aliis pecunias et sic dispergamus, demus pauperibus, ut justitia nostra maneat in sæculum sæculi. Neque dubium est, quin pauperes multos inveniemus benignos et humanos, qui (hoc præsertim tempore) libenter et fideliter adjuvabunt.

Legi aliquando in historia Barlaam et Josaphat, quam B. Joannes Damascenus conscripsit elegantissimam et pulcherrimam quamdam parabolam: Erat, inquit, civitas quædam magna, cujus cives antiqua consuetudine, quæ in legem jam transierat, externum aliquem hominem, et legum et consuetudinum civitatis illius penitus ignarum, sibi regem assumebant. At is quidem ad annum unum omnem civitatem, et thesauros ejus urbis maximos in potestate habebat: verum anno evoluto, eo nihil tale cogitante, et in illo honore ac deliciis suaviter et sine fortitudine quiescente, statim cives omnes antiquæ consuetudinis non immemores, excitata seditione in palatium regium impetum faciebant, et regem purpura et diademate spoliatum, in insulam quamdam sterilem ac desertam deportabant; ut sicut præter spem ad regnum eVectus in honore ac delitiis vixerat, ita præter spem regno exutus in squalore et sordibus viveret. Cæterum accidit aliquando, ut hominem quemdam regno præficerent, qui cum animadverteret ex bonis consiliariis bonum et salutem regis et regni pendere, omnibus adulatoribus pulsus ex aula, paucos quosdam viros probos et fideles in consilium ascivit. Et sane ista consiliariorum permutatio plus regi illi, quam ipsum regnum profuit: statim enim fideles

consilarii regem de consuetudine civitatis, et infortunio brevi futuro et secuturo admo-
nuerunt. Ille vero ut audivit rem esse in eo
statu, et se post paululum regnum illud ca-
ducum et peregrinum alienigenis relicturum,
et pauperem ac nudum in insulam sterilem
ac desertam deportandum, apertis thesau-
ris, quorum adhuc plenam ac liberam habe-
bat potestatem, magnam vim auri et argen-
ti, nec non vestium et gemmarum, ac lapi-
dum pretiosorum per fidelissimos famulos in
insulam præmisit, et palatium ædificari,
atque hortos, vineas, servos, ancillas, equos,
currus, et alia, quæ necessaria esse vide-
bantur, comparari jussit. Quare cum postea
evoluta anno, modo cæterorum regum in
insulam nudus ejectus fuisset, non sicut cæ-
teri mendicare debuit, sed dives et felix in
proprio palatio (consilium ejus omnibus lau-
dantibus) vitam duxit. Ista est parabola,
quæ cum verbis apostoli Pauli mirifice con-
sentit. Nihil est enim aliud civitas illa sedi-
tiosa et turbulenta, quam mundus iste :
porro rex externus et peregrinus est homo,
qui ad breve tempus vivit et regnat, et
liberum est ei de suis opibus facere, quod
velit, sed paulo post, cum ipse omnia in tuto
esse putat, oritur intestina seditio, incipiunt
humores altercari, denique tumultus febrium
et aliorum morborum, de corpore animam
extrudit, et solam ac nudam in aliam quam-
dam, et omnibus viventibus incognitam re-
gionem deducit. Quæ regio ideo sterile
solum esse dicitur, quod in futuro sæculo
nullus sit locus pœnitentiæ, nullus jejuniis,
nullus eleemosynis, nullus operibus cæteris,
quibus vitam promeremur. Adulatores con-
siliarii dæmones sunt, et nostri corporales
sensus, qui numquam cessant nobis in perni-
ciam nostram consulere, ut nihil pauperibus
demus, etiamsi eos ante oculos nostros fame
ac frigore mori videamus, sed omnia quæ
habemus, et quæ non habemus, in nostram
vel necessitatem, vel utilitatem, vel volu-
ptatem et curiositatem, expendamus. Fideles
vero et vere sapientes consilarii, sancti sunt
patres, qui nobis consulunt, nos monent,
nos hortantur, ut dum hic vivimus, dum
licet, dum regnum est in nostra potestate,
prospiciamus nobis in futurum, et per ma-
nus pauperum, divitias nostras in aliam
vitam transmittamus. Neque solum monent,
sed etiam objurgant, ut magis terreant.

Quod si hoc te non movet, ut animæ tuæ
et pauperum miserearis, moveat saltem id

quod patres docent : simile furto et rapinæ
esse dicunt, cum pauperibus opes tuas, si
possis, non communicas. Audi quid B. Am-
brosius dicat, sermone octuagesimo primo,
qui inter vere ambrosianos fere pulcherri-
mus est : « Non minus, inquit, est criminis
habenti tollere quam cum possis et abundes,
indigentibus denegare ». Audi quid B. Au-
gustinus dicat : « Superflua, inquit, diviti,
necessaria sunt pauperi. Aliena retinet, qui
ista tenet ». Audi Magnum Basilium oratione
illa pulcherrima in verbum divitis, *De-
struam horrea mea* : « Num injustus, inquit,
est Deus, inæqualiter res nobis distribuens ?
Cur tu abundas, ille vero mendicat ; nisi ut
tu bonæ dispensationis meritum consequar-
is, ille vero patientiæ bravio coretur ? At
tu nonne spoliator es qui quæ dispensanda
suscepisti, propria reputas ? Esurientis est
panis, quem tu detines ; nudi tunica, quam
in conclavi reservas ; discalceati calceus,
qui apud te marcescit ; indigentis argentum,
quod tu defossum habes. Quare tot paupe-
ribus injuriam facis, quot dare valeres ? At,
inquis, pulchra quidem verba, sed pulchrius
aurum. O quanti pretii tibi videbitur in die
illa judicii verbum illud : Venite benedicti
Patris mei, possidete paratum vobis regnum
a constitutione mundi : esurivi et dedistis
mihi manducare : sitivi et dedistis mihi po-
tum : nudus eram, et cooperuistis me. Quan-
tus rursus terror, et sudor, et tenebræ tibi
oborientur, ubi audieris condemnationem :
Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus
est Diabolo et Angelis ejus : Esurivi enim et
non dedistis mihi manducare, etc. Non illic
raptor excusatur, sed qui bona non commu-
nicavit condemnatur ». Hæc Basilium, sed
audi postremo quid magnus Chrysostomus
oratione secunda de Lazaro dicat : « Disca-
mus, inquit, quod si eleemosynas non præ-
stiterimus, pari cum his, qui spoliant, sup-
plicio afficiemur. Heriles enim, hoc est, Dei
pecuniæ sunt, undecumque eas collegeris.
Et ideo plura sibi possidere concessit Deus,
non ut in scortationem, temulentiam, inglu-
viem, in vestes sumptuosas, aliamque mol-
litiem consumeres, sed ut eas egentibus dis-
tribueres ». Quemadmodum enim receptor
quispiam, qui regis pecunias accepit, si ne-
glexerit, his quibus jussus est, distribuere,
inque proprias consumpserit delicias, pœnas
dat ; ita sane et dives præceptor quispiam est
pecuniarum, quæ pauperibus distribui debe-
bant. Itaque cum in mandatis habeat, eas

distribuere conservis suis, si quid amplius, quam postulet necessitas in seipsum insumperit, gravissimas ille daturus est pœnas. Certe audistis, qui patres ac doctores quibus nescio an quatuor alios sanctiores, doctiores, graviores antiquitas habeat, et quibus verbis, quæ libertate, qua auctoritate vos moneant, omnes eos cum latronibus et prædonibus judicandos, qui eleemosynas, cum possunt, conservis suis egentibus non largiuntur. Sed non minori libertate et auctoritate Apostolus Joannes clamat dicens; *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Certe non manet. Nam ut idem Apostolus ait, *Debemus non pro fratribus animas ponere.* Sed si substantiam hujus mundi ponere non potes, quomodo substantiam tuam, quomodo vitam et sanguinem tuum pones; ergo incedis plateas, et pauperes

nudos et clamantes vides, et viscera tua non commoventur, et fratres et conservos tuos non recognoscis, qui fortasse in alio sæculo majores ac ditiores te erunt, et eorum ope ac patrocinio indigebis, scito in te locum charitatem non habere, atque adeo te ipsum tamquam vere mortuum coram Deo jure deflere potes. Quare, fratres, *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*, hoc præsertim afflictissimo ac miserissimo tempore, adjuvemus omnes fratres nostros, illos in quibus Christus pasci et vestiri cupit. Qui potest, divitiis; qui non potest, affectum saltem et verba consolationis et precem apud Deum Patrem nostrum et illorum, non neget. Ita liberi et expediti pontem illum rectum, arduum, angustum ascendemus, et per eum ad montem Domini perveniemus, ubi *Videbitur Deus Deorum in Sion*, qui est super omnia Deus, benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXV.

DE DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ

THEMA

Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ephes. v, v. 1.*

SYNOPSIS

Hac concione docemur, quomodo et in quibus maxime Deum imitari debeamus, in charitate scilicet et castitate. Charitatem ad exemplum Christi secundum Deum esse ordinandam; ac proinde reprehendentur secus facientes, qui suos amore inordinata, inconstanter verbo solum et opere diligunt, indignos ad dignitates promovent, et amicos solos ob commodum aliquod, non vero inimicos gratis amant. Quomodo Deus, plurimi sancti, imo tota rerum universitas ad diligendum inimicos nos instruant: et quam gloriosum sit remittere injurias, e diverso quam turpis ultionis et vindictæ cupiditas demonstratur. Deinde de castitate agitur, quam sit præclara virtus, et quam exosa Deo et sanctis sit fornicatio, quod multis D. Pauli testimoniis confirmatur. Falsæ objectioni eorum, qui dicunt fornicarios nemini injuriam inferre, occurritur, et castitatem divina assistente gratia non adeo, ut prætenditur, esse difficilem, probatur. Tandem efficacissima pro tuenda castitate, et mentis et corporis puritate conservanda, præscribuntur remedia.

Magna et præclara, præstans ac plane singularis est ea gloria, ad quam nos hodie B. Paulus Apostolus invitat. Quotquot estis

honoris et gloriæ cupidi, adestote animis et cogitatione, ac mente intuemini, ad quam sublime fastigium, ad quam excelsum culmen honoris B. Paulus hodierna die nos ducat. *Imitatores, inquit, Dei estote.* Potestne aliquid sublimius aut excellentius cogitari, quam ut homo Deum, terra cælum, opus opificem, figmentum figulum imitetur? Certe homines non parum se profecisse putant, nec parum tument ac superbiunt, si vel in arte dicendi Ciceronem, vel in poesi Virgilium, vel in philosophia Aristotelem, vel in præliis et certaminibus Achillem aut Hectorem recte imitati fuisse dicantur. Quo ergo loco nos eum ponemus, qui Deum ipsum probe ac sapienter imitabitur? Quare quicumque prudenter ambitiosi estis, et gloriam non brevem et falsam, sed veram et stabilem quæritis, *estote imitatores Dei.* Ac ne forte apud vos ipsos cogitetis, vel non debere vel non posse vos Deum imitari, audite quod sequitur; *Sicut filii, inquit, charissimi.* Nam quis filius, quem pater vehementissime diligit, et qui parentem optimum et sapientissimum habet, imitari patrem suum vel non debet vel non potest? Ergo et vos, cum sitis filii Dei, et Spiritum sanctum in cordibus vestris habeatis clamantem: *Abba Pater,* quidni Deum imitari valetis et debetis? *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi.*

Sed in quo, quæso, Apostole beatissime, Deum imitabimur? Num in cœli et terræ creatione? an in hominum mortuorum exci-

tatione? Quod est opus, quod imitari nos jubes? Audiamus, quid ipse respondeat: *Estote, inquit, imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Fornicatio autem et omnis immunditia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* Itaque duæ sunt præcipue virtutes in quibus Patrem nostrum Deum imitari debemus charitas et castitas.

Primum igitur, quod a nobis exigitur, si Deum imitari velimus, est ut diligamus: et non quocumque modo diligamus, sed sicut Christus dilexit nos. In quo multi decipiuntur qui diligunt quidem proximum, parentes, filios, fratres, amicos, amicas etiam interdum et lenones ac meretrices, sed ideo Deum ista sua benevolentia non imitantur, quod non diligant, sicut Christus dilexit nos. Diligunt aliqui vel amicos vel affines inordinato perversoque amore, ita ut Deum offendere non formident, modo amicis vel affinibus placeant. Quot sunt, qui cum amicis tabernas frequentant, quod soli non facerent? Quot qui pro amicis facile mentiuntur, aut pejerant, aut falsum testimonium dicunt, aut graves inimicitias cum aliis sumunt? Non ita Christus dilexit nos, qui nihil gloriæ Dei Patris anteponebat. Itaque diligamus proximum, sed ordinata charitate, ne forte nobis idola fabricemus et res creatas pro creatore colamus. Alii sunt qui diligunt quidem ordinata charitate, sed ad tempus aliquod, deinde oblata aliqua occasione amorem in odium convertunt. Non ita Christus dilexit nos, sed constanter. *Cum dilexisset suos, inquit Joannes, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Sunt etiam alii qui diligunt in finem usque, verum amore quodam non solum imperfecto, sed sæpe etiam perverso et noxio. Quot sunt, qui filios fratres, nepotes adolescentulos ac pene pueros interdum, etiam non pene, sed penitus pueros onerant ecclesiasticis beneficiis tribus aut quatuor, et ipsimet eos impellunt ad gehennam? Et tum cum ea beneficia per fas et nefas eis procurant, vel etiam emunt, si necesse est, tunc se filios, aut fratres aut nepotes suos vehementer diligere putant. Quot sunt præterea, qui si videant afflines aut amicos suos velle mundo ac pompis ejus renunciare, et Christum juxta ejus consilia serio imitari, tum illi, ut signa benevolentiae demonstrant, eos ad se vocant, atque a bono proposito dehortari, et ad mundum revocare incipiunt? Non ita Christus dilexit nos, sed in vitam æternam. Diléxit

Dominus matrem, dilexit Apostolos, dilexit Martyres, et plane sicut oportebat. Numerate palatia, possessiones, hortos, vineas, quas eis attribuit. Væ nobis, qui dicimur diligere, et odio prosequimur. Imo plus nostra benevolentia, quam odio nocemus. Vere *Inimici hominis domestici ejus*, et qui amatores maxime videntur, illi sæpe hostes et proditores sunt. Itaque si vis recte diligere, dilige *Sicut Christus dilexit nos.* Dilige in vitam æternam, amputa occasionem peccandi, quære materiam bene agendi, procura salutem animæ iis, quos diligis.

Sed quid de illis dicemus, qui diligere non noverunt, nisi verbo et lingua? Et cum aliquid de suo ponere debent, vel operam vel pecunias vel quid aliud, statim dilectionis obliviscuntur? Num hoc modo Christus nos dilexit? Non sane. Audi quid Apostolus dicat: *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis.* Et Apostolus Joannes: *In hoc, inquit, cognovimus charitatem Dei, quod ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere, hoc est diligere opere et veritate.* In hoc Deum imitari debemus.

Sed alii postremo sunt, qui eos dumtaxat diligere solent, a quibus aliquid commodi vel honoris vel delectationis expectant: gratis diligere, quod vere est diligere, numquam didicerunt: atque idcirco inimicos nullo modo diligere possunt. Itaque diligunt eo amore, quo muscæ etiam diligunt, quæ quamdiu defers vas aliquod plenum melle, tamdiu te comitantur: si illud alicubi ponas nulla te sequetur amplius. Non ita Christus dilexit nos, sed gratis, vera, pura, sincera dilectione. Cum adhuc inimici essemus, dilexit, et Patri per mortem suam nos reconciliavit. Atque hæc est dilectio, de qua præcipue Apostolus loquitur, dilectio eximia, heroica, Christianorum propria: dilectio, inquam, inimicorum. Nam cum dixisset; *Estote misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis, statim subjunxit: Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, etc.*

At, inquis, fieri non potest, ut inimicum diligam. Est id contra naturam: statim atque inimicum video, totus perturbor. Est quidem dilectio inimici contra naturam, sed corruptam atque depravatam, non contra naturam Dei gratia adjutam. Nihil est impossibile credenti. Qui revera credit hominem etiam inimicum a Deo creatum, ad imaginem

Dei effectum, Christi morte et sanguine redemptum ; et præterea ejus dilectionem nobis a Deo præceptam esse, sane non multum laborat in diligendis inimicis. Quid, quod Deus, et tota rerum universitas nos exemplo suo ad dilectionem inimicorum hortatur? Nonne Deum offendimus quotidie omni genere flagitiorum, et tamen *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos*? Certe si Deus cum suis servis jure belli agere vellet, sicut et nos cum nostris conservis agimus, statim ad primum flagitium omnium elementa operam et obsequium suum nobis negarent. Terra nos non substerneret, sol non illustraret, ignis non calefaceret, aer spirabilem se non præberet. At vero Deus noster, cujus misericordiæ non est numerus, non ita se gerit, sed permittit nobis, licet inimicis, obsequio elementorum frui. Præterea ipse nobis vitam, motus, sensus, vestes, alimenta perpetuo subministrat, et hostem nostrum Satanam impedit ac prohibet, ne quantum vellet ac posset nobis nocent. Aspice deinde ac intueri omnes partes hujus universitatis. Nonne terram in rebus humanis semper conculcamus, terimus, effodimus, et in eam omnes sordes et omnia purgamenta projicimus? et tamen ipsa a Deo edocta reddit bonum pro malo, profert nobis herbas, fruges, aurum etiam et argentum et omnia metalla. Nonne vites et arbores in rebus, quæ vivunt, et non sentiunt singulis annis spoliamus et tondemus? et tamen ipsæ uvas et poma liberalissime nobis producunt. Nonne canes, in animantibus brutis, aliquando vehementissime verberamus, et ipsi statim omnium injuriarum obliti motu caudæ nobis blandiuntur? Veniamus ad homines. Nonne apud Ethnicos Caius Cæsar nihil oblivisci solebat præter injurias? Nonne Pericles, ut magnus Basilius testatur, cum a plebeio et circumforaneo quodam contumeliis et convitiis impeteretur, tota die patientissime eum audivit, ac deinde vesperi accensa face domum eum reduxit? Nonne inter sanctos, in lege naturæ, patriarcha Joseph a fratribus suis crudelissime venditus ac pene necatus, injuriam illam non aliter, quam multis beneficiis in fratres collatis, ulcisci voluit? Nonne tempore legis scriptæ rex et Propheta David atrocissimo hosti non semel, sed sæpius benignissime pepercit? Denique in lege gratiæ novæ Christus, B. Stephanus, omnes Apostoli, omnes martyres, omnes sancti ista laude enituerunt. *Maledi-*

cimur, inquit Apostolus, et benedicimus: persecutionem patimur et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus.

At, inquis, sancti erant et perfecti, quos enumerasti. Primum, numquid etiam Pericles et Cæsar sancti erant? Quod igitur illi propter gloriam vanam facere potuerunt, tu propter gloriam veram non poteris? Deinde Joseph, David, Stephanus, Paulus, sancti erant fateor et perfecti: sed interim homines erant, carnem et ossa gestabant, sensum, et sanguinem et choleram habebant. Denique sancti erant et perfecti: sed tu quoque sanctus et perfectus esse debes, alioqui in regnum cælorum non intrabis. Tibi enim et mihi et omnibus dicitur: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Et: Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.*

At, inquis, turpe est et ignominia plenum, injuriam non ulcisci. Mira res profecto: Deo gloriosum est parcere, et tibi turpe erit? Est honorificum Domino et turpe erit servo? Quis hoc capere potest? Aut quid demum non persuadebit, si hoc persuadet? Deinde quid unquam de Cæsare gloriosius et excellentius prædicatum est, quam quod bellando vinceret homines, parcendo vinceret victoriam? Nonne etiam Aristoteles docet, homines viles et abjectos esse, qui ignoscere non noverunt? et, stomachum esse nimis delicatum, quis injurias concoquere non possit? At, inquis, interim homines digito me ostendent, et ignavum, et parvi animi esse dicent. Esto. Quid tua? Sine illos dicere et agere quicquid velint: nam si stulti reprehendent, certe Deus, et angeli et omnes viri sapientes factum tuum laudabunt. Quæro abs te, si dum coram judice cum aliquo contendis, omnes qui adsunt te causam perdidisse dicerent, et contra solus judex te vicisse affirmaret, nonne omnes illos, qui contrarium loquerentur, contemneres, ac rideres? Ita nunc Deus dicit te recte facere cum diligis inimicum, atque inde maximum lucrum et honorem aliquando relaturum: quid igitur tua refert, quid alii garriant? *Estote igitur imitatores Dei, sicut filii charissimi*: Estis filii Dei Patris optimi et beneficentissimi, cur Satanam imitari vultis, qui est *homicida ab initio*? Quid stultius et miserius iis, qui gloriam in ultione quærunt et tamen interim similes carnifici potius, qui nemini parcat, quam Deo videri volunt: quamquam perdissimi isti homines, qui ultionibus et parricidiis delectantur, multo crudeliores sint om-

ni carnifice. Carnifex enim permittit reum confessione et pœnitentia peccatum expiare: deinde sine ira atque odio eum occidit et quantum est in se minuit supplicium. At scelestissimi isti parricidæ tanquam rabidi canes sæviunt, et corpus et animam enecare desiderant.

Sed jam ad alteram virtutem transeamus. *Fornicatio autem, inquit, et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Utinam essem ego ita eloquens, ut possem auditoribus meis, ac præsertim ingenuis adolescentibus decorem, speciem, pulchritudinem, lucem integritatis et castitatis ob oculos ponere! O si scirem vel ex parte demonstrare, quam sit hæc virtus, et per se eximia, et Deo grata, et Angelis amica et homini salutaris! et quomodo animam illustrat, et puram, nitidam, perspicuam facit, et idoneam reddit ad fulgorem, et radios divinæ sapientiæ suscipiendos! non dubito quin multos ad eam diligendam, et tamquam pretiosam margaritam omnibus aliis rebus venditis emendam inflammarem: Vidistis aliquando nitidos quosdam fontes, qui ita lucem concipiunt, ut toti usque ad profundum illustrentur, ut etiam minimi lapilli atque arenæ in iis numerari possunt? Tales sunt animæ castæ, quas totas lumen divinæ sapientiæ penetrat, quæque in eo lumine Dei voluntatem decorem virtutis, verum et falsum, et minima etiam ac levissima quæque errata vident. At contra mentes impuræ similes sunt aquæ turbidæ, in qua sues jacuerunt, quæ lucem non admittit, et in qua nec magni etiam lapides cerni possunt. Ita enim animæ hominum impudicorum, in quibus tartaræ sues jacent obscuræ, fœdæ, inquinatæ sunt, ut sæpe etiam magna peccata et flagitia horrenda non agnoscant. Hinc igitur, Deus tam sæpe nos ad castitatem et sanctitatem exhortatur. Sancti, inquit, estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Et: Lavamini, mundi estote: qui fertis vasa Domini. Et: beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Apostolus vero Paulus in omni fere epistola clamat: Fugite fornicationem. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere sanctificatione et honore, non in passione desiderii. Fornicatio autem et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Sectamini pacem et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

Sed occurrunt aliqui, et dicunt: Fornica-

tionem, impuras cogitationes, desideria turpium voluptatum, vel sibi peccata non videri, vel ita levia, ut aspersione aquæ lustralis statim expientur. Cui enim, aiunt, injuriam facimus, cum fornicamur vel cum turpia cogitamus? Cui facimus, quod nobis non vellemus fieri? Neminem lædimus, neminem contristamus, neminem vexamus. Jam dixi vobis, sordidas istas animas, ita turbidas, et obscuras esse, ut etiam gravissima facinora non agnoscant. Sed adhibebimus lumen orationi, et ea si poterimus de tenebris eruta in solem ac lumen proferemus. Primum, cum nos Christiani et non Ethnici simus, etiamsi rationem nullam haberemus, qua ostendere possemus, hæc esse mala et magna mala, nonne satis esse debet, quod Deus et Apostolus ejus nobis præcipiant, ista fugiamus, et nisi paruerimus mortem sempiternam comminentur? Apostolus ait: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, et sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore.* In quibus verbis omnia genera impudicitæ et luxuriæ continentur. Si Deus ita vult, si apostolus testatur ita esse, nonne debemus caput dimittere, humum aspicere, et absque ulla interrogatione facere, quod præcipitur? Sed audi, quam pœnam comminetur: *Nolite errare; inquit Apostolus ad Corinthios scribens, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regum Dei possidebunt.* Rursum in epistola ad Galatas: *Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebriitates, commessiones et his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et in epistola hodierna: *Hoc, inquit, scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Itaque videtis qualia sint ista crimina, quæ a regno cœlorum excludunt.

Sed num est verum, quod aiunt homines impudici, nulli se injuriam facere? Nullo modo. Errant toto cœlo. Primum enim injuriam atrocissimam faciunt proli, quæ nascitur ex fornicatione. Quæro abs te, num velles tu ex fornicatione natus esse, ita ut

parentem ignorares tuum, et matrem meretricem haberes, atque esse sine fama, sine hæreditate, sine institutione? Certe non velles. Cur ergo dicis te nemini facere, quod non velles tibi fieri, cum fornicaris? Deinde faciunt injuriam fœminæ cum qua peccant, cujus tanto magis crescit infamia, quanto magis crescunt fornicationes. Præterea non fornicarii solum, sed omnes impudici, etiam ii, qui solum in seipsis, vel cogitando, vel concupiscendo vel aliis modis turpitudinem operantur, injuriam faciunt corpori suo. Nam peccata cætera, ut furta, perjuria, blasphemias, *Extra corpus sunt*: qui vero impudicus est, *in corpus suum peccat*, ut Apostolus ait. Injuriam item faciunt Christo, qui frater noster, os nostrum et caro nostra est: quin etiam *Corpora nostra membra Christi sunt*, et ea impudicus tollit, et facit *Membra meretricis*. Injuriam faciunt Virgini Deiparæ, quæ mater nostra est, cum Christi filii ejus fratres simus. Maxime enim displicent matri Virgini filii impudici. Injuriam faciunt etiam angelo custodi, qui nihil horret magis, quam fœtorem luxuriæ. Denique injuriam, eamque gravissimam faciunt Deo, cujus templum profanant atque evertunt. Numquid si in hoc templo, si inter hos parietes, vellet aliquis adulterium vel fornicationem exercere, nonne sacrilegus ab omnibus haberetur? Quomodo igitur non sacrilegus erit, qui corpus suum vivum templum Spiritus sancti profanare audet? *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti*? Habetis ergo, quam vehementer errant homines impudici, cum se nemini suis impudiciis injuriam facere dicunt.

Sed rursus alii, juvenes, inquirunt, sumus, non possumus caste vivere, etiamsi velimus. Et hoc immane mendacium est. Nec enim non possunt caste vivere, sed non volunt. Nec est impudicitia morbus juventutis, sed corruptæ juventutis; alioqui quot millia sanctorum adolescentium et sanctarum virginum in Ecclesia extiterunt? Nonne sanctus Eduardus Angliæ rex, beatus Henricus Romanorum imperator, et alii nonnulli, cum ipsa propria conjuge, quod pene videtur incredibile, in virginitate vixerunt? Et nos non poterimus, quod illi et illæ? Numquid illi et illæ in semetipsis potuerunt, et non in Domino Deo suo? Certe si rex noster diceret servis suis: Itote in Indiam, et naves non accipiatis, sed, vel super undas ambulando, vel natando, vel volando eo pertingite; merito profecto, opti-

moque jure conqueri possent. At si diceret: Accipite naves quotquot sunt necessariæ, et eo modo iter facite; excusationem non haberent. Ad eundem modum, si diceret Deus: Viribus vestris caste vivite, nihilque auxilii a me expectetis, mirum non esset, si obtemperare non possemus. At cum ipse nobis multa adjumenta pollicatur, multa remedia instituerit, quis ore blasphemus dicere audebit: Non possum caste vivere?

Quæ sunt igitur ista remedia? Primum jejunium et oratio: *Hoc enim genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio*. Vult Deus, ut intelligas donum suum esse continentiam, atque a se eam magno desiderio petas et ipse eam tibi procul dubio non negabit. Quia etiam caro pinguis, tamquam terra aratro non subacta, semper germinat malas herbas impurarum cogitationum, debes eam jejuniis exercere ac subigere. Porro ad jejunium et orationem addere debes lectionem piorum librorum, ac præsertim eorum, quibus vitæ sanctorum continentur, ut videas quibus modis, qua industria, qua arte spiritum fornicationis vicerint ii, qui nunc coronantur ac triumphant in cœlis. Postremo Sacramenta illa potentissima et saluberrima confessionis et communionis, si frequentare volueris, vel octavo vel quintodecimo quoque die, vel ut minimum mensibus singulis, profecto vim et efficaciam hujus medicamenti experieris. In ipso vero conflictu summo observare debes, ut primas cogitationes repellas: Nolo sinas cogitationes crescere, inquit B. Hieronymus, *dum parvus est hostis interfice*. *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram*. Parvuli nostri primæ sunt cogitationes: petra autem Christus est. Itaque si tibi beneconsultum cupis, si victoriam in isto conflictu desideras, allide parvulos tuos ad petram: statim atque oboritur turpis cogitatio, defige oculos mentis in vulnera Domini nostri Jesu Christi. Cogita serio atque attente, ideo Deum ipsum tam atrociter vulnerari voluisse, ne animus tuus turpibus cogitationibus vulneraretur. Neque dubites quin ex illis sacratissimis fontibus Salvatoris scaturient aquæ, quæ ardorem tuæ libidinis cogitationum et desideriorum extinguunt. Si vero remedium istud non proderit, quod tamen raro ad modum accidere solet, converte oculos mentis in illas vivas et sempiternas flammæ gehennæ, quæ omnes impuros et impudicos cremabunt. Cogita quid erit propter unam brevem,

turpem, exiguam voluptatem ignem gehennæ maximum et non diuturnum, sed æternum absque ullo fine tolerare, ubi numerabis mille annos, et iterum mille, et decem milia, et mille millia, et millies mille millia, et semper erit initium. Ista æternitas pœnarum, dubium esse non potest, quin si fideli animo atque

attente perpendatur, statim extinguat, aut mitiget sensum libidinis. Hæc sunt igitur remedia, ista sunt arma, istis utamur, et victoriam procul dubio consequemur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XXVI.

DE DOMINICA LÆTARE

THEMA

De Evangelio quinque panum. *Joan. vi.*

SYNOPSIS

Christus, ut se mundi auctorem et parentem hominibus probaret, factum Apellis imitari visus est. Quomodo ipse pro humana salute assidue discurrendo se fatigarit; verba Christi homines patienti vi trahebant, idque potissimum ob miraculorum virtutem, et quare hoc a simili ostenditur. Conciliatio textus Evangelici, qui sibi contradicere videbatur. Tres causæ, cur Christus signa et prodigia faciebat, asseruntur. Undenam omnis hæresis et schismatum causa orta sit, luculenta narratione patefit, nempe quod plurimi Christum non propter Christum, sed ut de panibus ejus manducant, quærent. Causa redditur, cur Christus mons ipse plerumque montibus fuerit delectatus, nimirum ut nos eum ad montem omnium perfectionum sequeremur. Cur itidem in solitudinem secesserit. Prælatorum esse, subditis in miseria constitutis sollicitè providere, Christi exemplo docetur. Panes istos figuram fuisse Eucharisticæ ex multis alatis probatur. Eucharistiam esse cibum benevalentium, non ægrorum; et quomodo sordes pedum, id est peccata ante mensæ hujus cælestis accessionem sint abluendæ disseritur. Secunda pars reliquam textus explicationem continet; ubi docemur injurias æquo animo ferre, Christi exemplo, qui hic et alias injurias sibi illatas benefactis arguere consuevit. Cur Christus ante fractionem panis, et non post, gratias egerit. De multiplicatione panum

paucula quædam inseruntur. Cur potus hic nulla fiat mentio. Quinam sint fructus elemosynæ tam corporalis quam spiritualis, demonstratur. Christum singulis annis nobis panes multiplicare, et aquam in vinum convertere probatur. Quatuor egestatis causæ adducuntur. Prima est diffidentia de providentia Dei. Secunda divitum avaritia et tenacitas. Tertia, pauperum superbia, luxuria et ebrietas. Quarta, divitum superbia et luxus, quæ singula oratoria ante exaggerantur. Tandem exhortatio ad liberalitatem in pauperes epilogi vices sustinet.

Pictorum principem Apellem, auditores optimi, cum is Rhodum ad Protogenem venisset, et officinam quamdam tanto artificio duxisse scribit Plinius, ut ex ea facile Protogenes intellexerit, Apellem esse, qui ad se venisset: nec enim linea tantæ tenuitatis, ut prope aciem oculorum effugeret, alium, quam Apellem auctorem habere poterat. Tale quiddam mihi esse videtur, quod in hodierno evangelio de mundi hujus architecto et molitore Christo B. Joannes Evangelista commemorat. Scribit enim eum, cum ad nos ex illo suo cælesti domicilio descendisset, et hujus pucherrimi operis, quod a perfectâ absolutaque elegantia Græci κόσμον nos mundum appellamus, auctor ac parens credi vellet: nec ignoraret homines solis verbis non facile sibi fidem adhibituros esse, lineam unam quam nemo omnino imitari posset, illo suo divino penicillo duxisse, et rem mundo miraculi, et prodigii plenam os-

tendisse. Siquidem quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia pavit. At si ipsum facinus, et nostram infirmitatem consideres, res est ejusmodi, quam hodie Dominum effecisse Evangelista scribit, ut vires rerum creaturarum exuperet, et omnium hominum, atque angelorum facultatem ac potentiam vincat. Quocirca non immerito, qui tantæ rei spectatores esse potuerunt, auctorem ex opere agnoscentes, lætissimis vocibus acclamaverunt: *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Quanti vero præclarissimum hoc signum divini Evangelistæ faciendum censuerint, vel ex eo cognosci potest, quod cum alia (nisi fallor) omnia nostri Liberatoris signa, atque prodigia vel ab uno, vel ab alio prætermissa sint, hoc unum ab omnibus summa diligentia maximaque consensione æternis litteris mandatum, et ad omnem posteritatis memoriam consecratum est. Adeste igitur animis, auditores, et dum vobis historiam Evangelicam, quo hoc pulcherrimum facinus continetur, expono, quæso, diligenter, ut facere consuevit attendite.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Nihil omnino temere aut casu sapientissimus Dominus faciebat. « Nec enim unquam temeritas, ut Tullius ait, cum sapientia commiscetur. » Cur igitur abiit trans mare Galilææ; quod est Tiberiadis? Concionem, et longam et utilem Dominus ad Judæos habuerat, ut ex capite superiori intelligi potest: verum cum se nihil proficere apud eos animadverteret, quod illi obstinatione quadam voluntatis, et oculos, ut non viderent, et aures, ut non audirent, clausissent egressus ab eis trans mare Galilææ; non secus ac prudens medicus, cum de salute ægroti desperat, eum deserit, atque ad alios curandos studium suum ac diligentiam confert. Rursum nihil est, cui minus conveniat stare, et quiescere, quam soli, cum ipse sit, qui universo orbi lumen et calorem impartit. Dominus autem se justitiæ solem, et mundi lucem esse non ignorabat; neque ullo modo oblivisci poterat, non alia de causa se mundo tenebris densissimis obruto illuxisse, quam ut suo fulgore tenebras dissiparet, et homines in umbra mortis sedentes illustraret. Quocirca pene numquam quiescebat, et nunc in Galilæam ab Jerusalem descendebat, nunc iterum a Galilæa in Jerusalem ascendebat, nunc Samariam obibat, nunc mare transmittibat, nunc Tyri et Sydonis fines peragrabat, nunc ad urbes et oppida se confere-

bat, nunc etiam solitudines et loca deserta perlustrabat. Abiit igitur ex Judæa trans mare Galilææ, ut tamquam verus Sol lumen præsentiae suæ illis etiam regionibus exhiberet. Deinde non solum verbis, sed etiam factis Dominus loquebatur, et res futuras non tantum multo ante prædicebat, verum eas etiam interdum rebus gestis imitabatur, atque adumbrabat. Excessit igitur ex Judæa, Judæisque in sua obstinatione et cæcitate relictis. Tiberiadis mare transmittit ut jam nunc ostenderet *de Sion legem exituram ac verbum Domini de Jerusalem*: et apostolos aliquando ad Judæos dicturos, *nobis quidem oportebat primum prædicari verbum Domini; sed quoniam repellitis illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Postremo abiit Dominus trans mare, et in loca deserta se contulit: tum ut majorem sitim audiendi verbum Dei in iis, quos ad aliquod tempus deserebat, excitaret; tum ut miraculi patrandi et potestatem suam ostendendi, in panum et piscium multiplicatione opportunitatem haberet. *Abiit igitur trans mare Galilææ quod est Tiberiadis*, hoc est, ultra eum lacum, qui in finibus Galilææ jacet, quique Tiberiadem civitatem affluit.

Et sequebatur eum multitudo magna. Verba Domini, auditores, quasi quædam jucundissima symphonia, undique homines attrahebant. Neque mirum id nobis videri debet: non enim eloquens aut sapiens aliquis loquebatur; sed ipsum Dei verbum, ipsa Dei sapientia loquebatur. Certe plusquam Tullius hic, plusquam Demosthenes hic, plusquam Salomon hic: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Itaque quod falso poetæ de suo Orpheo jactant, id nos vere de Christo affirmare possumus: Nempe: currebant post eum, non quidem arbores et feræ, figmenta sunt hæc; sed rudes et agrestes homines et obliti tectorum, obliti prolium, obliti rei familiaris, obliti operum studiorumque suorum, etiam in desertissimas solitudines, et ad multa milliaria Dominum sequebantur, *et sequebatur*, inquit, *eum multitudo magna.* Solebant olim, qui columbas aucupabantur, ut magnus Basilius ad Julitam scribens ait, tali quadam arte atque industria uti: Columbam unam, quæ longo usu ad ædes domini sui redire didicisset, unguento quodam ungebant, cujus odor gratissimus esse columbis perhibetur, tum eam ad hunc modum delibutam dimittebant. Illa de more per aerem volans varia loca pera-

grabat; quotquot vero columbæ in eam incidebant, omnes gratissimo illo odore allectæ, ei se adjugebant, atque hac ratione, quæ sola egressa fuerat, innumeris deinde sodalibus comitata, et quasi stipata rediit. At eundem igitur modum, cum Deus optimus et sapientissimus auceps intelligeret homines quasi columbas sine corde ex paradisi nidis et cubilibus evolasse, et misere quotidie ab accipitribus rapi atque occidi videret, cuperetque eas ad sua domicilia et nidos revocare, accepit columbam unam nostri videlicet liberatoris innocentissimam humanitatem, et eam omnium gratiarum et virtutum unguento perunctam in medium aliarum columbarum misit. Hinc igitur fiebat, ut quocumque Dominus pergeret, multitudo magna eum sequeretur. Alii siquidem odore operum allecti currebant, et clamabant: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui*: Alius odore virtutum et innocentiae delectatus currebat, et clamabat: *Magister, sequar te quocumque ieris*. Ecclesia vero adhuc currit et clamat: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*.

Sequebatur igitur illum multitudo magna. Quamobrem? Quia videbant, inquit, signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Ecce quali odore trahebantur isti, nempe signorum et prodigiorum, Dominus enim turbas istas cœlestium et spiritualium bonorum nondum capaces, curationibus corporum, veluti quibusdam muneribus alliciebat, ut hinc ad majora ascendere, et animorum etiam curationem desiderare, atque ab eo petere inciperent. Nonne apud Horatium legistis:

Pueris dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima?

Ita fieri solet, munusculis quibusdam alliantur pueri, ut prima elementa perdiscant. At ubi adoleverint, et philosophorum aut jurisconsultorum scholas frequentaverint, jam eos profecto puderet accipere crustula. Sic etiam Deus cum hominibus facit. Nam, ut B. Augustinus, libro quinto de civitate Dei sapienter docet, cum videret homines quasi pueros res istas ludicras, regna, imperia, opes, honores, et alias (dicam enim) nugas magnificere, et ea a suis idolis et simulacris petere, cœpit hæc ipsa suis cultoribus tradere, ut Constantino et Theodo-

sio et aliis nonnullis, quos, ut ipse Augustinus loquitur, tantis implevit muneribus, quanta nemo auderet optare. Nimirum, ut vel hac ratione ab idolis homines revocarentur. Deinde vero cum ex pueris excessissent, et ad Christianorum maturitatem pervenissent, jam non de crustulis, non de nugis, non de terrenis opibus et honoribus; sed de regno cœlesti, et gloria illa beata ac sempiterna cogitarent, et non jam a pædagogis prima elementa perdiscerent, sed ab ipso Dei verbo Doctore sapientissimo audirent: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis*. Hæc est igitur causa, quare Dominus beneficiis curationum turbas ad se trahebat, ita ut quocumque iret, eum maxima multitudo sequeretur. *Et sequebatur eum, inquit Joannes, maxima multitudo, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*.

Sed quo pacto, quæso, roget quispiam, ista vera esse possunt; *Sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa*, cum paulo post, hoc in eodem capite Dominus dicat: *Quæritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus?* Quomodo ista cohærent? quomodo non pugnant? si verum est, quod Evangelista dicit: *Sequebantur eum, quia videbant signa*: quomodo verum est, quod Dominus ait: *Quæritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus?* Duabus de causis, auditores, Dominus noster signa et prodigia faciebat. Primum, ut se verum Deum ac Dei Filium esse demonstraret. Deinde, ut miserorum ægritudinibus et necessitatibus opem ferret. Quibus tertiam, si placet, addamus, ut aliquid aliud se facturum polliceretur, ac veluti designaret. Nam cum lepram curabat, non se medicum aut chirurgum profiteri volebat; sed nimirum ostendere, se illum esse, qui nos a peccatorum, quæ per lepram significabantur, ægritudine liberare posset. Et cum hodie panes multiplicavit, numquid egregius aliquis pistor haberi aut sola corpora satiare voluit? Non sane, auditores. Quidnam igitur? Nempe docere, se, ad quem modum corpora panibus divinitus multiplicatis refecisset, ad eundem animos nostros quoque cœlesti pane refecturum. Quocirca paulo post de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento diutissime disputavit. Harum igitur trium causarum, illa prima ac præcipua erat, ut se Deum aut Dei Filium esse confirmaret, et fidem animis hominum inserendo, in iis-

dem æternæ salutis fundamentum jaceret. Quod Apostolum Joannem minime fugiebat, quippe, qui simul atque miraculum de aqua in vinum conversa exposuit, quasi miracula finem aperiens ait: *Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.* Sed quamquam Dominus hoc potissimum intuebatur, cum miracula faciebat ut homines ad finem, et verum Dei cultum adduceret: illi tamen præcipue ac pene solum externa beneficia considerabant, ut morborum curationes, ut dæmonum ejectiones, ut panum et piscium multiplicationem. Itaque quod maximi Dominus, ipsi minimi faciebant: quod Dominus minimi, ipsi maximi ducebant, quæ cum ita sint, non solum Domini, et Evangelistæ verba non pugnant, sed maxime etiam conveniunt. Quid enim B. evangelista dixit? *Sequebatur eum, inquit, multitudo maxima, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Perpendite verba postrema: *Super his, inquit, qui infirmabantur, ut ostenderet eos non tam propter signa, quam propter beneficia curationis Dominum quæsivisse.* Quid vero ipse, Dominus ait? *Quæritis me, inquit, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus,* hoc est, idcirco me quæritis, quia tam præclaro prodigio gloriam meam et divinitatem agnovistis: sed quod in maxima egestate atque inopia præter omnem spem refecti a me et recreati fueritis.

Utinam non tam aperte in homines nostri temporis hæc Domini reprehensio conveniret. *Quæritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis de panibus.* Ego, quidem auditores, ita statuo, sophismata, hæreses, tot populorum ac regnorum a vera fide defectionem, omnes denique horum funestissimorum temporum calamitates, bella, tumultus, seditiones, non aliunde occasiones habuisse, quam ex eo, quod pastores et reliqui Domini Sacerdotes, Christum quærebant, non propter Christum, sed ut de ejus panibus manducarent. Annis aliquot antequam Lutherana et Calviniana hæresis oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui etiam tunc vivebant, nulla (inquam) prope erat in judiciis Ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris litteris eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum jam erat religio. Eximius ille cleri et sacri ordinis decor perierat: vilissimo cuique ludibrio erant sacerdotes: a populis contemnebantur, despiciebantur, gravi diuturnaque

laborabant infamia. Et undenam hæc omnia? Nonne ex eo, quod pastores ordine præpostero, non præcipue gloriam Christi et ovium suarum salutem, sed panes et pisces, hoc est, redditus et proventus potissimum in Ecclesiasticis muneribus quærebant? certe Apostoli, qui primi Ecclesiæ Pontifices et pastores fuerunt, cum viderent, se à proprio suo munere, hoc est ab oratione et concionibus nonnihil impediri, quod pecuniarum, quas novi Christiani ante eorum pedes projiciebant et aliarum externarum rerum rationem habere cogentur, continuo eam curam a se rejecerunt, atque dixerunt: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos scientia et sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* At vere paucis ante annis, quam multi reperiebantur (quorum similes utinam nulli modo reperientur) qui si non verbis, certe reipsa et factis dicebant: Non est bonum nos, ut verbo Dei vacemus, reddituum et proventuum curam negligere. Ponamus in Ecclesia et in suggestu vicarium unum qui modico stipendio sit contentus, ipse prædicet verbum Dei, ipse ovium curam habeat, nos vero opibus et honoribus cumulandis et augendis instantes erimus. Hæc igitur origo, hic fons malorum omnium fuit. Nam quoniam mores corrupti, vita contaminata, sacramentorum oblivio et religionis contemptus, veluti quidam gradus ad hæreses et schismata sunt, lupis quibusdam, illa occasione exortis, qui pellem ovinam induti innocentiam et sanctimoniam simulabant, atque in Domini Servatoris doctrina cæcutientes, nescio quam libertatem Evangelicam sibi fingebant, verbi Dei puritatem pollicebantur, et Domini sacerdotes in invidiam apud populos rapiabant; continuo oves Christi non una aut altera, sed integri greges a pastoribus fugere, atque at lupos confugere incederunt.

Sed hæc jam nimis antiqua prætereamus: utinam saltem nunc nostro malo edocti, Christum propter Christum, non propter panes quæreremus. Utinam nulli essent, qui canonicatus et ecclesiastica beneficia quærent, non ut in vinea Domini laborare possint, sed ut sumptibus Domini crucifixi vivant, et *in labore hominum non sint.* Utinam omnes, quid sibi illa verba velint, intelligeremus: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus: et non ordine præpostero, pri-*

mum cibum et vestes et alia omnia quæremus, et postea regnum cœlorum, ut quoddam additamentum, habere vellemus : non secus ac ii, qui nucum ac pirorum putamina, et cortices diligenter colligunt, nucleum autem et ipsam rei medullam negligunt : quod extremæ et maximæ dementiæ argumentum est. Sed ad Evangelium revertamur.

Sequitur : *Subiit ergo in montem Jesus.* Quid mirum ? Mons ad montem accessit. Dominus enim sicut sanctus sanctorum est, ita et mons montium est. Neque tanto montes valibus altiores, editiores et superiores sunt, quantum Evangelica Christi doctrina profunditate ac sublimitate, omnem omnium Philosophorum sapientiam vincit. Deinde semper Dominus montibus dellectatus est. In Nazareth, quæ in monte sita erat, concipi voluit ; in montibus orabat ; in montibus docebat ; in monte transfiguratus est ; in monte mortuus est ; ac demum ex monte in cœlum conscendit, ut jam mirum nobis videri non debeat, si de eo in Cantico amoris dicatur : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Hæc vero omnia nos erudiunt, ut si Christi vestigia insequi, atque eum imitari cupimus, vallium, hoc est, humilium operum angustiis contenti non simus, multo etiam minus per planities vitiorum et et voluptatum incedamus ; sed semper montes ac summa vestigia virtutum et perfectionis summo studio consecutemur. Denique Dominus verba facturus, et populos ad montem perfectionis ascendendum provocaturus, ipse prior subiit in montem, ut pastores et concionatores admoneret, ut primum facerent, deinde docerent. Neque ante alios in montem virtutum et perfectionis ascendendum excitarent, quam ipsi montem eundem ascendissent. *Subiit, inquit, in montem.* Quem montem perfectionis ascendere nos Dominus voluit, quem ipse prior non ascenderit ? Quod virtutis fastigium superare nos docuit, quod antea ipse non superaverit ? Vere *cœpit Jesus facere et docere* : Vere *Subiit in montem Jesus.* Hortatur ad voluntariam paupertatem ? At *Vulpes, foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Hortatur ad mansuetudinem ? At ipse *Homo vorax et potator vini, Samaritanus et dæmoniacus* appellatus, solum hoc respondit : *Ego dæmonium non habeo.* Hortatur ad fletum amplectendum et risum fugiendum ? At ipse flevit sæpius, nunquam autem risit. Hortatur ad orandum et

vigilandum ? At ipse pernoctabat sæpius in oratione. Hortatur ad injurias condonandas ? At ipse in cruce sublatus, et injuria incredibili affectus orabat, dicens : *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Hortatur ad obedientiam et humilitatem ? At ipse *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Hortatur ad charitatem ? at charitas est, quæ ipsum ad crucem adduxit, atque in ea usque ad mortem continuit. Alioqui enim fortior erat quam Sampson ; neque funes neque clavi tenere illum unquam potuissent. Vere *Igitur cœpit Jesus facere et docere.* Vere *Subiit in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.*

Rationem reddit B. Marcus, cur Dominus in solitudinem secesserit, et ibi sederit cum discipulis suis : nempe ut paululum ab itinere et concionum laboribus conquiesceret. Apostoli enim, ut idem B. Marcus ait, cum in plurimis locis concionati fuissent, et multorum ægritudines curavissent, redeuntes Domino referebant, quæ gesserant et docuerant. Pertinet enim ad summum præsidem et pastorem cognoscere, quid præsides minores faciant, et rectene, an secus provincias sibi commissas administrent. Quocirca Episcopi et concionatores Christiani : non ex cæremonia aut consuetudine aliqua, sed ex debito et necessitate summo Pontifici et Ecclesiæ universæ capiti rerum a se gestarum rationem reddere tenentur. Et si id facere recusent, non pastores, sed fures et latrones existimandi sunt. Nonne ipse Apostolus scribens ad Galatas ait, se in Jerusalem ascendisse, ut Petrum videret, et Evangelium suum cum eo conferret, *Ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset ?* Sed a proposito non recedamus.

Cum igitur Dominus discipulos suos ex illis summis et continuis laboribus defessos esse videret, et ipse quoque non minus fessus et fatigatus esset, ait : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* *Subiit ergo in montem Jesus et ibi sedebat cum discipulis suis.* Verum vix omnes considerant, atque ad requiescendum paulisper se composuerant, cum attollens Dominus oculos vidit, quia multitudo maxima venit ad eum. Hoc imitari principes et pastores deberent, nempe ut dum ipsi in montibus honorum et dignitatum constituti, commode atque in deliciis sedent, pauperum et calamitosorum non oblisviscerentur, sed aliquando oculos ad eos converterent, eorum inopiæ et cala-

mitatibus prospicerent. Denique ut populi, nec spiritalis nec corporalis annonæ penuria et charitate laborent, quam vigilantissime providerent.

Addit hoc loco B. Marcus. *Et misertus est super eos; quia erant sicut oves non habentes pastorem: et cepit eos docere multa.* O quale et quam illustre exemplar animarum pastoribus Dominus fuit? In solitudinem se contulerat, ut paululum a concionum laboribus requiesceret; et tamen cum populos fame verbi Dei laborantes vidit, oblitus quietis iterum concionandi laborem assumpsit. Et concionem usque adeo prolixam habuit, ut apostoli dixerint: *Hora jam præterit, dimitte illos.* Addit quoque B. Matthæus: *Et curavit languidos eorum.* Quod mysterio non vacat; sed ut percipiatur, illud ante explicandum est panes istos divinitus multiplicatos, ut Origenes capite decimo-quarto Matthæum exponens sapienter docet, sacrosantæ Eucharistiæ typum ac figuram gessisse. Primum eadem penitus cæremonia Dominus hodie panes multiplicavit, et in ultima cœna eucharistiam consecravit. Quid egit cum panes multiplicavit? *Acceptis,* inquit Matthæus, *quinque panibus, aspiciens in cœlum benedixit et fregit, et dedit discipulis.* Quid egit cum Eucharistiam consecravit? omnino idem. Deinde, sicut hodie Christi omnipotentia alia corpora vertebantur in panes, ita in ultima cœna ejusdem omnipotentia panis vertebatur in carnem. Et sicut hodie quinque panes vere multitudinem incredibilem satiaverunt, et tamen nihil ex eis deperditum esse videbatur, cum duodecim cophini superfuerint: sic etiam Christus, qui hoc divinissimo sacramento continetur, vere multorum millium Christianorum animos pascit, et tamen semper totus atque integer perseverat. Rursum, ut hodie turbis Dominus cibum dedit, et potum non dedit, quod cibus ille famem simul et sitim extingueret, sic etiam, tametsi laici sub una tantum specie Eucharistiam sumant, non tamen propterea spiritali potu, hoc est, Christi sanguine fraudantur. Postremo, quemadmodum hodie turbæ istis panibus recreatæ, Dominum agnoverunt, et in laudes et actionem gratiarum erumpentes dixerunt: *Hic est vere Propheta qui venturus est in mundum,* sic etiam, qui hoc maximum et augustissimum Sacramentum, et religiose et frequenter sumunt, mirum est, quantum in Domini cognitione et amore proficiant, Fuit igitur miraculum hodiernum, typus ac figura

divinissimi Sacramenti. Nam cum de eo Sacramento Dominus longissimum sermonem habiturus esset, voluit antea hoc miraculo auditorum suorum animos præparare.

Eucharistia igitur, ut ad rem nostram veniamus cibus quidem, sed sanorum et benevalentium cibus est. Et quemadmodum ægri, si cibus sanorum vesci voluerint, se ipsos interimunt: sic etiam qui ad hoc divinissimum Sacramentum accedit, et pœnitentiæ medicamento peccatorum suorum vulnera non curavit, si prudens et sciens hoc faciat, certissimum sibi interitum comparat. *Ideo inter vos,* ait divinus Apostolus, *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* Clementissimus igitur Dominus noster sicut Apostolorum antea pedes lavit, quam eis panem illum divinum et sacrosanctum porrigeret: sic etiam hodie ante languidos curat, quam eos panes illos, qui Eucharistiæ figuram referunt, attingere patiat. O utinam, auditores, in Christianorum animis hoc altissime documentum infingeretur, aliam profecto aliam omnino Ecclesiæ speciem videremus. Undenam fieri censetis, ut qui cœlestia Sacramenta frequentant, adhuc tamen sæpe frigidi, torpentes, infirmi et imbecilles maneant? certe Dominus, quem in Sacramento illo vere suscipimus, *Ignis consumens est,* lux mundi est, cibus exquisitissimus est: *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.* Cur igitur, qui ignem tam frequenter sumimus, non ardemus? Cur alios non inflammamus? Cur verba nostra scintillæ ignis non sunt? Cur, qui lucem ipsam accipimus, non fulgemus? Cur orbem totum non illustramus? Cur vita, mores et opera nostra radii quidam lucis non sunt? Cur, qui cibo tam exquisito vescimur, et ex ipso *frumenti adipe* satiamur, non pinguescimus, non roboramur? Non alia profecto hujus rei causa est, quam quod non diligenter antea pedes nostros abluimus, neque vulnera peccatorum summo studio et sollicitudine, ut par esset, curamus. Ad confessionem accedimus quidem, sed sine dolore, sine proposito emendationis. Medicorum consiliis non acquiescimus, peccandi occasiones non evitamus. Et quid illa confessio? Quid prodest ægro, quod peritissimus medicus illum invisat; et pharmacum saluberrimum sumendum, et a certis rebus abstinendum admonet, si nihil eorum postea æger faciat, et consilio suo, non medicorum vivat? Quam multi sunt etiam, qui cum pedes sordidissi-

mos habeant, et lutum jam concretum in pedibus gerant, ipsi tamen unam simplicem lotionem sibi sufficere credunt? Non est ita, auditores, non nos ipsos decipiamus : pedes multum sordidi, multum lavandi sunt. « Quam magna deliquimus, Cyprianus clamat, tam graviter defleamus, alto vulnere diligens et longa medicina non desit : pœnitentia crimine minor non sit ». Non igitur sine causa Dominus ante languidos curavit quam typicum illis panem porrigeret.

PARS POSTERIOR.

Longius progressus sum, quam voluissem, sed non sine Domini exemplo. Ipse enim, ut paulo ante dicebamus, ita longam hodie concionem habuit, ut Apostoli dixerint : *Hora jam præterit, dimitte illos.* Atque usque ad hunc locum in evangelii explicatione perveneramus. Quid igitur Dominus respondit? *Non habent, inquit, necesse ire, date illis vos manducare.* Illi enim, qui propter spiritualia bona terrena lucra interdum negligunt, a Domino sine ulla dubitatione pascuntur. Atque hoc significare voluit, cum ait : *Non habent necesse ire, date illis vos manducare.* Cum igitur jam vellet Dominus pulcherrimo atque inusitato miraculo principium facere, dixit ad Philippum : *Unde ememus panes ut manducent hi?* Discipulum magister interrogavit, non ut ab eo consilium caperet (*Ipse enim sciebat, inquit Joannes, quid esset factururus*), sed ut ciborum necessitas explicaretur, et miraculum illustrius fieret. Nam cum ex Philippo audimus, ducentorum denariorum panes satis futuros non fuisse, ut modicum quid illa hominum multitudo acciperet : et rursus cum ex Andrea cognoscimus, non plures panes, quam quinque, nec plures pisciculos quam duos, in tota illa solitudine inventos fuisse, plane intelligimus, magno miraculo fuisse factum, ut tot hominum millia ex illis panibus et piscibus non modicum quid, sed quantum vellent acciperent : sed Domini sapientiam et mansuetudinem considerate. Audierat Philippum de potestate Domini sui quasi desperantem : *Ducentorum, inquit, denariorum panes non sufficiunt eis ut unusquisque modicum quid accipiat.* Audierat Andream exiguæ fidei verba proferentem : *Sed hæc, inquit, quid sunt inter tantos?* Poterat illos merito reprehendere et quemadmodum cum Deus populo

Israelitico in solitudine carnes polliceretur, et Moyses diceret : *Sexenta millia peditum hujus populi sunt, et tu dicis : Dabo eis esum curnium mense integro?* respondit Dominus, ut ex capite undecimo libri Numerorum intelligi potest : *Numquid manus Domini invalida est?* Sic etiam nunc dicere potuisset : numquid, o Philippe, manus mea invalida est? Sed maluit eos reipsa et beneficiis, quam verbis coarguere. Id quod nobiscum pene quotidie Deus agit. Nos illum offendimus, de eo conquerimur, ejus legem et præcepta frangimus, et ipse quid? Nos beneficiis obruit, solem suum super nos oriri facit, pluvias certis temporibus ad nos mittit, fruges nostras et omnes fructus ad maturitatem perducit. Discamus igitur, auditores, discamus ab ipso Deo, ad quem modum injurias utiliter ulcisci possimus. Si quis forte avarus, vel intemperans, vel irreligiosus, appelletur, mox cum stomacho respondebit : Non est ita, mentiris : hoc ferro ostendam, me virum probum atque integrum esse. Videte hominis dementiam, et quam stultum modum argumentandi didicerit : gladio probare vult se virum probum et integrum esse. Quid habet gladius cum probitate? Etiam si hostem ille suum occidat, numquid propterea constabit nobis, illum neque avarum neque intemperantem esse neque irreligiosum? Optimum igitur et saluberrimum ultionis genus hæc est. Avarum te appellavit? exhibe te erga illum ipsum liberalem, obrue illum beneficiis. Intemperantem te esse dixit? Sobrie vivito, jejuniis operam dato. Irreligiosum te nominavit? tu templa, sacra, conciones frequentato. Sic enim *Vinces in bono malum, et carbones ignis congeres super caput ejus.*

Verum, ut ad institutum revertamur, cum videret Dominus jam miraculi faciendi opportunitatem optimam adesse : *Facite, inquit, homines discumbere.* Magnifica vere vox, et Leonis de tribu Juda animo vere magno et excelso digna. Nihil ciborum aderat, quod mensæ inferri posset, et tamen ait : *Facite homines discumbere.* Deinde suspiciens in cœlum gratias egit. Nos convivio absoluto gratias agimus. Dominus autem ante gratias agit, quam convivium inchoetur. Cur ita, auditores? nempe ut ostendat se æque certum esse de beneficio recipiendo, ac nos sumus de accepto. Ad quem modum etiam prophetæ solent, dum res futuras prædicunt, tempore præterito uti. Nec enim

minus certum, quod veri vates prædicunt, omnino futurum, quam est certum fuisse, quod jam fuit. Post hæc accipit Dominus panes et pisces, benedicit, frangit, discipulis porrigit. Illi suscepta fragmenta discumbentibus deferebant: tum ad Christum redibant, deinde rursum a Christo ad turbas et iterum a turbis ad Christum: neque aliter de manibus ejus semper nova fragmenta panum et piscium capiebant, quam si ex perenni aliquo fonte aquas haurirent. Multa hoc loco de ista admirabili multiplicatione disputari possent, sed quoniam alia quædam magis utilia sunt dicenda, quæ sit sententia Theologorum de hac multiplicatione, paucissimis verbis aperiam. Non secus, auditores, in manibus Domini panum ac piscium fragmenta crescebant, quam tritici grana in sulcis multiplicentur. Nam sicut ex eo grana in sulcis multiplicantur, quod in frumentum terra convertitur, sic etiam hodie panis crescebat, quia Domini nutu in panem alia corpora vertebantur. Sed quod natura longo tempore et multis conversionibus facit, idem id in momento et unica mutatione creatoris omnipotentia faciebat.

Sed cur, dicat aliquis, nihil de potu Evangelistæ scripserunt? Num absque potu convivium peractum est, cum potus melior pars sit conviviorum? Certe si tale convivium in his regionibus fieret, paucos omnino convivas haberet. Fortasse igitur prævidens Dominus nostri temporis ebriosos, absque potu convivium instruxit, effecitque ut panis, et piscis, sicut famem sedabant, ita sitim extinguerent; præsertim cum hoc, ut antea exposuimus, typo divinissimi Sacramenti optime conveniret. Fortasse etiam idcirco Dominus sollicitus non fuit, quod fontes vicini essent, et ex eis aquam ad bibendum commode et sine labore habere possent.

Postremo reffectis et satiatis turbis fragmenta diligenter colligi jussit. *Et impleverunt*, inquit Evangelista, *duodecim cophinos fragmentorum*, ita ut Apostoli singuli, cophinos singulos referrent, quod etiam sine miraculo factum non est. Neque vero sine causa Dominus tantam copiam fragmentorum superesse voluit. Primum enim hoc facto miraculum longe clarius et illustrius factum est. Deinde quantus sit eleemosynæ fructus, non solum declaravit, sed pene in ipsis oculis hominum defixit. Ecce enim Apostoli quinque solos panes habebant qui ne ipsis quidem sufficerent: et tamen jussu

Domini, liberaliter eos cum aliis egentibus communicaverunt. Quid inde factum est? Primum multitudo incredibilis refecta et recreata est, deinde ipsi suos panes non modo non amiserunt, sed etiam maximo cum fœnore eos receperunt. Ita vobiscum sine dubitatione fiet, auditores, si liberales in eleemosynis erogandis fueritis. Nec enim mentiri potest qui ait: *Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino*: Neque vero id solum de corporalibus eleemosynis intelligendum est; sed etiam, si Beato Cyrillo credimus, de spiritalibus. Nam quemadmodum hodie Apostoli cum diligenter multitudini ministrassent, plenos cophinos retulerunt: sic etiam Præsules Ecclesiarum, pastores, et concionatores, qui gregem Dei verbo vitæ diligenter pascunt, plenos cophinos, in terris quidem intelligentiæ et gratiæ, in cœlis vero gloriæ et beatitudinis reportabunt. Habetis igitur, auditores, ea quæ de historia Evangelica pro temporis brevitate dicenda esse putavi.

Nunc quæstionem unam quæ multorum animos movere solet, et cujus explicatio, si recte percipiatur, longe maximam utilitatem afferre potest, paucis expedire decrevimus: et tum demum orationi finem imponemus: miraculum hodiernum tametsi maximum et præclarissimum est, tamen singulis annis in toto orbe terrarum repetitur. Qui enim hodie panes et pisces multiplicavit, idem omnino annis singulis de paucis granis segetes (ut B. Augustinus loquitur) creat, et in ipsis vitibus admirabili ratione et modo aquam in vinum convertit. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus*. Itaque sicut hodie singulari miraculo quinque hominum millia satiavit, sic etiam perpetuo providentiæ suæ miraculo singulis annis alimenta procreat, quæ toti orbi sufficere possint.

Sed si hæc ita se habent, unde tot pauperes, tot inopes, tot mendici, qui vix summis laboribus victum sibi comparare possunt? Numquid fortassis summus ille orbis moderator, non tantum annonæ comparare potest, quantum omnibus hominibus alendis satis sit? Quid extenuat, quid obscurat continuum miraculum? Quatuor vitia sunt, auditores, quæ id efficiunt, ut ex hoc ipso evangelio cognosci potest. Unum est *diffidentia*. Nam sicuti Philippus statim ab impossibili argumentari cœpit, ac dicere: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modi-*

cum quid accipiat : sic et nos facimus. Vix enim credi potest quam humiliter et abjecte de Dei providentia in rebus difficilibus et arduis sentiamus, et plus sæpe in nostris artibus et fraudibus et mendaciis confidimus, quam in Deo. Quare mirum non est si nos interdum Deus deserit, et difficultatibus obrui sinit, non secus ac si diceret : In vestris dolis et fraudibus confiditis, ipsæ igitur fraudes et doli vos liberent, sicut credidistis, fiet vobis. Hæc igitur diffidentia mirum in modum hujus miraculi splendorem obscurat. Nam sicut propter incredulitatem Nazarenorum non poterat Dominus in ea urbe multa signa facere ; ita etiam propter diffidentiam nostram sæpe nobis non affert eam opem, quam alioqui afferret. Dicam hoc planius, auditores. Si tibi Judæus aliquis mille vel duo millia coronatorum polliceatur et sygrapham ab eo scriptam et consignatam habeas, absque ulla sollicitudine dormis et tamen quid aliud miser, quam sygrapham unius infidelis habes? At vero non unam, sed multas Dei sygraphas habemus, quibus nobis omnia ad vitam istam sustentandam necessaria pollicetur et tamen solliciti ita sumus, quasi Deum vel impotentem vel mendacem vel decepturum esse crederemus? Nonne ipse Dominus ait : *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid edatis, aut corpori vestro, quo induamini : scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis?* Quid apertius? Nonne rursum ait : *Primum quærite regnum Dei et iustitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis?* Nonne Apostolus Petrus ait : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum ; quoniam ipsi cura est de vobis?* Nonne David clamat : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te nutriet?* Nonne rursum clamat : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis?* O nos beatos, si intelligeremus, quid sit Deum habere Patrem, omnipotentem habere Patrem? Et quid sibi illa verba velint : *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Quære ab aliquo parvo puero quid facies cum ista vestis detrita et consumpta fuerit? Tu parvulus es, pecunias non habes, artem faciendarum vestium non tenes : quid igitur ages? quo te vertes? nudus sis in posterum necesse est. Sed non terrebis eum, habet enim responsum in promptu : Pater meus, dicet, sollicitus erit de hoc, et nihil mihi deesse patietur. Cur igitur, auditores, non tantum vos in Deo confidimus, quantum in suis paren-

tibus confidunt pueri? Si pater noster est, si hæreditatem illam amplissimam nobis donare constituit, quomodo necessaria ad vitum non suppeditabit? certe suppeditabit ; neque nobis deesset, si nos nobis non deessemus, neque manus ei nostra diffidentia ligaremus. Sed nos egere incipimus, cum jam animum ad furtum, vel ad usuram et malas artes adjecimus. At inquis : necessitas legem non habet : sed Deum habet. Caret lege sed non Deo, cui David clamabat : *De necessitatibus meis erue me.* Et omnia potius ferenda et toleranda sunt quam offendendus Deus. Nullum enim est malum majus peccato ; nec ulla jactura cum æternæ salutis jactura comparari potest. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur et detrimentum animæ suæ faciat?*

Sed ad secundum vitium veniamus. *Divitum avaritia*, auditores, alterum vitium est, quod hoc perpetuum Dei miraculum non parum obscurat. Quære a vobis si rex noster singulis annis alicui magnam summam pecuniarum daret, ut inde omnes hujus urbis pauperes alerentur, si is cui hæc provincia commissa est, vel eas pecunias omnes, vel certe magnam illarum partem in suis oculis poneret, ac pro se retineret, nonne miraremini, si pauperes fame atque inopia laborarent, et si principis liberalitas non appareret? Ad eundem modum divites Deus instituit, tanquam principes et nutritores pauperum. Nam idcirco illis tantum opum ac facultatum largitus est, quantum non illis solum, sed et multis aliis sufficere posset. Sed cum ipsi omnia recondant, et a tinea potius, quam ab egenis consumi velint, quid miramur, si pauperes fame pereunt, et Dei miraculum obscuratur? Poterat quidem Deus omnes homines divites, vel omnes inopes facere : sed si omnes divites; ubi tunc esset patientia? Si omnes inopes, ubi liberalitas? Quoniam igitur tempus hoc ad regnum cœlorum præclaris operibus et virtutum actionibus promerendum nobis tributum est, illud Deus sapienter instituit ut alii divites essent, et misericordia et liberalitate sibi gloriam æternam compararent : alii pauperes essent, et patientia ac laboribus ad eundem felicitatis portum pervenirent. Verum avari divites Andream imitantur, ac dicunt : *Habeo quidem quinque panes, sed Hæc quid sunt inter tantos?* Quis pauperum petitionibus satisfacere posset? Et quid si anno sequente annonæ charitas invalesceret, et ego mihi e

meis ante non providissem? Neque sum ita dives, ut homines putant, imo vere, si recte cogito, ego etiam pauper sum. Ah miser, vere pauper es, pauper charitate, pauper misericordia, pauper gratia, pauper humanitate, pauper spe gloriæ sempiternæ. Et quid ita de anno sequenti sollicitus es? Quid si cœlum rueret? Quid si tunc non viveres? Communicent ergo, communicent ii, qui divites sunt, opes suas cum indigentibus, et tum ea, quæ Deus producit, omnibus abunde sufficere, et Dei miraculum splendere ac enitere videbis.

Tertium vitium, pauperum superbia luxuria et ebriositas. Pauperes illi, quos hodie tanto miraculo Dominus pavit, super viride fœnum sedebant. Quid fœno, nisi caro significatur? *Omnis caro fœnum*, inquit Isaias. Quid vero viriditas, nisi luxuriam et petulantiam designat? Itaque viride fœnum nihil aliud, quam lascive petulans, indomita ac luxurians caro est, quam omnes quidem comprimere, omnes coercere, omnes super eam sedere debemus : sed pauperes imprimis, quibus ideo Deus abundantiam rerum negavit, ut temperantiam et sobrietatem meditentur. Verum hodie nostri pauperes vestiri et epulari volunt, ut divites : et mirantur postea, si eis pecuniæ deficiunt. Quam multi reperiuntur, qui diebus festis cum suis compotatoribus ad tabernas pergunt, et ibi una hora potando consumunt, quod multis diebus summis laboribus acquisierant? Ut illos interim omittam; qui ludendo, et amando, opes suas ac si ditissimi essent effundunt. Sedeant igitur pauperes super fœnum viride, luxuriam compescant, parsimoniam discant, sobrietatem sectentur, et tum Dei providentiam non experientur solum, sed ipsis pene oculis suis videbunt.

Quartum ac postremum vitium, est superbia, et sumptus inordinati, ac pompæ nonnullorum illustrium hominum. Hic enim eorum splendor splendorem obscurat providentiæ Dei. Cur, quæso, existimatis hodie jussisse Dominum ut quod ex quinque panibus superfuerat, colligèretur, neque permittere, voluisse, ut fragmenta illa perirent? Num quod famem aut penuriam in posterum formidaret? Non sane, auditores, non hoc Dominus formidabat, qui tam facile panes multiplicare, et de integro etiam creare poterat. Sed eos admonere voluit, quibus maximas opes largitus vel largiturus erat, ut non putarent, quod sibi superesset, effundendum,

ac dissipandum esse; sed intelligerent, diligenter colligendum, et in pauperum cophinis reponendum. Non dedit Deus principibus, antistitibus et aliis nobilibus viris tributa et vectigalia vel Ecclesiastica beneficia vel amplissima patrimonia, ut equos, canes, accipitres, mimos, amicas alerent, non ut mensas mille ciborum generibus refertas atque instructas haberent, non ut sumptus immoderatos in palatiis, in vestibis, famulis, hortis, vineis, cultu et ornatu corporis facerent, non ut in assentatores atque adulatores largi atque effusi, et in pauperes parci atque avari essent. Cum Deus soli copiosissimam illam lucem donavit, jussit ut etiam eam cum rebus cæteris communicaret : et in corporibus nostris venæ majores ideo sanguine plenissimæ sunt, ut venas minores implere possint, et si hoc non faciant, totum corpus in discrimen adducitur. Ita etiam cum viri illustres et divites, qui venæ majores sunt, non solum venas minores, hoc est, pauperes non implent; sed etiam ab illis id parum sanguinis quod habent, exugunt, dici non potest, quot mala oriantur, et quam vehementer Dei miraculum obscuretur. Pauperes, auditores, similes gallinarum sunt, quæ ova pariunt, sed non sibi : atque ut arborum radices semper humo adhærent, et sordidæ ac obrutæ terra sunt, ut succum ad ramos nutriendos et augendos mittant, sic etiam pauperes circa terram, et sicut pecudes in stabulis et agris versantur, ut nihil divitibus desit. Quis humum fodit? quis terram vertit? quis serit? quis metit? quis arbores plantat? quis putat? quis colit? quis ovium, boum, equorum curam gerit? quis efficit vestes? quis cibos parat? quis domos ædificat? Nonne pauperes? Itaque pauperes veluti pedes in corpore sunt, qui pro stomacho divitum semper laborant : et tamen tanta est interdum divitum inhumanitas, ut vix necessarium victum pauperibus largiantur, quorum sanguine et sudoribus in deliciis vivunt. Si hominem aliquem videretis, qui caput ornatissimo pileo tectum gereret, manus pulcherrimis chirothecis, totum corpus splendidissimis et superbissimis vestibus, cui nec torques, nec monilia, nec annuli deessent; et tamen pedibus nudis incederet, nonne eum stultissimum esse diceretis? Quis eum non irrideret? Quis non contemneret? etsi ex frigore illo pedum morbum aliquem contraheret, et inde interiret, nonne omnes merito hoc illi evenisse censerent? Tale

monstrum sunt divites inhumani, qui tantas opes ac facultates habent, ut etiam equos et canes alere possint, qui ornatissime vestiuntur, lautissime comedunt, largissime bibunt, splendidissime habitant, et tamen non verentur pedes, qui semper pro ipsis laborant, hoc est, pauperes nudos relinquere. Et quid mirum, si ex pedum nuditate frigus concipiant, et intereant, cum erga pauperes charitatem non habeant? Nam *Qui non diligit manet in morte.*

Quare, auditores, quicumque divites sunt si Dei providentiam illustrare et ipsi valere et vivere volunt, pedes suos operiant, egenorum rationem habeant. Cum tam exiguo tempore hic in terris vivamus, cum ad alium orbem maximis itineribus properemus, cum iter difficile et periculosum teneamus, cum in eo magnæ opes impedimento potius quam adjumento sint, mirum est profecto, sapientes homines non vehementer lætari, cum oneris deponendi vel cum aliis communicandi occasionem habent. Si vi tempestatis in aliquem scopulum cum multis sociis delatus esses, unde ad terram evadere, nisi natando, non posses, et magnam vim auri et pecuniarum haberes, nonne potius a sociis

tuis peteres, ut te in ea ferenda juvarent, quam eam solus ferendo, et pecuniarum et vitæ periculum apertissimum subires? Omnes nos, auditores, nemine prorsus excepto, impetu procellæ primi parentis peccato exortæ, in scopulum hujus mundi delati sumus, ex quo ad portum beatitudinis pervenire nisi natando, et manibus pedibus laborando non possumus. Hoc a me sæpius audivistis, et singulis concionibus repetendum esset: nempe iter, quod ducit ad cœlum, neque in curru, neque in navi, neque in lectica, neque in equo ulla ratione confici posse. Iter arduum est, laboriosum est, periculis plenissimum est. Quocirca viatorem maxime liberum et expeditum requirit. *Ecce, inquit Petras, nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Et nos putamus gravissimis divitiarum sarcinis onusti hoc iter emeteri nos posse? Decipimus, auditores, fallimur, toto cœlo erramus. Consilium igitur sapientissimum capiamus, partem oneris nostri super humeros pauperum imponamus: ut hac ratione cum nostris divitiis salvi et incolumes ad portum salutis perveniamus, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXVII.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS BEATÆ MARIÆ

DE INCARNATIONE DOMINI

THEMA

Jam hiems transiit, imber abiit et recessit : flores apparuerunt in terra
nostra. *Cant. II, v. 11.*

SYNOPSIS

Exordium a dignitate et solemnitate hodierni festi sumitur, in quo nimirum felix ver, pulsa rigida h'eme, ob peccatum protoparentis nostri inducta, rediit. Quanta peracta sint hodie in sacratissimo virginis uteri templo, enarratur; videlicet creatio corporis absolutissimi, animi præstantissimi et conjunctio Dei cum homine, de quibus singulis in progressu agitur. Pulchritudo et perfectio corporis Christi ab architecti præstantia colligitur; ubi, quomodo Christus a Spiritu sancto generatus dicatur, explicatur. Corpus Christi quidem ex terra, sed tamen virginea fuisse formatum, affirmatur et confirmatur, contra Manichæum et Valentinum quorum hic corpus cæleste, ille vero phantasticum fuisse asserebat. Finis tam mirabilis corporis fuit, ut esse habitaculum summi Dei; quod ipsum in momento temporis efformatum divino miraculo fuisse demonstratur.

Pars altera explicat, quomodo Verbum caro factum sit, contra hæresin Apollinaris; deinde qualem animam Christus in tam excellenti corpore assumpserit declaratur, nempe diversam a nobis, omni gratia, virtute, scientia, prudentia, consilio, gloria et beatitudine præditam. De admirabili nexu animæ Christi cum corpore glorioso, quomodo sponte sua mortem obierit, atque de ipsa triumphum reportarit, disseritur. Sublimitas mysterii incar-

nationis convenientissimilitudine pyri sobolem mali sibi insertam habendis ostenditur. Præterea de utilitate incarnationis agitur, et cur Christus potissimum humanam naturam sibi adsciverit, ut videlicet totum mundum aliquo honoris gradu nobilitaret. Commoda incarnationis narrantur, quia est funiculus ille triplex, quod e lacu miseriæ extrahimur; quia est hostia nos Deo Patri placans; quia est mediatio et fœdus illud confirmans pacem inter Deum et hominem; quia est via cæli; quia est medicamentum plagarum nostrarum; quia est cibus in itinere; quia denique est pretium nostræ redemptionis. Tandem ut nos commodis tantis dignos exhibeamus, et maxime castitatem sectemur, gravis cæhortatio concludit.

Fuit usque adeo potens atque efficax, optimi auditores, verbum illud imperantis Dei, cum post peccatum primi hominis ait: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi*, ut repente cælum universum clausisset, solem prope extinxisset, terram quasi fulmine percussisset, aerem nubibus, et maria procellis ac tempestatibus repleverit. Denique rosas in spinas, flores in tribulos, et jucundissimum et spatiosissimum ver in ingratam et horridam hiemem commutarit. Ab eo die posteaquam Deus universum genus humanum gravi anathemate percussisset, non amplius aer serenus, nec soles blandi, nec flores redeuntis veris prænuncii videbantur,

sed omnia sibi nubes, et pluviam, et nives, et grandines et nimbi ac procellæ vindicabant. At vero hodie, o lætissima et clarissima dies, vox exultationis et salutis audita est in tabernaculis peccatorum; nempe *Hiems transit, imber abiit, et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Erigite jam tandem capita vestra, exules filii Adam, exuite indumenta mœroris, luctus in gaudium, fletus in cantum, et tristitia in lætitiã convertatur: Ecce enim *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia flores apparuerunt in terra nostra,* et Deus ex Domino ultionum factus est pater misericordiarum; ex hoste amicus, ex iudice advocatus, et anathemate sublato maledictionem in benedictionem hiemis asperitatem in veris serenitatem et spinas ac tribulos in rosas, ac lilia mutavit. *Jam enim hiems transit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Apparuit tandem, àquilonibus omnibus et dæmonibus invitis, flos ille candidus et rubicundus, qui in Cantico amoris loquitur et dicit: *Ego flos campi et lilium convallium.* Floruit tandem aliquando virga illa Jesse, de qua Isaias ante præcinuit: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet.* Et floruit in Nazareth, quæ interpretatur Florida, et mense Martio, qui est mensis florum.

Itaque, auditores, hodie primum reffloruit spes nostra, et est hæc dies quasi flos quidam omnium festorum: nisi enim hodie virga flouisset, certe post novem menses fructum non peperisset. Ac nisi festum incarnationis haberemus, nec festum natalis, nec apparitionis, nec resurrectionis, nec ascensionis, nec festum sancti ullius haberemus. Omnes igitur dies festi, omnesque christianæ celebritates in hoc die festo et in hac celebritate tamquam in flore continentur. Neque solum est hic festus dies dierum omnium caput, principiumque festorum: sed etiam ipse unus alios omnes in se dies festos quasi amplissimo quodam sinu complectitur. Est enim hodie festus dies Deo Patri, quod fecerit nuptias Filio suo. Est festus dies Deo Filio, quod naturam humanam perpetuo matrimonio sibi conjunxerit. Est festus dies Spiritui sancto, quod ei splendidissimum tempus hodie sit erectum. Est dies festus ordinibus omnium Angelorum, quia ruinæ eorum instaurari hodie cœptæ sint. Est festus dies Beatissimæ Mariæ, quod inusitato miraculo et privilegio penitus singulari se

matrem et virginem, et matrem Dei et hominis hodie viderit. Est festus dies omnibus hominibus, quod non solum hodie ab exilio revocati, sed etiam in numerum cœlestium civium adscripti, et hæredes gloriæ, ac regni amplissimi et sempiterni effecti sint. Est festus dies cœlo et terræ, elementis, arboribus, animantibus, ac ut breviter dicam, toti rerum universitati. Nam cum sit homo quasi parvus quidam mundus, gloria ac felicitas ejus, in ornamentum ac decus universitatis redundat. De hoc igitur maximo et nobis utilissimo mysterio dominicæ incarnationis duo mihi breviter explicanda esse videntur: quid novi hodie sit factum, et in quem fine sive quid sit dominica incarnatio et quæ ejus utilitas?

Quid igitur hodie factum est in illo beatissimo templo et domicilio Spiritus sancti utero Mariæ? *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Quæ sunt ista gloriosa? Primum, conditum est quoddam corpus humanum omnium corporum longe pulcherrimum: deinde creatus est animus quidam humanus animorum omnium longe præstantissimus: postremo Deus cum homine, arcano, atque recondito, atque inexplicabili quodam modo conjunctus et copulatus est. Hæc tria cum summa Angelorum admiratione et stupore totius naturæ, et non minori gloria virginis nostræ hodie facta sunt; et non alibi, quam in utero Mariæ. *Gloriosa igitur dicta sunt de te, civitas Dei.*

Incipiamus a corpore. Quis fuit auctor tam eximiæ fabricæ? ex qua materia? in quem finem? et quanto tempore ædificata est? Auctor fuit Spiritus sanctus materia sanguis virginalis, finis ut esset vivum templum divinitatis, tempus, minutissimum ac brevissimum momentum: non potest non esse admirabile opus, quod a tanto opifice, ex tam illustri materia, in tam sublimem finem, et simul tanta celeritate factum est: vereque de eo dici potest, quod scripta divina de throno Salominis prædicat: *non esse factum tale opus in universis regnis.*

Ac ut primum de artifice dicamus: Quid potentius vel sapientius Deo? *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Dei perfecta sunt opera, ei omnes viæ ejus judicia.* Neque solum Dei, sed etiam solius Dei est hoc opus. Nam quemadmodum architecti, pictores, sutores, alii que opifices opera minoris momenti per suos famulos et operarios faciunt at opera quædam majora et

excellētia nulli committunt, sed ipsi per se et suis manibus moluntur; sic etiam Deus corpora cæterorum hominum tamquam res parvas, et quasi domos rusticorum per suos operarios fabricare solet; utitur enim opera solis, stellarum et etiam aliorum hominum: at vero corpus istud, de quo nunc loquimur, quod futurum erat palatium magni regis, nulli servorum atque administratorum permisit, sed ipse solus suis manibus fabricavit. *Spiritus sanctus*, ait Angelus apud Lucam, *superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Et apud Matthæum: *Quod, inquit, in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Quid igitur de pulchritudine et elegantia hujus corporis dicemus? quod ipsa species, ipsa pulchritudo, ipse candor lucis æternæ per se procreavit? Vere *speciosus forma præ filiis hominum* fuit Christus. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus*, sponsa in Cantico amoris ait: Formosus certe vir fuit Adam: formosa mulier Eva, formosus Absolon, formosa Helena: sed *speciosus forma præ filiis hominum* non est nisi Christus. Conferte omnes cum Christo, et videbitis quatuor exiguas lampades circa lucentissimum globum solis, quæ tametsi noctu non nihil splendoris edere viderentur: tamen in meridie, et sole coruscante umbram potius, quam lumine efficiunt. Et quantum existimatis placebat Deo, et placet hoc suum opus? Certe nobis ea, quæ nos ipsi facimus multo meliora et pulchriora esse videntur, tametsi sæpe non sint, quam ea, quæ alii faciunt. Si sit in tuo pomario aliqua arbor, quam tu ipse plantaveris, rigaveris, putaveris, colueris, nonne ea tibi multo est gratior quam omnes, quas alii plantaverunt? Nonne ea cæteris omnibus trunci rectitudine, ramorum præcèritate, florum pulchritudine, fructuum suavitate antecellere tibi videtur? Quam vehementer te oblectat sedere ad umbram ejus, carpere de floribus, gustare de fructibus? Quis præterea est hominum, cui non proprii filii aliis omnibus formosiores, meliores et sapientiores esse videantur? Si igitur ea quæ sæpe per se nullam commendationem merentur, tamen quod nos ea fecerimus, nobis pulcherrima et optima esse videntur; quanti faciet Deus artifex sapientissimus hoc opus, quod ipse solus fecit, quodque non videtur, sed est omnium operum præclarissimum ac pulcherrimum?

Neque vero existimet aliquis propterea Spiritum sanctum esse patrem Christi, quod

fabricavit corpus Christi: non enim ex substantia sua Spiritus sanctus genuit Christum ad eum modum, quo filii generantur; sed ei corpus ex virgineo sanguine procreavit, ad eum modum, quo figulus efficit vasa ex luto, et architectus domum ex lignis et lateribus. Numquid figulos appellatis fortasse vasorum suorum parentes? et architectos ædificiorum? Non existimo: ita igitur et Spiritus sanctus non pater, non genitor; sed conditor, sed auctor, sed architectus, sed opifex corporis Domini fuit. Hæc de auctore.

Jam vero ex qua materia magnificentum hoc palatium ædificatum est? Non ex auro vel argento, non ex lapide pretioso aut cœlesti aliqua materia; sed ex terra. Quid? ex terra? tantus princeps, tam potens imperator domum habebit ex terra? Exigui homunciones, qui nihil aliud sunt, quam terra, tamen palatia habere non dignantur ex terra, sed ex ultimo Oriente adducunt marmora, columnas, lapides pretiosos: quin etiam lacunaria atque testudines cooperiunt auro, distingunt gemmis, exornant margaritis: et Deus quem, *Cælum et cæli cælorum capere non possunt*, in domo lutea habitabit? Admirabile et plenum stuporis est hoc quidem, auditores, et tale, ut Manichæo et Valentino, et aliis permultis cerebrum prorsus abstulerit: sed tamen verum, et a nobis constanti fide asserendum atque credendum: nempe corpus Christi domicilium divinitatis, non phantasticum, ut Manichæus putavit, neque cœleste, ut credidit Valentinus, sed terrenum, hoc est, vere ex carnibus, et nervis et ossibus compositum fuit, sicut corpora omnium nostrum sunt. De qua re nemini tutius, quam ipsi Domino credimus. Quid de se Dominus ait? *Palpate, inquit, et videte, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quid clarius? quid evidentius? Omitto quod Evangelista Joannes: Verbum, ait, non phantasma, nec cælum, sed carnem esse factum. Taceo quod apostolus Paulus ad Romanos scribens Christum *Ex semine David*; et ad Galatas, eundem Christum *Ex muliere factum esse*, clarissimis verbis testatur. Satis est unum illud ipsius Domini testimonium, quod adduximus, ad ostendendum, nihil cum impudentia et obstinatione Hæreticorum comparari posse. Quid non audeat is qui dicit Christum non aliud corpus, quam spiritale et phantasticum habere? cum ipse Christus clamet ac dicat: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis*

habere. Et si hæc veterum istorum Hæreticorum impudentia intolerabilis, sicut vere est, ita vobis videtur, nemo dubitare debet circa fidem augustissimi Sacramenti intolerabilem quoque esse impudentiam Calvinistarum. Nam nec apertius Dominus contra Manichæos, quam contra Calvinistas loquitur; nec minus commode poterant Manichæi, si adhuc magis insanire voluissent, aliquo tropo, aliqua metaphora vel metonymia se defendere quam hodie faciunt Calvinistæ. Neque tamen mirari debemus, si multi deficiunt ad calvinismum: nam etiam Manichæi et omnes Hæretici, quantumlibet absurdi et impii sectatores suos habuerunt: sed nolo digredi a proposito, nec lætitiâ hujus diei altercationibus perturbare.

Corpus igitur Salvatoris ex terra compositum est: sed ea terra, terra virgo, terra sancta, terra conservata ac designata a Deo ad hoc opus, jam inde ab æternitate fuit. Nec enim decebat, ut si Deus inter homines nasciturus erat ex alia, quam ex virgine nasceretur: sicut nec illud conveniebat, ut virgo pareret, nisi Deum pareret. Deinde si primus Adam, per quem peccatum et corruptio in hunc mundum intravit, ex terra virgine natus est: quanto magis par erat, ut secundus Adam integritatis doctor et innocentiae restitutor, ex terra virgine nasceretur. Ex purissimis igitur et virgineis sanguinibus Domini corpus fabricatum est.

At in quem finem tandem condidit Deus tam novum et tam singulare palatium? Ut in eo mens quædam sapientissima, beatissima ac divinissima perpetuo habitaret. Nec solum ea, sed ipsa etiam sapientia, ipsa beatitudo, ipsa divinitas. Siquidem hæc est domus, *Quam elegit Deus in habitationem sibi.* Et de ipsa alio loco legitis: *Sapientia ædificavit sibi domum.* Itaque sapientia Dei ipsa est quæ hoc palatium fabricavit, et non pro alio, quam pro se ipsa fabricavit. Omnia quæ sunt, a fine, propter quem fiunt quasi mensuram magnitudinis et excellentiæ capere solent. Si finis est parvus, et res ad finem est parva. Si finis est magnus, et res ad eum finem debet esse magna. Agricolæ sufficit tugurium, homini plebeio necessaria est major aliqua domus, patritius vel non mediocre palatium requirit: at regibus et imperatoribus nec ipsa palatia sufficiunt. Pro Deo igitur quale domicilium, quam amplum, quam ornatum, quam sumptuosum, quam illustre necessarium erit? *Quam domum,* ait

ipse per Isaiam, *ædificabitis mihi?* Quare cum corpus nostri liberatoris proprium sit sapientiæ domicilium et vivum templum divinitatis, dubitare non possumus nec debemus, quin sit omnium corporum præstantissimum atque pulcherrimum.

Sed quanto tempore existimatis hæc ingens fabrica ad exitum perducta est? Quo annos putatis Deus in hac mole erigenda consumpsit? O inexplicabilis potentia creatoris? non annos, non menses, non dies, non horas hæc fabrica tanti operis postulavit: sed *In momento, in ictu oculi,* ut scripturæ loquuntur, omnia perfecta atque absoluta fuerunt. Arca Noe spatio centum annorum fabricata est. Templum Domini tempore Salominis minori spatio quam septem annorum, licet architecti pene infiniti in eo operarentur, perfici non potuit: tempore vero Zorobabelis idem templum quadraginta annis rursum instauratum est. Porro palatium Salominis annis tredecim innumerabiles architectos et operarios occupatos tenuit. Et vestra corpora in quibus componendis, et cælum et elementa et omnis natura laborat, ut perfecte in utero matrum conformentur, non minus, quam dies quadraginta requirunt: nec enim omnia membra simul fiunt; sed primum formatur cor vel hepar, juxta dogmata medicorum deinde partes cæteræ: nec omnia membra simul vivere incipiunt, sed primum, quod vivit, est cor deinde posteaquam vita arcem cordis occupavit, tum paulatim ad alias partes ac membra se diffundit: neque statim atque homines incipiunt vivere, vivunt vita hominis, sed primum vitam plantarum, deinde animantium, postremo hominum. At vero Christi corpus, quod auctorem omnipotentem habuit, eodem momento, quo cœpit, absolutum perfectumque est, ut magnus Basilius oratione in sanctam Christi nativitatem docet, neque prius vixit unum genus vitæ quam aliud, neque prius vixit aut formatum est cor, quam partes cæteræ: sed uno atque eodem momento, manu summi artificis operante, sanguis virgineus, quantum ad hoc opus necessarius erat, ab alio sanguine segregatus in vase generationis positus, inde corpus conformatum, animus ei infusus, et ad hypostasim divini verbi nexu indissolubili alligatum est. O admirabile, O incredibile, O non imitabile, artificium Dei! Satis apparet te summum atque omnipotentem architectum, nec tempore, nec loco, nec operariis nec instrumentis indige-

re : sed solo verbo, solo nutu, solo imperio voluntatis res etiam maximas, et difficilimas operari. Hic est Deus noster, auditores, *Deus magnus, et vincens scientiam nostram.* Non est tui similis Deus in cœlo et in terra O quantum de tanto parente nos Christiani gloriari, o quantum in ejus potentiam confidere, in ejus pulchritudine delectari, in ejus amore conquiescere debemus ? Sed parumper si placet, respiremus.

PARS ALTERA.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Gloriosum plane corpus illud, quod in utero virginis, tamquam in officina Spiritus sancti, hodie fabricatum est : sed multo profecto gloriosior animus ille, qui in eadem officina ab eodem Spiritu sancto hodie conditus est. Nam quod Beatus Joannes in Evangelio ait : *Verbum caro factum est,* non intelligimus cum hæresiarcha Apollinare, quod verbum carnen sine animo assumerit : sed potius, ut sancti patres in Ephesina Synodo et Chalcedonensi exposuerunt quod verbum caro non inanima, sed animata, et animata animo et ratione atque intelligentia prædito factum sit. Itaque nihil est aliud, verbum factum est caro, quam Deus factus est homo. Utitur vero hoc genere dicendi B. Evangelista, propterea quod mysterium Incarnationis mysterium est summæ humilitatis, et ut Apostolus loquitur, exinanitionis Dei : et melius, aptius ac significantius humilitas et exinanitio exponitur, cum dicitur : *Verbum factum est caro,* quam si factus esse homo vel anima diceretur.

Ut igitur jam de creatione hujus nobilissimæ, et præstantissimæ mentis pauca dicamus : Quemadmodum toti humano generi datum est privilegium, animam ratione atque intelligentia præditam habere, ita communis miseria atque calamitas est, ut cum primum homines vivere incipiunt, animum habeant ignorantem, insipientem, aversum a Deo, propensum ad malum. Cujus rei partim Catholica fides, partim quotidiana experientia nos monet. Quod enim omnes ante baptismum originalis culpæ debito obstricti teneamur, docet propheta : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Docet quoque Apostolus : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors : et ita in homines*

omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Quod vere multos annos non solum absque sapientia et rerum cognitione, sed etiam absque usu rationis vivamus, testis est experientia ; omnes enim primis annis morte brutorum animantium non concilio aliquo, sed motu quodam atque impetu ferimus, et sensus duces, non rationem, sequimur. Ignorantia vero ita mentes nostras initio obtinet, ut non nisi magno labore, magno studio, magno sumptu, multis annis et multis adjumentis pelli possit. Nemo est quidem, qui natura ipsa impellente non summopere flagret cupiditate sciendi ; sed tantam interim experiuntur omnes molestiam, tantam difficultatem in ignorantia propulsanda, ut multi sint qui, nisi verberibus adigantur, malint nihil unquam discere, quam tanto labore cum ignorantia bellum gerere. Hinc igitur intelligemus, quam novum et quam gloriosum opus hodie Dominus fecerit. Siquidem animum quemdam procreavit, sed animum justum, animum gloriosum, animum gratia, virtutibus, cognitione, prudentia, consilio, gloria et beatitudine præditum. Quid novius, mirabilius, singulius, quam ut infans, qui lacte nutritur, imo qui gestatur in utero ; interius tamen animo et maximis negotiis occupetur, et mente gerat cogitationes maximarum rerum, et jam tunc incipiat agere cum Deo de reparatione generis humani ? Venit quidem Christus in terras, *In similitudinem carnis peccati,* et corpus mortale, ac laboribus, et fame et siti obnoxium habuit, ut pati ac mori pro nobis, et peccata totius mundi expiare posset, sed tamen numquam is, aut peccatum aut ignorantiam novit, qui nequitiam et tenebras nostras, suo splendore dissipaturus erat. Neque vero existimare debetis, Dominum nostrum paulatim, et ab hominibus, sicut nos facimus, didicisse. Nec enim decebat, ut magister orbis et doctor cœlestis hominibus præceptoribus uteretur. Id quod neque scribæ ipsi et pharisæi, aut ignorare aut negare poterunt : sed potius cum admiratione et stupore dicebant, *unde hic litteras scit, cum non didicerit ?* Dominus vero respondere solitus erat : *Doctrina mea non est mea ; sed ejus qui misit me, Patris ;* hoc est, sapientiam istam, quam vos admiramini, non ego vel ab omnibus didici vel meo labore quæsivi : sed eam a Patre, qui misit me, accepi, ille animum meum in momento atque in puncto temporis omni sapientia ac eruditione replevit. Acci

pite similitudinem istam. Capite vas aliquod angustissimi oris, quales amphoræ esse solent : si ejusmodi vas liquore aliquo replendum sit, nonne oportebit sensim liquorem illum infundere ? Ita sane. Si enim magnam copiam simul ejus liquoris infundere volueris, os vasis nimia illà copia obstruetur, et liquor peribit. Tales sunt intelligentiæ nostræ, auditores, vasa sunt angustissimi oris : idcirco paulatim magno labore et multo tempore cognitio rerum in animos nostros non tam infundenda, quam instillanda est. At vero Christi animus quasi vas quoddam amplissimum, ore capacissimo præditum est. Itaque sine labore, sine tempore, sine molestia, maxima copia sapientiæ et gratiæ, et gloriæ et omnium virtutum ; imo et absque mensura in eum infundi potuit. Hinc videlicet Beatus Joannes in Evangelio ait : *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis*. Et Apostolus Paulus : *In Christo omnes thesauros sapientiæ et scientiæ Dei absconditos esse confirmat*.

Jam vero quid de admirabili nexu dicemus, quo animus tam illustris, cum tam pulchro corpore conjunctus et copulatus est ? Nec est enim gemma aliqua pretiosa, quæ ita suo aureo annulo conveniat, sicut hæc illustrissima et splendidissima mens suo pulcherrimo et optime constituto corpori convenit. Nullus est animus, qui statim atque in corpus ingreditur, cum eo arctissimam amicitiam et familiaritatem non contrahat, ut non nisi vi postea separari, sejungique possit. Sed tamen non ita animi nostri arces corporum suorum possident, neque ita comuniunt, ut bello morborum et ægritudinum, vel fame, et obsidione tandem a morte non capiantur et expugnentur. At vero animus iste singularis, de quo nunc loquimur, ita corpus illud suum possidebat, ita gubernabat, ita moderabatur, ut nullum ei periculum, vel a morte, vel a morbo, vel a fame vel a siti ulla ex parte immineret.

At, inquis, tamen aliquando mortuus est Christus, et animus de corpore, vel invitus, egredi compulsus est. Imo vero, auditores, sponte sua et libera voluntate mortuus est Christus : et animus ejus ad tempus exiit de corpore et quasi fugam et debilitatem simulavit, ut mortem alliceret, et pulcherrimo stratagemate eam circumveniret et occideret. Siquidem animo isto de corpore recedente, repente mors idem corpus tamquam vacuum civitatem occupavit, et quasi victrix

ac triumphans in mœnibus sua insignia vexillaque suspendit, neque frigus, pallorem, frigiditatem abesse voluit. Sed quid interim contigit ? Post tres dies verus Dominus ejus corporis, *Dominus fortis et potens in prælio* cum jam de inferno ac dæmonibus præclarissime triumphasset, ac castra eorum, ac civitates diripisset, ab inferis rediit ut etiam de morte et corruptione triumpharet. Itaque repente corpus ipse suum obsedit, neque mortem inde fugere permisit, sed eam nihil tale cogitantem, et ejusmodi vim numquam expertam, de improvviso oppressit, suffocavit, interemit, extinxit. Itaque hoc novo et ante illum diem inaudito genere stratagematis, de ipsa morte moriendo triumphavit : *Christus enim resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*.

Venio nunc ad tertium et postremum, quod in illo Beatissimæ Virginis Mariæ útero hodie factum est. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*. Gloriosa res plane gloriosi corporis constitutio : sed nihilominus gloriosior multo gloriosissimæ animæ conditio. Corpus enim nihil est aliud, quam domicilium animi : neque animus a corpore, sed corpus ab animo nobilitatem et pulchritudinem sumit. At de gloria et splendore tertii operis, de conjunctione videlicet Dei cum homine, quid tandem dicere poterimus ? Nam illa duo priora, licet gloriosissima per se sint, tamen cum tertio comparata, ne gloriosa quidem dici debent. Sane ejusmodi res est Deus homo, Deus in carne, ut in cordis conclavi gustari, et sentiri aliquo modo possit, sed certe verbis exprimi, effarique non possit. Quis enim explicabit, imo vero quis animo et cogitatione consequi poterit, vel quanta sapientia, vel quanta potentia, vel quanta dulcedine charitatis hodie factum sit, ut unus et idem sit Deus et homo ; et nos vere Deum patrem et fratrem appellare possimus ? Quis non obstupeat, ita Deum fieri hominem, ut neque personæ multiplicentur, neque naturæ confundantur, nec in humanitatem vertatur divinitas, nec divinitas absorbeat humanitatem ? Accipite similitudinem, quæ tametsi procul abest ab hujus mysterii sublimitate, ex ea nihilominus aliquid de re tanta suspicari poterimus. Cogitate similem esse Deum hominem factum alicui piro, quæ tres ramos dumtaxat, et eos omnino æquales inter se habeat, et in uno eorum ramorum ramusculus quidam mali incertus sit : quemadmo-

dum enim ramusculus ille mali in arbore quidem piri, sed non in quolibet ejus ramo insitus est; sic etiam humana natura cum Deo quidem sed non cum qualibet ejus persona conjuncta est. Non enim Pater aut Spiritus sanctus, sed solus Filius naturam humanam assumpsit. Rursum, sicut ramus ille piri, in quo est insitus ramusculus mali, et pirus et malus diceretur, et pira et mala produceret; sic etiam secunda illa persona Dei, quæ naturam humanam accepit, Deus et homo verissime nominatur et opera divina atque humana producit. Sicut item, si ramusculus mali siccaretur, non propterea ramus piri exsiccaretur, quod non pirus a malo, sed malus a piro dependeat: sic etiam cum humana Christi natura per mortem in cruce exaruit, natura divina ejusdem nihil penitus detrimenti passa est. Postremo, quemadmodum, si ramusculus mali iterum revivisceret et floreret, non ideo ramus piri modo aliquo mutaretur: sic etiam cum Christus ab inferis rediit, et humana ejus natura refluoruit, nullam prorsus natura divina mutationem accepit: Siquidem humanitas a divinitate, non divinitas ab humanitate pendebat. Exposui breviter quid in hoc sublimissimo incarnationis mysterio contineatur. Nunc de ejus utilitate, et de hujus beneficii magnitudine pauca dicenda sunt, ut pectora vëstra incendantur, et ad tam liberalem Dominum redamandum, et ei gratias sincerissimo affectu persolvendas inflammentur.

Quis est igitur finis incarnationis? Cur Deus hodie factus est homo? Quis amore non incendatur, et ad redamandum tam liberalem Dominum non inflammetur? Cujus cor non liquefiat, si cogitare aggrediatur, quantam abyssum bonitatis et charitatis hoc factò Deus ostenderit? Disce, o homo, disce quanta in Deo sit bonitas, quanta charitas, quanta dulcedo. Sola impellente bonitate, solaque imperante charitate olim Deus in creatione ad quemdam modum naturam atque essentiam suam nobiscum communicavit. Quid enim est aliud natura omnis creata, quam quædam exigua atque obscura participatio Deitatis? Quia vero in Deo non solum natura, sed etiam persona reperitur, ut nihil nobiscum non communicaret, hodie *Verbum caro factum est*, et personæ etiam suæ communionem liberalissime nobis communicavit. Elegit vero sapientissimus Deus naturam humanam, in quam potissimum hoc munus conferret, tum quod Angeli san-

cti medico non indigerent: tum etiam, ut beneficium esset communius, latiusque pateret et non solum aliquod genus rerum, sed totus orbis, et omnis rerum universitas quasi gradum quemdam honoris et nobilitatis ascenderet. Siquidem angeli toti sunt spiritus, res cæteræ totæ sunt corporeæ: solus homo et spiritu et corpore præditus est. Itaque si Deus naturam angelicam assumpsisset, solæ res spirituales hoc munere gauderent; si vero corpus aliquod, solæ corporeæ: at cum humanam naturam, in qua omnes naturæ, tamquam in epilogo continentur, assumpsit, omnes res creatas ad majorem quamdam excellentiam et sublimitatem evexit. Hinc beatus Joannes ideo non ait, sic Deus dilexit hominem, sed, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Ex hac vero excellentissima conjunctione quis enumeret, quot commoda atque utilitates consecutæ sint? Quid enim non dedit, qui Filium suum unigenitum dedit? aut *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Cecideramus in profundissimum baratrum miseriarum, egebamus aliquo, qui funem nobis porrigeret, idcirco *Verbum caro factum est*: nempe factus est *Funiculus triplex*, qui *difficile rumpitur*, ex carne, anima, divinitate et hic ad nos dimissus facile nos de lacu illo miseræ et luto fæcis extraxit. Egebamus hostia, qua Deum nobis iratum placaremus: et erat quidem in mundo caro, quæ immolari potuisset, sed invisam oculis Dei peccatum efficiebat. Idcirco *Verbum caro factum est*: nempe dedit nobis Deus sacerdotem et sacrificium: et *Sacerdotem Sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus*, et victimam immaculatam et placentem Deo cujus oblatione facillime ipse placaretur. Egebamus mediatore, qui litem nostram cum Deo componeret. Nam ut homo suspectus erat Deo, tamquam nimis avidus utilitatis propriæ: et Deus suspectus erat homini tamquam zelator honoris et ultor injuriarum. Idcirco *Verbum caro factum est*, nempe mediator advenit, qui Deus et homo simul existens causam utriusque fideliter ageret, et cui tum Deus honorem suum, tum homo utilitatem propriam committere tutissime ac liberrime posset. Egebamus fœdere aliquo vel contractu, quo pax jam composita firmaretur, ne rursus dissensione aliqua, pace turbata, fieret *Novissimus error pejor priore*. Idcirco *Verbum caro factum est*: nempe Deus naturam nostram sibi matrimonio co-

pulavit, atque his nuptiis pax nostra perpetuo fœdere stabilita est. Egebamus via, ac veluti ponte aliquo, per quem in cœlum redire possemus; siquidem per peccatum cœlum a terra longe recesserat et chaos magnum inter nos et sedes beatorum positum erat. Idcirco *Verbum caro factum est*: nempe descendit caro mons humiliatus, vallis impleta, ac cœlum ita inclinatum, et terra ita exaltata est, ut se plane contingant, et facile atque expeditum et apertum iter viatoribus præbeant. Egebamus medicamento, quo plagæ illæ curarentur, quæ nobis descendentibus de Jerusalem in Jericho a latronibus inflictæ fuerant. Idcirco *Verbum caro factum est*: nam ante quidem medicus præsto erat, qui curaret, nec ægroti deerant, qui cura indigerent; sed medicamentum deerat, sanguis Domini. Egebamus cibo, qui nos in itinere reficeret et recrearet, ne forte deficere-mus in via: nam caro, quam comedere poteramus illa quidem erat ad manus, sed ea sola non proderat quicquam, verbum autem Dei, quod solum nutrire ac reficere poterat, cibus erat grandium, nec nostris dentibus aut palato conveniebat. Idcirco *Verbum caro factum est*, nempe dedit nobis Deus verbum in carne, panem in lacte, pharmacum salutis melle saccharoque conditum. Egebamus pretio, quo de miserrima servitute redimeremur: Siquidem per peccatum non solum vindicti hostibus nostris fueramus, sed etiam ad eam inopiam et difficultatem redacti, ut nemo seipsum liberare ac redimere posset. Idcirco *Verbum caro factum est*, nempe datus est nobis Dei benignitate frater unus dives et potens, qui nos omnes, fratres videlicet suos, sumptibus suis et posset et vellet de misera captivitate liberare. Postremo volebat Deus nos omnes de carcere ad regnum promovere, et de filiis Diaboli filios suos facere: sed ut hoc interrim credere, ac sperare possemus, egebamus argumento aliquo evidenti amoris Domini. Quis enim facile speret, aut credat, hominem parricidam, reum majestatis, supplicio extremo adjudicatum, laqueo ad collum appenso ad patibulum jam pergentem repente revocandum, a rege adoptandum et de patibulo ad solium evehendum? Idcirco, auditores, *Verbum caro factum est*. Idcirco Dei Filius factus est hominis Filius ut crederent, ac sperarent filii hominum se vere Dei filios aliquando futuros. O verbum suave! O verum Evangelium! O nuntium fau-

stissimum et felicissimum, quo promittitur salus ægrotis, indulgentia reis, captivis redemptio, servis liberatio, cæcis lumen et mortuis vita.

Hæc dies boni nuncii est. Cur enim descendit hodie nuntius ille cœlestis nisi ut peccatoribus veniam, justis gloriam, Angelis gaudium, toti orbi novum splendorem novamque lætitiā nuntiaret? Sed pars potissima hodiernæ lætitiæ nostræ est, auditores, quod nos hodie statum mutavimus, cum Deus est *De stercore erigens pauperes*, Collocavit *cum principibus populi*. O gloria! O nobilitas generis humani. Non apparuit nobis in igne nec in nube sed in carne nostra vidimus Deum salvatorem nostrum. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus* ut os nostrum et caro nostra sit, ille magnus Christus, qui nunc sedet in dextris Dei, et gubernacula clavumque tenet orbis universi. Intelligamus igitur, intelligamus dignitatem nostram, et sancta quadam atque humili superbia elati erubescamus deinceps versari cum pauperibus, mendicare, stipem, indui laceris panis, vesci cibus grossioribus ne forte fratri nostro superiori, qui *princeps est regum terræ*, nostris sordibus et abjecto genere vivendi injuriam inferamus. Qui statum mutant, etiam mores, et cibos et amicos mutare solent: neque auderet hic in terris frater principis vel præsulis alicujus vel humilibus famulis se adjungere, vel sordidum artificium exercere, semperque timeret, ne fratrem suum moribus suis offenderet. Ante hunc diem eramus omnes pauperes, mendici, servi, dissipaveramus *Substantiam* nostram, *vivendo luxuriose*, etiam porcos pascebamus in solitudine. Itaque mirum non erat, si cum bubulcis, cum rusticis, cum Dæmonibus, cum meretricibus versabamur, si ventrem de siliquis replere cupiebamus et carnis sordidissimas voluptates quasi stipem mendicabamus. At vero hodie non reges, non Pontifices, non imperatores, sed Dii quidam facti sumus, *Filii et hæredes magni Dei* et magni illius *Christi* fratres et *cohæredes*, qui est *Solus potens rex regum et Dominus dominantium*. O si aperirentur semel oculi nostri, et perspicue videremus quantam injuriam innocentissimæ et purissimæ illi carni, quam hodie Dominus assumpsit, inferant omnes adulteri, omnes fornicarii, omnes libidinum et voluptatum carnalium servi: abstinerent se profecto ab ejusmodi sordibus et castius deinceps et

continentius viverent. Quid? carnem meam Deus noster tanto honore dignatus est, ut eam super omnes angelos in throno gloriæ suæ collocaverit, et ego tam ingratus existam, ut carnem eandem servire faciam libidinibus et Dæmonibus? Quid? Tollam ego *Membra Christi, et faciam membra meretricis*? Absit, absit: alliciat mundus, blandiatur caro, vexet, stimulet, incendat, inflammet Satanas, ego tamen Domino bene propitio non inferam hanc injuriam Domino meo, qui me de patibulo ad regnum evexit, et de vili mancipio fratrem suum ac filium fecit. Veniat, quæso, in mentem castissimus ille Joseph, qui cum ab uxore domini sui ad stuprum sollicitaretur: « Ecce Dominus meus, aiebat, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non sit in mea potestate: quomodo igitur possum hoc malum facere, et peccare in Dominum meum »? Obstrictum, ligatum, vinctum me vides beneficiis Domini mei ut commovere, et peccare in eum nullo modo possim. Aspiciamus quæ comparatio esse potest, auditores, inter ea beneficia, quibus obstrictus erat Joseph, et ea, quibus nos hodie obstrinxit, atque obligavit Deus. Quid enim nobis non dedit qui Filium suum unigenitum dedit? Aut *Quomodo non etiam cum eo omnia nobis donavit*? Contulit nobis naturam, donavit gratiam, promisit gloriam, misit Filium quasi obsidem, dedit spiritum *Pignus hæreditatis*: jussit Angelis, ut nos

custodiant, toti mundo, ut nobis serviat: ipse vero tamquam amantissimus pater non removet a nobis oculos pietatis et providentiæ suæ: et quomodo poterimus igitur tot vinculis obligati nos commovere; et peccare in tam clementem ac liberalem Dominum? præsertim cum is nihil a nobis petat, nisi ut statum nostrum et dignitatem conservemus. Quare deinceps ne splendori nostro deesse videamur, induamus auream illam vestem charitatis, vescamur assidue pane Angelorum et regalibus epulis, versemur cum cælestibus illis principibus, dicamusque cum Paulo: *Conversatio nostra in cælis est*: quæramus delicias, et divitias et honores, sed dignos filiis Dei cælestis gloriæ ambitiosi, cælestium opum avari, cælestium voluptatum cupidi simus: mundum vero et ejus divitias atque oblectamenta tamquam vilissima, et nostro statu indignissima contemnamus, conculcemos, fastidiamus, et in fratrem nostrum senioresem oculos intendentes vehementer formidemus, ne dedecori illi simus, ne forte nos ipse coram Angelis Dei in futuro sæculo erubescat, in fratrum loco habere tam sordidos homines confundatur: sed potius enitamur ita nos gerere, ita statum nostrum dignitatemque tueri, ut Deus Filios, Christus fratres, Angeli socios, Jerusalem cives nos habere, agnoscere atque excipere gloriatur: quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXVIII.

IN DOMINICA PASSIONIS

VEL HEBDOMADA SANCTA DE MAGNITUDE PASSIONIS DOMINI

THEMA

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor,
sicut dolor meus. *Thren.* I, v. 12.

SYNOPSIS

Exordium a magnitudine passionis Christi sumitur, quam assidue considerare par est. Quatuor deinde fontes aperiuntur, ex quibus illa magnitudo hauritur, quorum primus est infinita Dei in nos charitas, quæ gravissima etiam tormenta levissima effecit, quod exemplis martyrum, præsertim D. Ignatii probatur. Secundus fons a primo ortum trahens est, quod sibi omnem consolationem in tanta passione undique derelictus abesse senserit, quod in Lævítico olim per duos hircos offerri solitos præfiguratum fuit. Tertius, quod in tenerrimo, quo præditus erat, corpore, hæc pertulerit. Quartus, quod omnia genera tormentorum subierit. Deinde novum præcipua passionis Christi genera graphice expressa asseruntur, et quasi representantur. Primum genus est tristitia et pavor Christi in monte Oliveti, in quo omnibus angustiis undique circumdatus erat, cui causa dederunt tormenta omnia subcunda ibi; epræsentata, peccata omnia omnium hominum sub oculis spectata, ingratitude hominum, atque dolor immensus Virgini matri inde excitandus.

Secunda pars, promissa prolixitatis excusatione alia quinque sequentia passionis Christi genera enumerat. Secundum itaque est, quod

instar mæncipii ab eo, quem ad summam dignitatem evexerat, vilissimo pretio suis inimicis sim venundatus; ubi fornicarii Juda peiores esse probantur. Tertium, quod Judæorum et Gentilium crudelitati omnes hæbentæ laxatæ fuerint, dæmone obcæcatis et obstinatis illis pectoribus insolita genera tormentorum suggerente. Quartum est, dira illa flagellatio, vilissimorum scilicet homuncionum pœna: ubi pia de illa meditatio. Quintum spinea coronatio. Sextum crucis ad montem Calvaricæ bajulatio; ubi docemur, quomodo cruceam nostram, hoc est, tribulationes sufferendo Christum sequi debeamus.

Pars tertia, prælibatis mortis Calvaricæ mysteriis, ad reliqua tria genera passionis narranda progreditur; quorum septimum est ipsa crucifixio, ubi primum Christi truculenta denudatio, deinde ipsa crucifixio suis coloribus exprimitur. Octavum est, præsentia Matris dilectissimæ, ubi passio utrinque resultans explicatur. Nonum et ultimum genus passionis Christi est, subsannatio astantium et felleu potatio; ubi demonstratur omnes Christi sensus in cruce passos fuisse. Josephi a fratribus venditi vestis sanguinolenta patri allata, figuram fuisse corporis Christi declaratur, et quomodo nostra peccata ipsum in crucem adigunt ostenditur. Deinde subjungitur gravis ad charitatem et gratitudinem exhortatio, insuper ad contritionem a minori ad majus

inductio. Epilogus denique ostendit, quanto major sit pœna gehennæ supplicio Christi, et quam certa peccatoribus immineat.

Atrocitas suppliciorum Domini tanta fuit, auditores optimi, ut vires humanæ atque angelicæ mentis exuperet, et solus Christus, qui eam pertulit, et solus Deus, qui eam ad nostram salutem instituit, quanta ejus indignitas atque acerbitas fuerit cogitatione atque intelligentia consequantur. Petræ siquidem scissæ, et monumenta aperta, et velum templi laceratum, et sol atque aer tenebris coopertus, mundus denique totus horrendis, atque ante illud tempus incognitis monstris et portentis se tantum nefas intelligere atque execrari significabant. Neque dubium est, quin *Angeli* quoque *pacis*, juxta prophetam *amore fleverint*, inter se alas colliserint, facies suas pennis velaverint, cum ministri iniquitatis indignissimis probris et contumeliis afficiebant Dominum majestatis : sed nihilo minus Dei Filius solum Patrem appellat, tamquam qui solus ejus rei magnitudinem plane cognosceret : *Tu scis*, inquit, *improperium meum, et confusionem meam et reverentiam meam*. Solus enim Pater plane intelligebat, quid Christus ejus filius pateretur, qui solus ejusdem Christus infinitam sublimitatem et majestatem cognoscebat : nec non quanta ei ex omnibus rebus creatis, atque ab hominibus potissimum reverentia atque observantia deberetur. Itaque, tu solus, inquit, cognovisti improperium meum et confusionem meam, quia tu solus non ignoras reverentiam meam. Sed quamquam hæc ita se habeant, et licet passionis Domini magnitudo omnem creatam intelligentiam vincat, tamen hortatur nos Dominus, ut quantum possumus enitamur, vim dolorum illorum, et cruciatuum intelligere : *O vos omnes* inquit, *qui transitis per viam*, qui curriculum istud humanæ vitæ perficitis, qui non hæretis in luto terrenarum cupiditatum; sed alis desiderii ad cœlestem Jerusalem magnis itineribus properatis : Vos, inquam, nolite simpliciter audire, sed *Attendite et videte, si est dolor similis, sicut dolor meus*. Quare nos hodierna die, tum ut Christo debitas gratias, justasque referamus, nostro capiti, ut vera et viva membra condoleamus : tum, ut nos ipsos ad potentiam ac tolerantiam laborum armemus, et ad insequenda Domini vestigia infracto animo accedamus, de magnitudine atque atrocitate Passionis Domini, ipso Domino

bene juvante, verba faciemus. Ac ut ordine aliquo rem tantam, tam gravem, tam utilem explicemus, et facile quicquid dixerimus, non solum intelligere, sed etiam memoria custodire possitis, quatuor quasi capita ac veluti fontes aperiemus, ex quibus magnitudo ac vehementia Dominicæ passionis, tamquam rapidus torrens profluebat, ut copiosas aquas juxta vaticinium Isaiaë, *De fontibus Salvatoris* hauriamus.

Primus fons, qui fontium cæterorum origo ac principium fuit, et jure fons fontium dici poterat, est infinita illa charitas, quæ in pectore Domini, tamquam in sua ac propria fornace, perpetuo ardebat : cupiebat Dominus, cum excellentissimo modo liberare genus humanum, tum plene atque perfecte divinæ justitiæ satisfacere : cupiebat ita plagas, ac vulnera nostra curare, ut nullæ cicatrices, nulla vestigia, nulla signa relinquerentur; et simul ita maxima illa crimina læsæ majestatis de medio tollere, ut nullæ deinceps inter nos et Deum inimicitiarum aut odiorum causæ remanerent. Sciebat se, quo plura et graviora pateretur, eo melius posse hæc sua opera ad exitum perducere, et simul propriarum virium ac fortitudinis conscius intelligebat se quamlibet gravem sarcinam, atque onus suis robustissimis humeris ferre posse. Itaque hinc fiebat, ut sine modo, ac sine, mensura se sarcina dolorum ac laborum oneraret. Conjunge mihi summam potentiam cum summa sapientia, et summam potentiam et summam sapientiam cum charitate summa : ac deinde animo complectere, si potes, quid inde fiet. Vilissimi homunciones, cum in eorum cordibus amor donari ac regnare incipit, quid, quæso, cogitant? quid meditantur? quid moliantur animo? Certe ita inardescunt interdum, ut infinita atque immensa quædam pro iis agere vel pati cupiant, quos diligunt. Cum patriarcha Jacob septem annos propter Rachel servisset, et adhuc alios septem serviturus esset, non ei tempus istud tempus annorum quatuordecim, sed paucorum dierum spatium *Præ amoris magnitudine* videbatur. Quid vero impurissimi amatores, non casti, ut S. Jacob, pro suis meretricibus semper fecerint, omnibus notum est. Sed ut omittam de amatoribus feminarum et aliarum sordium dicere, aspiciate sanctos homines, et amore divinæ pulchritudinis vehementer incensos, ut apostolum Paulum, ut martyrem Ignatium, B. Franciscum. Isti

omnes ita rapiabantur ab amore, et extra se ipsos quodammodo ducebantur, ut martyria, verbera, cruces, ignominias, ita quærent, ut aurum, et gemmas, ac lapides pretiosos mercatores quærent. Neque simplicia martyria, simplices cruces, simplices mortes, pro Domino sufficiebant illis; sed duplicia, triplicia ac multiplicia desiderabant. Audite B. martyrem Ignatium: « Ignoscite mihi, inquit in epistola ad Romanos, ego scio quid mihi expediat: nunc incipio esse Christi discipulus: ignis, crux, bestiarum instantia, abscissio, separatio, confractio, dissectio membrorum, interitus totius corporis et flagella diaboli omnia in me veniant, ut Jesum Christum merear adipisci, nihil me juvant, quæ sunt mundi hujus. Bonum mihi mori in Christo Jesu, quam regnare in finibus terræ. » Deinde quis unquam tanto affectu, et tam ex animo amicos suos rogavit, ut eum ab impendente nece liberarent, quanto affectu et quam ex animo idem iste gloriosus Ignatius Romanos rogavit, ne ipsius mortem et passionem impedirent? Itaque ardentissimi illi amatores Dei immensa quædam animo concipiebant, quæ pro Domino pati desiderarent: sed interim tamen multo minora patiebantur, quod non responderet in eis potentia charitati. Infinita pati cupiebant: sed non poterant, et idcirco Dominus non sinebat eos *Tentari supra id, quod poterant: sed faciebat cum tentatione proventum, ut possent sustinere.* At vero Dominus Christus caput martyrum et singularis doctor patientiæ, quod multo majori charitate flagraret, quam ullus unquam sanctus, quis ignorare potest? Charitas enim in Christo, tamquam in fonte, in sanctis cæteris tamquam in rivulis erat. Nam *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Itaque non cupiebat, non desiderabat: sed ardebat amore patiendi pro nobis; et sicut *Cervus ad fontes aquarum*, ita ipse ad calicem passionis anhelabat, cujus sunt illa verba: *Desidero desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Et illa: *Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Quid? quod si ad hanc infinitam patiendi voluntatem, summam quoque patiendi potentiam adjungamus, quæ moles passionis efficietur? Equidem, auditores, hoc unum argumentum, si attente ac diligenter perpendatur, solam sufficit, ut homo rapiatur extra se, et stuporem atque extasim mentis patiatur: et tum demum intelligere incipiet, quid sit quod

Dominus ait: *Attendite et videte si est dolor, sicut dolor meus.*

Alterum caput, unde vehementia passionis Dominicæ nascebatur, illud est, quod voluerit Dominus atrocissima supplicia sine ullo genere consolationis tolerare. Hoc vero secundum caput ex primo capite, tamquam rivus ex fonte, sine ulla dubitatione derivatur. Ea enim regina charitas, quæ summos dolores pati voluit Christum, eadem, inquam, omnes portas obstruxit, quibus aliquod genus solatii, sive de cælo, sive de terra ad cor ejus ingredi potuisset. Itaque non solum a discipulis, amicis, affinibus: sed ab ipso proprio parente, atque adeo a seipso derelictus, desertusque fuit, ut solus ille homo Christus cum summis doloribus et cruciatibus quodammodo luctaretur. Hinc sunt illæ voces: *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Et: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia:* Et: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Hujus rei in veteri Testamento illustrissima figura præcessit. Quid enim duo illi hirci Levitici xvi, significabant, qui pro peccato populi offerebantur Domino, quorum alter inactabatur, alter in solitudine libere dimittebatur, nisi summum illud ac divinissimum sacrificium, quo Deus et homo, Jesus Christus, pro peccatis mundi totius oblatus est Domino? Sicut enim unus hircorum occidebatur, alter in solitudinem discedebat: ita in Christo altera naturam ejus, nempe humana sola cruciabatur; altera divina videlicet, quodammodo abscedebat, et sociam suam solam in suppliciis et tormentis relinquebat. Tametsi enim, quantum attinet ad nexum hypostaticum, verbum Dei humanam naturam quam semel assumpsit, numquam dimisit; tamen quantum attinet ad consolationem, quam patienti humanæ naturæ afferre potuisset, et quantum ad intolerabilem illorum dolorum mitigationem, ac temperamentum, eam omnino deseruit. Unde quæso martyres sancti in maximis suppliciis cantabant, gloriabantur, gestiebant, exultabant: Dominus vero, qui martyribus robur et constantiam illam donavit, ita passione immittente exhorruit, ita contremuit, ita sudavit? certe non alia causa est, quam quod martyribus Dominus calicem passionis misciebat melle cælestis suavitatis, et sæpe majorem partem calicis liquor dulcissimus occupabat ut vere cum propheta dicere possent:

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificarunt animam meam. Et cum Apostolo Paulo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* At ipse Dominus sibi, ut ante dicebamus, omnes portas clausit, quibus consolatio ad eum inferri potuisset; idque non alia de causa, quam ut nos miseros atque ingratos copiose redimeret. Cogita mihi modo, quid sit bibere ejusmodi calicem passionis, plenum felle, plenum absynthio, plenum teterrimis liquoribus, sine ullo dulcedinis temperamento? Cogita, quam crucem patereris tu, si aliquo gravi morbo laborares, et nullum consolatorem haberes; omnes te desererent, etiam amici, etiam parentes et uxor, etiam filii tibi dorsum verterent, et majorem misericordiam exhiberi videres alicui cani, qui jacet vulneratus in platea, quam tibi? Jure igitur *Attendite, inquit, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Porro tertium, quod passionem Domini mirum in modum augebat, fuit teneritudo ac nobilitas corporis Domini. Quis nescit, quantum intersit inter duram aliquem rusticumque agricolam, cujus caro laboribus assueta, solis ardore exusta, imbribus, nivibus, ventis sæpe pulsata, terræ soliditatem et quasi duritiam induit; et nobilem aliquem, ac tenerum et in deliciis educatum adolescentem? nonne graviora aliqua verbera, quæ rusticus ille agricola vix sentiret, tenerum istum adolescentem pene occiderent? Jam vero Dominus Christus non erat ille quidem in deliciis enutritus, quippe qui matrem terrenarum opum egentissimam, sola fide et charitate aliisque virtutibus divitem elegerat: sed tamen corpus tenerrimum, pulcherrimum, nobilissimum, optime constitutum, et temperatum habebat, quale optimo jure esse debuit, quod auctore Spiritu sancto ex virgineis purissimisque sanguinibus conformatum fabricatumque erat. Itaque acerbissima illa supplicia, quæ quodlibet aliud corpus, quamvis durum, quamvis crassum, quamvis rusticanum, maximis cruciatibus affecissent, quid quæso suspicabimur in illo corpore fecisse, quod omnium præstantissimum fuit? An non ergo merito optimoque jure dicere potuit Dominus: *Attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus?*

Sed jam ad quartum fontem aperiendum aggrediamur. Quanta fuerit atrocitas sup-

ciorum Domini ex eo facile potest intelligi, quod non unum aliquod genus supplicii passus, sed pœnam quamdam communem et generalem, quæ omnes pœnas quasi amplissimo sinu comprehendit. Si respicias eos, a quibus passus est, invenies omnia genera hominum, omnem sexum, omnem ætatem, omnem conditionem, Judæos et Ethnicos, principes et populares, dominos et servos, viros et fœminas, amicos et inimicos simul quodammodo convenisse, et in cædem atque interitum Domini conspirasse. Si respicias ea, in quibus aliquid passus est, videbis nihil penitus esse, in quo aliquid pati possit, et in quo Dominus passus non sit. Siquidem amantissima mater gladio doloris transfixa, discipuli atque amici fugati ac dissipati, vestimenta ablata, existimatio læsa, animus mœrore oppressus. Quid de corpore dicam? Nonne singula membra singulique sensus suos et proprios carnifices habuerunt? Ac ut intelligatis, vel potius solis luce clarius videatis, non fuisse interitum simplicem vel unum aliquot genus tormenti, quo Dominus extinctus est, sed amarissimam quamdam atque acerbissimam compositionem innumerabilium cruciatuum, quorum singuli per se, si diligenter atque attente cogitentur, abunde sufficiebant, ut Dominum Christum incredibili dolore ac dedecore afficerent: enumerabo breviter novem præcipua genera suppliciorum, quæ præter alia multa illa una in se Domini passio comprehendit.

Primum igitur doloris genus fuit ille conflictus internus, illa immensa tristitia, illa anxietas cordis, illa nubes mœroris, quæ dominicum cor ita invasit, atque oppressit, ut eum quasi in agone mortis extremo constitueret. Neque id solum, sed etiam effecit, ut Dominus, qui toties solus pernoctaverat in locis desertis, jam ita paveret, ut a discipulis quodammodo peteret, ne se solum dereliquerent: *Sustinete hic, inquit, et vigilate mecum.* Neque id etiam solum, sed et illud effecit, ut toto corpore sanguinis sudor erumperet, et tam copiosus, ut ex fronte ac vultu per vestes descenderet in terram, eamque rigaret. Quæ res ejusmodi fuit, ut nullo unquam sæculo aliquid magis novum, magis monstruosum, magis portentosum acciderit. Neque vero magnopere mirabimur, auditores, si intelligamus, quam justam causam interni hujus doloris Dominus habuerit.

Siquidem anima illa beatissima ante flagellari et crucifigi, et fel atque acetum gustare voluit, quam hæc eadem corpus pateretur. Itaque anima invisibili cuidam cruci affixa fuit, quæ sua quatuor brachia et suos quatuor clavos invisibiles habuit, quæ erant quatuor acerbissima genera cogitationum. Primum enim venerunt ad mentem omnia tormenta, quæ nocte illa et sequenti die erat perpessus, et quæ corpus ordine quodam unum post aliud in diversis horis afflictura erant, ea omnia simul quasi agmine facto in animum Domini irruerunt. Et quid mirum, si tantus exercitus dolorum, tam gravium, tam immitium, tam diuturnorum sanctissimum illud corpus mœrore ac tristitia replere potuerunt? præsertim cum intelligeret Dominus, singulorum vehementiam et gravitatem, et certo sciret nihil eorum vel auferendum vel minuendum; sed totum illum calicem usque ad minimam guttam, *Usque ad fæces*, ut Scriptura loquitur, sibi exhauriendum. Deinde venerunt ad mentem peccata omnia tam præterita quam præsentia, et futura, quæ unquam in Deum ab hominibus vel commissa sunt, vel deinceps committentur. Et ita minute, ita perspicue, ut omnia mea. et omnia tua, et omnium ac singulorum hominum sigillatim, quasi omnia essent præsentia intueretur. Jam igitur is, qui tanto ardore, et zelo diligebat honorem Patris, quam vehementer existimatis affligebatur, quod tam innumerabilem multitudinem scelerum ac flagitiorum nefandorum, fœdissimorum, execrabilium, in cœlum clamantium et Dei honorem ac majestatem offendentium cerneret? Certe unius hominis peccata sufficere poterant, ut Dominum magis torquerent, quam ipsum supplicium crucis. Quid igitur facerent peccata totius mundi? Non est intelligentia, nec humana, nec angelica quæ vim hujus doloris comprehendat. Tertio loco veniebat ad mentem ingens illa ingratitude, primum Judæorum, deinde multorum Christianorum, qui sanguinem istum suum pretiosum conculcaturi erant: et simul videbat, tum horribile illud supplicium, quo post paucos annos Judæi afficiendi erant: tum intolerabiles pœnas gehennæ, quæ tantæ multitudini non solum Judæorum et Ethnicorum, sed etiam Christianorum parabantur. Quæ omnia sine dubio innocentissimum et nostri amantissimum illud cor vehementissime affligebant. Si ita dolet pater aut mater obitum unius filii, ut consolationem invenire nullo modo

possit: quantum credibile est doluisse Dominum Christum æternum interitum tot millium hominum, quos multo ardentius, quam mater filios, diligebat, et pro quibus non solum omnibus, sed etiam singulis millies mori paratissimus erat? Postremo veniebat ad mentem gladius ille bis acutus qui viscera amantissimæ Matris penetratus esset: quæ cogitatio, quis dubitat, quin frangeret ac dilaceraret pectus dominicum? Post Deum Patrem neminem ita Dominus diligebat, ut suam optimam et sanctissimam Matrem. Itaque cum sciret, quanta vehementia doloris cor illud pientissimum et innocentiissimum repente adoriri debebat, certe gladius materni doloris antea a Simeone prædictus ante cor filii quam matris penetravit, neque ad cor matris nisi per cor filii pertransivit. Hæc est igitur crux interior, isti sunt clavi, hæc est lancea, quæ sudorem illum sanguinem de corpore Domini exprimebat. Qui sicut sudor fuit omnium sudorum monstruosissimus et horribilissimus, ita signum fuit dolorum et cruciatuum inauditorum, et talium, ut cum eis nulla supplicia comparari possint.

Cogita mihi, Dominum Jesum in horto Getsemani in isto agone constitutum, tamquam alterum Isaac oblatum ad sacrificium, qui quaqua versus oculos mentis convertibat, omnia crucibus plena esse videbat, ex omni parte illæ voces in auribus ejus insonabant: *Tolle. tolle, crucifige eum*. Si discipulos suos intuebatur, videbat corda eorum pavore et mœrore plena: si studia Judæorum, videbat eos nihil aliud, quam suam necem moliri, et jam cum Juda proditore de modo et ratione capiendi se deliberare: si sanctos Patres in sinu Abrahæ quiescentes, videbat eos ardentissimis votis mortem suam implorare: si infernum inferiorem, videbat omnes dæmones in suam mortem maxime accensos et armatos, et eorum opera brevi futurum, ut principes Judæorum cum principibus Gentium in suam perniciem conspirarent: si denique in cœlos oculos levabat, videbat Deum Patrem quasi alterum Abraham cum gladio districto paratum ad immolandum; et simul intelligebat non venturum nunc angelorum aliquem, qui necem suam impediatur, sicut olim venit, et mortem Isaac et arietem futurum. Hinc ille sudor sanguineus, tam copiose fluebatur: et quales, oro, cruciatus erunt, qui sequentur, quando in ipso principio ægritudinis in agone mortis constituitur? Quid

tunc sentiet, cum revera dolores omnes illos patietur, quando sola eorum consideratio sudorem sanguineum expressit? Certesi hoc loco cum ista apud te cogitare incipies, cor tuum non moveatur et sudore sanguineo de corpore Domini erumpente lacrymæ de oculis tuis non erumpant, scito te cor lapideum, non carneum habere. Nam si flere non poteris ex amore et compassione, quomodo saltem propter multitudinem peccatorum tuorum non flebis, cum eorum sola cogitatio Dominum sanguinem sudare coegerit? Non feriebant in horto Dominicum corpus gladii impiorum, non erant flagella, vel spinæ vel clavi, quæ sanguinem illum eliciebant; sed scelera tua: hæc erant spinæ, quæ cerebrum ejus crudelissime penetrabant: hæc erat sarcina illa tam gravis, quæ Dominum opprimebat, et quam sine sudore portare non poterat. O quam caro pretio, Domine Jesu, medicamentum animæ meæ emere voluisti? O meus verus Adam, qui propter peccata, non tua, sed mea, de paradiso ejectus in sudore vultus tui lucraris panem eum, impedivit, neque inveniendum nunc arietem, qui pro se in holocaustum offeratur. Sed seipsum et Isaac quo me nutrire ac sustentare decrevisti. Benedicat igitur te cælum, et terra, et omnis creatura tua te laudet et glorificet in æternum.

PARS SECUNDA.

Concio hodierna paulo prolixior erit, quam aliæ esse soleant: itaque adhuc semel requiescendum erit, antequam ad finem perveniamus. Neque vero molestum nobis esse debet aliquid pati, dum concionem de passione audivimus: et si Dominus tres integras horas cum incredibili dolore stetit in cruce, ut ibi salutem nostram lucraretur, cur nobis grave videri debet, adhuc unam brevem horam pro nostra salute et Domini gloria in concione stare? Ut igitur ad propositum redeamus, novem genera tormentorum in passione Domini contineri dicebamus: sed eorum unum dumtaxat breviter explicuimus, nunc reliqua, non tam explicanda, quam enumeranda erunt. Nam si explicari deberent, nec novem horæ nobis sufficerent.

Alterum igitur gravissimumque supplicium passus est Dominus, cum se pretio argenti, quasi vile mancipium, venundari vidit.

Magna calamitas est, quod hoc quod natura ingenuus ac liber natus est, tamen pretio pecuniarum, sicut boves, et jumenta vendatur. At longe profecto est major, si ab amicis, et iis, in quos beneficia contulit, vendatur. Sed quanta esset, si non solum ab amicis venderetur, sed venderetur crudelissimis inimicis, qui non alia de causa emerent, quam ut eum pro sua libidine cruciarent? Dominus Christus venditus est et ab eo venditus est, quem ipse in summo gradu honoris ac dignitatis collocaverat. Nec enim est in terris aliquid majus apostolica dignitate. Et venditus atrocissimis mercatoribus, qui nihil præter sanguinem sitiabant. At quo pretio venditus est? Vilitas pretii auget in immensum injuriæ magnitudinem: Dic, Juda mercator pessime, quo pretio vendis Christum? Triginta denariis. Itane tam vile æstimas Dominum tuum? majore pretio bovem unum aut equum in foro non venderes? Non te tam vili, mihi crede, æstimat Dominus Christus. O pretium hominis! O vilitas Dei! Venditur Deus triginta denariis, emitur homo sanguine Dei. Et tu fornicator, adulter, avare, quanti facis Dominum? Quanti eum vendis! Quid, si ostendam ego tibi, te viliori pretio Christum vendere, quam vendidit Judas? Vendidit Judas Christum triginta denariis; vile pretium, sed tamen pretium aliquid boni continet, argentum. Tu vero quo pretio vendis eum? una fornicatione, una brevissima voluptate, quam sæpe multi labores et sumptus antecedunt, et semper dolor et amaritudo consequitur. Nonne igitur meliores sunt triginta argentei, qui nemini nocent, et multum prodesse possunt, si quis eis bene utatur, quam una fornicatio, quæ exhaurit marsupium, delibitat corpus, occidit animam et solum potest nocere, eaque bene uti nemo potest? Si igitur Judas hujus impiæ venditionis justas et meritas pœnas æterno tempore luet, quid de te fiet? Quæ domus te, nisi gehenna, suscipiet? Et si Dominus in horto ardorem flammaram illarum considerans ex compassione sanguinem sudabat, quid patieris tu cujus membra illæ ipsæ flammæ æterno tempore depascent? Sed pergamus ad cætera.

Tertium supplicium, vel potius fons quidam multorum suppliciorum fuit, quod fuerit ea nocte permissum dæmoni, ut per suos ministros Judæos et Ethnicos exerceret in Christum omne genus crudelitatis. Idque

verum esse, tum ex eo cognosci potest, quod Dominus apud Lucam ait: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum*: tum etiam, quod hæc erat nostris peccatis debita pœna, et Dominus eam subire voluit: ut ab ea nos vindicaret. Dedit olim Deus dæmoni potestatem in corpus B. Job, modo tamen vitam ejus non auferet: at Domini corpus sine ullâ exceptione vitæ, vel mortis dæmonis potestati, traditam fuit: hinc videlicet nata sunt nova, et antea numquam audita genera suppliciorum, quibus bellua illa cruenta per suos ministros Dominum torquebat: tum ut odio suo ac furore satisfaceret, tum ut sanctam illam animam, si quo modo fieri posset, in aliquam notam impatientiæ præcipitaret. Hinc erant colaphi illi atque alapæ, quibus Dominum, tamquam vile mancipium, percutiebant: hinc illa sputa, quæ in faciem, et os Domini, tanquam blasphemi cujusdam, impurissime jaciebant: illa indumenta, vel alba, vel purpurea, quibus Dominum, tamquam stultum et dementem vestiebant: hinc illi loci, illi risus, illa verba ironica, illæ fictæ inclinationes, quibus Dominum gloriæ tamquam regem ridiculum et principem scurrarum illudebant: hinc denique fiebat, ut toties et tanta cum ignominia Dominum ligatum, lictoribus stipatum, armatis militibus undique septum, tamquam publicum latronem, per publicas plateas deducerent. Et cujus, quæso, fuit opus si dæmonis non fuit, ille admirabilis contempus Filii Dei, quando cum Barabba latrone comparatus, et magis inutilis magisque vita indignus judicatus est, quam ille publicus sicarius? Quæ verba reperiri possunt, quibus facinus tam indignum explicetur? Quis crederet, auctorem vitæ parentem generis humani ad terras descendisse, et in ea civitate, ubi tot ægros homines curasset, tot cæcis lumen, tot surdis auditum, tot claudis gressum, tot mortuis vitam restituisset, quem omnes miseri et calamitosi appellabant, et a quo omnium suorum malorum remedia omnes accipiebant, eum cum homine facinorosissimo collatum, et minus utilem reipublicæ, commodum civitatis, minus conservandum ac retinendum, minusque dignum vita ac salute existimatum, quam illum, qui opinione patricidiorum, et extremæ crudelitatis hominibus terrori ac formidini erat? Quis ita potuisset mentem judicibus, consilium hominibus illis eripere, et eas tenebras animis illorum offundere, ut pro luce tenebras, pro Deo

latronem eligerent, nisi princeps tenebrarum? Cogitaigitur, et admirare, ad quantam humilitatem majestas illa pro te descenderit quando corpus suum dæmonum potestati permittere non recusaverit, quod sine dubio malorum omnium extremum et maximum est. Verum ad majora veniamus.

Quartum supplicium, fuit illa crudelissima flagellatio, quam Dominus in prætorio a Romanis carnificibus accepit. Quæ usque adeo vehemens fuit, ut omnes metas consuetudinum et legum excesserit, ita ut Pilatus existimaverit eam abunde ad omnem rabiem et furorem Judæorum compescendum sufficere potuisse: et certe sufficisset, nisi corda prorsus lapidea et malo dæmone plena habuissent. Est hoc unum auditores, ex magnis mirabilibus et novis spectaculis, quæ unquam orbis terrarum viderit vel audierit. Quis unquam suspicari potuisset, Dei humeros verberibus afficiendos? Sanctus David, *Altissimum*, inquit, *posuisti refugium tuum. Non accedat ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quid enim magis indignum sublimitati et majestati Dei, quam humilitas et ignominia flagellationis? Non est hoc genus supplicii honestorum hominum; sed scurrarum, sed furum, sed vilissimorum mancipiorum, et illorum, qui nullius nominis et existimationis sunt. Adeo vile fuit temporibus Romanorum virgis cædi, ut nullum Romanum etiam obscurissimum et pauperrimum hoc supplicii genere affici paterentur. Nunc vero Dominus cœli, opifex mundi, decus hominum, gloria angelorum, sapientia et virtus Dei Patris, verberibus subjicietur? Equidem ego arbitror omnes choros angelorum ad hoc spectaculum concurrisse, et attonitos ac stupefactos, eum intuebantur abyssum bonitatis et humilitatis Filii Dei, aerem vocibus et laudibus replevisse. Nam si id fecerunt in die natali, quando nihil nisi pannos et præsepe viderant, quid nunc facturi erant, quando etiam verbera et columnam videbant? Neque tempus neque vires meæ patiuntur, ut pro dignitate mysterium istud exponam. Sed quæso vos, auditores omnes, ut nullus sit, quin domi suæ cum alia omnia, tum potissimum hoc mysterium diligent ercogitet. Quid enim minus facere possumus pro Domino, quam ejus dolores et cruciatus cogitare? Itaque ingredi animo et cogitatione in prætorium Pilati, et affer tecum multas lacrymas: nam certe necessaria sunt ad ea deploranda, quæ

ibi fieri videbis. Ac primum aspice, quo modo Pilatus, ut populo furenti satisfaceret, Dominum undique proripi et nudari, ac religari et virgis cædi jubet. Aspice quomodo truculenti illi et crudeles carnifices sine ullo signo humanitatis imperata facere aggrediantur. Aspice, quam solus et quam nudus non solum vestibus, sed etiam auxilio, Dominus tuus ibi existebat inter tot scelestissimos et dæmone plenos satellites : ubi nullus patronus, nullus advocatus, nullus erat, qui unum verbum pro Domino dicere posset. Imo nec ullus oculus, qui clementer atque humane eum aspiceret. Aspice postremo, quomodo incipiunt milites illi, et omnis humanitatis expertes, carnes illas virgineas ac tenerrimas jam nudatas, atque ad columnam arctissime ligatas vehementissime verberare et omnia livoribus, plagis, vulneribus, a planta pedis usque ad verticem capitis replere. Cum tamen Dominus inter tot dolores crepitusque plagarum, nec verbis nec signis minaretur ; sed ea omnia quasi optime meritis summa humilitate et patientia toleraret. O patientiam incredibilem. O facinus inauditum ! O corda plusquam adamantina, si ad hoc spectaculum non permoveamini.

Quid si huc accedat quintum supplicii ac tormenti genus, quod non minus ignominie ac dedecoris, quam doloris et cruciatus habet ? Egredere igitur anima Christiana post illa severissima flagella, aspice *Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua* : aspice, quomodo crudelissimi carnifices, et vere non hominum, sed dæmonum ministri quasi verbera præterita, et mors confestim sequutura, et tanta copia sanguinis effusa non sufficeret, coronam de spinis texuerunt et illi adorando capiti imposuerunt, ut eum sanguinem spinarum vulnera exprimerent, cui virgæ ac verbera percerant. Quis unquam vidit, vel audivit vel legit, tale genus diadematis ? Quis istud tam crudele artificium excogitavit, quo homines et torquerentur et illuderentur ? Hoc certe Pilatus non jusserrat, hoc consuetudines et leges Romanorum non habebant, hoc apud Judæos in more positum non erat. Huccine pervenit humana crudelitas, ut ad Liberatorem mundi pœnis indebitis afficiendum vetera tormenta non sufficerent, sed nova excogitata sint ? Tuum, o Diabole, hoc artificium est. Tu qui es *rex super unversos filios superbæ*, tu regem, gloriæ, regem ridiculum videri voluisti ; tu ei spineam co-

ronam in officina gehennæ fabricasti. Sed nihil obtines, nihil proficis, sæva crudelitas. Nam istæ ipsæ spinæ oculos tuos excæcabant, et nobis medicamentum salutis conficiunt, et Christo post tres dies in radios fulgoris ac luminis convertentur.

Jam vero sextum crudelissimumque supplicium fuit, ipsa crucis gestatio. Solent iis, qui capite plectendi sunt, oculi antea velamine aliquo operiri, ne forte instrumentum illud videant, quod eis vitam auferre debet. Hic vero omne genus humanitatis excluditur ; et non solum Domino oculos non cooperiunt, ne crucem videat, sed etiam ipsam crucem super humeros ejus imponunt, ut cor et oculi prius in cruce figantur et torquerentur, quam corpus. Non recusavit benignissimus Dominus sarcinam illam, quam peccata nostra omni ferro et plumbo graviolem effucubant : imo vero summa alacritate, quasi rem diu quæsitam et concupitam, amplexus est : tametsi enim gravissima esset, tamen levissima ei ex amoris magnitudine videbatur. Itaque licet fessus, debilis, licet plagis et vulneribus confectus, tamen prompto ac devoto animo collum subiecit gravissimo jugo, quod ei amor nostræ salutis imponebat : crucem suscepit, ac sic ibat iter suum gemens, et pœnitentiam agens scelerum nostrorum, et viam sanguine ubique signabat, ut si qui essent, qui sua in humeros cruce sublata ejus vestigia sequi vellent, a recta via non aberrarent. Porro Pater et Filius sibi onus quodam modo diviserant : Filius quasi alter Isaac ligna et victimam ; Pater quasi alter Abraham ignem et gladium adferebat. Hæc enim duo, ignis et gladius ; ignis amoris nostræ salutis et gladius divinæ justitiæ, Dei Filium in holocaustum obtulerunt. O nos felices, si crucem nostram, et Christum in hoc itinere sequi sciremus ! Consolamini, consolamini, quicumque crucem tribulationum et ærumnarum in hoc mundo toleratis. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. Tollite jugum Domini super vos, invenientis requiem animabus vestris.* Dominus Christus cum maxima consolatione ac refrigerio indigebat, tunc impositam sibi crucem tota alacritate expensis brachiis charitatis amplexus est. O si hoc exemplum imitari sciremus, et in iis calamitatibus quas a mundo patimur, non peteremus a mundo consolationem ; si crucem Domini patienter ac libenter amplecteremur ! Quantam ibi requiem, quantam pa-

cem, quantam suavitatem inveniremus! Quid aliud nobis omnes calamitates facere possunt, quam ut Christum imitemur? Erat olim crux horrore et formidini, sed modo, cum Deus eam tanti fecerit, ut humeris suis eam portare voluerit, certe non nisi honori ac splendori esse potest. Homines duo, quos Deus vehementius cæteris amavit, et rebus omnibus prætulit, ii fuerunt Christus et Maria. Sed in quo, quæso, signa ista singularis amoris ostenduntur? nonne in eo, quod istis duobus omnium gravissimas cruces imposuit? Sicut non fuit unquam, nec erit inter homines melior Christo, nec inter fœminas Maria; ita non fuit, nec erit aliquis magis hic in terris afflictus et vexatus, quam Christus et Maria. Neque vero te moveat, et a cruce fœrenda absterreat, quod propter culpas tuas fortasse affligeris. Nam undecumque veniat tribulatio, modo patienter feratur, et propter Deum, salutaris crux est. Et si quidem pateris propter peccata, crucem portas boni latronis; vero innocens, magis gaude. Nam melius perfectiusque Christum et Mariam imitaris. Sed vae illis, vae illis, qui adorant crucem mortuam, et blasphemant crucem vivam et similes Judæorum sunt, qui prophetas vivos persequebantur, et mortuis sumptuosos tumulos erigebant. Quid enim est aliud adorare et laudare crucem, interim paupertatem et ignominiam et tribulationem fugere atque eas execrari, quam mortuam crucem venerari et vivam blasphemare? Non habebunt partem cum Christo, qui crucem non portaverunt cum Christo: nec poterunt esse *Socii consolationis* et *contemplationum*, qui non fuerunt etiam tribulationum et *Passionum*: et qui crucem Christi erubuerint in terris, erubescet illos Christus in cœlis coram Angelis.

PARS ALTERA.

Pervenimus tandem, auditores, ad sacrum verticem montis Calvariæ, atque adeo ad supremum culmen mysteriorum humanæ liberationis. *O quam admirabilis est locus iste. Vere non est hic aliud, quam domus Dei et porta cœli.* Hic mihi scalam illam sublimem videor, quam vidit olim patriarcha Jacob, quæ cœlum cum terra conjungit. Vel potius hic est paradisi et loci deliciarum. Quid enim sibi vult pulcherrima illa arbor in medio hujus horti collocata, in qua pendet

fructus vitæ? Quicquid sit, hic est domus orationis, et templum, atque ara, ad quam accedentibus indulgentiæ amplissimæ conferuntur. Itaque *Sitientes venite ad aquas.* Hic enim est mystica illa petra, ex qua aquæ largissime profluxerunt. Si pacem atque amicitiam cum Christo desideratis, hic est lapis quem *Erexit Jacob in titulum fundens oleum desuper.* Si vino ad vestras plagas curandas indigetis, hic est botrus de terra promissionis adductus, in crucis torculari diligenter expressus: denique hic est vasculum olei, ex quo vidua Elisæi, Christi videlicet Ecclesia, omnia sua debita facillime dissolvit: tametsi enim vasculum exiguum esse videatur, tamen quamdiu vasa, quæ impleantur, non deerunt, pretiosus liquor fluere numquam cessabit. Ascendamus igitur ad montem Domini pinguem, montem coagulatum, montem *In quo beneplacitum est Domino*, non solum habitare, sed etiam pati et mori in eo.

Septimum igitur supplicium fuit ipsa crucifixio, quæ est genus mortis non minus turpe atque infame, quam acerbum atque diuturnum. Ac primum mentis oculis intueri, quomodo durissimi carnifices Dominum iterum omnibus suis vestimentis spoliare aggrediuntur, et quanta patientia et mansuetudine Dominus non contra nititur, non resistit, et nec uno verbo injuriam istam a se deprecatur: nec aliam ob causam, quam ut nos, qui vestem justitiæ atque innocentiae perdidimus, sua nuditate vestiret. O quanta lux charitatis et bonitatis Dei mentis tuæ oculis oboriatur, si cogitare incipias, eum, qui vestit cœlum nubibus et terram floribus, jam esse non solum vestibus, sed etiam propria pelle quodammodo spoliatum? Toto quidem vitæ suæ tempore se Dominus paupertatis ac nuditatis amatorem professus est, verum numquam magis, quam in morte. Tunc enim tam pauper fuit, ut non haberet ubi caput unum super se haberet, et sicut nudus in hunc mundum intravit, ita nudus egredi voluit, ut aperte nobis declararet, sibi mundum hunc minime placuisse, nec sibi de mundi rebus quicquam adhæsisse, ac omnes desipere, ac fallere semetipsos, qui Dominum se sequi putant, et interim terrenas opes contemnere et conculcare non sciunt.

Perge deinde, ac intueri quemadmodum immites illi Dominum arripiunt et in cruce extendunt. Dum arripiunt sanctas illas ac

divinas manus et illos speciosos pedes, dignos qui perpetuo devotis osculis premerentur, et eos durissimis clavis vi malleorum transfodiunt, atque ad crucem affigunt. O quam immensum cruciatum illa hora Dominus pertulit, cum clavi illi manus illas tenerrimas et pedes speciosissimos, in quibus maxime doloris sensus viget, penetraverunt, et carnem, ossa, nervos, et quicquid in illis corporis partibus continetur, malleorum confregerunt! Postremo erigunt formidabile istud vexillum, quod antea humi fecerant, non palatium dimittunt, sed magna vi atque impetu cadere sinunt. Contremuit illo casu sanctum corpus in aere, et vulnera manuum ac pedum dilatata copiosissimum imbrem sanguinis profuderunt. Hoc vero genus mortis ejusmodi est, auditores, ut qui eo moriuntur, non celeriter extinguantur; sed sola vehementia ac diuturnitate doloris vitam cum morte commutare debeant.

Huc accedebat octavum supplicium, quod ex præsentiâ pientissimæ Matris non tam corpus, quam cor Domini cruciabat. Quis enim explicabit, quam crucem corda illa Matris et Filii paterentur, quando duo illa cœlestia lumina se invicem aspiciebant? Quando intuebatur Filius vultum illum amantissimæ Matris amaritudinæ passionis coopertum, cor vero gladio doloris transfixum, et illas angustias animi, quas patiebatur, et illos rivos lacrymarum, qui ex oculis ejus ubertim defluebant, et illos gemitus, quos ex intimo corde pondus illud tam gravis doloris exprimebat? Si enim, qui Christum vere et ex corde diligunt, cum istam ejus passionem contemplantur, continere non possunt flumina lacrymarum, quid fecisse credibile est Mariam, quæ mater erat, et non oculis mentis præteritam passionem contemplabatur, sed oculis corporis præsentem Filium in tali passione constitutum cernebat? O quoties attollebat mœstos oculos, ut divinam illam faciem intueretur, et in medio cursu eos revocabat, quod aspectum illum cordis tenerritudo sustinere non posset. Ego quidem arbitrator, linguas amborum præ nimio dolore quasi mutas effectas, vel nihil vel omnino parum dicere potuisse: sed tamen ad cor Virginis affectum naturalem Filii multa locutum esse, eique dixisse: Cur huc venisti, columba mea, unica mea, amata mea, dolor tuus auget dolorem meum, et magis tormenta tua quam supplicia mea me torquent. Revertere, columba mea, revertere ad arcam, do-

nec aquæ diluvii cessare incipiant; nec enim hoc loco invenies, ubi requiescat pes tuus; ubi enim orationi et contemplationi vacabis, et levabis te super te, ac facilius multo vim hujus procellæ ac tempestatis feres? Verum ad cor Filii non pauciora cor Matris respondisse, eique dixisse existimandum est: Cur id præcipis mihi, delecte uberum meorum? et quomodo possum recedere a te, nisi recedam a me? cum tu sis vita vitæ meæ et anima animæ meæ? Ita vero dolor tuus cor meum occupavit, ut nihil omnino præter illum cogitare possim sine te. Tecum igitur animus meus crucifixus est, ac tecum moriatur ac sepeliatur oportet. Ita, auditores, beatissima illa Virgo, tametsi apud crucem intolerabilem crucem patiebatur, tamen non propterea fugit, nec terga vertit cruci, ut nos doceret, crucem poenitentiae et tribulationum non deserere. Itaque non fugiebat, sed perseverabat; et non sedebat nec jacebat, sed stabat tamquam columna fortissima atque robustissima, et vera columna Ecclesiæ, et magistra apostolorum et martyrum paulo post futura: ut sicut Eva aspiciens cum voluptate arborem mortis nostræ ruinæ interfuit, ita ipsa aspiciens cum dolore arborem vitæ nostræ liberationi interesset.

Venio nunc ac postremum, gravissimum, inauditum, incredibileque supplicium. Nam cum jam Dei filius pendens in cruce extremos, immensos et innumerabiles dolores et cruciatus pateretur, et quasi pelagus quoddam amaritudinis factus esset, ac denique eam figuram et speciem præ se ferret, ut canis sic affectus corda hominum permovere posset: tamen hostes ipsius feris crudeliores et lapidibus duriores, non solum non movebantur, sed eum irridebant, eique insultabant, et sales et facetias in eum jaciebant. Neque id solum, sed cum sanctissimum illud corpus præ nimia sanguinis effusione debilitatum, et lingua, et palatum et partes interiores exsiccatae essent, atque idcirco Dominus modicum aquæ peteret ad eam sitim atque ardorem temperandum, homines illi exuti omnem humanitatem, non modo aquam ei denegaverunt; sed etiam pro aqua fel et acetum obtulerunt. O acerbissimam crudelitatem! O homines feris truculentiores! Et quid, quæso, crudelius, quid inhumanius, quid atrocius audiri vel cogitari potest? Certe diviti illi avaro, qui in gehennâ cruciabatur, etsi aqua negata fuit, at non fel amarissimum propinatum; Dei autem Filio,

non modo non datur quod petit, sed etiam tormentum ac supplicium augetur. O dulcis liberator generis humani, quis referet nobis, quæ in ista cruce pateris? Dura certe peccata mea fuerunt, et pœnitentia tua id manifeste docet. Video te regem meum in patibulo isto suspensum, ubi nihil habes, quo corpus tuum sustineas, nisi ferreos clavos. Video pondus corporis tui deorsum trahi, et vulnera manuum ac pedum semper magis ac magis dilatari ac dilacerari, et incredibilem tibi cruciatum afferre. Video te in his augustiis propter me constitutum, ut singula tua membra, singulæ partes, singuli sensus suas cruces et suos carnifices habeant. Oculi cruciantur, non solum quod propria vulnera, propriumque sanguinem cernebant; sed etiam, quod Matrem illam pientissimam et innocentissimam ubertim flentem, et corde transfixo infinito quodam dolore astantem videbant. Aures cruciabantur, quod horrendas illas blasphemias, quæ cœlum penetrabant, quæ solem obscurabant, quæ Angelos exterrebant, quæ iram ac furorem Domini Sabaoth vehementer accendebant, exaudiebant. Nares cruciabantur, quod in loco graviter olente et odorem teterrimum spirante propter cadavera hominum mortuorum supplicium collocatum sit. Lingua et palatum cruciabantur, quod in ardentissima fame et siti nil præter fel et acetum obtinere possent. Tangendi quoque sensus, qui in toto corpore diffusus est, toto etiam corpore cruciatur. Cerno caput illud splendidissimum et angelis et hominibus venerandum spinis acutissimis penetrari; manus illas potentissimas, et benignissimas quæ cœlum fabricaverant, quæ tot ægros curaverant, quæ panes multiplicaverant; et illos speciosos pedes, qui tantum in itineribus laboraverant, dum pacem et salutem hominibus nunciarent, illas, inquam, illustres manus et illos speciosos pedes clavis transverberari; reliquum corpus a contusionibus et percussionibus dehonestatum, ac sordibus, livoribus, plagis, vulneribus repletum æque conspicio, ut vere nunc non sit tibi *species, neque decor*; sed sis *vir dolorum sciens infirmitatem* et opprobriis ac doloribus, quod concupierant, saturatus.

Refert Scriptura divina, auditores quondam filios Jacob fratrem suum Joseph propriis vestibis spoliasse, et cum triginta argenteis, Juda potissimum suadente, Madiantis mercatoribus vendidisse; deinde vestem

ejus sanguinem respersam, ad Jacob patrem suum transmisisse, ac dixisset: *Vide utrum tunica filii tui sit, an non?* Eum vero veste probe cognita respondiisse: *Tunica filii mei est! fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Quid aliud vestis castissimi et innocentissimi Joseph, quam corpus Domini Servatoris significat? Hæc est illa vestis talaris, vestis polymita, quam Spiritus sanctus ex aureis filis atque argenteis contextuerat. Hanc vestem impia synagoga, fratres Domini secundum carnem, semen Abrahamæ et Jacob, Juda principe atque auctore, Domino triginta argenteis vendito totam laceraverunt ac sanguine resperserunt: quam si quis Deo Patri ira laceratam, ac fœdatam ostendat, ut videat, ac tunica filii sui sit an non, certe respondebit: *Tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Verum est, Domine pater, verum est, fera pessima devoravit eum, iniquitas mea, superbia mea, inobedientia mea devoravit filium tuum Joseph. O funestum partum! O venenatam prolem! Ecce, auditores, ecce, quid parturimus, cum superbia inflammamur, cum Deo et Ecclesiæ non obtemperamus, cum peccamus, cum fornicamur, cum inebriamur, feram pessimam parturimus, quæ suo veneno vitam ipsam extinguit. O si intelligeres, quam hoc sit verum! O si profunde semel cogitares, non tam arma Romanorum et clamores Judæorum, quam tua peccata, tuas fornicationes, tuas usuras, tua perjuria, tua mendacia, tua flagitia Dei Filium occidisse, et tamquam feram pessimam eum devorasse! O quid non faceres, quid non patereris potius, quam ut peccatum, feram tam venenatam et tam immitem, parturires?

Verum, bone Jesu, si nos sumus, qui te in crucem egimus, et tamen propter nos vitam cum sanguine tam liberaliter profudisti, quid retribuemus tibi pro omnibus, quæ tribuisti nobis? Pete, Domine, et libere pête, nihil tibi negare poterimus: vulnerasti cor nostrum charitate tua. Quid igitur, Domine faciemus? Quæ est merces tua?

Audire cupitis, fratres mei, quid Dominus petat? Ego dicam vobis, et vere ita est, nemo non fidem adhibeat: nihil cupit, nihil optat, nihil sitit Dominus magis, quam salutem tuam: hoc ei omni felle amarius est, quod te cupiat ad cœlum trahere, et tute præcipites in gehennam. Acerba crux, acerbi clavi, acerbæ spinæ, acerba vulnera et livo-

res fuerunt; sed nihil acerbius cordi ejus, quam perditio tua. Quis igitur nostrum ita ingratus, ita immitis, ita crudelis erit, ut Domino aquam salutis nostræ sitiēti fel amarissimum peccatorum propinet? Per crucem Domini, et Dominum in ea pendentem vōs oro atque obtestor, ingrediatur unusquisque in cor suum, et summa devotione et alacritate offerat Deo sacrificium suavissimum, *cor contritum et humiliatum*, dicatque apud se: Ecce ego toties Dominum meum offendi, et toties lapsus sum et relapsus sum, et numquam vere peccatum meum agnovi, numquam, ut par erat, deflevi, ex consuetudine et sola voce exteriorē confessus sum; nunc ego cum intelligam peccati gravitatem ex magnitudine passionis, quam Dominus pertulit, cum videam negotium salutis meæ negotium esse maximeserium (nec enim pro re parvi momenti Deus homo factus, et tanta et tam atrociam supplicia passus) nunc, inquam, cum hæc videam et intelligam, statuo Deo propitio aliam viam incedere, ad veram et perfectam conversionem et confessionem me præparare, ac deinceps peccatum magis quam ignem, aquam, serpentes, et quam ipsam pestem evitare. O deliberationem bonam! O te beatum, si ita feceris! Nam et tu hoc pacto reficies cor Domini crucifixi, et ego tibi nomine Christi polliceri audeo, hodie cum illo eris in paradiso: hodie, imo ac hora, hoc momento senties te erui de inferno, et respirare incipies in luce libertatis filiorum Dei, modo tibi incipiant hodie peccata vere displicere, et pristinae fornicationes et sordidæ voluptates tuæ amplius non arriserint.

At si hæc omnia te non moveant, si flamma amoris, si ignis charitatis, quam hodie in te perspicue Christus ostendit, et quæ lapides rapit, cor tuum frangere et emollire non potest; saltem moveant te illa formidabilia verba, quæ in ipsa sua passione Dominus locutus est, quæque voluit altissime in cordibus nostris infigi, cum ait: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* O sententia formidabilis et incredibilis, nisi ab ipsa Veritate pronuntiaretur! *Si in viri-*

do ligno, inquit, hæc faciunt, in arido quid fiet idest si in me, qui justus sum, qui sanctus, qui innocens sum, qui humore gratiæ semper vireo, tamen propter aliena peccata ita ignis passionis exarsit, et Pater meus cœlestis, ut odium suum implacabile contra peccatum ostenderet, me naturalem et unicum filium suum propter aliena peccata ita contrivit *in infirmitate, ut virum dolorum et novissimum virorum* efficeret, quis cogitare poterit, quid homines peccatores propter sua, et propria scelera atque facinora patientur?

Audivimus Domini passionem, et exterriti sumus, neque majus aliquid inveniri posse credebamus. Qualis igitur erit pœna gehennæ, quam ipsa Veritas prædicat multo majorem atque atrociorē esse futuram? et vere ita erit. Quando vero nihil adderetur, nisi æternitas, nonne hoc sufficeret ad eam pœnam in immensum augendam? Pependit Dominus tres horas in cruce, et omnes miramur, et jure miramur, et jure pavemus et exterremur; quid igitur facies tu in suppliciis multo majoribus, non tres honoras, non tres annos, non tria sæcula, non tres myriades sæculorum; sed sine ullo fine, et tam diu, quam diu vivet, et regnabit Deus? Neque permittas tibi a diabolo persuaderi, Dominum esse mitem et clementem et nullo modo te damnaturum: Quid? Ita stupidus eris, ut hoc tibi persuaderi sinas, te etiam innumeris peccatis obrutum non damnandum? Veni, accede, palpa manibus veritatem: *numquid filio suo pepercit* cum in eo non sua, sed nostra peccata invenit? Audistis, hodie, quam severe illum exceperit. Si igitur proprio filio suo non pepercit, et si in viridi ligno hæc fecit quomodo tibi ligno arido ad ignem præparato, nisi cito ad pœnitentiam redeas, et fontibus lacrymarum irrigatus virere ac florere incipias, quomodo, inquam, tibi parcat? Hic igitur sit finis concionis nostræ hodiernæ, ut vera ac seria pœnitentia et firmissimo proposito vitæ melioris reficiamus cor Domini crucifixi, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXIX.

IN DOMINICA PASSIONIS

SIVE

IN HEBDOMADA SANCTA

De Arbore crucis et quinque fructibus ejus, qui ex ea colligi possunt.

SYNOPSIS.

Prærogativa et encomia S. crucis tum ab efficacia et virtute, tum ex testimonio B. Chrysostomi producta, exordii loco præmittuntur, ejusque rei causa redditur. Deinde concio in quinque partes, seu quinque fructus ab arbore crucis decerptos, distribuitur. Primus fructus est, cognitio enormitatis et magnitudinis peccati, propter quod ipse Dei Filius passus est, ut illud detestaretur: hæc autem magnitudo colligitur, tum ex gravitate pœnarum, quas Deus Angelus et diversis hominibus inflixit, quod etiam similitudine ostenditur; tum ex magnitudine pretii, quia unicum Filium Deus propter peccata, et non sua, ita flagellavit. Secundus fructus est, vehementia passionum, ubi ostenditur Christum ab omnibus; in omnibus, omnia passum esse, atque quindecim præcipua passionis illius genera: narrantur. 1. a dilecta matre separatus fuit. 2. a perfido Juda traditus. 3. in horto in agone constitutus. 4. per tribunalia diversa circumductus. 5. a discipulis derelictus. 6. a vili-simis hominibus indignissime tractatus. 7. latroni Barabbæ posthabitus. 8. dire flagellatus. 9. spinis coronatus. 10. ad populum ignominiose productus. 11. crucem ipse bajulavit, et felle potatus est. 12. cruci effixus. 13. subsannatus. 14. ob præsentiam et conspectum matris et discipuli contristatus. 15. anima a corpore separata fuit. Quæ omnia præcipiti iudicio ip-

si evenerunt omni prorsus solatio destituto. Tandem gravis ad pœnitentiam et assiduam Dominicæ passionis meditationem succedit exhortatio.

Secunda pars de tribus reliquis fructibus de arbore crucis decerpendis agit. Tertius itaque est, cognitio beneficii per passionem in nos collati, quod in tribus maxime elucescere demonstratur. scilicet in consideratione bonorum nobis a Deo datorum, quæ quanta sint, vel ex eo constat, quod lapsis per peccatum ab innocentia statu omnia illa bona repromisit restitutum; deinde in modo, quo data sunt; demum in charitate, qua donata sunt. Quartus fructus est, cognitio immensæ bonitatis divinæ, quæ potissimum habetur per considerationem, quis quid, pro quibus et qua de causa passus sit. Quintus fructus est, tam eximia omnium virtutum exempla, præsertim vero nobis proponitur Christi humilitas, obedientia, patientia, constantia, mansuetudo, charitas et contemptus mundi; quas proinde virtutes jubemur imitari. Tandem ad ferventem passionis Christi memoriam recolendam testimonio S. Bernardi, et exemplo S. Francisci et S. Claræ docti, vocamur.

Encomia Sanctæ crucis, cujus mysterium tota sequenti hebdomada contemplandum, atque adorandum ab Ecclesia Catholica nobis proponitur, ita sunt, auditores optimi, et numero infinita, et magnitudine excellentia et sublimitate ac præstantia singularia,

ut si pro dignitate explicari debeant, immensam orationem merito desiderarent. Quid enim est crux Domini aliud, quam scala Jacob, clavis cœli, anchora salutis, vexillum cœlestis militiæ, arbor navis ecclesiæ, lignum vitæ in medio paradisi? Ea est potentia crucis Domini, ut per eam sanguis candorem, vulnera sanitatem, ignominia gloriam, dolor voluptatem, et mors vitam efficiat. Ea est virtus, ut sine crucis signo, nec templa dedificentur, nec altaria erigantur, nec Pontifices inungantur, nec doctores constituentur, nec aquæ purgentur, nec oleum consecretur, nec ulla Ecclesiastica Sacramenta vel sacrificia, ut B. Augustinus admonuit, rite perficiantur. Denique crux dominica operatur miracula, exterret dæmones, ornat ecclesiam, armat frontes fidelium, ac ut arbor fœcundissima tantam copiam optimorum fructuum ex se producit, ut non immerito B. Chrysostomus adversus gentiles de Christi divinitate verba faciens in laudem crucis exclamet: « Hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum crux diadematibus et coronis clarius factum est: neque enim sic regia corona ornatur caput, ut cruce, quæ omni cultu dignior est, et quam omnes ante abhorrebant, ejus figuram magnopere quærunt. Atque adeo ubique ea invenitur apud principes, apud privatos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud servos, apud liberos, subinde omnes ea se signant inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur: sic in sacra mensa, sic in Sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc ubique celebrari videre licet in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in navigiis et insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis et aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutorum male affectis, in corporibus a dæmone obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatarum choreis, in monachorum ordinibus: adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est gratia, nullus confunditur, nullus erubescit cogitans, quid maledictæ mortis symbolum fuerit, sed omnes ipso magis ornantur, quam diadematum coronis vel multis gemmatis monilibus et torquibus. Et non solum non fugitur, sed et desideratur, et adamatur, et

omnes de ea solliciti sunt, et ubique fulget, et sparsa est in parietibus domorum, in columnibus, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis, quæ habitantur et quæ non habitantur. Ipsius vero ligni, in quo positum sanctum corpus Domini, et crucifixum fuit, particulam habere totus orbis ita contendit, ut qui parvum quiddam ex illo habent, illud auro includant, tam viri quam mulieres, et cervicibus suis aptent: hinc valde honestati et magnifici, et muniti et protecti, licet condemnationis fuerit signum. » Hæc B. Chrysostomus. Porro ejusmodi amplissima ac splendidissima encomia sacratæ crucis passim in voluminibus veterum et sanctorum Patrum invenire est. Quorum ideo initio orationis hodiernæ mentionem facere volui, ut quantum in me est, auditoribus meis persuadeam, tota hac hebdomada, quæ venerationi sanctæ crucis a majoribus nostris merito consecrata est, singulis diebus non semel, sed sæpius ad arborem istam semper virentem et florentem, et poma proferentem accedere, sub umbra ejus sedere, de floribus et fructibus capere. Vere enim crux Domini *lignum est vitæ, pulchrum visu gustuque delectabile, et folia ejus ad sanitatem gentium*: nec ullum est spirituale exercitium tutius, facilius, fructuosius, efficacius contemplatione divinæ crucis. Ipsa est lac insipientium, et cibus solidus perfectorum.

Animadvertite, non paucos esse, qui non alium quasi scopum sibi profigunt in dominica passione vel legenda vel audienda, vel etiam meditanda, quam ut nonnihil commoveantur, et si fieri possit, aliquas lacrymas fundant; quod cum assecuti fuerint, satis multos et magnos fructus ex arbore sanctæ crucis se collegisse putant. Verum, auditores, est ille quidem unus ex fructibus, qui ex hac sancta arbore decerpitur, ut nos Christo tamquam membra capiti compatiamur, et pro eo lacrymas ex compassione fundamus, qui pro nobis in passione sanguinem fudit: sed alii sunt præterea plures et majores. Hinc enim (si sciamus sapienter colligere) veram et perfectam conversionem, et morum nostrorum emendationem, atque adeo vitam et salutem animorum nostrorum colligemus. Quare ut prostrarum virium tenuitate studia nostra, et pietatem hoc tam sacro et pretioso tempore promoveamus, de quinque fructibus, qui ex arbore sanctæ crucis præcipue colligi possunt, breviter disseremus.

Quicumque igitur utiliter in passione dominica legenda vel contemplanda se exercere voluerit, quinque præcipue capita considerare poterit : magnitudinem peccatorum, quorum purgandorum causa Filius Dei passus est : vehementiam passionis, ac suppliciorum Domini : excellentiam beneficii divini, quod in nos patiendo, et moriendo Christus contulit : abyssum inexhaustam bonitatis Dei, *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* : et multitudinem ac præstantiam earum virtutum, quæ in passione dominica, tamquam speculo, enituerunt. Et magnitudinem quidem peccatorum, ut ea ex animo detestemur : vehementiam passionis, ut Christo tamquam capiti compatiatur : excellentiam beneficii divini, ut eidem debitas gratias justasque referamus : abyssum inexhaustam bonitatis Dei, ut Deum ardenti studio redamare incipiamus : multitudinem Christi virtutum, ut eas imitemur, et imitando Christo similes efficiamur : in qua similitudine supremum culmen Christianæ philosophiæ atque humanæ perfectionis continetur.

Ut igitur primum fructum, qui est cognitio peccatorum, ex arbore colligere incipiamus, multis et evidentibus signis et argumentis olim Deus ostendit, quam vehementer sibi peccata displiceant, quamque implacabili odio ea perpetuo prosequatur. Hinc enim propter peccatum generale diluvium terris immisit : hinc Sodomam et Gomorram et alias urbes nonnullas igne et sulphure concremavit : hinc toties populum suum electum gladiis Philistæorum, Assyriorum, Romanorum objecit : hinc denique horrendas et formidabiles illæ flammæ gehennæ, et alia innumera atrocissima et sempiterna supplicia peccatoribus præparavit. De quibus vere dici potest, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt tormenta atque supplicia, quæ præparavit Deus offendentibus se. Sed nunquam tam aperte furorem iræ suæ contra peccatum explicuit, quam his novissimis diebus, cum suum verum et naturalem Filium, quo nihil habuit carius, propter aliena peccata tam severe percussit, et contrivit in infirmitate et ea supplicia cum perferre voluit, quæ nemo unquam parricidarum, proditorum, maleficorum, in terris toleravit. Ac ut rem totam aliqua similitudine perspicuam faciamus, si in aliquo pulcherrimo vasculo liquor corruptus, et graviter olens

inveniretur, et paterfamilias foetorem illi domi suæ non ferens, statim juberet non solum effundi liquorem, sed etiam vasculum in mille partes comminui, et in cloacam projici, nonne vehementer is foetor nares patrisfamilias offendisset? Et si vasculum esset argenteum, nonne adhuc vehementius foetor ei displicuisset? etsi aureum, ac gemmis et lapidibus speciosis ornatum, et nihilominus frangi et projici vellet, nonne supra modum foetorem illum odio habuisset? Si igitur Deus pater liquorem peccati corruptissimum et teterrimum ita odit, ut propter peccatum etiam peccatorem gravissime detestetur. *Odio est Deo, inquit Sapiens, impietas et impietas ejus.* Ac ut peccatum occidat, etiam peccatorem perdit : ut in eum liquorem odium suum ostendat, etiam vasculum quamvis pulchrum et pretiosum comminuit. Invenit Deus liquorem peccati in vasis terreis, sed maximo artificio elaboratis, hoc est in primis nostris parentibus, et continuo expulit eos de paradiso, et sine appellatione sententiam mortis in nos omnes tulit. Inde *Omnes morimur, et tamquam aquæ dilabimur* : licet extremum terribilium sit mors, et omnes mortem naturaliter horreamus. Invenit quoque Deus liquorem istum pessimum in vasis argenteis, in Angelis videlicet, quorum natura plane argentea, pulcherrima, candidissima ac lucidissima est : et statim sine retractatione eos æternæ damnationi adjudicavit. Quis non obstupeat, auditores? Primus et nobilissimus omnium angelorum, atque adeo totius opificii divini præstantissima pars, qui nunc Lucifer, nunc initium viarum Domini, nunc signaculum similitudinis, nunc vero Cherub extentus, plenus sapientia et perfectus decore in sacris litteris appellatur : de quo Ezechiel dicit Propheta : *Omnis lapis pretiosus ornamentum tuum ; et omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus, et æmulati sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso* : iste, inquam, tam excelsus, tam pulcher, tam sapiens, de cælo deturbatus, in abyssum detrusus, sapientia et pulchritudine spoliatus, miserrimus omnium creaturarum factus est. Nam præterquam quod regnum et beatitudinem amisit, et perpetuis atque horribilibus flammis cruciatur atque in horrendo atque formidabili, sed justo Dei judicio desertus ac relictus, et omni Dei auxilio destitutus est, ut jam in peccato penitus obstinatus semper desperet,

et incredibili rabie quidquid cogitat, quidquid molitur, quidquid cupit, id totum ad nocendum referat : ut merito qui antea Lucifer, Angelus, Cherub, Cœlestis intelligentia, nunc tenebræ, draco, diabolus et Satanas appelletur. Quis hujus tam horrendæ mutationis causa fuit? fœtor peccati. Nam in *Angelis suis*, ait Job, *reperit pravitatem*. Et Apostolus Petrus : *Angelis peccantibus*, inquit, *non peperit : sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari*. Et nondum intelligunt filii Adam, qualem animum, quam iratum, quam exacerbatum Deus gerat contra peccatum? Propter unam offensam tot millia Angelorum, hoc est argenteorum vasorum Deus ita horrendè comminuit, et adhuc vasa lignea et testacea liquore peccati usque ad fauces imbuuntur, et non timent?

Sed altius ascendamus : nam ea, quæ sunt de odio Dei contra peccatum, nihil sunt, si cum iis, quæ dicturi sumus, comparentur. Nec enim magnum est, Deo aliquos angelos et aliquos homines perdidisse, qui in momento infinitos alios multo pulchriores et nobiliores solo verbo creare potest, Sed quid dicemus, quia proprio Filio suo, unico, naturali, optimo, sapientissimo, vere vasi aureo, et gemmis ac lapidibus pretiosis ornato non peperit maxime cum in eo peccatum non proprium, sed alienum reperit? Filius Dei, auditores, nec ut Deus, nec ut homo peccatum admisit; ipse est enim de quo legis : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus*. Is nihilominus animadvertens genus humanum sub onere peccati jacere, nec se suis viribus erigere posse, misericordia motus, humeros suos sarcinæ nostræ supposuit. Peccata nostra sustulit, ac pro eis se Patri satisfacere velle professus est. Hinc sunt illæ voces : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. Et rursus : *Deus, Deus meus respice in me quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum*. Et illa B. Joannis : *Ecce agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi*. Quid igitur Pater fecit, licet Filium suum infinito amore diligeret, licet sciret vitam Filii sui toti orbi excellentia et dignitate præstare, licet videret in vase illo aureo, humeris Filii sui, non propria, sed aliena peccata esse imposita : tamen ut odium

suum et furorem atque indignationem contra peccatum ostenderet, *Proprio Filio suo non peperit* : vas illud aureum, et pretiosissimum confregit : tamquam si Filio diceret : Tu peccata hominum in humeros tuos suscepisti, et ego ea in humeris tuis flagellabo. *Propter scelus populi mei percussi eum*, ait Dominus Omnipotens.

Sed quomodo percussit eum? quomodo flagellavit? In virga virorum, an in virga ferrea? Quid eum pati voluit? Sane ita severe illum excepit, ut ego nihil dubitem, neminem esse tam secleratum, tam funestum, tam perditum, tam deploratum hominem, qui non incipiat peccata sua deflere, atque horrere et gravissime detestari, si quis cogitare voluerit serio, quid propter ea Christus passus sit : Passio enim Domini, quæ ad exhaurienda et purganda peccata instituta est, non unum ac simplex supplicium fuit : (ut jam ad alteram partem nostræ orationis, et secundum fructum crucis veniamus) sed amara quædam compositio infinitarum amaritudinum. *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et qualis erat ille calix? Certe tam amarus, ut eo viso *cum lacrymis et clamore valido*, ut naturæ horrorem ostenderet, ad Patrem dixerit : *Abba, pater, omnia tibi possible sunt, transfer calicem istum a me : sed tamen non quod ego volo, sed quod tu vis; fiat voluntas tua*. Neque passio Domini generale quoddam supplicium fuit, sed omnia genera cruciatuum ac suppliciorum comprehendens. Si eos aspicias, a quibus passus est, invenies omnia genera hominum, viros, feminas, pueros, juvenes, senes, principes, privatos, sacerdotes, laicos, liberos, servos, Judæos, paganos, amicos, inimicos. Ut enim pro omnibus, ita quoque ab omnibus passus est. Nec solum homines omnes, sed omnes etiam dæmones in ejus necem conspirarunt. Hoc enim est, quod apud Lucam Dominus ait : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum*. Neque solum impii homines et dæmones, sed etiam Deus et sancti angeli (tametsi alio consilio, alia intentione, alio desiderio), Christum ad mortem, et mortem crucis impulerunt. Hinc enim a Patre se derelictum in cruce affirmat : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Denique ipse se ipsum morti objecit. *Oblatus est enim quia ipse voluit*. Sed ipse se ipsum ex obedientia tradidit; Deus et Angeli ex charitate; Judas et satellites ex cupiditate; Judæi et dæmones

ex invidentia; Pilatus et ejus consilarii ex timore mundano, ne Cæsarem videlicet offenderent, Dei Filium ad necem tradiderunt.

Si deinde ea consideres, in quibus passus est, invenies penitus in omnibus nihil integrum atque illæsum et relictum fuisse. Passus est in matre, in discipulis, in vestibus, in fama atque existimatione, in animo, in corpore, in omnibus membris, omnibus partibus, omnibus viribus, omnibus sensibus. Nam a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Et vere tunc *Non fuit in eo species neque decor: et vidimus eum, et non fuit ei aspectus, et consideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem: unde nec reputavimus eum.*

Si postremo animum et cogitationem ad ea convertas, quæ passus est, invenies sane non fasciculum myrrhæ, sed multos et magnos fasces dolorum, pœnarum, cruciatuum, tormentorum. Percurramus breviter, non explicando, sed enumerando, quindecim genera cruciatuum, quæ in passione Domini concurrunt.

Primum fuit, amara illa separatio matris et filii, cum Dominus ad mortem iturus, amantissimæ matri valedixit. Quid enim est, cogitare matrem, et talem matrem, tam duro divortio valedicere Filio, et tali Filio. eunti ad mortem et talem mortem? Hæc meditatio præ cæteris omnibus pectus quamvis durum dirumpere posset.

Alterum fuit, horrenda illa proditio scelestissimi Judæ. Quid enim, obsecro, erat, prodi ac vendi vilissimo pretio a proprio discipulo atrocissimis inimicis? Sane Dominus tantum inde dolorem concepit, ut in medio convivio, ut Joannes refert, turbaretur spiritu, protestaretur, ac diceret: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet.*

Tertium fuit, mæstitia illa ingens atque anxietas, quam in horto sustinuit; *Cum pavere ac tædere, et mæstus esse, atque ait: tristis est anima mea usque ad mortem: tamquam si diceret, Talis me horror ac mætor invasit, ut parum absit, quin vitam excludat. Ac deinde Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: quo nihil unquam a condito orbe magis novum et magis horribile apparuisse puto. Quid enim erat videre hominem alioqui sanum et incolumem, in tanto mœrore, atque anxietate*

constitutum, ut de corpore ejus sanguinis sudor erumperet, et tam abundanter, ut per frontem ac vestes in terram decurreret, eamque rigaret?

Quartum fuit, toties duci ac reduci per publicas plateas, per tot palatia, per tot tribunalia, militibus et satellitibus stipatum, manibus ligatis tamquam publicum latronem ac sicarium in aperto maleficio deprehensum: quo pudore existimatis ingenua, imo regia majestas afficiebatur, cum toties in oculis populi, cui cum tanta laude et admiratione evangelium prædicaverat, non modeste incedere, ut ejus gravitatem decebat, sed festinare, vel properare, vel etiam currere cum impia illa turba cogebatur?

Quintum fuit, fuga, et infidelitas discipulorum, suspendium Judæ, negatio Petri. Quam enim crucem putatis cor Domini patiebatur, cum ex duodecim, quos tanto labore genuerat, educaverat, instituerat, quos tenerrime diligebat, quos paulo ante tam dulci sermone, et cibo corporis et sanguinis sui refecerat, jam unum videbat a lupo infernali penitus devoratum, alterum apprehensum jam suffocari, cæteros omnes fugatos ac dissipatos?

Sextum fuit, tot genera injuriarum et contumeliarum, a vilissimis ministris non ex aliqua lege, non ex præcepto magistratus, non ex sententia prætoris, sed ex sola scelestissimorum satellitum libidine sustinere. Certe enim non jussit Pilatus, ut eum toties alapis cæderent, toties in faciem ejus spuerent, toties caput ejus arundine verberarent; non præcepit, ut modo alba, modo rubea veste eum induerent, modo oculos ejus velarent, et eum feriendo ac ridendo dicerent: *Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?* modo genuflecterent ante eum et simulata reverentia tamquam regem ridiculum irriderent. Quis unquam vidit, vel legit vel audivit aliquem reum ante judicium et sententiam tot contumeliis impune afflictum et vexatum fuisse?

Septimum fuit, ille incredibilis contemptus Filii Dei, qui cum latrone Barabba comparatus, et minoris factus ac judicatus fuit, quam ille publicus sicarius. Quid enim horribilius cogitari potest, quam ut auctor vitæ, qui omnia creavit et conservat, *In quo vivimus, movemur et sumus*, cum homine facinorosissimo conferatur, et minus meritis, magisque vita indignus judicetur, quam ille, qui opinione parricidiorum et extremæ cru-

delitatis omnibus terrori et formidini erat?

Octavum fuit, flagellatio illa crudelis ad columnam. Quæ præterquam quod immannissima, et doloris atque ignominiae plenissima fuit, non est pœna hominum ingenuorum et liberorum, sed scurrarum et nebulo-
num. Nec enim homines alicujus nominis etiam pro maximis facinoribus, sed solum mancipia et latrunculi, et homines nihili supplicio verberum subjiciuntur.

Nonum fuit, illa admirabilis adinventio novi, et usque ad illud tempus incogniti diadematis, in quo simul acerrimus dolor cum intolerabili ignominia concurrebat.

Decimum fuit, egressio illa ad conspectum furentis et tumultuantis populi quando videlicet, ut Joannes narrat, et Pilato productus *Exivit foras portans spineam coronam et purpureum vestimentum*, et Pilatum audivit dicentem : *Ecce homo*. Et populum aclamantem : *Crucifige, crucifige eum*. Quanta, obsecro, fuit in ea ostensione confusio ac verecundia, cum se Dominus videbat in celeberrimo die paschæ ea specie miserabili cæsum, consputum, spinis coronatum, purpura ad irrisionem indutum, a tanta multitudine conspui, et tamquam peccatorem et seductorem ab omnibus existimari, qui ante quatuor dies tamquam rex et Propheta cum summo honore ab eodem populo salutatus fuerat? Quantus item dolor cum obstinationem et ingratitude ejusdem populi considerabat, et aperte videbat, eos suam ipsorum perniciem procurare, ac de eis dæmones triumphare, et per eorum ora clamare : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Et : *Non habemus regem, nisi Cæsarem*, quem numquam antea confiteri voluerant?

Undecimum fuit, gestatio propriæ crucis. Solent carnifices oculos eorum velare, qui plectendi sunt, ne forte instrumentum videant, quod eis vitam auferet : at vero Domino Salvatori, non solum oculos non velaverunt, ne crucem videret; sed illam ipsam crucem humeris ejus imposuerunt, ut ante cor quam corpus crucifigeretur. Cum autem ad montem Calvariæ pervenerunt, ut quasi fatigatum et fractum ac viribus exhaustum reficere viderentur (solebant enim ii saccharo et vino interdum recreari), obtulerunt ei potum. At quem potum existimatis? Vinum myrrhatum ac felle mixtum. Quod cum gustasset, nec voluit, nec potuit bibere. Quæ major crudelitas fingi, aut cogitari potest? Si vinum et saccharum dare non cupiebant,

cur saltem modicam aquam non dabant? Quod si nec aquam dignabantur porrigere, cur potum simpliciter non negabant? Cur myrrham et fel, quibus nihil est amarior sub specie vini Domino porrigebant? Si afflictum consolari pigebat, cur etiam afflictionem augebant? Cur ei tam crudeliter illudebant? Diviti epuloni, si qua denegata fuit, tamen fel aut myrrha oblata non fuit.

Porro duodecimum fuit, ipsa crucifixio, quod est genus mortis admodum crudele, prolixum ac turpe. Nam et vulnera in manibus et pedibus fiunt, ubi propter nervorum ac venarum multitudinem acutissimi dolores generantur. Et pondus corporis semper trahit deorsum, et semper magis ac magis vulnera dilatantur et dolores augmentur, donec sine vulnere lethali, sola vehementia doloris anima de corpore excludatur.

Decimum tertium fuit genus quoddam crudelitatis prorsus inauditum. Nam cum Dominus in cruce penderet, et quasi pelagus quoddam amaritudinis præ multitudine pœnarum ac dolorum factus esset; tamen hostes ejus feris crudeliores et lapidibus duriores, non solum non movebantur, sed eum irridebant, eique insultabant, et sales et facetias in eum jaciendo seipsos oblectabant. Carnifices vero in oculis ejus vestimenta ipsius, inter se dividebant, et super tunicam ejus sortem mittebant. Quodque his multo gravius erat, unus e latronibus, qui penderat in cruce cum eo, cruciatuum priorum oblitus, quasi ad torquendum cæteri non sufficerent, in eum convitia et contumelias congerebat.

Decimum quartum fuit, matris amantissimæ et discipuli, quem diligebat, continuus aspectus. Quantum enim crevisse existimandum est dolores Salvatoris, cum in omnibus illis atrocissimis cruciatibus, contumeliis, convitiis irrisionibus, matrem et discipulum, quos præ cæteris tenerrime dilexerat, semper ante oculos habebat? præsertim cum perspicue intelligeret, quas illi cruces ac tormenta paterentur.

Decimum quintum et postremum fuit amara illa separatio carnis et animæ, quæ qui dem tanto acerbior erat, quanto se magis dilexerat. Nec vero fuit unquam inter eas, sicut in nobis experimur, ulla pugna aut discordia sensus et rationis. Deinde in ipso flore ætatis, vivis et integris sensibus Dominus moriebatur. Quocirca perspicue intelligebat quam esset amarus calix ille mortis, atque

illa præsertim ætate, et omnes tortiones et pœnas illius extremi agonis distincte percipiebat, quod aliis hominibus ob emortuos sensus, et turbatam imaginationem accidere non solet. Intelligebat præterea, quam esset sibi illa mors indebita, et tamen vicit amor generis humani: atque ut nos a morte liberaret ipse se morti subiecit, amarum illum potum deglutivit, et inclinato capite tradidit spiritum. Ita recessit pastor bonus, gaudium orbis terræ, lumen oculorum nostrorum. Recessit vero cum magna angustia, ut audivistis; recessit totus afflicto, totus laceratus, totus anxius, totus sitibundus, totus fatigatus.

Et quam celeriter hæc omnia facta sunt? Numquid legitur unquam fuisse scelestissimorum latronum ita accelerata; ita præcipitata, ita fulminata damnatio? nonne saltem in tertium diem aliorum reorum supplicium differri solet? At Dominus Jesus noctu comprehenditur, mane offertur judici, hora tertia damnatur, ad meridiem crucifigitur, et post paululum enecatur. Quid si ad hæc omnia adjungantur ista genera tam multa, tam varia, tam atrocia suppliciorum sine ullo genere consolationis fuisse? Nam quod sancti Martyres fortiter et alacriter mortem oppeterent, non est mirum, cum in eis sicuti propter Christum abundabant passiones ita propter Christum abundarent consolationes. Christus vero caput Martyrum torcular calcavit solus et calicem plenum felle sine ulla gutta mellis haurire voluit.

Ecce igitur, quam gravis erat morbus noster, quem nemo poterat sanare, sed pro illius curatione Dei Filium necesse fuit occidi. Ecce quam implacabili odio Deus peccatum prosequatur, qui Filium suum ita severe propter aliena peccata flagellavit. Væ nobis miseris, quibus tam vilibus, tam indignis, tam ingratis, tantam exhibuit charitatem. Propter nos Dei Filius occisus est, propter nos vulnera doloresque sustinuit. Peccata nostra eum laborare fecerunt, peccata nostra eum accusarunt, flagellarunt, spinis coronarunt, cruci affixerunt, vitam et sanguinem abstulerunt. Et unde igitur existit adhuc in nobis tanta facilitas peccandi? unde tam parvi facimus peccare? quasi Dei offensio nihil esset. Unde post peccatum cum ad pœnitentiam convertimur, tam frigide ac remisse pœnitemus? Quid? Christus, ut regnum peccati destrueret, tanta passus est, et tu tam facile in cor tuum pec-

catum admittis? tam facile fornicaris? tam facile inebriaris? tam facile irascaris? tam facile pejeras, tam facile quantum in te est iterum Dei Filium crucifigis? Neque véro putes te minori supplicio dignum quod non solus ista facis, neque solus peccatis tuis Christum crucifixeris. Nam secundum justitiæ legem non minori pœna mulctandus est, qui una cum aliis hominem innocentem occidit, quam si solus occideret. Quare si semel ad veram et profundam cognitionem peccatorum tuorum pervenire desideres, passionem Domini diligenter meditare, et cum videbis impios et sceleratos illos satellites Christum vexare atque affligere, persuadeas tibi certo te unum esse ex illis, et vere te non minus quam illos Christi mortem procurasse, atque in ejus necem conspirasse. Cogita, te (quod sane optimo jure cogitare potes) una cum illis vere Christum irrisisse, conspuisse, flagellasse, spinis coronasse, in crucem egisse, myrrha et felle potasse, atque ad extremum crudelissime necasse. Si enim peccata nostra non fuissent, nihil unquam tale Christus pertulisset. Neque Romani, neque Judæi, neque dæmones omnes pares esse poterant, ut Christum Dei Filium vel minimum læderent, nisi ipse ex nimia charitate, qua dilexit nos, ad nostra exhausta peccata, se doloribus, atque adeo ipsi morti subicere voluisset.

PARS ALTERA

Exposuimus breviter, qui sint duo priores fructus, qui ex arbore sanctæ crucis contemplatione et affectu quasi duabus manibus decerpi debent. Superest ut, qui sint posteriores tres, paucis explicemus.

Tertium igitur fructum esse dicebamus, cognitionem excellentissimi beneficii, quod in nos per crucem et passionem suam Christus contulit. Et quamquam multa valde de hoc argumento dici possint, nos tamen pro temporis brevitate solum tria capita tribus verbis ostendemus, unde magnitudo summi hujus beneficii cognosci potest. Tria sunt igitur potissimum cogitanda, qui nobis Christus donaverit, qua charitate, quo modo. Quid est quod donavit? liberatio ab infinitis malis, communicatio infiniti boni. Donavit enim indulgentiam peccatorum, gratiam, justitiam, libertatem, pacem, salutem, redemptionem, merita, sacramenta, doctrinam,

immortalitatem, gloriam, beatitudinem, felicitatem; breviter, bona sua omnia per crucem et passionem nobis communicavit. Inde enim pater et sponsus, et caput nostrum dicitur Christus, quod quicquid habet pater, ad hæreditatem filiorum pertineat; quicquid habet sponsus, id cum sponsa libenter communicet, quicquid habet caput, id facile membris omnibus impertiatur. Enumera si potes omnia mala, in quæ propter peccatum primi hominis incidimus, et tum intelligere incipies aliquid de hujus beneficii magnitudine. Erat homo ante peccatum sapientior Salomone; *comparatus est per peccatum jumentis insipientibus et similis factus est*. Erat ante peccatum fortior Sampsonne; factus est per peccatum debilior muscis et pulicibus; nam ab his et similibus minutissimis animantibus se defendere non potest. Erat ante peccatum ita superior morte, ut posset, si vellet, numquam mori; factus est per peccatum ita morti obnoxius, ut velit nolit, compellatur mori. Erat ante peccatum in magna pace et tranquillitate, nec secum, nec cum aliis unum bellum aut inimicitiam gerebat; factus est post peccatum non solum aliis omnibus, sed etiam sibi ipsi contrarius: terra non obedit, sed pro floribus producit spinas; mare imperium non patitur, sed sæpe naves et nautas absorbet: animantia bruta non obtemperant, sed contra potius hominem, tamquam communem hostem persequuntur. Sed nec ipse sibi homo obedire novit, tanti sunt motus et tumultus in humana ista republica propter seditiones ac lites sensuum et rationis, propter tumultus et clamores variarum passionum, ut homo sæpe in mille partes distrahatur, neque aliud pectus ejus, quam aliqua Babylon plena turbarum et confusionis esse videatur. Erat homo ante peccatum amicus Dei, ejus gratia et favore fruebatur; excidit per peccatum ab ea gratia, et in iram, atque indignationem et furorem ejus incurrit. Poterat ante peccatum sine labore, sine sudore, sine ulla molestia regnum cælorum promereri, incidit per peccatum in eam miseriam, ut jam non possit suis solis viribus, nisi demereri, et ruere magis et magis versus gehennam. Erat postremo ante peccatum in paradiso terrestri, loco pulcherrimo, optimo, amœnissimo: decidit per peccatum in hoc stabulum brutorum, et in hoc ipso multi sunt, qui vix locum obtinere possunt. Jam ab his omnibus malis, in quæ primus Adam sua inobedien-

tia nos conjecerat, secundus Adam sua obedientia usque ad mortem et mortem crucis, nos liberavit: et omnia illa bona, quæ per peccatum amiseramus, per Christi passionem aucta et cumulata recepimus. Conferte beatitudinem primi hominis, quæ perdidimus, cum ea beatitudine, quam in cælis expectamus, quam nobis per passionem suam Christus promeruit. Erat Adam sapientior Salomone: erimus nos æquales Angelis Dei. Erat Adam fortior Sampsonne: erimus nos ferro, et igne et leonibus fortiores. Poterat Adam non mori; nos multo feliciores non poterimus mori. Fruebatur Adam magna pace; nos fruemur maxima, tantaque erit tunc concordia corporis et animi, carnis et spiritus, ut quocumque voluerit ascendere animus, statim corpus sequatur, etiam super sidera. Erat Adam amicus Dei; erimus nos familiares, intimi, domestici. Poterat Adam non peccare; nos multo beatius non poterimus peccare. Poterat ille non cadere; nos non poterimus cadere. Denique habitabat ille in paradiso terrestri; habitabimus nos in cælo, in illis ornatissimis et splendidissimis sedibus ac domiciliis Angelorum. Habetis igitur quid sit, quod Christus nobis donavit.

Sed quomodo donavit? per se, an per alium? sine labore, an cum labore? multum enim profecto beneficium crescit, cum per nos ipsos, et cum incommodo et jactura aliqua nostra amicum adjuvamus. Quis igitur fuit modus nostræ liberationis? Passio illa crudelis, cujus quasi summam et compendium paulo ante audivistis. Non misit Christus vicarium Angelum aut Archangelum aliquem; sed ipse suis manibus opus nostræ liberationis operari voluit. Et quamquam poterat una gutta sanguinis aut sudoris nos perfecte liberare, voluit tamen totum sanguinem profundere, et ea supplicia et cruciatus pati, quos audivistis; seipsum contempsit, ut nos honoraret; seipsum afflixit, ut nos consolaretur; dolores et pœnas sustinuit, ut nobis gaudium ac lætitiâ obtineret; vulnera et livores elegit, ut nos a vulneribus peccati curaret? Denique crucifigi et mori voluit, ut nos vitam beatam et sempiternam haberemus. Quare pluris faciendus est modus, quo contulit beneficium, quam ipsum beneficium, quod contulit: et majus est medium, quam remedium quanto majus et mirabilius est Deum mala pati, quam bona facere, sustinere supplicia, quam elargiri munera.

Sed qua charitate hæc omnia operatus est? non enim parum auget magnitudinem doni affectus donantis. Cum a te pauperes eleemosynam petunt, si eis amicam vultum ostendas, atque dicas, quid petitis, filii? quid vultis? qua re indigetis? accipite, parum habeo parum vobis do, et si plus haberem plus etiam libentissime darem: o quam bene placet talis eleemosyna? sane existimaretur, nec immerito, duplo major, quam sit. Si vero torvis oculis eos aspicias, ac deinde aliquos obolos in terram projicias, et dicas: Itote in malam crucem, ne mihi, amplius molesti sitis. Illi accipiunt quidem quod datur, sed non multum tibi debebunt. Qua igitur charitate, quo affectu atrocissima illa supplicia pro nobis pertulit? id vero cogitari aliquo modo potest, verbis explicari, atque oratione comprehendi certe, non potest. Magna sunt, et multa, quæ pro nobis toleravit, sed major, et copiosior sine comparatione fuit charitas, qua ea toleravit. Tres horas pependit in cruce, sed quis potest ambigere, quin libenter usque ad diem iudicii in ea pependisset, si necessitas id postulasset? certe charitas ad hoc patiendum, et multo majora Christo non deerat. *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum*. Et: *Ego baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque cum perficiatur?* Itaque si multum ei debemus pro tot suppliciis et tormentis, quæ pro nobis pertulit, multo adhuc magis debemus pro ea charitate, qua illa supplicia, atque tormenta pertulit.

Jam vero quartus fructus, quem ex arbore sanctæ crucis habemus, cognitio est illius profundissimæ abyssi bonitatis Dei: nullum est enim Dei opus, in quo clarius et splendidius Dei bonitas elucet, quam Passio Salvatoris. Id quod facile assequeris, et multo etiam facilius, quam ego verbis explicare possim, si in singulis mysteriis crucis Christi quatuor capita attente consideres. Quis patitur? quid patitur? pro quibus patitur? qua de causa patitur? Si primum oculos attollas ad eam majestatem, cui astant in cœlis mille millia myriadam angelorum; cui terra ac cœlum, et omnia elementa ad nutum obediunt; qui omnia potest, omnia novit, omnia regit, omnia gubernat, omnia moderatur; cujus comparatione omnis humana et angelica gloria, arcana est exigua, de qua ita loquitur Isaias: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum: Seraphim*

*stabant super illud, sex alæ uni et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant et clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum? plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo. Hæc enim dixit Isaias, ut Joannes exponit, quando vidit gloriam Christi, et locutus est de eo. Si, inquam, primum istam tam excelsam, tam sublimem, tam super omnes res creatas eminentem majestatem intueris, ac deinde statim oculos convertas ad eam humilitatem et indignitatem sputorum, colaphorum, irrisionum, aliarumque pœnarum, quam vere illa majestas sustinuit, idque non propter angelos, cherubim aut seraphim: sed propter nostrum lutum, propter homines, et homines peccatores, ingratos, blasphemos, superbos, inobedientes, fieri non poterit, quin obstupescas, et cum Habacuc propheta dicas: *Domine, audivi auditionem tuam, et timui: consideravi opera tua et expavi*. Hinc enim fieri sæpe solet, ut mentes hominum nimio stupore adductæ mirabili quodam modo suspendantur, et a sensibus corporeis abstrahantur: interdum etiam corpus ipsum procul a terra secum trahant. Quod si deinde cogitare incipias, quæ fuit causa hujus tantæ novitatis, quæ Deum conjunxit cum luto, vitam cum morte, beatitudinem cum miseria, gloriam cœli cum ignominia crucis; et pro certo cognoscas, nullam in hoc facto utilitatem aut commodum suum Deum quæsisisse, nec ullo modo nos id meruisse; sed solam et totam causam fuisse, illa viscera pietatis, illam abyssum bonitatis, perennem illum fontem misericordiæ et amoris Dei nostri, quo sine ullo nostro merito et absque ullo suo commodo bonum, esse existimavit, visitare nos ex alto: sane non solum admiraberis et obstupesces, sed senties etiam cor tuum dilatari, emolliri, resolvi, et ignem quemdam in intimis visceribus accendi, quo tantæ bonitati respondere, et teipsum totum ejus obsequio consecrare ac dedicare cupies. Senties præterea in corde tuo quemdam novum horrorem ac detestationem peccatorum oriri: senties quoque aperiri tibi oculos, et clare ac perspicue videbis turpitudinem ebrietatis, fœditatem luxuriæ, deformitatem omnium vitiorum. Denique nova quadam et inusitata vulneratus charitate cantare incipies: *Fulcite me floribus, stipatæ me malis,**

quia amore languet. Nam qui cernit regem Salomonem (ut verbis utar B. Bernardi) in diademate, quo coronavit eum mater sua : qui cernit unicum Patris crucem sibi bajulante, qui cernit cæsum et consputum Dominum majestatis, qui cernit auctorem vitæ et gloriæ confixum clavis, percussum lancea, opprobriis saturatum, tandem illam dilectam animam gladius amoris transverberat, atque idcirco dicit : *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amorè languet.*

Venio autem ad quintum et postremum fructum, qui multitudinem et præstantiam continet earum virtutum, quæ in passione Domini, excellentius enituerunt. Ille siquidem cum fructu et utiliter Passionem Domini meditatur, vel certe audit vel legit, qui oculos mentis in illas heroicæ et illustrissimas virtutes defigit, quas inter dolores et cruciatus tamquam flores inter spinas enitere videt, neque vero existimare debemus vitam et passionem Salvatoris nobis solum ideo propositam esse, ut eam contemplemus : sed etiam ut eam, quoad possumus, imitemur. Hinc enim se non solum vitam appellavit. Hinc etiam clamat : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* et rursum : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci ita et vos faciatis.* Hinc Apostolus Petrus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et apostolus Paulus : *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et piè vivamus in hoc sæculo.* Et apostolus Joannes : *Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Itaque non satis est Christum in cruce respicere, sicut olim Hebræi serpentem æneum respiciebant ; sed necesse est etiam ejus virtutes imitari. Sicut enim olim Evæ fructus mortis non multum nocuisset, si eum solum aspexisset, non etiam decerpisset et comedisset : ita nobis fructus vitæ, qui ex arbore crucis dependet, non multum prodesse poterit, si eum dumtaxat aspiciamus non etiam decerpamus et comedamus. Quare ut Apostolus hodie monet : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu,* hoc est, conanimi, contendite, efficite quantum potestis, ut eo modo affecti sitis, quomodo Christum in passione præsertim affectum fuisse didicistis. Est enim ipse exemplar et speculum clarissimum omnium virtutum. *Ille cum in forma*

Dei esset, hoc est, cum ejus natura esset divina, atque idcirco *non rapinam,* sed jus naturæ *arbitratus est, esse se æqualem Deo :* tamen *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens,* pedes discipulorum lavit Dominus et magister existens. Deinde contemni, verberari, conculcari sustinuit. Ergo et vobis, quamvis magni, quamvis nobiles, quamvis sapientes esse videamini, non sit grave ad opera humilia vos demittere, non sit grave contemni ac despici, non sit grave cum pauperibus et humilibus (si causa postulet) conversari : imo vero scitote vos vere magnos, et nobiles et sapientes futuros, cum Christum perfecte imitari, et vos ipsos nihili facere didiceritis. Christus præterea factus est Patri obediens, et obediens in re difficilima, usque ad mortem et mortem crucis ; ergo et vobis non sit difficile subjacere præpositis vestris, et eis in omnibus obedire. Quam, quæso, excusationem habere poterunt, si non obediant filii parentibus, servi dominis, discipuli præceptoribus, oves pastoribus, dum eis utilia et salutaria injunguntur, cum Christus in re tam ardua in cruce subeunda, pro nostra salute, tam alacriter Patri obtemperavit ? Ergo si cupimus obsequium præstare Deo, Christumque imitari amplectamur ex animo nobilissimam istam virtutem, et parentibus, præceptoribus, prælatis, magistratibus, magna devotione et humilitate obediamus. Christus patientiam inter tot genera sibi succedentium cruciatuum ita conservavit, ut nec verbis, nec minis, nec signis ullis tot contumelias ulcisci voluerit. Ergo et nobis durum non videatur, ad exemplum Christi convitia et injurias deglutire, et eorum penitus oblivisci. Christus constantiam et perseverantiam in bonis operibus ita coluit, ut neque flagellis, neque clavis, neque cruce, neque lancea a cursu nostræ salutis procurandæ ac perficiendæ revocari aut impediri potuerit. Ergo et vobis acerbum non sit, aliquando in bonis operibus pati contradictores, neque facile retrò respiciatis, aut bona inchoata opera relinquatis, licet mundus et dæmones se opponant. *Recogitate eum, qui talem adversum semetipsum sustinuit a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes.* Christus enim tam insignem mansuetudinem in passione ostendit ut sicut *Ovis ad victimam duceretur, et sicut agnus coram tondente se obmutesceret.* Ergo et vobis asperum non videatur, aliquando inter amicos vel inimicos tacere,

abscedere et obmutescere potius, quam ut lites et contentiones serantur, unde odia et indignationes, et iræ et rixæ nascuntur, quæ charitatem extinguunt, Spiritum sanctum contristant, animam et corpus occidunt. Christus quoque tam ardenti charitate in ipso summo ardore passionis flagravit, ut pro ipsis suis crucifixoribus et tortoribus ingenti affectu supplicaverit. Ita etiam ardentem salutem animæ, et opera bona semper sitivit, ut ipse in cruce dolorum suorum oblitus, alterum latronem convertere studuerit, et converterit. Ergo et nobis dulce sit charitate flagrare, in salutem animarum incumbere : in bonis operibus numquam defatigari : unusquisque eo modo, quo potest, vel publice vel privatim aut verbo aut exemplo, colloquendo, conversando, in domibus, in gymnasiis, in conviviis, denique semper et ubique salutem animarum esuriat et sitiatur, et ignem charitatis ubi potest, et quomodo potest accendat, et illius desiderium compleamus, qui dixit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendantur?* Christus postremo se ipsum perfectissimum et absolutissimum mundi hujus, et gloriæ, ac divitiarum et voluptatum contemptorem in passione sua nobis exhibuit, cum in cruce pro nobis pendens non alium thronum habuit, quam patibulum : non aliam coronam, quam spineam : non alias vestes, quam fortasse velum, quo partes corporis pudendæ tegerentur, non alias epulas, quam fel et acetum ; non alios comites, quam duos suspensos fures ; non alios in suis afflictionibus consolatores, quam eos, qui clamabant : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Ergo et vobis, fratres mei, si caput vestrum agnoscitis, si Christum sequi desideratis, si vultis, ut ipse vos in regno Patris sui coram Angelis suis agoscat, et confiteatur, incipiat jam nunc mundus vilescere et gloria ejus sordere et voluptas desipere. Amate vero quod Christus amavit, neque timete, ne decipiimini. Ipse enim est Emmanuel, qui novit *Reprobare malum et eligere bonum.*

Itaque si quis vere cupit ad magnum culmen perfectionis brevi tempore pervenire, mundi gloriam contemnere, carnis petulantiam coercere, animi perturbationes sedare, metum mortis excludere, humilitatem, obedientiam, patientiam, constantiam, mansuetudinem, charitatem, mundi contemptum addiscere, ac breviter in hominem alium

transformari, serio, sedulo, attente atque assidue in libro crucis legendo et contemplando se exerceat : aspiciat atque intuemini sanctos illos homines, Apostolos, Martyres, confessores, quorum vitam et virtutes omnes admiramur. Unde illi, quæso, in tantam mentis altitudinem, et puritatem pervenerunt, ut angeli quidam terrestres esse viderentur? unde tantum illud robur et constantiam hauserunt, ut dæmones non timerent, sed provocarent? mortem et pericula non fugerent, sed quærerent? non formidarent, sed desiderarent? Unde tam excelsum divitiarum et gloriæ, et voluptatum contemptum didicerunt, ut pane et aqua, vestibisque vilissimis contenti, cætera non solum non studiose quærerent, sed etiam oblata respicerent? Nimirum in Cruce Domini ista legerant. Nam et Petrus et Andreas amore sanctæ crucis ebrii fuerunt : Apostolus vero Paulus, nihil se scire profitebatur, nisi *Christum et hunc crucifixum.* Et rursus clamabat : *Christo confixus sum cruci : vivo autem jam non ego ; vivit vero in me Christus :* Martyr Ignatius, cujus sunt dulcissima et affectu plenissima verba : *Amor meus crucifixus est, quanto crucis amplectendæ desiderio flagrarit, testes sint stupendæ ejus epistolæ et præsertim ea quæ est ad Romanos, cujus tot faces, quot verba, tot scintillæ, quot syllabæ.* Porro B. Bernardus unde tantum et pietate et eruditione profecerit, ipse docet in sermone 43. in Cantica sententiam illam exponens : *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* « Tu quoque, inquit, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum fasciculum de penetrati tui pectoris nec ad horam patieris avelli : amara illa omnia, quæ pro te Dominus pertulit, semper in memoria retinens, et assidua meditatione revolvens, quo possis dicere et tu : *Fasciculus mirrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et ego, fratres, ab ineunte conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hinc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando : tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, convitiarum,

sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similitum, quæ in salutem nostri generis, Evangelica silva copiosissime noscitur protulisse. Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum; hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis; hæc in corde semper sicut Deus scit; hæc in stylo meo admodum familiaria, ut apparet, hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum et hunc crucifixum. Hoc reficit viscera parvulorum, hoc replet ubera matrum et ideo inter ubera mea commorabitur.» Hæc B. Bernardus. Jam B. Franciscus unde meruit tam singulari divini amoris privilegio in eandem crucifixi imaginem transformari, et stigmata Domini nostri in corpore suo portare, nisi quod jam ante per assiduam crucis meditationem totus animo in Christum cru-

cifixum transformatus erat? Floruit ante multos annos virgo quædam in Italia nomine Clara, cujus sanctitatem et vitæ ac morum excellentiam (quæ fuit maxima) ut totam ab amore erga crucem Domini manasse intelligeremus inventa est post obitum ejus et adhuc hodie cernitur in corde ipsius carneo imago Domini crucifixi artificio Spiritus sancti mirabiliter expressa. Et nos quidem ista in corporibus sanctorum externa signa oculis carneis videre possumus, sed nequam videmus quanta eorum animæ charitate fulgeant, quanto gaudio repleantur, quanta gloria coronentur. Sed aliquando tamen videbimus, si eis similes esse et eorum vestigiis insistere voluerimus: si enim cum ipsis legitime ducem nostrum subsecuti certaverimus, eadem quoque beatitudinis laurea coronabimur, quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXX.

DE RESURRECTIONE DOMINI

THEMA

Hæc est dies, quam fecit Dominus : exultemus et lætemur in ea.

Psalm. CXVII, v. 24.

SYNOPSIS

Exordium de hujus festi summa celebritate agit, et ejusdem cum nativitatis festivitate instituitur collatio; tum historia gloriosæ resurrectionis explicanda proponitur. Atque in primis patres in limbo detenti, qui alio modo Christum præfiguraverunt, vel vaticiniis prædixerunt, describuntur, illorumque ex descensu Christi ad se gaudium eleganter exprimitur: Christique vicissim lætitia ob tot liberatas et regeneratas animas exemplo Josephi ob duos filios sibi natos exultantis, demonstratur. Gloriosi corporis resurrectio similitudine solis exorientis describitur: et figuris Josephi, Moysis, Mardochei, Danielis, Sampsonis et Jonæ declaratur; et qua ratione mors a Christo devicta et vincula jacet ostenditur, et S. Athanasii testimonio confirmatur. Facta deinde ab B. Virginem apostrophe, illius immensum gaudium, quod ex præsentia filii redivi et sibi apparentis, conceperat, clare explicatur; et exemplo Jacobi, ob Josephum filium, mortuum creditum at vivum perceptum, gaudio perfusi, exaggeratur: Hinc quam prompto adsit solatio Deus his, qui aliquid pro Christi nomine sufferunt, demonstratur.

Pars posterior enodat quæstionem, cur videlicet festum paschæ sit nobile, et in eo celebrando semper expectetur mensis Martius, et in eo tertia hebdomada lunæ, hujusque dies sextus, septimus et octavus eligatur. Cujus primi ratio assignatur, quod Martius in sacris litteris

mensis novorum appelletur, et in eo omnia quasi reviviscant et resurgant cum Christo. Cur vero in tertia lunari hebdomade agatur, duplex redditur causa; prima, quod a passione et resurrectione Christi tertia mundi ætas inchoetur, uti et tum temporis novus Lunæ cursus; secunda, quia luna a sole discedens parte inferiore illustratur, sed superiore obscuratur; contra fit, ea ad solem appropinquante: sic homines, luna mutabiliores, quo longius a sole justitiæ Christo discedunt, mundo splendidiores apparent: contra si ad Christum accedant, (ubi obiter religionem ingredi volentium impediens institutum, texantur. Hinc illo tempore Christus nos ad solem reducturus pati et resurgere voluit. Quid vero et eos quosdam dies nempe sextum passioni, septimum quieti, et octavum resurrectioni, elegerit, duplex itidem causa assertur; prima; ut se ultimis tribus creationis mundi diebus confirmaret. Deinde, ut, quia omnis sanctorum vita tribus diebus peragitur, quid in illa agere, sperare et desiderare debeamus, nos edoceret: ubi illud Psalmi xc. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum, breviter explicatur. Præterea ut feriam sextam passionis agamus, si sabbatum quietis et dominicam resurrectionis desideremus serio admonemur, et qui pristina peccata rursum ad confessionem asserunt, per fabulam lupi a pastori deprehensi et emendationem promittentis, notantur. Tantem sabbatum hujus vitæ quam sit miserum et inquietum; e contra futuræ gloriæ sabbatum felix et quietum vivis coloribus depingitur.

Dolor, quem tenebræ superiorum dierum attulerunt, si magnus fuit; magnam quoque, optimi auditores, eam lætitiā esse necesse est, quam ex luce et splendore hodiernæ dici capere debemus. *Hæc est enim dies, quam fecit Dominus.* Et certe par est, ut sicut hebdomada superiore capiti nostro tamquam viva membra et vera condoluimus: ita nunc eidem in die gloriæ et lætitiæ cordis ejus gratulemur: alleluia, alleluia. *Hæc est dies, quam fecit Dominus; exultemus et lætemur in ea.* Cæteros dies suo exortu ac luce sol facit; sed hanc diem fecit ille, qui fecit et solem. Hodie siquidem ille renatus est, qui suo fulgore et lumine etiam soli tenebras maximas offundit. Itaque cæteri dies sunt dies solis, *Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus et lætemur in ea.* Vidit quidem orbis terrarum, et alias hanc novam lucem, cum videlicet ex virgine natus est Christus sed tamen clarissimum justitiæ solem tunc exorientem cooperiebant nubes mortalitatis, comitabantur pluvie tribulationum, obscurabant nimbi et caligines persecutionum, et quod majus brevissimo cursu peracto, iste idem sol descendit totus obductus nubibus in occidentem. Itaque fuit illa dies hiberna quædam dies, obscura, frigida, brevis. At vero hodie totus clarus, totus serenus, totus illustris, numquam amplius obiturus sol justitiæ Christus renatus est.

Conferte diem natalis cum die resurrectionis. Tunc parvulus vagiens natus est, nunc gigas potentissimus resurrexit: tunc in pago Bethlehemitico; nunc in urbe regia Jerosolymorum: tunc in humili stabulo; nunc in excelso monte: tunc agnus erat, qui suo balatu pulsabat, ac movebat viscera matris, nunc vero leo, qui suo rugitu exterruit mortem, tremefecit gehennam, conturbavit castra et principum tenebrarum legiones. Vide quid profeceris, vide quid obtinueris, Dæmonum et Judæorum crudelitas. Occidisti agnum et resurrexit leo; non exiit quidem, nec amisit Dominus mansuetudinem; sed induit atque assumpsit potestatem; itaque de illo Joannes quondam dicebat: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* De isto alius Joannes ait: *Esse, inquit, vicit leo de tribu Juda.* Et ipse de se ipso: *Data est mihi, inquit, omnis potestas in cælo et in terra. Hæc igitur est dies quam fecit Dominus: exultemus et lætemur in ea.*

Exultavit hodie caro et anima Christi, exultavit Maria mater Christi, exultaverunt

omnes discipuli Christi, exultavit cælum, exultavit terra, et ad ipsas quoque obscuras inferni regiones pars hujus lætitiæ penetravit: neque dubium mihi esse videtur, quin et ipse quoque sol, sicut in die passionis Domino suis tenebris deservit: ita in die resurrectionis ejus duplicato lumine eidem Domino deservierit. Refert de se ipso sanctus quidam Pater, singulis dominicis diebus cum prima luce vel etiam ante lucem surgebat ad orationem, se etiam ob hujus diei memoriam tanta lætitiā perfundi solitum fuisse, ut sibi omnes res creatæ, quæ in cælo sunt et quæ in terra, magnis vocibus cantare viderentur: « In resurrectione tua, Christe, cælum et terra lætantur, alleluia. » Quare ut nos partem quoque hujus communis gaudii et exultationis capiamus, exponam paucis, et quasi in summa, historiam dominicæ resurrectionis. Deinde si per tempus licebit, de mysterio hujus dici breviter disseremus.

Ut igitur ab eo, quod primo loco posuimus, principium faciamus, posteaquam Dominus Christus cruento certamini, quod a principio noctis usque ad horam nonam sequentis diei protractum fuerat, gloriose triumphans felicissimam finem imposuit, eadem charitate, qua crucem pro nobis ascendere, ad sanctos Patres in sinu Abrahæ quiescentes descendit. Siquidem in eo loco congregatæ erant omnes illæ sanctæ animæ, quæ ab orbe condito usque ad illam horam in fide et spe adventus Domini de corporibus suis exierant. Ibi erant primi illi duo homines, propagatores generis humani, qui sicut primi fuerunt, qui peccaverunt et antiqui serpentis venenum hauscrunt, ita primi in crucem et passionem Domini, tanquam in æneum serpentem aspicere et sperare cœperunt. Ibi erat sanctus Abel, qui candidus et rubicundus, hoc est virgo et martyr primus, Domini Servatoris typum gessit: et primus Dei civitatem sanguine suo dedicavit, et primus novas illas inferni regiones et sanctorum sedes, habitare cœpit. Ibi erat sanctus ille senex, qui molitione ingentis illius arcæ simul genus humanum conservavit, et Catholicæ Christi Ecclesiæ figuram expressit. Ibi erat magnus ille parens omnium credentium, qui primus pactum Dei et insignia servorum ejus in carne sua recipere meruit. Ibi erat exemplar obedientiæ sanctus Isaac, qui ligna propriis humeris ferens, in quibus immolandus erat, verum sacrificium ac remedium totius mundi designavit. Ibi erat

sanctus ille parens duodecim tribuum, qui alienis vestibus peregrinoque habitu, benedictionem patris lucratus, quod in populis Judæorum et gentium post multa sæcula futurum esset, et majorem minori subjiciendum, hoc est, gentes in Christum credituras Judæis anteponeudas, demonstravit. Ibi vidisses, ut alios multos præteream, unum prophetam lapidatum, alterum sectum, tertium vecte in capite percussum, atque alios aliis modis propter veritatis prædicationem ac testimonium necatos. Ibi quoque erant tanquam hospites et novi accolæ illarum regionum magnus Baptista, et fortunatus ille senex, qui non ante potuit egredi de mundo quam videret propriis oculis Deum infantem, et eum in ulnis suis reciperet, et dulci cantico quasi cygnea voce laudaret. Neque deerat in illa sancta civitate suum hospitium Lazaro illi pauperculo, qui suis plagis et fame ac nuditate hunc sibi locum in sinu Abrahæ procurabat cum dives ille avarus sua purpura et bysso, et quotidianis sumptuosisque conviviis vivas in gehenna æternasque flammis accendebat. Totsusque ille sanctorum chorus ibi erat; et gemebat ac suspirabat, ut viderent diem Domini, atque in medio eorum, quasi ductor chori regius psalter, antequam illam suam lamentationem sine intermissione repetebat: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus; fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?* At ubi adveniente Domino viderunt tenebras omnes dissipari, obscura illa loca insolito fulgore illustrari, et suam ipsorum gloriam ac beatitudinem jam inchoari, quæ lingua explicare posset, quid senserint mentes illæ fortunatorum hominum et quanto gaudio, quanta lætitia, quanto tripudio diem illum exegerint? Tunc propheta Jeremias librum lamentationum clausit, quem propter eversionem Jerosolymæ et templi profanationem scripserat. Intelligebat enim post tres dies templum restaurandum, et multo pulchrius post instaurationem futurum, quam ante restaurationem fuisset. Nec ignorabat Jerusalem novam exultationem universæ terræ apostolis architectis et Martyribus operariis esse fundandam. Tunc rex et sanctus Propheta David veterum canticorum oblitus, canticum novum cantare cœpit, et dicere: *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob: remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti*

omnia peccata eorum. Tunc et Moyses et Maria sumpserunt tympanum in manu sua, et una cum cæteris, qui se videbant jam vere liberatos de Ægypto, et hostes suos submersos in mari rubro canticum illud inchoavit: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est; equum et ascensorem dejecit in mare.* Et qua lætitia, quibus vocibus, quibus lacrymis existimatis primus parens generis humani, ante pedes Filii ac Domini sui prostratus dicebat: Venisti tandem diu, expectate ac desiderate Domine Fili, ut culpam meam tuo sanguine expiaries: non es oblitus *Verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Vicit iter durum pietas, et laboris magnitudinem amoris magnitudo superavit.

Non potest certe verbis explicari lætitia sanctorum patrum: sed multo nihilominus major erat ea voluptas, quam Dominus capiebat ex ea multitudine animarum, quas præteritis suis laboribus et sudoribus se iterum genuisse ac peperisse cernebat. Si patriarcha Joseph, cum ei duo filii in terra Ægypti nati essent, tantam ex eo voluptatem cepit, ut jam oblivisceretur omnium laborum, quos ante illud tempus in Ægypto passus erat, et primogenito suo Manassis nomen imponeret, dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et domus patris mei:* quid credibile est sensisse Dominum, quando post laborem ac dolorem crucis, se tot millibus filiorum ac filiarum circumdatum vidit? Quando speciosa illa oliva, se tot ramis undique ornatam et quasi vestitam consideravit? O quam fructuose collocati, quam utiliter insumpti gravissimi illi dolores Domino videbantur, quos in arbore crucis proprio sanguine irrigando sustinuit, quando tales fructus eam arborem jam edere ac proferre cernebat.

Sed quid agimus, Domine? Cur non communicas partem hujus gloriæ cum illo sacro corpore, quod adhuc te expectat in sepulchro? Non recordaris ejus legis, quæ ait: *Æqua pars erit descendentibus ad prælium et remanentibus ad sarcinas?* Anima quidem tua, tamquam robustior, non contenta fugasse dæmones de terra, persecuta est eos etiam in inferno. Corpus vero priore certamine, multis vulneribus acceptis, substitit ad sarcinas. Cum igitur jam hostium tuorum exercitus fuderis, castra eorum et civitates spoliaveris, amicos tuos, qui captivi tenebantur, a servitute asserueris, neque in his regionibus agendum aliquid supersit: cur

non redis ad tabernaculum, ut cum illo collega ac socio laborum tuorum prædam ac spolia divides. Erat, auditores, sanctum Domini corpus in sepulcro et adhuc horribilem illam speciem conservabat, quam acceperat in morte. Jacebat super lapidem obvolutum linteo, pallidum, frigidum, cruore fœdatum, livoribus plagis, vulneribus coopertum. Medium noctis jam præterierat, et cœlum ab ea parte, qua oritur sol, jam albescere et illustrari aurora ex oriente incipiebat: tunc sol justitiæ, Christus Deus noster, solem illum quotidianum suo cursu atque exortu antevertere volens, mira celeritate et majore potestate, natura obstupescente, corpus suum excitavit, atque a morte ad vitam et ad vitam immortalem revocavit. Quanta et quam admirabilis fuit ista mutatio? et sanctum illud corpus, de quanta obscuritate ad quantam gloriam, et quanta velocitate anima redeunte transierit, certe verbis explicari non potest. Sed fortasse aliqua similitudine, aliquid de re tanta, suspicari poterimus. Accedere solet aliquando, ut ad plagam obeuntis solis aliqua nubes existat, ita obscura atque atra, ut intuentium oculos exterreat: quæ tamen si forte sol occasui propinquans eam plane suis radiis ferire possit, ita repente lucere ac splendere, et toto aureo effici solet, ut pene ipse globus solis esse videatur. Pari ratione, auditores, splendidissima illa mens, simul atque in corpus intravit, omnes tenebras ejus convertit in lucem, et statim ad præsentiam ejus, gloriæ omne squalore, omni deformitate, omnibus sordibus evanescentibus, summus decor, summa gratia, summa lux, summa species, summa ac perfecta et sempiterna sanitas omnia illa membra et totum corpus occupavit. Quis est iste, qui post tot procellas ac tempestates de profundo mari, tam lætus et tam formosus egreditur? Iste est Joseph, qui jam exiit de carcere attonsis crinibus mortalitatis, et indutus vestem immortalis gloriæ, et ipse deinceps dominabitur in omni terra Ægypti. Quis est iste? Iste est Moyses, qui jam prodiit ex aqua, et ex juncea fiscella, ut regem Pharaonem et exercitum ejus submergat in mari. Quis est iste? Iste est Mardocheus, qui jam exiit saccum et cilicium, et indumenta regia indutus, hostem suum Aman in ipsa cruce suspendit, quam ille paraverat, et universum populum ab illa tyrannide et crudelitate liberavit. Quis est iste? Iste est Daniel, qui

teterrimo dracone interfecto in lacum leonum immissus, incredibili potentia eorum ora conclusit, et jam liber, sicut intraverat, exiit. Quis est iste? Iste est Sampson, qui circumdatus hostibus et in civitate Gazæorum inclusus, media nocte surrexit, et non tam apertis, quam sublatis portis urbis illius omnia proposita et consilium hostium suorum elusit. Quis demum est iste? Iste est Jonas, qui in mare præcipitatus, ut cæteri tempestatem evadrent, et a grandi cete devoratus, tertia demum die, nihil penitus læsus littori redditus est. Nam etsi potuit cete nostrum Jonam devorare, eum tamen lædere, detinere diutius quam tres dies non potuit. Tunc enim demum intellexit mors se circumventam, et eum devorare voluisse, a quo devoranda et occidenda erat. Dominus enim cum mortem, quæ per peccatum primi hominis in hunc mundum intraverat, occidere vellet, id fecit, quod piscatores facere solent: non objiciunt piscatores nudos hamos piscibus, sed eos in esca diligenter includunt, ut pisces accurrant ad capiendam escam, et interim capiantur ab hamo: Ita Dominus fecit: Non enim ipsum per se Dei verbum, quod mori non potest, cum sit ipsa vita et vita æterna, cum morte congregari voluit: satis enim sciebat ausuram mortem in tale certamen descendere, sed declinatoram omnino conflictum. Qui dicitur Dominus fecit? Inclusit hamum ferreum divinitatis in esca sanctæ illius humanitatis: statim mors a Diabolo incitata cucurrit ad devorandam escam, et videns Dominum posse cædi ac vulnerari, putavit, etiam omnino posse extinguere, atque in favillam et cineres redigi. Itaque exultans quasi victrix capta præda, aperuit os suum, et devoravit quasi dulcem escam carnem Servatoris: repente vero sentiens guttur suum hamo transfigi, intellexit, quid incaute suscepisset. Intellexit vitam æternam sub integumentis carnis humanæ delitescere: intellexit se in hamum ferreum quem fugiebat, incidisse. Dominus vero mortem captam ita fregit ac debilitavit, ut modo etiam pueri et puellæ eam irrideant atque insultent, ac dicant: *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Magnus Athanasius, libro de humanitate Verbi et salutari adventu ejus, hoc potissimum argumento demonstrat, mortem nihil virium jam habere, quod ante adventum Christi, omnes eam reformidabant: at posteaquam Dominus cum ea singulari certamine dimica vit,

eamque in cruce perdomuit, non solum viri graves, et Philosophi, qui de contemnenda morte multa didicerunt; sed etiam tot pueri et puellæ in ipso flore adolescentiæ, quando vita jucundior esse solet, carne et mundo undique blandientibus et sua fallacia gaudia pollicentibus, sola fide et cruce Domini armati mortem audacter provocaverint: et multi maluerint pro Christo ad mortem, ad tormenta contendere, quam præsentem vitam et salutem tueri. « Quis, inquit, cum leonem videt, ludibriis exagitari a pueris, ignorat eum, vel jam mortuum esse vel saltem omnibus viribus suis destitutum? » Et rursum: « Quemadmodum, inquit, ubi debellato per legitimum principem tyranno, manibusque et pedibus ejus intra vincula constrictis, omnes quotquot ad id spectaculi superveniunt, ludibriis ei insultant, probris et verberibus proscindunt, securi jam sævitiæ illius et furoris ob principis sui de eo partam victoriam: ita quoque mortem jam debilitatam, et per salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum cruce triumphatam, manibus ejus pedibusque obligatis, omnes in Christo pedibus proterunt, martyresque Christo se præbentes sannis, ludibriis, conviciis exagitant, objectantes quæ dicta sunt per Apostolum: *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* »

At tu, triumphator, posteaquam cum isto pulcherrimo corpore tuo prædam ac spolia divisisti, num moestæ matris tuæ non recordaberis, quæ etiam os tuum et caro tua est? Ea certe tecum affixa fuit cruci? Cur igitur etiam tecum non resurget; Apostoli tui sententia est: *Sicut socii passionum estis, sic et consolationis eritis.* Jam etiam beatissima mater tua, a die natali, usque ad diem obitus, a præsepi usque ad crucem, nunquam te deseruit: cur igitur modo etiam tantæ gloriæ et lætitiæ particeps non erit? Serena, Domine, illum solem propter te obscuratum: dissipa nubes illas tam densas, quæ adhuc cælum illud obducunt. Claude cataractas cœli, et reprime copiosum illum imbrem lacrymarum, qui adhuc propter te ab illis virgineis oculis manare non cessat. Erat, auditores, Beatissima illa Virgo, quantum pie conjectare licet, illa horæ dominicæ resurrectionis clausa in cubilo, et fide ac spe ornata atque erecta, vigiliis atque orationibus operam dabat, ac semper magis ac magis desiderio, atque amore incendebatur, videndi

tandem hunc novum splendorem; et quasi fortissima læna ex intimis præcordiis tertia die super mortuum filium rugiebat, ac dicebat: *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cythara*: Revertere de prælio, nobilis triumphator: collige pastor bone, dissipatum gregem: exaudi clamores afflictæ matris tuæ. Interrupit hæc suspiria atque lacrymas benignissimus Dominus. Repente enim paupercula illa domus cœlesti lumine tota completur: et multo clarior atque illustrior Dominus oculis matris apparuit cum appareat oculis nostris lux ipsa meridia. Quæ lingua, quæ mens, quæ cogitatio magnitudinem ejus lætitiæ consequatur, quam beatissima ista Virgo in aspectu tantæ, et tam desideratæ lucis accepit? O quanta celeritate repressa suspiria, impediti singultus, siccata sunt flumina lacrymarum? Patriarcha Jacob cum post multas lacrymas, quibus Josephum carissimum sibi filium, tamquam occisum et a bestia devoratum defleverat, audivit eum rursum vivere et ipsum esse, qui dominaretur in omni terra Ægypti, tantam ex nuncio lætitiæ accepit, quantam animus ejus capere non poterat. Et idcirco more eorum, qui de gravi somno evigilant, non poterat penitus ad seipsum redire, neque omnino credere, id verum esse, quod audierat et posteaquam tandem conspectis plaustris et muneribus, quæ Joseph miserat, rem totam credidit, *revixit, spiritus ejus, et ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit.* Jam igitur, auditores, si patriarcha Jacob, qui domi adhuc undecim filios, et unam filiam, et filios filiorum vivos habebat, tam vehementer lætatus est, cum acceperat duodecimum vivere, quem mortuum esse non viderat, sed audierat, et facile suspicari poterat non esse verum, sicut verum non erat: quantum credibile est, exultasse Mariam, quando Filium illum unicum, quem habebat, et quem non audierat, sed viderat in cruce mori: quando, inquam, illum unum filium, et talem filium non ex aliis cognovit vivere, sed ipsa propriis oculis conspexit vivum, et non provinciæ unius proregem, sed cœlorum ac terrarum verum ac solum regem et imperatorem effectum? Non possumus certe, non possumus ea capere, quæ nunquam experti sumus, et quæ intelligentiam nostram longe superant: ego tamen illud mihi persuadeo, tantam hanc lætitiæ fuisse tantumque gaudium, et ita Mariæ totum cor occupasse, ut sine miraculo singu-

lari, vis ejus perferri ac sustineri minime potuerit. O quam cumulati et celeriter, Domine, eos consolaris, qui pro te aliquid patiuntur? Non magnus vere erit jam ille præteritus dolor, si cum hujus voluptatis magnitudine comparetur. O fortunati labores? O certamina gloriosa servorum et militum Dei, quæ tale stipendium et tam uberem mercedem expectant? Vere felices illi, qui cum plurimum patiantur pro Domino, vel in defensione pudicitiae, vel in conservatione patientiae, vel in castris aliarum virtutum, contra spirituales nequitias fortiter dimicantes, tamen renuunt hic in terris consolari: Nam *mensuram bonam, et confertam et coagitatam et superfluentem dabunt in sinum eorum.*

PARS POSTERIOR.

Mysteriis prætermissis resurrectionis, quæstionem unam dumtaxat, tempori maxime accomodatam, nobis, ut spero, non minus utilem, quam jucundam exponam. Quæro igitur, quæ causa sit, cur anniversarius dies celebrandæ dominicæ resurrectionis non redeat ad eundem anni diem, sicut dies reliquarum celebritatum? Celebritas incarnationis semper incidit in diem Martii vigesimum quintum. Dies, quo natus est Dominus, semper agitur mense Decembri die etiam vigesimo quinto. Circumcisio, apparitio præsentatio aliæque celebritates semper ad unum et eundem anni diem revertuntur. Quæ igitur causa est, cur dies resurrectioni dominicæ consecratus numquam sit idem? et nunc in mense Martio, nunc in Aprili, nunc maturius nunc serius ad nos redeat?

Primum hoc loco, ut D. Augustinus ad Januarium scribens, hanc ipsam quæstionem edisserens, monet: « Illud nosse oportet, in Catholica Christi Ecclesia, alios festos dies in memoriam tantum alicujus rei gestæ, alios in memoriam simul et Sacramentum celebrari. » Prioris generis sunt dies, quo conceptus, quo natus, quo circumcisus, quo baptizatus est Dominus. Siquidem isti dies, et si qui alii eodem genere continentur, non alia de causa sacri et festi sunt, quam ut nobis in memoriam revocent, quæ beneficia a Deo illis diebus acceperimus, et nos pro eis, eodem Domino sincero affectu in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus gratias referamus: Ad hoc vero nihil est opus aliud, quam revolutum anni diem, quo res gesta

est, singulari celebritate ac religione peragere porro dominica passio et resurrectio, quas ascensio in cœlum et missio Spiritus sancti subsequuntur, ad posterius genus pertinent. Nec enim dies isti ideo solum celebrius peraguntur, ut Dominum pro nobis mortem obivisse, ac deinde tertia die resurrexisse recordemur; sed etiam ut aliquid præterea a Domino gestum vel a nobis gerendum intelligamus. Hinc videlicet, ut Pascha celebretur, expectamus primum mensem Martium, qui *Primus in mensibus anni et mensis novorum* in sacris litteris appellatur. Observamus deinde in eo mense tertiam hebdomadam lunæ, nempe a die decimo quarto, usque ad vigesimum primum quo tempore lunam diminui, vulgus hominum censet. Postremo in ea hebdomada non quoscumque dies accipimus, ut Hebræi faciunt: sed expectamus ad obitum Domini celebrandum diem sextum, ad sepulturam diem septimum, ad resurrectionem diem octavum: quos etiam tres dies non temere, nec sine causa Dei sapientia, ut in eis secundum carnem moreretur, ut sepulcro quiesceret et ab inferis reverteretur, expectavit. Quænam igitur in ipsa observatione temporum et dierum mysteria latent? Cur observamus mensem novorum, et in eo mense tertiam hebdomadam lunæ, et in ea hebdomada diem sextum, septimum et octavum? Quid hæc tempora nobis significant? Quæ Sacramenta continent? Hæc paucis aperienda sunt.

Initio igitur mensem Martium expectamus, quod ipse sit, ut Scripturæ loquuntur, *mensis novorum*. Quando enim quæso, melius, et commodius agi potest dominicæ resurrectionis celebritas, qua mundus jam collapsus renovatur, et nos jubemur *in novitate vitæ* ambulare, et expurgare, *vetus fermentum, ut simus nova conspersione*: et exuere veterem hominem, et induere novum; et renovari spiritu mentis nostræ, idque de die in diem; quam eo tempore, quo omnia resurgunt, innovantur, renascuntur, augentur? Nonne hoc tempore, anno quodammodo resurgente ac innovato, resurgunt in arvis fruges, ubique in pratis flores, in arboribus frondes, in vitibus gemmæ? Nonne ubique valles et montes virescentibus herbis et graminibus vestiuntur? Nonne redditur sua terræ fœcunditas, mari tranquillitas, aeri serenitas, rebus omnibus vita? Ecce quam aptum et idoneum tempus elegit sapientissimus Deus, et innumeræ prope resurrectiones,

tum hanc unam Domini resurrectionem quasi famulæ et administræ comitentur; tum nos omnes ad resurgendum, et vitam ac mœurs innovandos et immutandos invitarent.

Exspectamus secundo loco tertiam hebdomadam lunæ, propter duas causas. Una est, quod in passione ac resurrectione Domini tertia mundi ætas, et ut beatus Augustinus loquitur, tertium tempus inchoetur. Prima siquidem ætas fuit ante legem ab Adam, usque ad Moysen : secunda in lege, a Moyse usque ad Christum : tertia post legem, ab obitu et resurrectione Domini, usque ad obitum totius mundi, et communem ac generalem resurrectionem omnium filiorum Adam. Altera ratio hujus observationis paulo abstrusior atque obscurior, atque ideirco pluribus verbis explicanda. Sol et luna in sanctis litteris Deum et hominem significare solent. Deus enim passim *Sol justitiæ* nominatur, Malachiæ quarto : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ*. Sapientiæ quinto : *Erravimus a via veritatis et justitiæ lumen non lucit nobis*. Et Ecclesia de Christo non raro canit : *Sol justitiæ Christus Deus poster*. Homines vero, ac præcipue post peccatum, ideo lunæ comparantur, quia, ut Ecclesiasticus ait : *Stultus sicut luna mutatur* : et nihil stultius homine peccatore. Perpendite modo ex accessu lunæ ad solem, vel recessu ejusdem a sole, quam aperte demontretur, quid fiat in homine cum accedit ad Deum vel recedit a Deo. Luna cum ad solem accedit, illustratur in parte superiori, qua respicit cælum ; et obscuratur in parte inferiori qua respicit terram. Cum recedit a sole, illustratur in parte inferiori, obscuratur in parte superiori.

Itaque tempore novilunii, cum luna omnino objecta est soli, nobis quidem, qui solum partem inferiorem respicimus, omnino defecisse, et nihil luminis habere videtur : et tamen ea in parte superiori tota completur lumine. Contra autem cum longissime abest a sole, et ei e regione opponitur nobis plenissima et pulcherrima videtur : et tamen in parte superiore tota est obscura. Ad eundem modum, cum homines per peccatum a Deo recedunt, eique opponuntur, obscurantur in parte superiore, illustrantur in inferiore : hoc est, obliviscuntur Dei et bonorum æternorum, et omnes vires in terrena convertunt. Et ut ait Jeremias *sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescie-*

runt. Sapientes sunt secundum carnem, sciunt conservare et augere divitias ; sciunt non solum tueri, sed etiam extendere limites suos : sciunt pro tribus obolis optime litigare : at vero sapientiæ et cœlestis doctrinæ, nondum alphabetum attigerunt. Et isti quidem, quorum infinitus est numerus ab oculis terræ laudantur, celebrantur, volitant per ora et aures vulgi. Tunc luna est plena, omnes aspiciunt, multi invident, plures adulantur. At in oculis Dei et Angelorum contemnuntur, despiciuntur, fœtent coram eis. Contra vero cum aliquis per pœnitentiam et veram conversionem accedit ad Deum, tum illustratur in parte superiore, oculos suos convertit ad cælum, eo dirigit omnes radios suos, ea cogitat, ea diligit, ad ea suspirat, et interim obscuratur in parte inferiore. Obliviscitur enim terræ et rerum terrenarum, moritur quodammodo mundo, et crucifigitur. Neque valde studet propagandæ soboli, nec honoribus acquirendis, nec patrimonio ampliando : et isti pauci sunt et pauci illi contemnuntur et iridentur. Cum enim aliquis relictis turbulentis negotiationibus mundi, serio ad Christum convertitur, et cum eo conjungi eique subjici desiderat, quid tum dicunt filii hujus sæculi? quid judicant oculi carnis? Nempe eum deficere, obscurari, insanire. Quoties illas voces audimus : Adolescens tantæ spei, qui tantos progressus in studiis litterarum vel in aula regis faciebat, qui familiam suam multis titulis et ornamentis augere potuisset, ecce quomodo periit, abscondit se in monasterio, ubi deinceps latebit et ignorabitur. Et qui in luce honorum et dignitatum versari potuisset, nunc in tenebris monasterii otiosus versabitur, et nec sibi, nec suis, vel adjumento vel ornamento erit. O quam vehementer falleris sapientia carnis? Tu vero deficis, ille proficit. Tu autem proficis in oculis hominum, ille proficit in oculis angelorum. Tu sapis ea, quæ carnis sunt ; ille sapit ea, quæ Dei sunt. Tu diligis ista, quia meliora non nosti, ille illorum obliviscitur, quia recordatur meliorum : tu servire potes Mammonæ, quia Deo non servis ; ille renunciat Mammonæ, quia Deo servire cupit, et nemo potest Deo servire et Mammonæ. Sed tunc intelliges, licet sero, tunc sapere incipies, cum in extremo die cum perditis et damnatis dices : *Ô nos insensatos, qui vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati*

sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

Quorsum tam multa, dicet aliquis, de cursu lunæ? Omnino ad propositum, auditores: Deus enim qui est *Luc vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, cum primum hominem condidit, ejus faciem ad se convertit, ad eum modum, quo luna se habet, cum est conjuncta cum sole. Itaque tunc homo subjectus Deo illustrabatur interius, gaudebat ac delectabatur in Deo neque ei valde curæ erant convivia, choreæ, aliæque sensuum et carnis voluptates: habebat enim alia sine comparatione majora et meliora. Verum non diu infelix homo hac felicitate frui potuit: statim enim dæmone impellente, per peccatum cœpit a Deo recedere, et simul faciem ab eo evertere, atque ad terram convertere; non secus ac luna facit cum a sole recedit. Legite historias rerum gestarum a condito orbe, ibi plane videbitis post peccatum primi hominis, semper hominibus magis et magis a Deo recedentibus crevisse in orbe contemptum atque ignorantiam veri Dei; et simul auctam prudentiam carnis, auctas fraudes, auctam industriam male agendi, auctam nequitiam et libidinem fuisse. Quid tunc fecit Deus? expectavit ut compleretur noctra malitia, et discederent homines quam longissime poterant, et lunæ persimiles essent. Cum ad finem secundæ hebdomadæ, hoc est, ad diem decimum quartum pervenit, et tunc demum hac plenitudine temporum et humanæ malitiæ, luna videlicet plena existente, et secundam hebdomadam complente, misit Deus Filium suum, ut moriendo ac resurgendo, rursum genus humanum ad se traheret, atque ad conjunctionem cum sole revocaret. Itaque sicut initio tertiæ hebdomadæ iterum luna ad solem faciem suam convertit, atque ad eum properat, donec ei rursum plene ac perfecte subjicitur: ita nos quoque a Christo de cruce concionante vocati et excitati ad Deum convertimur; et qui eramus longe, efficimur prope: et quanto magis ei affectu pietatis propinquamus, tanto magis exterior noster homo corrumpitur, et interior renovatur de die in diem, et mundo crucifigimur et morimur, ut soli Deo in Christo vivamus, et pascha quotidie agamus, quod transitum significat, dum transimus de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de vitiis ad virtutes, donec veniat dies felicissimus novilunii, et luna cum sole, hoc est, Eccle-

sia cum Christo plane ac perfecte in cœlo jungatur.

Hæc igitur est causa cur Spiritus sanctus, hoc nostrum pascha, atque hunc transitum non alio tempore, quam tertia lunæ hebdomada: non quoscumque dies, sed certos quosdam Dominus elegerit, nempe sextum, septimum et octavum, et hoc potissimum triduum nobis moriendo, quiescendo et resurgendo commendaverit. Cujus rei duas quoque causas fuisse video. Prima est ut Christus in hoc excellentissimo opere liberationis, verus Deus Filius ostenderetur, omnino decebat, ut quemadmodum Deus sexto die hominem creaverat; ita Christus sexta die eundem hominem, sua morte ac passione ad vitam, quam amiserat, instauraret, et septima die quiesceret ab opere redemptionis. Et sicut Deus octava die non redierat ad aliquas novas res procreandas, sed solum ad ea gubernanda et conservanda, quæ ante sabbatum creaverat: ita Christus octava die resurgeret quidem; sed non ad laborem, non ad concionandum, non ad jejunandum, non ad pedes discipulorum lavandos: sed dumtaxat Ecclesiam administrandam et regendam, quam sibi proprio sanguine et vita pepererat. Deinde voluit Dominus, ut B. Augustinus in epistola illa ad Januarium docet, hoc sacratissimo triduo nobis ostendere, quid agere, et quid sperare ac desiderare deberemus. Omnis enim vita sanctorum tribus diebus peragitur. Primum excipit nos dies passionis, dies sextus, in quo flagellamur tamquam filii, et in quo dicitur nobis: *Tolle crucem tuam et sequere me*. Et hic quidem a die natali usque ad diem obitus durat. Sequitur deinde dies sabbati, dies quietis, ab obitu usque ad resurrectionem, quo die dicitur sanctis: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos*. Postremo adveniet optatissimus dies octavus, quo absorbebitur mortalis vita, et *Inimica destruetur mors*, et Dominus Christus *Conformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*: et tunc plene ac perfecte resurgentes jam non moriemur, *mors ultra nobis non dominabitur*: quia vero non resurgent iterum sancti homines ad labores, nec requies illorum illis sæculorum spatiis terminabitur, ideo nec septimus dies finietur, sed continuabitur cum octavo: in quod etiam Moy-

ses significare voluisse videtur, cum in libro primo Geneseos, soli diei septimo non adjungit vesperam : siquidem gloria resurrectionis non exinguet, sed excipiet et conservabit, ac etiam meliorem faciet requiem beatorum. Porro de hoc triduo et psalmo quodam legimus : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Est enim nobiscum in tribulatione Deus, dum est dies sextus, et tempus crucis peragitur ; eripiet vero et liberabit de omni tribulatione, atque in quiete constituet, cum dies septimus, hoc est, dies mortis advenerit. At die octavo tum demum nos a mortuis excitabit, et gloriosos ac beatos efficiet. Itaque die sexta dicitur : *Cum ipso sum in tribulatione : die septima, eripiam eum : die octava glorificabo eum.*

Quæ cum ita sint, auditores, omni animi provisione cavendum est, ne de illorum numero simus, qui rationem hujus sacratissimi tridui non intelligentes, hic in terris agere volunt non diem sextum ut deberent ; sed septimum et octavum, nempe crucem ferre non volunt, contra spirituales nequitas arma sumere, et fortiter dimicare non volunt. Sed quid illis accidet ? Num feriam sextam et tempus crucis evadent ? Non evadent sane. Omnino enim tempus crucis agere debemus, vel in hoc sæculo brevissimum vel in alio sempiternum. Itaque nemo se ipsum fallat, nemo se ipsum decipiat, nemo ut hic sabbatum et sabbatum breve ac turbulentum agat, sabbatum illud pacatissimum et sempiternum quod in alia vita nobis Dominus pollicetur, amittat. Quid enim stultius, quid insipientius, quam ut hic ad momentum læteris, ac diem festum agas et incidas in eam quadragesimam, quæ Pascha non expectat, et in eam vigiliam, quam nullus consequitur dies festus, et in eam sextam feriam quæ sabbatum et dominicam post se non habet.

Quamobrem oro vos atque obtestor, auditores, ut hoc alte mentibus vestris infigatis, neque semen istud veri verbi Dei vobis de corde ab ullo dæmone auferri sinatis : sententiam ac decretum esse Dei, ut omnes sive adolescentes, sive senes, sive nobiles, sive ignobiles, sive pauperes, sive divites, ad requiem sabbati, et gloriam dominicæ resurrectionis non perveniant, nisi hic in terris feriam sextam egerint crucemque portaverint. Quid est portare crucem ? Quid ? Tolerare injurias, reddere bonum pro malo, dimicare viriliter contra vitia, coercere libidi-

nes, non fornicari, non inebriari, non alias foediores voluptates consecrari, quæ nec nominari honestis vocabulis possunt.

At, inquis, tametsi ista non servo, tamen postea ad confessionem accedo, atque ita crucem meam fero. Verum est quidem, ad confessionem accedis, sed qua contritione ? quo dolore ? quo desiderio satisfaciendi ? quo proposito non peccandi ? Certe tales confessiones hoc nostro sæculo fiunt, ut ego vehementissime reformidem illas audire. Nonne singulis annis promittis sacerdoti, te diligentiam adhibiturum, ut non pecces ? Nonne statim promissionis oblivisceris ? Nonne anno sequenti cum iisdem peccatis et fortasse pluribus et majoribus ad eum accedis ? Audire vultis sapientem quamdam fabulam ? Ferunt aliquando lupum a pastore quod in stabulo comprehensum : cunque jam pastor mortem minitaretur, lupum facundia sua uti cœpisse, ac dixisse : Domine, non amplius veniam, spondeo, promitto, do fidem, nihil amplius detrimenti tuis gregibus inferam. Pastor vero : Non me decipies, inquit, et tunc vero non amplius redibis si te interficiam. Quid ego tibi parcerem, qui non solum agnos et oves devoras ; sed etiam cum stabulum ingrederis, etiam sine fame, solum libidine nocendi omnes oves occidis ? Tum lupus : Vere, domine ; ex corde, ex animo pœnitet me nequitiæ meæ, agnosco stultitiam meam, et deinceps, nunc polliceor, me nihil unquam accepturum, nisi fames cocgerit, et fame etiam cogente, non consumam amplius, quam pretium septem obolorum. Tandem pastor misericordia motus : Vade, inquit, tu etiam debes vivere, sed recordare promissionum. Abiit lupus, et cum in itinere meditaretur sobrietatem, ecce occurrit ei pinguissimus quidam vervex. O gravem tentationem. Et quid egit lupus ? Hic, inquit, habeo prandium præparatum : sed quid respondebo pastori, si hoc agam ? Quid ei respondebo ? Tandem cepit bonum consilium, atque ait : Iste vervex nihil valet : ego certe non illum tribus obolis emerem. Itaque finxit illum non valere tres obolos, et sic eum devoravit. Sequenti die invenit bovem unum, quem etiam parvulus vitulus sequebatur. Tunc lupus ex facto priore audacior factus : Bene, inquit, iste bos valere potest quatuor obolos, vitulus tres, tota summa ad septem obolos vix perveniet, et ad eum modum eos occidit. Itaque hoc modo cum plerisque hominibus

agitur, auditores : exercent toto anno vitam luporum, veniunt sabbato sancto ad pastores, audiunt sibi æternum interitum esse paratum, omnia se facturos, et numquam amplius peccaturos esse pollicentur. Sed quid? Venit pascha, occurrunt occasiones peccandi, illi statim in promptu habent, quo pacta extenuent. Invitat aliquis ad tabernam; O, inquit, promissi pastori meo, me non amplius iturum, Quid? inquit. Non hoc promisisti, sed non iturum, ut inebriemur : ego idem promisi, neque volo ut inebriemur : absit hoc a nobis : sed quoniam jam agitur pascha, erimus paulo hilariores, bibemus unum poculum vini. Itaque eunt, et redeunt tam bene poti, ut vix recti per plateas incedant. Omitto de fornicationibus et aliis gravioribus peccatis dicere, nam numquam esset finis. Summa hæc est singulis annis eadem peccata ad pastores redeunt, nunquam cumulus diminuitur : et quid putatis has confessiones prodesse? Si viderem te lacrymis rigatum, et magno desiderio flagrantem patiendi, et laboriosis operibus Domino satisfaciendi, et signa in te veræ conversionis aspicerem, tum dicerem, te ferre crucem. Ad solum peccata, non solum sine dolore, sed etiam sine rubore recitare, et sequenti die in eadem labi, hoc non est portare crucem : sed crucifixum iridere. Itaque non fers crucem in confessione, quia sine dolore et pœnitentia confiteris. Quando igitur cruces portas? Quando feriam sextam agis? Quando Dominum imitaris? Certe nunquam. Nunquam igitur ad sabbatum pervenies. Serio et ex animo loquor, semper in gehenna feriam sextam ages.

At, inquis, nimis severa, nimis dura, nimis aspera nobis proponis. Non nego, non inficior illud. Dura sunt et amara; sed dulcia et jucunda illa erunt, ad quæ ista perducunt. Et rursus, aspera sunt hæc, sed asperiora multo erunt, quæ in gehenna peccatores manent. Postremo hanc viam et non aliam Dominus Christus et virgo Deipara et omnes sancti tenuerunt.

Quamobrem, auditores, viriliter contemnamus sabbatum præsentis vitæ, sabbatum ærumnosum, turbulentum, brevissimum, momentaneum, plenum necessitatibus et mutationibus, in quo si non comedimus, esurimus; in quo si non bibimus, sitimus : si

multum bibimus : inebriamur, et corpore etiam languemus; si non dorminus, deficiamus; si nimium dorminus, torpemus; si ambulamus, defatigamur, et idcirco surgimus ut ambulemus : si vestimenta non induimus, frigemus, si induimus, sæpe nimium calemus. Contemnamus hoc sabbatum, quod nunquam vacat a morbis et doloribus, in quo si abit unus, succedit alter; si abit dolor dentium, succedit dolor capitis; si confirmatur caput, debilitatur stomachus. Contemnamus hoc sabbatum simulatum, non verum. Quomodo enim est sabbatum, quod est timoribus et sollicitudinibus plenum? Si es puer, times virgam : si es adolescens, morbus amoris te discruciat : si es vir, cura familiæ tibi somnum et quietem aufert : si es senex, ipsa senectus est tibi oneri, cum etiam minimus labor senectutem frangat; si es dives, fortunarum conservatio tibi negotium es molestiam parit : si es pauper, semper cogitas quo pacto tibi victum comparare poteris : si es regibus subjectus, times exactiones tributorum : si es princeps, times defectionem civitatum. Contemnamus hoc sabbatum, ubi nulla ætas est perfecta, nulla caret vitio : ubi juvenus est robusta, sed insana : senectus sapiens, sed infirma. Contemnamus hoc sabbatum, atque ad illud aspiremus, ad quod hodie nostrum caput Christus, *primogenitus ex mortuis et præmitione dormientium* pervenit. O dulce sabbatum sanctorum? O vere felix et solum felix sabbatum futuri sæculi? ad te suspirat peregrinatio nostra ab exitu usque ad reditum : tu neque fame, neque siti, neque ullo æstu cruciaris; tu nescis labores, dolores ignoras, curas ac sollicitudines non novisti : te neque somnus torpere facit, nec vigilia fatigat, nec timores exterrent, nec molestiæ prement. Apud te est juvenus sapiens et senectus robusta : et hæc tam fortunata ætas nunquam mutabitur, nunquam deficient, nunquam finietur; sed peraget annos et sæcula, et centurias et myriades sæculorum, et semper erit idem sabbatum, semper æque florens ac virens permanebit. Actio quidem otiosa et otium plenum dulci negotio, et sine fastidio satiabit, et cum eo nexum amoris conjunget, qui est ipsa beatitudo et vita æterna, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XXXI.

DE

FERIA SECUNDA RESURRECTIONIS DOMINI

THEMA

Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus et noluerimus nuntiare sceleris arguemur. *IV Reg. VII, v. 9.*

SYNOPSIS

Verba Samaritanorum leprosum, obsidionem urbis suæ, Syris fugientibus, solutam nuntiantium ad hodiernam festivitatem liberationi non unius urbis, sed totius orbis solemnem, applicatur. Concio D. Petri Cornelio facta pro hujus concionis materia proponitur, in qua paucis verbis tria præcipua fidei mysteria complexus est, incarnationis, passionis et resurrectionis Christi. Bonorum vita comædiæ, malorum tragædiæ comparatur. Sententia S. Petri, unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, explicatur, quomodo nimirum Christus bis fuerit unctus, semet in anima ab initio incarnationis (quod impie negat Cerinthus), semel in corpore in resurrectione; et quomodo Christi unctio a nostra unctio discrepet, docetur. Cur Spiritus sancti dona oleum dicantur, septem offeruntur cum suis amplificationibus rationes. Prima, quia oleum vim habet facile penetrandi et emolliendi. Secunda; quia mira lenitate et virtute anodyna præditum est. Tertia quia eo in certamen descensuri ungebantur. Quarta, quia res quasdam reddit magis perlucidus et transparentes. Quinta, quia illud, præsertim pretiosum, magnam de se spargit fragrantiam. Sexta, quia lætitiæ parit; ubi olei mæroris et lætitiæ antiquorum obiter fit mentio. Septima, quia semper liquo-

ribus cæteris supereminet; quæ omnes proprietates donis Spiritus sancti etiam conveniunt. Quomodo deinde gratia Dei sit conservanda et dispensanda, exemplo Christi similitudinibus solis et columbariorum, demonstratur.

Secunda pars explicationem concionis D. Petri prosequitur, et obiter ostenditur, quod nullus crucem erubescere debeat. Narratur, quam multis testimoniis sacræ litteræ nobis mysterium resurrectionis inculcent; et quam variis modis Christus suam voluit confirmare resurrectionem, per Angelos, fide dignos testes, per ostensionem vulnerum, per operationem vitalem, per repetita miracula. Resurrectionem nostram variis argumentis a SS. Patribus probari nullum tamen haberi firmitus, quam Christi resurrectionem, ex qua nostra dependet, convincitur. Vita Christi comædiæ assimilatur, in qua primi omnia varia et dubia, media funesta, quæ finis lætissimus et gloriosissimus excipit; hanc item comædiam plurimos sanctorum egisse declaratur. Pro conclusione pulchra subnectitur, doctrina, quomodo spe, eaque incomprehensibilis felicitatis, nobis videndum sit.

Licebit enim mihi, auditores optimi, in tam illustri ac læta solemnitate ac celebritate, eodem apud vos uti principio, quo leprosi quondam Samaritani nuntium jucun-

dissimum in urbem Samariam allaturi inter se usi fuisse referuntur. Si enim illi, cum vidissent illam urbem gravi ac diuturna obsidione liberatam, exercitum Syrorum terrore de cœlo immisso penitus dissipatum ac fustum, spolia inimicorum, vasa, vestes, arma, copiam bonorum omnium in viis publicis jacere, quæ Syri videlicet dum turbarentur ac fugerent, sponte abjecerant, optimo jure inter se dixerunt : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus et noluerimus nuntiare, sceleris arguemur.* Quanto nos magis, qui non urbem unam, sed hesternæ die orbem totum vidimus non solum longa et dura obsidione liberatum ; sed etiam de faucibus mortis quadammodo ereptum et tartareas legiones ita prostratas ac fractas, ut jam ad solam memoriam præteritæ victoriæ contremiscant, atque ad solum conspectum vexilli nostri imperatoris, nostræque militiæ terreantur : præterea urbes inimicorum succensas, præsidia eversa, castra spoliata, captivos ereptos, denique mortem mortuam, peccatum occisum, vitam revocatam, solem cœlo, et cœlum terris restitutum. Quanto nos, inquam, magis dicere debemus : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus et noluerimus nuntiare, sceleris arguemur.* Annuntiamus igitur *Vobis gaudium magnum, quod erit omni populo ;* Quia redditus est nobis hodie Salvator : *Quem enim occiderunt Judæi Suspendentes in ligno, eum suscitavit a mortuis Dominus tertia die, et qui in baculo suo solus transivit Jordanem, is duabus turmis comitatus regreditur : et qui viam universæ carnis, hoc est, vias mortis pro nobis intravit ; is iterum adinvenit, atque aperuit vias vitæ.*

Porro hoc nuntium, hoc verum, explicat nobis apostolus Petrus in iis verbis, quæ ex capite decimo Actuum Apostolorum hodierna die Ecclesia nobis proponit. Audivistis enim inter sacrorum solemnium lectionem ex Actibus Apostolorum recitari, ubi Apostolus Petrus, Cornelium Centurionem gentium primitias Christianæ fidei mysteriis imbuens ita concionatur : *Vos scitis, inquit, quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens a Gallæa post baptismum, quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* Quibus verbis tria præcipua, ac fere difficillima nostræ religionis mysteria summa brevitate complexus est. Incarnationem videlicet Salvatoris passionem ac resurrectionem. Quamquam nec reliquum cursum vitæ

ejus omnino intactum reliquit. Ait enim : *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo.* Itaque hodie Ecclesia Catholica, mater nostra, quasi epilogum quemdam faciens totum cursum Domini ab initio admirabilis istius conceptionis usque ad finem felicissimæ resurrectionis nobis ob oculos ponit. Neque id absque magna et gravi ratione. Est enim cursus Domini similis comœdiæ, quæ anceps habet initium, perturbatum medium, sed felicissimum finem. Sicut rursus cursus Satanae et divitis epulonis plane tragicus fuit. Initium enim optimum habuit ; sed exitum pessimum. Istos vero tam diversos fines semper in memoria retinere, atque assidua meditatione revolvere, mirum est profecto, quantum conferat ad omnem vitam bene beateque instituendam. Quis enim non cupiat (cum alterum necesse sit) comœdiam potius, quam tragœdiam agere ? Christum, quam Dæmonem imitari ? Fluctuari nonnihil in mediomari, sed tamen ad portum feliciter appellere, quam tota navigatione prosperis flatibus ventorum frui, et tandem in portu naufragium pati ? sed aggrediamur, si placeat, ad concionem Apostoli Petri breviter explicandam.

Vos scitis, inquit, quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens a Galilæa, post baptismum, quod prædicavit Joannes : hoc est. Non arbitror vos ignorare, quid contigerit hisce tribus annis in Judæa et Galilæa, posteaquam Joannes baptismum poenitentiae prædicavit. Siqui em hebraico more B. Petrus nomen verbi usurpat ad res ipsas designandas, quæ verbis explicari solent. *Vos scitis, inquit, verbum caro factum est.* Audivistis sine dubio famam ejus rei, quæ gesta est. Quia vero dicere poterant, quam historiam narras ? Quid est, quod contigit his tribus annis ? statim subjungit : *Jesum a Nazareth : quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo.* Loquor, inquit, de Jesu Nazareno, hoc est verbum, quod factum est. Profecto enim pervenit etiam ad vos celebritas nominis et sapientiæ et prodigiorum ejus : *Fuit enim vir Propheta, potens in opere et sermone.* Hunc igitur *Deus initio unxit Spiritu sancto et virtute.*

Hæc est prima pars concionis, quæ incarnationem divini verbi attingit. Neque enim semel ; sed his unctus fuisse Christus inve-

nitur : semel in incarnatione, iterum in resurrectione. Prior unctio proprie ad animam pertinuit, tunc enim, in incarnatione videlicet, unctus fuit gratia, sapientia, virtutibus, gloria etiam et beatitudine, sed animæ, non corporis. Posterior unctio fere corporis fuit. In resurrectione siquidem unctum fuit corpus Dominicum immortalitate, luce, gloria, exaltatione. Atque huc pertinere videtur locus ille Psal. XLIV, ut B. Hieronymus ad Principiam scribens, exponit : « *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Propterea, inquit, quia *dilexisti justitiam*, cum per passionem et mortem justum pretium pro peccatis nostris persolvisti, et unicuique suum tribuisti, Deo patri honorem, hominibus salutem, angelis lætitiæ, dæmonibus confusionem : quia etiam *Odisti iniquitatem*, et ita odisti, ut malueris crucifigi et mori, quam regnum peccati non evertere : ideo *Unxit te Deus, Deus tuus* in die resurrectionis, *Oleo lætitiæ*, immortalitatis et gloriæ. Quod idem aliis verbis legimus in Apostolo : *Humiliavit*, inquit, *semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exultavit illum.* Hoc est, unxit illum in regem, ut acciperet *Gentes hæreditatem suam et possessionem suam terminos terræ.* Et non ipse deinceps ulli subiciatur sed omnia sibi subiciat, et *In nomine ejus omne genu flectatur cælestium terrestrium et infernorum.* Sed quamquam hæc ita se habent, tamen Apostolus Petrus hoc loco non de resurrectione, sed de incarnatione loquitur. Neque enim ut Cerinthus, Tertulliano teste, blasphemavit, Servator noster in infantia, pueritia, adolescentia tamen fuit Jesus, deinde anno trigesimo cœpit esse Christus, sed ab ipso primo instanti conceptionis suæ unctus fuit Spiritu sancto et virtute : atque adeo ab ipso primo instanti, quo *Verbum caro factum est*, Christus, hoc est, unctus et rex, et Sacerdos ac Propheta optimo jure dici potuit.

Attribuitur vero hæc unctio Dei Filio ratione humanæ naturæ quam ex matre his diebus novissimis assumpsit, non ratione divinæ, quam ex Patre ex æternitate accepit. Nec enim Dei Filio, secundum formam Dei, convenit ungi, sed ungere : neque gratiam et dona Spiritus sancti accipere ; sed dare. Itaque sicut Filius Dei ratione humanæ naturæ ambulavit, comedit, bibit, passus est, mortuus est, excitatus est : sic etiam

ratione ejusdem naturæ, unctionem Spiritus sancti, hoc est, gratiam et cætera dona, in ipsa sua conceptione accepit ; sed alio tamen modo quam nos accipiamus. Non enim unctionem istam accipimus, ut Filii Dei efficiamur, Christus vero non ut fieret, sed quia erat Filius Dei. Tametsi enim simul in momento uno atque eodem hæc omnia facta sunt, et natura humana creata a verbo divino assumpta, et unctione Spiritus delibuta : tamen non ideo a verbo divino assumpta, quia unctione Spiritus delibuta, sed contra ideo unctione Spiritus delibuta, quia a verbo divino assumpta. Decebat enim ut ea natura per eam admirabilem ac plane singularem assumptionem sponsa summi regis effecta omnibus donis, et virtutibus et charismatibus divinis ornaretur. Itaque unctio assumptionem non præcessit, sed potius comitata et secuta est : hoc est, quod Joannes ait : *Verbum*, inquit, *caro factum est : et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ et veritatis.* Siquidem primo loco ponit, quod ordine naturæ præcedit. *Et verbum*, inquit, *caro factum est* : deinde meminit ejus, quod suo ordine sequitur : *Plenum gratiæ et veritatis*, hoc est, unctum Spiritu sancto, et virtute. Nec frustra addit : *Plenum* : Christus enim non ad mensuram unctionem Spiritus recepit : sed tam abundanter, ut ab ipso tamquam ex capite in nos omnes unctio derivetur. Nam ipse est caput, unde unguentum *Descendit in barbam*, hoc est in apostolos Christo capiti proximos. Deinde usque *In oram vestimenti ejus*, hoc est, in nos omnes. *Nos*, enim, *omnes de plenitudine ejus accepimus.* Atque hinc ipse singulariter dicitur Christus, hoc est, unctus : nos non tam Christi quam Christiani nominamur : tamquam ii, qui uncti quidem sumus sed unctionem nostram illi acceptam referimus, qui plenissime et singulariter est unctus. Hæc igitur est sententia B. Petri, cum ait : *Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.*

Sed quæret aliquis fortasse : Cur dona Spiritus sancti oleum appellentur ? Quid habet unctio cum gratia, oleum cum Spiritu ? Cur potius ait Apostolus Petrus, *Unxit eum Spiritu sancto*, quam replevit eum Spiritu sancto ? Non est hic unus locus, auditores, in quo Spiritus sanctus oleum appelletur : imo vero nihil frequentibus Spiritus, quum oleum nominatur. Psal. LXXXVIII. *Oleo sancto meo unxi eum.* Isaiæ LXI. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Daniel. IX. *Im-*

pleatur visio et Prophe'ia, et ungetur Sanctus sanctorum. Actorum IV: *Convenerunt vere in civitate ista adversus puerum sanctum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus.* Posterioris ad Corinthios capite primo: *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Primæ Joannis secundo: *Et vos unctionem habetis, et unctio quam accepistis maneat in vobis et unctio ejus docet vos.* Denique Ecclesia his et similibus vocibus Scripturarum edocta, Spiritum sanctum spirituales unctionem appellare solet. Quare non sine multis et magnis rationibus Apostolus Petrus gratiam Spiritus sancti oleo comparavit, cum ait: *Unxite eum Spiritu sancto et virtute.*

Et mihi quidem impræsentiarum septem rationes occurrunt, juxta numerum eorum donorum, quæ Isaias Propheta Spiritui sancto attribuit. Primo, sicut oleum id proprium habet, ut, cum sit liquor subtilissimus ac tenuissimus, facile, suaviter ac sine strepitu pene omnia penetret: sic etiam gratia Spiritus sancti cordibus lapideis, ferisque pectoribus ita illabatur, et ea tanta facilitate et suavitate emollit et convertit, ut nihil admirabilius cogitari possit. Non enim vim atfert, neque cogit; sed incredibili suavitate ita se cordibus impiorum insinuat, ut ea faciat id velle ac desiderare, quod ante fugiebant et horrebant: id odisse ac detestari, quod ante maxime diligebant.

Deinde, sicut oleum medicamentum est, sed molle ac suave, quod non mordet, sed fovet: neque angit, sed lenit, et mitigat dolores, sic etiam gratia Spiritus sancti curat vulnera peccatorum. Et adeo potens est hoc genus medicamenti, ut una gutta hujus olei omnem morbum, quamvis deploratum et lethalem facile possit expellere.

Tertio, sicut oleo inunguntur athlete, qui certaminibus variis ad coronam contendunt; sic etiam gratia Spiritus sancti inunguntur Christiani, ut inde roborati et confirmati nullis tentationibus aut persecutionibus cedant. Id Apostolis accidisse videmus. Postquam enim in die pentecostes oleo isto copiose delibuti fuerunt, non amplius fugam, propter metum Judæorum aut latebras meditabantur: sed robusti et audaces effecti, licet pauci et inermes totem orbem et omnes dæmones provocare atque aggredi non timuerunt.

Quarto, sicut proprium est olei illustrare et purgare, vel ut magis proprie loquamur,

res quasdam magis perspicuas et magis idoneas, atque apertas ad lumen recipiendum efficere, quam antea per se essent: id quod experimur in papyraceis foliis, quæ si oleo inungantur, instar crystalli lumen admittunt et transmittunt: sic etiam gratia Spiritus sancti purgat oculos animæ, atque eos ita illustrat, et cœlestium radiorum capaces facit, ut facile spiritus bonos a malis discernant, nec imprudentes in insidias ac laqueos dæmonum incidant, et sublimia reconditaque mysteria, quantum licet, vel ad salutem necessarium est, sine labore percipiant. Itaque merito beatus Joannes: *Unctio, inquit, docet vos de omnibus.* Et Apostolus Paulus: *Spiritualis homo, hoc oleo Spiritus sancti inunctus, Omnia judicat.* Et B. Gregorius: « Ungit, inquit, Spiritus iste sanctus cytharædum, et Psalmistam facit: ungit pastorem, et Prophetam facit: ungit abstinentem puerum, et judicem senem facit: ungit piscatorem, et prædicatorem facit: ungit persecutorem, et doctorem gentium facit: ungit publicanum, et facit Evangelistam. » Et qualis est ista unctio Spiritus? Mox ut tetigerit, mentem docet, solumque tetigisse docuisse est.

Quinto, sicut oleum, ac presertim pretiosum, quale est balsamum, et alia quædam, suavissimum odorem exhalat: legimus enim: *Oleum effusum nomen tuum; et, Curremus in odorem unguentorum tuorum: et Repleta est domus ex odore unguenti:* Sic etiam gratia Spiritus sancti eam fragrantiam odoris aspirat iis, quos replet, ut Apostolus dicat, *Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi sunt, et in iis, qui pereunt.* Et sicut malus odor scelerum ac flagitiorum, ita est malus et gravis, ut etiam ipsos scelestos ac flagitiosos offendat: ita gratus et suavis est, ut etiam perditos ac corruptos homines mirifice afficiat: et quemadmodum fœtor peccati, peccatorem occultum esse non patitur; ita odor virtutis et gratiæ semper homines sanctos manifestos facit. Absconderunt se olim plerique sanctorum in speluncis et in cavernis terræ, quærebant abditissimas solitudines, locaque deserta, amantes nesciri; sed quanto magis ipsi se addebant, tanto vehementius et suavius odor humilitatis, et sanctimonix spargebatur, et hominum multitudines ad se attrahebat. Beatus Hilarion cum quasi perpetuum bellum cum honoribus, et famæ celebritate gereret, totum pene vitæ suæ spatium in fugiendo consum-

psit, nec tamen unquam vel ad paucos dies latere potuit. Nam quocumque pergeret, statim bonus odor virtutum ejus se diffundebat, et ad eum tamquam ad communem parentem populi accurrebant.

Sexto proprium est olei lætitiæ et hilaritatem parere. Quamquam enim habebant veteres tam Ethnici quam Hebræi oleum lætitiæ et oleum mœroris, quorum priori utebantur in conviviis, posteriori in funeribus : nam de priori legimus in psalmis : *ut exhilaret faciem in oleo* : et in Evangelio *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava* : et Maria Magdalena unxit pedes Domini recumbentis : et Dominus ad Simonem leprosum : *Intravi, inquit, in domum tuam, oleo caput meum non unxisti*. De posteriori, legimus in litteris divinis, Jacob et Joseph patriarchas, et ipsum orbis conservatorem ac liberatorem defunctos, unguentis et aromatibus conditos fuisse. Apud Ethnicos vero exstat epigramma Martialis in Fabullum, quo utriusque unguenti mentionem facit, atque conqueritur, se ad convivium invitatum, unguentum honum, sed cœnam malam invenisse.

« Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis, here : sed nihil scidisti.
Res falsa est, bene olere et esurire.
Qui non cœnat et ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur. »

Tametsi, inquam, esset oleum aliud lætitiæ, aliud mœroris : tamen gratia Spiritus sancti non cum oleo illo funesto, quo cadavera mortuorum inunguntur ; sed cum oleo lætitiæ et exultationis cujus est usus in conviviis, procul dubio comparatur. Sic etiam in Psalmo quadragesimo quarto legimus : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Itaque nulli sunt lætiores et jucundiores hominibus sanctis, amicis Dei : hoc est, oleum ita omnium laborum et dolorum, tribulationum ac difficultatum, quibus plenus est hic mundus, asperitatem lenit ac mitigat, ut ii, qui isto oleo abundant, in tribulationibus gaudeant, in doloris exultent, in laboribus et difficultatibus quiescant. « Multi, inquit Bernardus, vident crucem nostram, sed non vident unctionem nostram. » Vident quid patiamur exterius, pannosam vestem, crebra jejunia, frequentes vigilias, laborem obedientiæ, certamen castitatis ; sed non vident, quo gaudio, qua pace, qua jucunditate

fruemur interius : quod si viderent, profecto crucem non horrerent. Quamquam enim crux est jugum ; tamen jugum computrescit et evanescit a facie olei.

Postremo, sicut oleum, quasi natura rex, et princeps omnium liquorum, nulli unquam subest : sed omnibus dominatur et super omnes eminent : sic etiam gratia Spiritus sancti semper primum et supremum locum in corde nostro habere debet, et multo extinguitur facilius, quam deprimitur.

Quamobrem, auditores, omnes, qui hesternæ die vel etiam hodiernæ, ad Sacramentum Dominici corporis accessimus ; et oleum gratiæ Dei in vasculis cordium nostrorum pro mensura divinæ benignitatis recepimus, intelligamus, quid agere debeamus, ut illud in nobis conservemus. Intelligamus, gratiam esse unguentum pretiosum, quod contineri non potest, nisi omnibus rebus præponatur. Intelligamus, neque amicis, neque affinibus, neque propriis facultatibus, neque ipsi corpori etiam esse parcendum, ut gratia conservetur. Et cum occurrerint animo, vel etiam oculis aut auribus occasiones peccandi, intelligamus, nobis tunc optionem dari, utrum mori, an vivere velimus, cadere, an stare, oleum pretiosissimum amittere an retinere. Certum est enim, non posse simul peccatum et gratiam, mortem et vitam, balsamum et fœtores : mel et absinthium in eodem pectore habitare.

Quod si remedium quæritis, ut gratiam acceptam facile conservetis, audite quod sequitur, in concione B. Petri apostoli. *Qui pertransiit, inquit, benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo*. Remedium omnium optimum, ac facillimum et naturale est gratiam Dei assidue exercere. « Nunquam est amor Dei, inquit Gregorius, otiosus : operatur enim, et operatur magna, si est, si vero operari renuat, amor non est. » Et apostolus Paulus : *Gratia Dei sum id quod sum ; et gratia ejus in me vacua non fuit : sed abundanter illis omnibus laboravi*. Non frustra ungit nos Deus, sed ut agamus et operemur, ad quod uncti sumus et tam athletæ fortissimi curramus, ut contendamus et pugnemus, alioqui justo Dei judicio unctio nobis subtrahitur. Hujus rei exemplum habemus illustrissimum in Christo, qui cum sciret se unctum Spiritu sancto, ut operaretur, numquam erat otiosus, numquam quiescebat, sed peragrabat modo ista loca, modo illa, docendo, exhortando, corripiendo. Cum sciret se unctum

virtute, et potentia prodigia facienda, non habebat eam virtutem tamquam gladium vaginæ inclusum; sed eum exercebat, ægrotos curabat, cæcos illuminabat, dæmones expellebat, mortuos excitabat. Denique *Pertransibat benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo*, non secus atque sol iste corporeus, quia oculus est mundi et pro se et pro aliis copiosam lucem a Deo creatore accepit, nunquam uno in loco stat, aut radios et fulgorem suum retinet sibi, sed oritur, et occidit et semper in circulos suos revertitur, ut omnibus mundi partibus lumen et calorem impertiat. Solent ii, qui columbas aucupantur, ut magnus Basilius ad Julitam scribens ait, tali quadam arte atque industria uti. Columbam unam, quæ longo usu ad ædes domini sui redire didicit, unguento quodam perungunt, cujus odor gratissimus esse columbis perhibetur. Tunc eam ad hunc modum delibutam dimittunt: illa de more per aerem volans varia loca et regiones perlustrat. Quotquot vero colombæ in eam incidunt, omnes gratissimo illo odore attractæ ei se adjungunt. Ita fit, ut quæ sola egressa fuerat innumeris deinde sodalibus comitata et quasi stipata redeat. Ad eundem igitur modum, cum Deus, optimus et sapientissimus venerator, intelligeret homines, quasi columbas sine corde de paradisi nidis et cubilibus evolasse, et miserandum in modum ab accipitribus infernalibus quotidie rapi ac discerpi, ac devorari videret, cuperetque eos ad sua domicilia, nidosque revocare, accepit columbam unam candidissimam et pulcherrimam, nostri videlicet liberatoris innocentissimam humanitatem, et eam Spiritu sancto et virtute, hoc est, omnium gratiarum et donorum spiritualium unguento perunctam in medio aliarum columbarum misit. Illa vero *Pertransiit benefaciendo et sanando*, hoc est, odorem gratiæ suæ ubique spargendo, et quocumque pergebat lateri ejus se populi et turbæ hominum agglomerabant. Alii odore verborum allekti post eum currebant, et clamabant: *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo*. Alii odore prodigiorum tracti post eum currebant et clamabant: *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui*. Alii odore virtutum et innocentiae delectati post eum currebant, et clamabant: *Magister, sequar te quocumque ieris*. Et: *Beatus venter qui te portavit et ubera, quæ suxisti*. Ecclesia quoque odore charitatis et gratiæ excitata, adhuc post eum currit et clamat: *Trahe nos post te, curremus*

iu odorem unguentorum tuorum. Ita columba ista prudentissima uncta Spiritu sancto et virtute pertransiit benefaciendo, et multas columbas alias ad cœlestes nidos revocavit. Et nos olim revocavit, fratres: tantum ne nares animorum nostrorum fragantiæ odorum, et aspirationi ejus claudamus. Aperite, quæso, auditores, aperite sensus vestros, percipite fragrantiam suave olentis gratiæ Dei, charitatis, continentiae, justitiæ, mansuetudinis, pietatis, virtutum omnium. Polliceor enim vobis si semel perfecte sentiamus odorem unguentorum Domini, nemo nostrum continere poterit se, quin statim totis viribus currat post eum: neque quiescet, donec in regno cœlorum cum beatissimis et suavissimis illis spiritibus apprehendat: neque periculum erit, neque adolescentia, aut opum et voluptatum lenocinia nos impediunt. Sicut nihil est, quod canes a cursu impedire possit, posteaquam leporem senserunt neque foveæ, neque spinæ, neque aliud quid: ita nihil est neque secundum, neque adversum, quod hominem Christianum a Christi vestigiis sequendis deterrere aut avocare queat, posteaquam vere odores unguentorum Domini semel olfecit.

PARS POSTERIOR

Quem occiderunt suspendentes in ligno. Hæc est altera pars concionis apostoli, in qua explicanda immorari non possumus, tum quod alias de passione disputaverimus, tum quod modo non passionem; sed resurrectionem celebremus. Unum tamen præteriri non debet quod est admiratione et imitatione dignissimum. Existimarit aliquis fortasse, Apostolos, gloriæ Christi prædicatores, ignominiam crucis tegere, abscondere vel certe dissimulare et extenuare debuisse. Et sane ita fecissent, si humanam sapientiam consuluissent, et si spiritum hujus mundi, non spiritum, qui ex Deo est, accepissent. Jam vero longe aliter egerunt: Nam et Evangelistæ nihil prolixius, quam passionem descripserunt: et Apostoli semper in primis crucis, et mortis mentionem faciebant: et non solum crucem non erubescant, sed aperte crucis prædicatores se profitebantur. *Judæi*, inquit B. Paulus, *signa petunt, et Græci sapientiam quærunt: nos ante prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocati*

Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Et Apostolus Andreas cum ei proconsul crucis supplicium comminaretur: *Ego, inquit, si crucem timerem crucis gloriam non prædicarem.* Et Apostolus Petrus in hodierna lectione nihil penitus tegens: *Quem, inquit, occiderunt suspendentes in ligno.* Nos vero quid facimus, auditores? Num crucem erubescimus? An in cruce gloriamur? An utrumque simul? Certe cum in fronte crucem pingimus, aperte profiteri videmur, nos crucem non horrere nec fugere: sed potius gloriari nos in injuriis, in contumeliis et angustiis, in persecutionibus, in aliis omnibus, quæ crucem quoquo modo referunt. At cum ad rem venit, et aliquid contumeliæ nobis irrogatur, statim professionis crucis obliviscimur, et nisi injuriam nostram ultione purgemus, vehementissime erubescimus: quia tamen dum crucem formamus in fronte omnibus clamare videmur, nos tamquam servos crucis, injurias et contumelias non erubescere. Sed interim nescio quo pacto, dum de resurrectione loqui cupio, semper oratio mea revolvitur ad crucem: fortasse, quia totum tempus, quo hic vivimus, tempus est crucis; gloriam vero resurrectionis adhuc a longe salutamus. Dicamus tamen de ea tria verba.

Sequitur: *Hunc Deus suscitavit a mortuis tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Hæc est pars tertia, et postrema concionis B. Apostoli Petri, in qua mysterium resurrectionis non solum proponit; sed etiam testibus et argumentis confirmat. Articulus enim resurrectionis, quem nobis sacræ litteræ, tam instrumenti veteris, quam novi passim inculcant, et quem in symbolo Apostolico omnes Christiani diserte confitemur, quanto nobis utilior et gratior, tanto in se subimior, et difficilior est. Nam Athenienses, ut refert in Actis Apostolicis B. Lucas, cum audissent ab Apostolo Paulo resurrectionem prædicari, irridebant eum. Et idem Apostolus Paulus, qui articulos cæteros simpliciter prædicabat, articulum resurrectionis diligenter confirmandum et communiendum rationibus et argumentis putavit, ut ex priori epistola ad Corinthios cognosci potest. Et Apostoli cæteri, quamquam testes erant omnium eorum, quæ Dominus Jesus, sive ante mortem, sive post mortem gesserat: tamen singulariter

testes resurrectionis appellantur. Actorum 1, *Oportet, inquit B. Petrus, ex iis viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptisate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis.* Item capite secundo: *Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus.* Et capite tertio: *Vos inquit, sanctum et justum negatis: et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ in'erfecistis. Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos omnes testes sumus.* Et capite quarto: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.* Et in nostra lectione: *Hunc, inquit, suscitavit Deus a mortuis tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo; sed testibus præordinatis a Deo nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Et ipse Dominus, ut veritatem resurrectionis altissime in mentibus nostris injungeret, non solum ante quam moreretur se resurrecturum, et resurrecturum tertia die, non semel, sed sæpius prædixit, sed etiam cum jam resurrexisset, totos quadraginta dies in hoc negotio consumpsit, frequenter apparens discipulis, et discipulis non duobus aut tribus, sed aliquando plus quam quingentis, resurrectionem suam omnibus iis modis confirmans quibus ea confirmari posse videbatur.

Primum enim angelos misit, qui candore vestium, et splendore vultus gloriam novæ resurrectionis testarentur, et mulieribus dicerent: *Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum; surrexit, non est hic.* Atque hoc Angelorum testimonium multum omnino apud vos valere debet: Angeli siquidem cum non solum corpus, sed etiam animam intueantur, et non conjectent, sed vere videant, num corpus aliquod vere vivat, an tantum vivere videatur, decipi non possunt. Cum item sancti et beati sint, atque adeo in gratia confirmati, decipere non possunt. Itaque sanctorum Angelorum asserentium Christum vivere, fidele testimonium et omni acceptione dignissimum est.

Deinde resurrectionem suam Dominus prophetis multis idoneis et fide dignis testibus comprobavit. Nam ut in Evangelio hodierno audivimus, cum Dominus ad Cleopham et socium ejus dixisset: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ? Incipiens a Moyse et*

omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Præterea, quod verum et solidum corpus haberet, non aerium aut phantasticum, ostendit cum ait : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quod corpus non quomodocumque solidum et verum, sed etiam humanum haberet, testabatur effigies et figura, quam eis objiciebat, et quam apostoli oculis intuebantur. Quod esset omnino corpus, quod crucifixum et mortuum fuerat, testabantur cicatrices lateris, et manuum et pedum, quas cum ob alias causas, tum ob testimonium resurrectionis conservaverat. Itaque dicebat : *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Quod vero in vero corpore veram quoque animam haberet, satis aperte demonstravit, cum opera triplicis vitæ, vegetatricis, sentientis et intelligentis coram discipulis sæpe exercuit. Comedebat enim et bibeat, quod est hominis viventis : loquebatur et respondebat, et præsentis salutabat, quod est vere sentientis, hoc est, audientis et videntis. Denique de scripturis disserebat, et apostolos incredulitatis accusabat, quod est apertum rationis et intelligentiæ argumentum.

Ne vero discipuli ex iis argumentis, quibus resurrectionis veritas confirmabatur, fortasse colligerent, carnem Domini adhuc esse mortalem, et necessitatibus ac doloribus obnoxiam, qualem esse sciebant Lazari et aliorum, quos Dominus ab inferis excitaverat, ostendit eis præterea corpus suum esse gloriosum, et nec cibo, nec potu, nec somno, nec ullis rebus aliis indigere. Nam non versabatur amplius cum illis, sicut antea solebat; sed ostendebat se aliquando, et paulo post iterum abscondebatur. Nec, cum veniebat, aut per gradus ascendebat, aut januas pulsabat : sed repente januis clausis in medio eorum apparebat. Cum vero discedebat, pari ratione, non per gradus paulatim descendere, aut per portam abire volebat; sed statim ab oculis eorum evanescebat. Itaque recte B. Gregorius: « Palpandam, inquit, carnem suam Dominus tribuit, quam januis clausis introduxit, ut esse post resurrectionem suam ostenderet corpus suum, et ejusdem naturæ et alterius gloriæ ». Non enim januis clausis intrabat, aut repente evanescebat, quod esset aerium, aut phantasticum corpus, sed quod incredibili virtute, et celeritate præditum esset, vel quod

in sua potestate habebat, quando vellet videri, et quando non vellet videri. Postremo ut nihil ad absolutam et perfectam manifestationem deesset, ostendit eis Dominus se non solum corpus et animam; sed etiam divinitatem habere, atque ideo esse eundem illum, qui ante mortem fuerat. Id vero ostendit, cum unum ex prioribus miraculis repetiit, cum videlicet piscantibus discipulis ipse in littore apparuit, et jussit in dexteram navigii retia jactari : quod cum fecissent, comprehenderunt piscium multitudinem copiosam, nempe pisces magnos centum quinquaginta tres : *Et cum tot ac tanti essent, tamen non est scissum rete,* quod miraculi magnitudinem non parum auxit.

Atque his quidem modis per se Dominus veritatem suæ resurrectionis asseruit; sed eandem postea per servos suos innumeris signis et prodigiis et multorum millium fortissimorum, et sanctissimorum martyrum sanguine, ita confirmavit, communivit, ut testimonium Dominicæ resurrectionis vere credibile factum sit nimis. Quis enim non credit, quod angeli testantur, quod Scripturæ loquuntur, quod ipse Christus multis modis ostendit, quod miracula tam multa et tam illustria clamant, quod tanto sanguine constantissimorum martyrum comprobatur, quod denique mundus totus ad prædicationem piscatorum credidit.

Hinc vero, auditores, et nostra resurrectio statuitur : nec enim est ullum argumentum efficacius ad nostram confirmandam resurrectionem, quam sit ipsa Christi resurrectio. Non ignoro sanctos Patres multas et efficaces rationes excogitasse, quibus resurrectionem contra Sadducæos et nonnullos veteres hæreticos defenderent : scio S. Irenæum initio lib. v. con. Hæret. optime demonstrasse, non esse resurrectionem impossibilem : cum multo sit facilius substantiam materiæ et substantiam animæ per mortem separatas (quas certum est non periisse) iterum conjungere, quam totum hominem ex nihilo facere : constat vero Deum id, quod est majus et difficilior, procul dubio fecisse. Scio B. Ambrosium in oratione de fide resurrectionis, B. Augustinum in Epistola quadragesima nona, S. Gregorium Homilia vigesima super Ezechielem, argumentum adferre ex multis naturæ stupendis effectis, quæ nisi experientia videremus quotidie fieri nemo fortasse crederet posse fieri. Quis crederet ex uno seminis tantulo grano, quod

præ tenuitate fere aciem oculorum fugit, tantam molem arboris excitari, ut in eam homines scalis ascendant, et vix magnis securibus ramos ejus præcidant? Deinde, ubi latebat in tam exiguo semine tanta multitudo ramorum, tanta copia foliorum, tanta varietas fructuum, tanta species florum, tot sapes, odores, colores? Scio B. Chrysostomum oratione prima de resurrectione, ab ipsa morte argumentum de resurrectione petere. Nihil est enim quod corrumpatur, quod etiam non resurgat; imo nihil resurgere potest, quod prius non corrumpatur. Moritur granum frumenti, surgit in spicam: moritur semen piri aut mali, resurgit in arborem: moritur vesperi dies, resurgit mane. Extinguuntur mane et quasi moriuntur lumina stellarum, iterum ad vesperum eadem accenduntur. Pereunt autumnii tempore in pratis et arboribus frondes et flores; sed rursus omnia reviviscunt, atque resurgunt in vere. Itaque mundus totus fidem resurrectionis prædicat. Quod vero non eadem, quæ antea fuerant; sed alia in herbis et arboribus resurgant, non est quod non possint, sed quod necesse non sit eadem revocari. In hominibus autem oportet prorsus non alios, sed eosdem omnino resurgere, ut iidem sint, qui hic patiuntur, et qui ibi coronabuntur, qui hic deliciantur et qui ibi pœnas luent. Hinc enim fit, ut ibidem Chrysostomus annotavit, ut viri sancti, atque amici Dei hic mercedem suorum laborum non recipiant; sed posteaquam juste et pie et sobrie innocenterque diu vixerunt, tandem crudeli aliqua morte sæpe de medio tollantur: nimirum ut sic abeuntes clament, esse post mortem aliam vitam, esse resurrectionem, esse iudicium, in quo præmia et supplicia pro uniuscujusque meritis distribuentur. Scio Tertullianum in libro de resurrectione carnis, pulcherrimum et invictissimum argumentum ducere ex eo, quod nihil fere hic anima, nisi cum carne et per carnem operatur. «Caro, inquit, abluatur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur: caro Christi corpore vescitur, ut anima de Deo saginetur: non possunt ergo separari in mercede, quos opera conjungunt.» Deinde jejunia, vigiliæ, cælibatus, virginitas, viduitas et alia quotidiana, quæ offerimus Deo nostro de nobis ipsis sacrificia, quo pacto, quæso, invenirentur sine carne, et

ipsa martyria, carceres, vincula, exilia, bestiarum, cruces, ignes quomodo tolerarentur nisi per carnem? Quis igitur credat carnem, quæ animæ in omnibus socia fuit, in sola gloria resurrectionis sociam non futuram? Scio ista et alia per multa in voluminibus Patrum inveniri; sed interim tamen nullum esse video argumentum potentius et efficacius eo, quo apostolus Paulus in epistola priori ad Corinthios utitur: *Si Christus, inquit, prædatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* et: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Itaque tale est argumentum Apostoli: Christus sine ulla dubitatione resurrexit, non est igitur impossibilis resurrectio: quod enim factum est, quomodo non poterit fieri? Rursum: Christus caput est nostrum et certe resurrexit, igitur etiam nos omnes resurgemus. Non enim debet esse caput sine corpore. Item: Christus est Adam secundus et surrexit, igitur, et nos, qui ejus filii sumus, cum per baptismum nos regeneraverit, procul dubio resurgemus. Nam si potuit prius Adam cadendo nos omnes dejicere, quomodo non potuit secundus Adam multo et fortior et potentior resurgendo nos omnes erigere? Est igitur Christi resurrectio verum et solidum fundamentum nostræ resurrectionis. Atque inde est quod tam multis et gravibus testimoniis Scripturarum, Angelorum, Apostolorum, miraculorum, sanguinis et mortis innumerabilium Martyrum. Deus hanc veritatem confirmari voluit.

Habetis igitur quis tandem fuerit exitus, quam gloriosus, quam lætus, quam expetendus admirandæ illius comœdiæ, quam hic in terris, quodammodo Christus exhibuit. Nam infantia Salvatoris, pueritia, adolescentia, juvenus ad tempus usque passionis, quasi quatuor primi actus, varios et ancipites exitus habuerunt. Nunc enim Dominus laudabatur, nunc vituperabatur, nunc quærebatur, nunc fugabatur, nunc esuriebat et tentabatur, nunc accedebant Angeli et ministrabant ei: nunc gloria signorum, et prodigiorum coruscabat, nunc abscondebatur se, et tamquam imbecillus et infirmus latitabat, nunc eum requirebant ut facerent eum regem nunc, vero aut lapidibus obruere aut de vertice montis præcipitare cogitabant: nunc audiebat turmas acclamantes, quia *Propheta magnus surrexit in nobis, et, hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Et, *Bene omnia fecit, et*

surdos fecit audire et mutos loqui. Nunc e contrario : *Ecce homo vorax et potator vini.* Et : *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu et dæmonium habes?* Et : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Et : *In Beelzebub principe dæmoniorum, ej cit dæmonia.* Deinde secuta est passio quasi quintus et postremus actus comœdiæ, cujus tempus non amplius anceps et varium, sed totem funestum et confusum ac perturbatum fuit. Discipuli fugerunt, miracula fere cessarunt : amici omnes latebant : denique omnia plena metus, infidelitatis, extremæ miseræ et calamitatis videbantur ; ita ut aliqui discipulorum dicerent : *Nos autem sperabamus, hoc est, jam desperamus eum esse redemptorem Israel.* Sed tandem ista omnia more comœdiarum faustissimum exitum habuerunt. Passionem enim excepit resurrectio, mortem immortalitas, gloria ignominiam, virtus infirmitatem, serenitas tempestatem. *Quem enim occiderunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitavit a mortuis tertia die.* Suscitavit vero, nunquam amplius moriturum nec laboraturum, neque aliquid passurum, sed gloriosum, illustrem, potentem, regem et gloriam universorum semper futurum.

Quanta est hæc gloria, auditores, quanta felicitas, vivere vitam beatam sine metu mortis, sine periculis, sine molestia? habere corpus splendidius sole, robustius ferro, agilius vento? denique totum spiritale, hoc est, omnino subjectum spiritui? ut quemadmodum modo anima sequitur corpus, ut si corpus cadat, etiam anima cum eo cadat : ita tunc corpus animam sequatur, et anima ascendente, etiam cum ea corpus ascendat : idque sine ulla molestia aut labore. Hic est finis, quo tendunt omnes ii, qui in humeros cruce sublata Christi vestigiis semper inistunt. Hæc est comœdia, quam agunt omnes ii, quos hic in terris in laboribus, et ærumnis, in tentationibus et persecutionibus pacem et patientiam conservare videmus. Comœdiam istam egit sanctus Job, qui in suis maximis calamitatibus spe felicissimi hujus finis, seipsum his verbis consolabatur : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo de de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea : et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Comœdiam istam egit Lazarus iste mendicus, qui aliquando ad fores divitis ulceribus ple-

nus, totus famelicus et sitibundus jacebat : sed postea in sinum Abrahæ Angelicis manibus delatus usque ad hanc diem in gloria et benedictione fuit, et erit in æternum. Comœdiam istam egerunt omnes Apostoli, omnes Martyres, omnes confessores, qui *Sobrie, juste, et pie vixerunt, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Eos nos, auditores, imitari, et comœdiam eandem agere debemus. « Fiducia Christianorum, inquit Tertullianus, resurrectio mortuorum » imo vero fiducia ista et spes, vita probi et sapientis Christiani esse debet.

Quid Aristoteles de juvenibus dicit? nempe eos spe vivere, sicut senes vivunt memoria. Senes dicunt, vidi hoc, vidi illud, tabe bellum, talia spectacula, tales triumphos. At juvenes dicunt, spero me hoc et illud aliquando visurum. Nos vero, si vere Christiani sumus, si veterem hominem exuimus et novum induimus, si cum Christo resurreximus, certe non senes, sed juvenes, sed pueri, sed infantes simus : nobis vero dictum : *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Ergo non memoria sed spe vivere debemus, *Expectantes illam beatam spem et adventum gloriæ magni Dei :* quando *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Quid, quæso, inter nobiles, et inter sordidos famulos interest? Nonne, qui sordidi et viles propter stipendium serviunt paucorum nummorum, quos in menses vel annos accipiunt? Nobiles vero et ingenui nullum stipendium habent, sed spe serviunt et expectatione magnæ alicujus dignitatis vel præfecturæ. Tales servi nobiles, ingenui, magni et excelsi animi esse debemus, et præsentibus non contenti spe vivere futurorum honorum : atque oculos conjectos habere *In beatam illam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Non dixit Apostolus, illud regnum, illam gloriam, illam beatitudinem, sed confuso modo (quia res explicari non potest) illam *beatam spem,* rem illam eximiam, maximam, infinitam, spe et exspectatione dignissimam, quæ hic in terris neque videri, neque cogitari, sed solum credi et sperari potest. O Christiani, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* O cives sanctorum et domestici Dei, cur aliquando oculos ad illam gloriam non attollimus, cum in adventu magni Dei apparebimus cum ipso in gloria, et *Similes ei erimus, et videbimuseum sicuti est?*

Quæ erit illa majestas, quando in lucidis nubibus sublimes, et toti mundo conspicui cum Christo sedebimus, et infra pedes nostros, magnos illos reges quondam et monarchas orbis nudo latere palpitare videbimus? Quæ erit illa felicitas, cum nos de nostra gloria et incolumitate securi, una cum Christo, non solum reges et principes terræ: sed etiam Angelos apostatas judicabimus? Sane si ista cogitaremus, si sursum oculos haberemus, ubi caput nostrum est Christus, durum nobis non videretur, hic ad duos dies contra vitia et peccata fortiter pugnare, et carnem nostram ad tempus contristare. Contra vero, quam horribilis et funesta erit illorum tragoedia, qui Satanam et divitem epulonem imitati, hic in terris bonos dies habere voluerunt, in suis conviviis splendidis, et in sua

purpura et bisso acquieverunt; et crucem Domini semper horruerunt ac fugerunt: qui resurgent quidem, sed ad pœnam, non ad gloriam. Qui semper vivent, ut semper moriantur: quorum vita numquam finietur, ut neque ipsorum tormenta finientur: qui semper ardebunt, et numquam absumentur, ut pabulum ac fomentum esse possint ignis qui non extinguetur, et vermis qui non morietur. Sed nolo lætitiâ hujus diei istis mœroribus obscurare. Vos, auditores, qui *Sufferentiam Job audistis et finem Domini vidistis*, cum omnibus sanctis amplectimi crucem in terris, et vos in illa die cum iisdem amplectetur Christus in cœlis, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXXII.

DE DOMINICA QUARTA POST PASCHA

THEMA

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?
Joan. XVI, v. 5.

SYNOPSIS

More eorum, qui in longinquas terras iter parant, Christus terras relicturus familiaribus suis primo reditum pollicetur, deinde utilitatem discessus sui ostendit ac denique illos non sine solatio relictum iri respondet; quæ tria hac concione potissimum explicantur. Enodatur perplexa quæstio, quomodo Christus ad Patrem vadat, præmissis quibusdam præludiis, quid nimirum sit de mundo recedere, quid nemine homines immundi indigentur. Deinde tres gradus ex mundo transeundi astruuntur, de quorum tertio Christum in hodierno Evangelio intelligendus est. Aut etiam (prout aliqui exponunt) opinione et estimatione hominum, Christus vadit ad Patrem. Utilitates hujus sententiæ, vado ad eum qui me misit, enumerantur, et quomodo nobis ad Deum sit eundem docetur, nempe, non procrastinando, et falsis mundi blandimentis aures occludendo, quod a simili ejus, qui ad supplicium ducitur, suadetur. Ostendit item nos in hoc mundo peregrinari, et semper esse in via. Eandem demum quasi stimulum ad bonum, et frænum ad malum esse, luculenta amplificatione declaratur.

In secunda parte reliquum Evangelii explicatur et enucleatur, passim autem inscribitur, unde fiat, quod humanum cor in gaudio in immen-

sum quasi amplietur, et in tristitia contrahatur. Taxantur parentes, qui filios suos falso et perverso prosequuntur amore. Quomodo pastores, et præsertim prælati et episcopi veritatem intrepide prædicare oporteat, etiamsi auditorum animi inde vulnerentur et tristentur: idque exemplo chirurgorum, qui in sectionibus non moventur æg. i doloribus. Subnectitur præterea triplex expositio, cur Spiritus sanctus non venerit, antequam Christus abierit: prima explicatur passioni et morti Domini, ubi occurritur objectioni, quodo nimirum sancti Patres ante Christi adventum gratiam acceperint. Secunda, explicatur de resurrectione Christi; tertia demum intelligitur de ascensione Domini. Tandem doctrina præseribitur, quomodo spiritibus terrenis et caducis virtutem induere, et ad ælicam rapi debeamus, quod a simili avium alas visco illitas habentium, et ab exemplo multorum sanctorum amplificatur, et seria exhortatione concluditur.

Est hoc in more positum, optimi auditores, ut ii, qui vel terra vel mari longam, aliquam profectionem instituunt, uxorem ac liberos, quos moerentes, et eam profectionem iniquo animo ferentes, vident, dulcibus verbis ac promissionibus consolentur. Ac quæ præcipue sunt, quibus dolorem illum, tristitiamque suorum lenire ac mitigare solent, spes reversionis atque utilitas profectionis:

quibus etiam addunt interdum non eos desertos jure existimari posse, qui fidei ac vigilantiae firmi alicujus fidelisque amici commendati sunt. Humani generis assertor ac liberator Jesus Christus, dum hic in terris cum hominibus versaretur, pater erat exiguae, sed sanctae ac religiosae cujusdam familiae, quam et ipse vehementer diligebat, et a qua vicissim non mediocriter diligebatur. Quapropter cum ab ea discedere, et in regiones longe positas, in alium videlicet orbem, proficisci pararet, multis ac variis sermonibus eam consolari, ac ut illum ejus discessum, magno animo ferre, persuadere coepit. Primum enim se brevi reversurum pollicitus est. *Iterum, inquit, videbo vos et gaudebit cor vestrum. Modicum et non videbitis me.* Deinde fructum atque utilitatem suae protectionis ostendit: *Expedi, inquit, vobis ut ego vadam.* Et: *Vado parare vobis locum.* Et, *Si abiero et praeparavero vobis locum iterum veniam, et accipiam eos ad me ipsum; ut ubi ego sum, et vos sitis.* Postremo non se eos orphanos relicturum: sed Spiritum qui animos eorum confirmet, roboret, consoletur, se missurum constanter promisit. *Rogabo, inquit, Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur: et quae ventura sunt annuntiabit vobis.* Atque haec fere sunt, quae in hujus et superioris Dominicae Evangelii continentur: et in quibus exponendis atque illustrandis hodie potissimum versari debet oratio nostra.

Initium igitur Evangelii tale est: *Vado ad eum, qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Evangelium hodiernum, auditores, quanto planiorum superficiem habere videtur, tanto abstrusiores latebras in recessu habet. Quare solum ea pars fortasse, quam recitari audivistis, explicari inpraesentiarum poterit. Reliquum tametsi non minus abditum, atque obscurum est, temporis tamen angustiis impediti in aliud commodius tempus differemus. Etenim si solum quid verba significant, considerandum sit, quid apertius ea sententia, *Vado ad eum, qui me misit?* At si rem ipsam diligenter contemplari, perpendereque volueris, vix aliam sententiam magis reconditam et magis obscuram invenies. *Vado, inquit, ad eum, qui me misit.* Quis

vadit? Ad quem vadit? Deus ad Deum: Verbum et sapientia ad Verbi et sapientiae genitorem. Omitto, Deum ubique esse, omnia replere, propterea proficisci ac locum mutare non posse. Sint illa levia, facile ad ista responderi possit. Quid? Quod ipse Dei Filius ait: *Ego in Patre, et Pater in me est.* Et rursum: *Pater in me manens ipse facit opera; et qui me misit, mecum est.* Si igitur Dei Filius semper est in Patre, et Deus Pater semper est in Filio, quomodo nunc ait: *Vado ad eum qui misit me?* Num fortasse Deus Pater a Filio suo recesserat? et quomodo Pater sine verbo et sapientia a se genita, esse potest? At non secundum eam naturam, quam habet a Deo Patre, dicet fortasse quispiam, sed secundum eam naturam, quam habet ex Virgine Christus ad Patrem vadit. Quamquam enim secundum priorem divinamque naturam Dei Filius semper est in Patre, et unum atque idem est cum Patre; tamen secundum posteriorem, quae humana et creata est, nihil prohibet, quin ad Deum Patrem proficisci possit. Verum haec responsio, auditores, non tam evolvit, quam involvit quaestionem. Nam quemadmodum Deus Pater a Verbo suo separari non potest, ita nec Dei Verbum ab eo sejungi ulla ratione potest. Sed tam Deus Pater, quam verbum ipsius semper eam naturam inhabitant, quam Dei Filius ex matre Virgine pro nostra salute suscepit.

Ad quem igitur modum Dominus noster, sive secundum divinam, sive secundum humanam naturam ad Deum Patrem vadit, cum eum in semetipso inhabitantem habeat? Quaestionem istam, et breviter et utiliter, nisi fallor, expediemus, si primum in universum exposuerimus, quid sit de mundo recedere, et ad Deum accedere, quod passim in Evangeliiis et aliis divinis litteris cum ab ipso Domino, tum ab Apostolis repeti solet. *Exivi, inquit, a Patre, et veni in mundum: Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*

Quid igitur tandem est mundus? Et ad quem modum exit aliquis de mundo? Duo sunt, quae mundi nomine in sanctis voluminibus designantur unum bonum, alterum malum. Primum enim haec universitas rerum earum, quae sub aspectum nostrum cadunt, mundus appellatur: et hic, quidem est mundus bonus. *Vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant non modo bona, sed etiam valde bona.* Malus autem mundus, mali ac depravati homines sunt: De quibus

Dominus ait : *Si odit vos mundus, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Et : pro his rogo, non pro mundo. Et : Hi de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.*

At cur, quæso, mundi nomen immundi atque inquinati homines sortiuntur? An non multo rectius tam præclara nominis appellatio mundis ac sanctis hominibus conveniret? Dicam, au litores, Duæ sunt partes in nobis, una mentis rationis, consiliisque particeps. altera expers rationis, agrestis, fera et immanis, in qua sunt sensus, et omnes animorum motus atque impetus. Ac prior quidem cum angelis, posterior cum bestiis nobis communis est. Ille igitur summus ac sapientissimus rerum opifex Deus, mundum hoc inferiorem, qui et proprie mundus nominatur, sedem esse voluit saltem ad tempus corporum humanorum, et ejus partem, quæ nobis est communis cum bestiis; animis vero ratione atque intelligentia præditis, non terram, sed cælum attribuit: neque res istas caducas et fragiles, sed illas divinas ac sempiternas sedes animorum constituit. Itaque homo sicut partim bestia, partim angelus est; ita simul et corpore in terris cum bestiis, et animo in cælis cum angelis habitare debebat. Nam quemadmodum civitas non tam domos ac plateas, quam cives ipsos, qui eam incolunt, significat: sic etiam mundus non tam aerem istum, et terram, quam homines et bestias, quæ in ipso sunt, designat. Qui sunt ii homines, qui toti in mundo cum bestis versantur? nempe ii, qui cum Apostolo dicere non possunt. *Conversatio nostra in cælis est.* Et, qui cum in honore essent, non intellexerunt: et idcirco comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis. Illi igitur omnes immundi, mundi nomine continentur.

Jam vero quia plerique hominum rerum præsentium ac terrenarum quasi quodam lenocinio decepti, propriæ sedis animorum obliviscuntur, et ad terram oculos tam corporis quam mentis convertunt: et sicut corporibus per terram repunt, sic etiam animis circum terram volutantur, hoc est, terram cogitant, terram amant, terram colunt, terram venerantur, adque adeo toti et corpore et animo in terris sunt: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*: hinc factum est, ut mundi hujus inferioris amatores, quod toti et corpore, et animo in mundo sint, mundi quoque appellationem invenerint: nam cum animo extra ac supra mundum,

nempe in ipso Deo habitare debuissent; ipsi tamen sublimi illa sede relicta in terris nidos suos ac quasi domicilia posuerunt, et mundi ac mutarum pecudum cives esse voluerunt. Ejusmodi vero, auditores, omnes essemus, nisi Dei Filius, qui vere non erat de mundo, ad mundum venisset et nobis reditum de mundo in cælum ostendisset atque aperuisset. Omnes enim ad terram oculos declinaveremus. *Non erat qui faceret bonum non erat usque ad unum. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*

Tunc autem de mundo exire, et ad Deum accedere incipimus, cum fide illustrante animos nostros, spe erigente corda nostra, et charitate inflammante atque accendente pectora nostra, Deum cognoscere, de Deo cogitare, Deum diligere atque ad Deum suspirare incipimus. Sic enim non quidem corpore, sed animo terras deserimus, et in illam antiquam sedem ac domum nostram pervolumus. Animus enim tametsi corpore inclusus, tamen eminet foras, et ea quæ supra mundum sunt quibusdam quasi passibus contemplationis et amoris peragrans cum Apostolo dicit: *Conversatio nostra in cælis est.*

At numquid hoc modo Liberator noster ad Deum ibat, cum diceret; *Vado ad eum, qui misit me?* Et apertius eodem loco: *Relinquo mundum, et vado ad Patrem?* Nullo modo, auditores. Hic enim transitus de mundo ad Deum, quem modo descripsimus, non aliis, quam perditis ac sceleratis hominibus convenire potest. Ipsi enim cum primum convertuntur, primum istum gradum ascendunt. Itaque non ipse modo Dominus, sed ne discipuli quidem ejus hac ratione ad Deum ire necesse habebant. Nonne enim Dominus ait: *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo?* Et alio loco: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Si ergo de mundo non erat, de mundo eum exire nulla necessitas compellebat.

Est igitur alius gradus ascendendus nobis. Nam qui fide, spe et charitate præditi sunt, exierunt illi quidem de mundo, atque ad Deum accedere inceperunt; sed nondum ad ipsa penetralia domus Domini pervenerunt. Adhuc hærent in vestibulo, adhuc in atriis versantur: sed tum demum longissime recedent a mundo, et ipsum Dei thalamum ingredientur, cum fidei visio, spei possessio, et charitati imperfectæ charitas perfecta

succedet : cum lumine gloriæ illustrati Dominum sibi dicentem audient : *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

At ne nunc quidem invenimus, quomodo nostram quæstionem dissolvamus. Dominus enim in ipso suæ conceptionis exordio secundum istum gradum ascendit. Siquidem mens illa beatissima simul atque a Deo effecta, et cum Dei verbo conjuncta, et copulata fuit. sapientia, gratia, gloria et beatitudine plena fuit. Itaque si de isto altero gradu sermo sit, non poterat Dominus vere dicere, *Vado ad eum, qui misit me*: cum semper apud eum ab ipsa sua conceptione fuisset. Ascendamus igitur alius.

Est enim tertius quidam ac supremus gradus, quem Dominus nondum fortasse conscenderat, cum aiebat : *Vado ad eum, qui misit me.* Hactenus solum unam hominis partem, nempe, animum, de mundo extraximus, atque eum in suum pristinum domicilium revocavimus. Quare cum etiam corpus humanum gloriæ, atque immortalitatis compos efficietur, et ab omnibus mundi hujus necessitatibus liberabitur : cum nec cibo, nec potu, nec somno, nec vestibus, nec pecuniis, nec domibus, nec aliis id genus rebus egebit ; tum demum plane exhibit de mundo, tum proxime ad Deum accedet, cum iter suum conficiet, et tertium atque adeo postremum harum sealarum gradum ascendet. Iste igitur gradus adhuc Domino superandus erat, ac de ipso loquebatur. cum dicebat : *Exivi a Patre et veni in mundum : Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Quid est, *Exivi a Patre et veni in mundum* ? Nimirum hoc corpus humanum suscepi, fami, siti, frigori, calori, ærumnis, calamitatibus, plagis, vulneribus, et ipsi interitui obnoxium. Denique tale, qualia sunt ea, quæ hic in mundo atque infra lunam mortalitatis et corruptionis jugo ac pondere premuntur. Quid est : *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem* ? Non quidem exuo ac relinquo corpus humanum. ut falso quidam hæretici putaverunt (quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit) sed exuo spolia mortalitatis et corruptionis. Deinceps enim corpus humanum geram, sed gloriosum et immortale, quod vitam vivet non eam, quam res fragiles et caduæ, quæ infra lunam et in mundo sunt, vivunt ; sed quam mentes beatæ et sempiternæ, ac ipse Deus vivit, nempe quietam, tranquillam, jucundam et a servitute corruptionis et ærumnarum liberam. Hoc aperte

Dominus ostendit, cum post resurrectionem ad discipulos ait : *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.* Quid sibi volunt hæc verba : *Cum adhuc essem vobiscum* ? An non tunc erat cum illis, quando cum illis loquebatur ? *Cum adhuc, inquit, essem vobiscum,* hoc est, cum adhuc mortalis cibo et potu indigens. laboribus et doloribus obnoxius essem, sicut vos omnes estis. Jam enim vobiscum non sum, sed cum Patre, quia vitam illam etiam corpore vivo, quam Pater ipse vivit, nempe omnis miseriæ et mutationis expertem.

Invenimus igitur tandem, quid sibi Dominus voluit, cum ait : *Vado ad eum, qui misit me.* Quamquam et alio quodam modo sententiam istam intelligi posse video. *Vado, inquit, ad eum qui misit me.* Quo modo vadit ? Opinione et existimatione hominum. Frequenter Dominus se Dei Filium dixerat, et se in Patre et Patrem in se esse non semel affirmaverat : ediderat signa ac prodigia, ut hominibus fidem faceret : ipsi tamen nondum adduci poterant, ut crederent. Quid igitur Dominus ait ? *Vado ad eum qui misit me.* Nunc tandem homines credent, nunc intelligent, nunc fatebuntur me verum Deum ac Dei Filium esse in Patre, et Patrem in me esse, nempe cum in crucem tollar, cum ab inferis excitabor, cum in cælum ascendam. *Cum exaltaveritis,* ait quodam loco Dominus, *Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Tunc fide, opinione et confessione vestra ad Deum vadam. Atque ita omnino evenisse videmus. Nam cum Dominus abivisset, tunc centurio exclamavit : *Vere filius Dei erat iste.* Cum ab inferis vivus redivisset, tunc B. Thomas ait : *Dominus meus et Deus meus.* Cum denique in cælum ascendisset, tunc omnis lingua confessa est, *Quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Tunc ipse Christus nunciari atque adorari, tunc ejus nomen in toto orbe terrarum clarum atque illustre esse cœpit. Itaque si corporis gloriam spectes, vere vivit Dominus, si animi beatitudinem et majestatem divinitatis, sola hominum existimatione ac fide, Dei Filius ad dexteram Patris ascendit.

At nullanne utilitatem ex hac Domini sententia, vel ad mores corrigendos, vel ad promovendam vel amplificandam pietatem capiemus ? Imo vero longe maximam, si crebro apud nos ipsos cogitabimus, nos quoque ad eum, qui nos misit, proficisci. Siquidem multa sunt, quæ maximo cum emolu-

mento ab hominibus cogitari solent; sed nescio an aliud cum majore, quam hoc, *Vado eum qui me misit*. Experire semel vim hujus contemplationis. Intra in cubiculum tuum, et juxta consilium Domini, clauso ostio, es cogitationibus aliis paulisper exclusis revoca te ad cor tuum: ibique in maxima quiete ac silentio constitutus cogitare incipias, *Vado ad eum qui misit me*. Vado, inquit, non vadam. Non igitur verum est, quod mundus, et ii, qui mundum diligunt, mihi dicere solent, multum temporis adhuc tibi superest, potes adhuc multos annos in utramque aurem dormire, nihil adhuc imminet periculi, detur aliquid ætati, non omnia voluptatibus denegentur: cum senueris, et gravi aliquo morbo afflictaberis, tunc ad alium orbem tibi proficiscendum erit, ac tum demum cum parueris voluptatibus, illisque satiatus sponte tua eas abjeceris, atque contempseris, tum te ad Dei amorem, ac erratorum pœnitentiam revocabis. Falsi sunt, hostes animæ meæ sunt, qui hoc mihi prædicant. Ego enim non vadam; sed nunc vado, nempe hodie, hac hora, hoc momento vado: fortasse etiam non procul ab eo loco absum, ubi me iudex meus expectat. Nonne hodie pervenire possem? Et quid si rationibus meis nondum compositis pervenirem et tam multorum, tam gravium criminum reus inveniret? Quid de me fieret? Quo me verterem? Ad quem confugerem? *Vado enim ad eum, qui me misit*, nempe ut ei rationem rerum omnium a me gestarum atque administratarum reddam. O quam vere ac sapienter ille ait: *Stultorum infinitus est numerus*. O quam multi reperiuntur, qui solum, quomodo vadant, et non quo vadant attendentes, lætissimi atque jucundissimi sunt: qui si cor haberent, et vel semel quo vadant, intuerentur, toti contremiscerent, nec aliud eis liberet, quam flere. Nam profecto cum ad supplicium aliquis ducitur, si is, quo vadat, oblivisceretur, magno honori sibi duceret, quod tanta hominum multitudo eum prosequatur, et prætorem quidem suæ aulæ magistrum esse cogitaret; satellites vero prætoris sui corporis custodes, reliquam multitudinem servos atque ministros, illum etiam horribilem campanæ sonitum honoris gratia edi censeret: nonne homo stultissimus atque amentissimus jure ab omnibus judicatus caretur? Nonne ei merito diceremus: Ah miser, quo vadis? Nonne vides te ad supplicium duci? Nonne post horam unam isti

omnes, qui tecum sunt, ad suas ædes redibunt, et tu in patibulo appensus cibus corporum eris? Et quidnam interest, quæso vos, inter istum et illos magnos atque opulentos homines, qui *Ducunt in bonis dies suos, qui tenent tympanum et cytharam, et in puncto descendunt ad inferna*? Certe enim ipsi etiam vadunt, et ad supplicium sempiternum vadunt: opes autem et honores, servi atque amici, quibus ipsi stipati animos attollunt et se aliquid amplius, quam homines esse putant nihil sunt aliud, quam satellites, qui eos usque an patibulum persequuntur: et tamen rident, ludunt, jocantur, tamquam si vel iter nunquam finiendum esset, vel non ad patibulum, sed ad regnum aliquod adipiscendum properarent. Ego igitur ista non imitabor: sed cum me intelligam ad eum ire, qui me misit, illud diligentissime providebo, ut in hoc itinere ita me comparem, ita res meas componam, ut cum ad eum pervenero, qui me misit, non judicem severum, sed clementissimum patrem experiar. Jam igitur, nisi fallor, plane videtis, auditores, quam facile possit hæc meditatio hominem ad cor atque ad curam propriæ salutis revocare.

Quantæ vero utilitatis hæc eadem sententia vobis esse videtur, cum hospites et peregrinos esse admoneat? *Vado ad eum qui me misit*. Si vado, ergo hæc vita via quidem est, mundus vero non domicilium, sed hospitium. Non igitur diu hic hæerere possum. At cur de palatiis fabricandis et possessionibus ampliandis sollicitus sum? Certe viatores cæteri illud diligenter provident, ne aliquid in hospitio relinquunt, ne cultrum quidem unum, omnia vel secunt ferunt vel præmittunt. Cur idem ego non facio? Cur tam stultus sum, ut omnes omnes meas facultates ita iis rebus consumam, quæ asportari non possunt, sed necessario in hospitio relinquendæ sunt? Cur divitias meas per manus pauperum in patriam non transmittito? Cur non facio mihi, juxta consilium Domini *Sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis*?

Si vero probi et sancti sumus, quid jucundus cogitare possumus, præsertim cum in mediis ærumnis et calamitatibus versamur, quam hoc, *Vado ad eum, qui misit me*? Dura sunt, aspera sunt, gravia sunt, quæ me circumstant: sed, *Vado ad eum, qui misit me*. Ille me consolabitur, ille reddet mercedem. Ille finem laboribus et certaminibus

imponet. Bene agere et malum pati, quod est proprium Christianorum, difficile atque arduum est : injurias non ulcisci, aspernari pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ullis moveri voluptatibus, coercere omnes cupiditates, domum ac facultates relinquere, patriam, ac conjugem et liberos deserere, exilium voluntarium sustinere propter regnum Dei, cum appetitu gloriæ, cum vitis cæteris, cum ipsis dæmonibus perpetuo bellum genere, res magni laboris ac difficultatis est. Sed *Vado ad eum, qui misit me* : ad pacem, ad quietem, ad gaudium, ad fontem bonorum, ad Oceanum voluptatum : brevi labores omnes finientur, et eis deliciæ finem nullum habituræ succedent. Hoc est, auditores, hoc, *Vado ad eum, qui me misit*, quod B. Stephano lapides dulces faciebat, quod beato Laurentio flammam ignis mitigabat, quod Martyres omnes ita consolabatur, ut contumeliam decus, injuriam gloriam, exilium patriam, contemptum honorem vel amplissimum ducerent. Quæ cum ita sint, auditores, si vitam integram et incorruptam ducere volumus, quicquid cogitemus, quicquid agimus, quicquid molimur, illud semper animo in nobis obversetur, *Vado ad eum, qui me misit*. Nam si bonum est, quod agimus, tanto diligentius et studiosius illud agemus : si vero malum, ab eo, etiam si delectet, procul dubio desistemus. Atque hac ratione hujus sententiæ recordatio, quasi stimulus quidam incitabit ad bona, et tamquam frænum quoddam compescet ac retinebit a malis.

PARS POSTERIOR.

Vado ad eum, qui misit me : et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ? Non poterat sapientissimus Dominus, auditores, tam facile oblivisci Apostolum Petrum non multo ante dixisse : *Do ine, quo vadis ?* Et Apostolum Thomam, *Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire ?* Quo circa quod nunc ait : *Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ?* non sic accipiendum est, quasi dicere velit, nunquam apostolos quæsisse ab eo, quoniam iret. Solum eos reprehendit, quod cum antea, nempe initio illius noctis, sæpe quærent ab eo, quo iret, nunc quasi muti et elingues effecti nihil penitus loqueretur. Initio enim cum Dominus tam aperte loqueretur significaret tamen se brevi ali-

quo iturum omnes Apostoli solliciti esse videbantur, et cognoscere cupiebant ab eo, quoniam iturus esset : at posteaquam aperte intellexerunt, ad mortem illa ipsa nocte eum profecturum, nec non malæ, quæ eis imminabant, *absque synagogis*, inquit Dominus, *facient vos*. Et : *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*, illi tam atrocem magistri sui necem, quam proprias calamitates considerantes, animum penitus abjecerant, mutique effecti nihil amplius loqui potuerunt. Quare Dominus, ut eos erigat, et consoletur, parvitatem illam animorum ipsorum dulciter reprehendit : *Vado*, inquit, *ad eum qui me misit, et nemo ex vobis jam amplius interrogat me quo vadis ?* Reddit vero rationem hujus rei : *Sed quia*, inquit, *hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*

Tristitia igitur est, quæ vobis loquendi facultatem, vel certe voluntatem abstulit. Admirabilis plane natura est cordis humani. Si lætitiæ excipere debeat, non latum, non amplum, sed immensum atque infinitum est. Itaque mundus totus ipsum replere ac satiari non potest, neque ante satiabitur, quam gaudium inveniatur, majus, quam ipsius capacitas sit, ita ut non tam gaudium recipere, quam recipi a gaudio debeat, eique dicatur : *Intra in gaudium Domini tui* : non gaudium intret in te : nec enim capere illud posses, sed tu potius *Intra in gaudium Domini tui* : hoc enim ipse Deus est. De quo Beatus Joannes ait : *Major est Deus corde nostro*. Si vero tristitia in ipsum infundatur, usque adeo exiguum atque angustum est, ut vel una tristitiæ gutta ipsum pœnitens occupare ac replere possit. *Sed quia*, inquit, *hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*. Quotidie hoc experimur, simus aliquando liberi a curis, hilares, læti fabulamur ridemus, canimus : affertur nobis triste aliquod nuntium, ut parentem obiisse, at navem cum mercibus amissam esse, mox sol occidit nobis in meridie ; omnia nigra atque obscura esse videntur, et omnis illa lætitiæ lux in momento tamquam fumus evanescit. Tristitia enim quasi crassa quædam nubes incubat cordi nostro, quæ nullam partem nobis quietis et jucunditatis impartit. Quid, obsecro, hujus rei causam esse putatis ? Undenam est, ut unum atque idem cor modo latissimum, modo angustissimum esse videatur ? Aspiciate, auditores, atque intueamini terræ vermiculos, limaces, testudines et

alia animantia generis ejusdem. Cum forte in loco aliquo aprico et soli exposito jacent, simul atque gratum quemdam ac suavem calorem sentire incipiunt, extenduntur, dilatantur aperiuntur, ut calorem videlicet illum excipiat: at cum ab aliquo punguntur, aut feriuntur mox contrahunt sese, et in angustum se reducunt. Talis est etiam natura cordis humani: si bonum aliquod ac lætum inferatur, expandit sese, et omnes sinus ac latebras suas explicat, si vero malum ac triste sit, quod infertur, claudit se, et exiguum effecit, quantum potest. Videmus adolescentes, quo tempore bacchanalia vicina esse dicuntur, et jam homines de choreis de lusbibus, de conviviis, de potationibus loqui incipiunt, nescio quo modo sibi cor dilatari, gaudere, ac gestire se sentiunt: ubi vero recedere bacchanalia, et quadragesimæ, juniorum et confessionis tempus prope esse animadvertunt, contrahit se animus, et in seipso quasi angulum, ubi se abscondat, et latebras quærit.

Humanum igitur cor ideo satiari non potest delectatione, tristitia vero mox repletur, quod cum perfunditur gaudio, dilatatur atque extenditur; cum vero triste aliquid patitur, contrahitur, in angustumque reducitur. Ait igitur Dominus *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam. Apostoli Dominum diligebant, sed non perfecte ordinateque diligebant. Eum salvum ac incolumen esse, et non atroci illo supplicii genere interire voluissent, sed eximiam illam gloriam, quæ ex obitu Domini consecutura erat, et mundi totius salutem ac liberationem non intuebantur. At vero Dominus, qui vere ac perfecte discipulos suos amabat, non tam quid impræsentiarum ipsi cuperent, quam quid ipsis utile esset, attendebat.

Itaque aiebat: Tametsi propter ea, quæ locutus sum vobis, tristitia impleverit cor vestrum, non ideo tamen prætermittam, et loqui et agere quod vobis utile est. Vos enim non perfecte me diligitis, ego perfecte vos diligo. *Si enim diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Non quia ad mortem vado, gauderetis, sed quia per mortem ad Patrem et ad gloriam vado.

Exprimitur hoc loco, auditores, et quid ii facere soleant, qui terrena sapiunt et quid ii facere debeant, qui cœlestem magistrum imitari cupiunt. Multi reperiuntur, qui vel

liberos, vel nepotes, vel affines, vel necessarios alios suos maxime oderunt et tamen eos vehementissimo amore prosequi se arbitrantur. Nam si forte beneficium aliquod Ecclesiasticum eis piscari, et humeros eorum licet infirmos ac debiles curis atque administrationibus ecclesiarum onerare possint, ut pondere illo oppressi concidant, et miserabili ruina usque in gehennam præcipitentur, tunc illi gaudent, tunc filios vel nepotes suos vere diligere se gloriantur. Neque minus gaudent, si eos in aula principis alicujus, ubi nihil nisi adulari, invidere, ambire, principem suum tamquam idolum colere, et salutis suæ, jacturam facere discant, collocare possint. Quid de illis dicemus, qui tunc exultant, et filiis suis magna caritatis argumenta ostendere se putant, si eis domum refertam magnis operibus, et facultatibus relinquunt, quas ipsi nimirum vel fraudibus, vel usuris vel aliis malis artibus acquisierunt? Si vere ipsorum liberi, vere liberi et expediti esse velint, et onera ista sibi imponi recusent, atque ad ordinem aliquem hominum religiosorum se conferant, tunc tristitia implet corda illorum. Et cui dubium esse potest, odium potius, quam amorem esse, quo illi filios suos prosequuntur? Nam si vere filios suos diligerent, gauderent utique quando per crucem ad Patrem vadunt; non quando per ambitionem et superbiam ad gehennam ruunt.

Sed quid ii facient, qui Dominum imitantur? Quid idem omnino, quod Dominus fecit. *Quia, inquit, hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.* Hæc omnes concionatores, omnes pastores, omnes Episcopi, omnes principes diligenter attendere, et animis suis, mentibusque mandere deberent.

Concionatores primum, si recte munere suo fungi volunt, numquam debent a dicenda veritate deterreri, etiamsi populi moleste illam laturo esse videantur, etiamsi obsequium amicos, veritas odium pariat. Vere enim infelix est orator, et melius ei fuisset fodere vel mendicare, atque aratorem potius, quam oratorem agere, qui suam non Dei gloriam quærit, quique a populis diligi, et laudari cupit et non ut Deus diligatur et laudetur efficere studet. Quæro enim a vobis cum sponsus ad sponsam per famulum suum munusculum aliquod mittit, si famulus ille eo munusculo dominæ suæ placere, et ejus

amorem sibi conciliare studeret, nonne adulterium cogitatione perpetrasset, et domino suo ingratus et infidelis extitisse iudicaretur? Ad eundem modum cum sponsus ille cœlestis Ecclesiæ sponsæ per concionatorem aliquem suum munera verbi Dei, et scripturarum explicationem transmittit, si is inde formosus atque elegans videri cupiat, et missis reprehensionibus blando quodam utatur genere dicendi, ut Ecclesiam Christi sponsam ad se diligendum et laudandum alliciat, nonne adulterii affectati reus apud Dominum suum agetur? Debet quidem Christianus orator, ut magnus Gregorius altera parte curæ pastoralis monet, ita vivere ac loqui, ut a Dei populo diligatur, quando enim libenter, et cum fructu audietur qui non diligitur? Sed tamen ita placere hominibus velle debet, ut per ipsum magis sponsus cœlestis ac Dominus diligatur. Quare probus atque integer concionator annuntiet *populo Dei scelera eorum et domui Jacob peccata eorum*. Et si id moleste ferant, aperte dicat: *Quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum: sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis*, ut hoc dicam. Et si hoc oratores facere debent, quanto magis præsules ac principes ecclesiarum? Si canes vigilare et excubias agere circa gregem Domini debent, quanto magis pastores? Canes enim, hoc est, oratores, nihil aliud quam clamare et latrare possunt; at pastorum est non verbis tantum, sed fustibus etiam et verberibus gregem Domini in bonis pascuis continere. Et si oves indignantur, dicat bonus pastor: *Quia hæc feci vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis*, ut hoc faciam. Ad exempla veniamus. Regnat in hac provincia turpissimum illud vitium ebrietatis: nisi forte, quia hæc toties dico vobis, tristitia implet cor vestrum; *Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis*, ut hæc dicam: Regnat in hac provincia fœdissimum vitium ebrietatis. Ego quidem quod ad me attinebat, sæpius feci, credo etiam idem fecisse eos, qui apud vos auctoritate et libertate multo amplius, quam ego, valent et valere debent. Sed quid jam pastores? quid episcopi facere deberent? Nempe cogitare apud se, ac dicere, Sacrosancti canones jubent, ebriosos excommunicari, atque ab ecclesiis omnino arceri. Si sint isti canones inclusi in tabulis, tamquam gladii in vaginis reconditi, distringantur aliquando, eorum aciem hebescere diutius non patiamur, sen-

tiant ebriosi pastores Ecclesiæ non deesse.

At si hoc fiat, tristitia implebit corda civium: implebit quidem; sed paulo post tristitia illa vertetur in gaudium et vulnus uni membro inflictum totius corporis pariet sanitatem. Si mendicus corporum a membro aliquo præcidendo non terretur ex eo, quod scit ægrotum iniquissime id esse laturum, quanto magis a vitiiis amputandis terreri non debet medicus animorum? Quid vero bonus atque humilis Christianus ab Antistite suo baculo pastorali percussus dicet? Nempe cum Psalmographo canet? *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Nam si medico, qui corpus curat (ut in eadem similitudine persistamus) posteaquam tibi amarissimum pharmacum propinavit, inedia te pene consumpsit, venam secuit, sanguinem abstulit, multis ac variis modis te vexavit, tu gratiam habes, munera largiris, sapientissimum medicum esse dicis: cur eodem animo erga spiritalem medicum non eris, qui te a graviore morbo nullis tuis sumptibus liberare cupit? vestigia igitur Domini omnes sequamur, omnes libenter discamus et libentius audiamus: *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis*, ut hoc faciam.

Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero mittam eum ad vos. Quid est hoc, auditores. *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Quis non putasset omnino contrario modo dicendum fuisse? Nempe, si abiero, si a vobis recessero, Paracletus non veniet ad vos: diligit enim spiritus sapientiæ et veritatis ipsam Dei sapientiam et veritatem. Neque Spiritus sanctus Dominicum corpus execrari potest; cuius ipse opifex et fabricator fuit. Sic enim quodam loco in Evangelio legimus: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Cur igitur ait, *Si non obiero, Paracletus non veniet ad vos?* Non minus pulchra, quam utilis et facilis est ista quæstio. Nec uno tantum, sed multis ac variis modis expediti potest. Nam cum Dominus ad Patrem suum proficiscens tria potissimum quasi stadia conficere, seu potius tamquam tres gradus ascendere deberet, mortem, resurrectionem, ascensionem, de singulis seorsim recte ac vere dicere potuit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos*.

Primum igitur ait : *Si non abiero, hoc est, si mortuus non fuero, Paracletus non veniet ad vos.* Nec enim donum Spiritus sancti ad homines mitti poterat, nisi prius pace inter Deum et hominem confirmata : hoc vero Dei propositum et consilium fuit (ut Apostolus ad Colossenses scribens ait) ut per crucem et sanguinem Christi homo cum Deo in gratiam atque amicitiam rediret : *In ipso, inquit, complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Ait igitur : *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, si sanguine meo pacem inter Deum et hominem non composuero, Paracletus non veniet.*

At multi ex antiquis Patribus, ut patriarchæ et prophetæ ut alii nonnulli, justi et Deo grati fuerunt : neque justi et Deo grati esse potuissent nisi fide, spe et charitate præditi fuissent. Hæc vero omnia munera sunt Spiritus sancti : *Charitas Dei*, inquit Apostolus Paulus, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Venerat igitur ad priscos illos Patres Spiritus sanctus, et tamen Christus neque natus, neque mortuus adhuc fuerat. Quid est igitur : *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Veteres illi Patres, auditores, Spiritum quidem sanctum acceperunt, sed gratia ac benignitate ejusdem Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi. Sanguis enim ipsius non solum posteaquam effusus est ; sed jam inde ab initio mundi non quidem effusus, sed certissime effundendus, Dei Patris iram atque indignationem placavit. Hinc enim in Apocalypsi Agnus Dei *Ab origine mundi occisus* dicitur.

Sed ad alteram expositionem veniamus. *Si non abiero*, inquit, hoc est, si non resurrexero, *Paracletus non veniet.* Neque vero de quocumque adventu Spiritus sancti sermo est, sed de conspicuo et celebri quodam adventu, qualis ille fuit, cujus memoriam in Pentecoste anniversario ritu, stisque cæremoniis veneramur et colimus. Non enim decebat, ut cum noster imperator Christus et sibi corporis gloriam, et nobis Spiritus sancti donum moriendo promerisset, antea nobis donum Spiritus sancti, quam ei gloria sua redderetur. Hoc nimirum est, quod beatus Joannes quodam loco ait : *Nondum erat Spiritus sanctus datus quia Jesus nondum erat glorificatus.* Ait igitur : *Expedit vobis : ut ego vadam. Nam si non abiero, si corporis*

gloriam consecutus non fuero, *Paracletus non veniet ad vos.* Intuemini fontes, auditores. Num ex fontibus aqua redundare potest, antequam ipsi penitus pleni sunt ? Certe non potest. Sic igitur cum omnis gratiæ fons Christus sit, ratio ipsa hoc exigebat, ut primum Christus gratia et gloria tam animo, quam corpore repletur ; et tum demum ex ipso in alios et gratia et gloria, et cætera Spiritus sancti munera redundarent.

Porro tertia expositio : *Expedit vobis, ut ego vadam : si non abiero*, hoc est, si cælum non conscendero, et tamquam magnus Sacerdos in sancta sanctorum introiero, *Paracletus non veniet ad vos.* Cur ita ? Quamobrem ? Nempe, quia tanta res est præsentia atque adventus Spiritus sancti, ut nisi advocatum haberemus apud Patrem, ipsum Dei Filium, qui appareret vultui Dei pro nobis, et interpellaret pro nobis ; numquam ad nos Spiritus sanctus mitteretur. Hoc est, quod Dominus discipulis suis pollicebatur : *Rogabo, inquit, Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum.* Jure igitur ait : *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, et Patrem pro vobis non rogavero, Paracletus non veniet ad vos.*

Sed beatissimus pater Augustinus, nec non sancti Patres nostri, Gregorius et Bernardus, quartam et postremam eorundem verborum explicationem meditati sunt. Quid igitur sibi volunt illa verba : *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Nisi carnis hujus præsentia vobis subtrahatur, Spiritus sancti præsentiam plene ac perfecte animus vester capere non potest. *Expedit ergo vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero Paracletus non veniet*, si lac non subtraxero, cibus solidus vobis non dabitur. Nisi carnis cogitationes exueritis, virtutem ex alto nunquam inductis. Nihil est, auditores (ut cum hac expositione orationem nostram finiamus,) quod ita Spiritus sancti adventum ac præsentiam impediatur, ut amor rerum terrenarum ; nec solum earum, quæ sine peccato haberi non possunt, sed illarum etiam quas licite atque optimo jure possidemus. Amor enim nihil aliud, quam viscum quoddam tenacissimum est. Si igitur eo cordium nostrorum alæ teneantur, ad quem modum sursum libere tendere, et ea quæ spiritus sunt sapere et cogitare poterimus ? Nonne videmus aviculas, si forte extremas alas, non, inquam, visco, sed vel modico luto impeditas habeant, volare eas nullo modo posse ? Accidit quidem non-

numquam, ut etiam ii, qui nondum penitus terrenum amorem exuerunt, Spiritus sancti consolationibus perfundantur : verum ille Spiritus sanctus transiens, non Spiritus permanens est. Allicit enim ea ratione Deus, atque attrahit ad se, corda hominum imperfectorum. At illæ divinæ illustrationes, illæ, inquam, deliciae spirituales, illæ cœlestes consolationes, quæ hominem ebrium amore faciunt, ei cibi ac somni oblivionem inducunt, quæ integros dies et noctes in altissima contemplatione suspensum hominem tenent, et tanto interdum impetu, tantaque vi animam sursum rapiunt, ut etiam corpus abripiant, et procul a terra contra ejus naturam ferant, illorum dumtaxat sunt, qui omnem amorem alium tamquam corruptum liquorem de suis cordibus effuderunt, qui vere dicere possunt : *Renuit consolari anima nostra : memores fuimus, Dei, et delectati sumus.* Qui non solum in cibo et potu. in vestibus, in agris, in domibus delicias non quærunt : sed non sine dolore ac molestia id suscipiunt, quod naturæ necessitas postulat. Tales Beatus Antonius, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus, ac in primis apostoli omnes fuerunt, quos Dominus quasi ablactare, et ex pueris v ros perfectos efficere volens, eis dicebat : *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abierô Paracletus non veniet ad vos.*

Sed si hæc ita se habent, quando nos, auditores, Paracletum illum sperare poterimus, qui tantum ab illa vitæ ratione absumus ? Qui carnem sapimus, in carne seminamus, carnem fovemus ? Et quam tandem carnem ? Eine similem, quam Apostoli diligebant ? An vero carnem peccatricem, genitam in peccato, assuetam peccato ? « Errat, errat omnino, inquit Bernardus, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Quis enim sectans lenocinia carnis suæ sperare audeat gratiam illam spiritus vehementis, quam ne cum ipsa quidem Verbi carne obtinere apostoli potuerunt ? » Nos igitur, dilectissimi, si tantæ gratiæ præparari cupimus, a delectationibus miseris et caducis consolationibus evacuare corda nostra studeamus, præsertim hoc tempore, quo diem illum expectamus, quem ipse Spiritus Paracletus adventu suo illustravit, ac nobis sacratissimum ac celeberrimum effecit, ut sua nos visitatione, sua consolatione, sua confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, Spiritus dulcis, Spiritus fortis, qui cum Patre et Filio vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XXXIII.

IN FERIIS ROGATIONUM

DE ORATIONE.

SYNOPSIS

Tota hæc concio, uti et sequens, de oratione tractat; ubi primum oratio in vocalem et mentalem dirimitur, atque cum hæc illum multum præstantia antecellat, ideo de mentali potissimum hic sermo instuitur. Quod omni statui orationis studium sit necessarium in primis multis S. Scripturæ testimoniis cumulatim probatur, atque illud hominis Christiani proprium esse convincitur. Objectio diluitur, quomodo nimirum illud Lucæ intelligendum sit: Oportet semper orare et nunquam deficere. Quanta nobis offeratur perpetuo orandi occasio, asseritur, et auctoritate D. Basilii confirmatur. Eam ex Adæ peccato devolutam in nos esse miseriam, ut omnia bona, ut pulli implumes cibum, emendicare cogamus. Nul- lum opus bonum sine oratione suam perfectionem habere posse a simili declaratur: et quomodo magna cura cor conservandum sit (quod fit maxime meditatione) testimoniis, et similitudinibus simulacri, rigidi et fridigi ferri demonstratur. Demum efficacia orationis ad animum transfigurandum, exemplo Christi et accipitris similitudine manifestatur.

Initium secundæ partis a simili pharmacorum probat, orationem internam omnes proccarre; et quomodo et Philosophi sententia, virum bonum quadratum esse oporteat, multis docetur. Qua ratione eadem oratio complacentiam divinarum rerum, et nauseam terrenarum pariat, mentemque elevet, similitudine et

exemplis S. Augustini et S. Benedicti, confirmatur. Quod itidem remedium naturale sit pro libidine restinguenda, quæ quanta difficultate superetur, ex ipsa immundi spiritus, divo Antonio comparentis, narratione ostenditur. Tandem enumeratis summatim plurimis orationis commodis, ejusdem præclara encomia, et digna epitheta subnectuntur; ubi effectus quidam adducuntur, et quantopere hoc studium sanctis cordi fuerit, multis historiis palam sit. Quæ omnia gravis ad orationem exhortatio excipit.

Duo sunt, quæ hoc sacro tempore toto orbe terrarum in Ecclesia Catholica maxime frequentantur, jejunium et oratio: sed tamen partes potiores non jejunii sed orationis sunt. Jejunium enim propter orationem, non oratio propter jejunium instituta est. Itaque jejunium diebus dominicis intermittitur, oratio vero non modo non intermittitur, sed etiam illis ipsis diebus augetur. Quamobrem ut non sine fructu hoc sanctissimum et saluberrimum tempus nos prætereat, sicut concione superiore de jejunio, ita concione hodierna et sequenti de oratione verba faciemus. Ac quamquam varia et multa sunt, quæ de hoc argumento dici possent, nos tamen non eloquentiam ostentare, sed studium pietatis promovere, et auditoribus nostris non voluptatem ac delectationem; sed utilitatem atque emolumentum dicendo adferre cupientes, solum de utilitate, vel potius de necessitate orationis et modo ac ratione orationis pro temporis brevitate disserimus. Et quidem si Domi-

nus, ut spero, votis nostris pro sua incredibili bonitate aspiraverit, et vos attente ac diligenter (ut semper hactenus fecistis) ea, quæ a nobis dicentur, audieritis, efficiam profecto, ut neminem vestrum suæ diligentiae, et studii aut laboris pœniteat.

Nunc ad rem ipsam explicandam aggredior, si de quo genere orationis potissimum disserendum sit, paucis antea exposuero. Etenim duo sunt orationis genera, unum, quod solo corde et cogitatione perficitur: alterum, quod corde simul et ore. Nam tertium illud, quod solo strepitu sonituque verborum constat, tametsi hodie maxime ab hominibus usurpetur, tamen nomen orationis nequaquam meretur: estque a nobis penitus omittendum, ne forte a Domino audiamus: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* At vero ex duobus primis generibus illud prius magis a sanctis Patribus laudari et commendari videmus: nempe utilior et efficacior est oratio solius cordis et mentis, quam oratio oris ac vocis, etiam si verbis et vocibus aliqua attentio cordis non desit. Nam qui voce orat, et psalmos vel canit vel legit, brevi tempore multa percurrit, neque ad medullam, et quasi succum eorum, quæ legit, pervenire potest. Qui vero intrat in cor, et silentio cogitat et meditat, omnia diligenter considerat ac perpendit. Itaque plus proficet aliquis, si mysterium unum dumtaxat Dominicæ passionis attente consideret et meditetur, quam si eodem tempore bis aut ter totam historiam Passionis, et omnia ejus mysteria cursim legat: neque vero ad hoc demonstrandum necesse nobis erit ex locis Aristotelis vel Ciceronis argumenta depromere: experientia quotidiana nos docet. Nam cum horas, vel psalmos pœnitentiales, vel alias aliquas pias orationes legimus, vix attentionem in officio continemus. Incipimus legere orationem dominicam, et statim quasi nescientibus nobis cor inde se proripit, et per forum, per gymnasium et per totam urbem, aliquando etiam extra urbem per silvas et campos vagatur. Interdum quoque, quod est multo gravius, et in quo vehementer offenditur Deus, ipsa sphæristeria et tabernas ingredimur, et aliquando absolvimus semel, et repetimus iterum eandem orationem, antequam cor a sua deambulatione revertatur. Itaque incidimus, velimus nolimus, in illud tertium genus orationis, quod solo strepitu verborum, motuque labiorum constat. Et

cum surgimus ab oratione ejusmodi, ita frigidus sumus, sicut antea eramus: ita facile ridemus, et jocamur et fabulamur, sicut antea faciebanus. At vero ex meditatione et contemplatione rerum divinarum toti incensi, toti graves, toti serii, toti mutati surgimus. Quocirca oratio vocis et verborum similis mihi videtur esse pluviae æstivæ, quæ cum impetu et sonitu descendit et terræ superficiem lavat, sed ad viscera et intima ejus non penetrat. Oratio vero cordis, et profunda rerum contemplatio similis est minutæ pluviae cuidam, quæ cum silentio cadit, sed perseverat diu, et profundissime terram penetrat, atque inebriat, et eam multo humore gravidam, atque aptissimam ad flores et fructus producendos relinquit: nos igitur de hoc genere orationis, quod corde et cogitatione fit, potissimum disserere instituimus.

Atque ut intelligatis non solum monachis et sacerdotibus, sed omnibus penitus christianis, et iis, qui salvi fieri cupiunt, orationis hujus studium necessarium esse, a testimoniis divinarum litterarum principium faciemus. Porro tam multa, et tot locis et sententiarum gravitate, tantoque pondere verborum Spiritus sanctus in divinis litteris de orationis necessitate locutus est, ut nullum amplificationibus nostris locum reliquerit. Proferam pauca de multis. *Non impediaris* (inquit Spiritus sanctus) *orare semper.* Hoc est, nullum negotium sit tam grave, tam utile, tam necessarium, quo te impediri ab orationis assiduitate patiaris. Isaia. LXII. *Quæ remiscimini Domini,* inquit, *ne taceatis, et ne detis silentium ei,* hoc est, perpetuo et sine intermissione c'ametis ad Deum. David Propheta in plurimis psalmis nihil magis, quam studium orationis, et laudem Dei nobis commendat. Dominus vero ac liberator noster Christus, quid, quæso, tam sæpe, quid tam sollicitè, quid tam diserte nos monet, quam ut semper oremus? Marci XIII. *Videte,* inquit, *vigilate et orate, nescitis enim quando tempus fiet.* Lucæ XVIII. *Oportet semper orare et nunquam deficere.* Non inquit, expedit, convenit, bonum est; sed *oportet* necesse est: non aliquando, non sæpe, non frequentissime, sed, *semper orare, et nunquam deficere.* Tantam igitur emphasim habent hæc verba? Et rursum capite XXI. *Vigilate,* inquit, *omni tempore orantes; ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.* Neque vero solum verbis; sed multo magis exemplo

suo nos docuit, quanta sit necessitas orationis. Nam, ut Beatus Lucas testatur, sæpe ascendebat Dominus in montes, et inquirebat loca deserta, ut vacaret orationi: sæpe etiam integras noctes orando consumebat. Certissimum vero est, ut Divus Ambrosius monet, id non fecisse Dominum, quod ipse ejusmodi adjumento indigeret; sed ut nos exemplo suo institueret atque erudiret. Quid jam de Apostolo dicam? In qua epistola non inter præcipua opera usum et frequentiam orationis commendat? Philippensibus scribit: *Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* Colossensibus scribit: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Thessalonicensibus scribit: *Semper gaudete; sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei.* Timotheo scribit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* Et rursum: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* Et rursum: *Quæ vere vidua est et desolata, speret in Deum et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.* Hæc et alia permulta passim inveniuntur non solum in epistolis Pauli, sed in omnibus litteris divinis, ex quibus planissimum illud efficitur, non minus necessarium esse animæ cibum orationis, quam sit corpori panis, et ignis et aqua.

Postremo ita propria est hæc virtus christianorum, ut per eam Deus populum suum ab omnibus aliis gentibus separare voluisse videatur. Sic enim legimus in Isaia: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis,* tamquam si diceret: Aliæ gentes sicut vivunt ex terra, ita corda et cogitationes eorum non sunt, nisi in terra. At Ecclesia mea novum hominum genus, sicut de cælo vitam habebit, et de cælo omne bonum et felicitatem expectabit, ita oculos semper habebit sublatos in cælum, ac mente et cogitatione morabitur semper in cælo. Itaque *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*

Sed video scopulum mihi objectum, ad quem ne navis orationis meæ illidatur, providendum est. Occurret enim fortassis aliquis, ac diceret: Quomodo tandem hoc fieri potest, ut semper oremus? Non comedemus,

non bibemus, non dormiemus, non quiescimus? Quis potest semper orare, et nunquam deficere? Non defuerunt, qui existimarent nimis difficile esse semper orare, atque dicerent, idcirco orationis nomine omnia bona opera intelligenda. Is enim semper bene orat, qui semper bene vivit, et certe si quis hoc velit dicere, omne opus bonum esse orationem, non valde repugnabo. Sed tamen non hoc Dominus significare voluit, cum ait: *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Imo vero non quocumque opere bono, sed de vera oratione dumtaxat sine ulla dubitatione locutus est. Nam cur, obsecro, statim addidisset similitudinem de vidua illa, quæ judicem durum atque inhumanum perseverantia, atque importunitate orationis flexit? Et illam de amico petente tres panes, quos non, quod amicus esset, sed importunitate nimia obtinuit, nisi demonstrare voluisset, quantum valeat *Deprecatio justis assidua*? Deinde nonne Dominus aperte dixisset: Oportet bene agere, si hoc significare volebat? Hoc igitur firmum ac ratum, tum hunc locum evangelii, tum alios paulo ante notatos de vera oratione intelligendos esse, et iis orationis studium non solum Carthusianis, aut Franciscanis, sed omnibus Christianis commendari. Neque vero dicendum nobis erit, fieri non posse id, quod Dominus præcipit. Non enim ita mathematicè intelligimus, semper esse orandum, ut nec ad momentum quidem temporis ab oratione cessandum sit, sed solum quam sæpissime et quam diligentissime orationi sit vacandum, neque propter alia bona opera minus necessaria utilissimum ac saluberrimum orationis studium esse omittendum. Quemadmodum si alicui medicus diceret: Vide ut semper comedas, neque unquam intermittas, non intelligeremus eum totos dies et totas noctes in mensa sedere debere, sed non debere eum suis temporibus a prandio, vel a cœna propter alias occupationes vel studia abstinere: neque hic loquendi modus in sacris litteris novus aut inusitatus est. In Psalmo primo in laudibus viri justis ponitur: *Sed in lege Domini meditatur die ac nocte.* Nemo vero ita stupidus est, ut existimet solum eum virum justum esse, qui non comedit, non bibit, non ambulat, non loquitur, sed perpetuo absque ulla intermissione in lege Domini meditatur. Itaque ille semper orare et nunquam deficere dicendus est, qui singulis diebus habet suas horas orationi consecra-

tas, et in illis nunquam se ab oratione avocari patitur, reliquo vero tempore semper id facit, cum commode fieri potest.

Verum enimvero, auditores multo frequentius homo orare, atque adeo mente et cogitatione cum Deo conjungi, et potest et debet, quam multi sibi persuadeant. Si enim aliquis amore captus vel dignitatis vel feminæ alicujus, semper cogitat de eo, quod amat: et neque dies neque noctes, neque dormiens neque vigilans quiescit: si ambulat, lacrymatur: si comedit, suspirat: si dormit, somniat: et omni tempore, omni loco, omni actione occurrit animo res amata: ubique eam videt, ubique eam audit, neque prandium, neque cœna, neque negotia alia eum impediunt, quin semper anima volvat formam et speciem rei amatæ: quid mirum, si animus humanus cognita semel, atque perspecta excellentia divinæ pulchritudinis, ita flamma amoris accendatur, ut non possit ab ea incredibili venustate cordis oculos removeere, et ibi semper animum quasi affixum vel ligatum habeat, ubi thesaurum suum habet? Ad hunc modum D. Basilius exponit illa verba apostoli Pauli, *sine intermissione* orate, ac docet, nihil nos agere, nihil videre, nihil audire, quod nos ad Deum orandum non invitet. Et si vere Deum diligimus, non solum dum vigilamus: sed dum dormimus de Deo cogitatos: « Accumbens mensæ ora: esurus panem, largitori gratiam rependito: suffulciens firmansque infirmiores corporis vires vino, ejus fac memineris, qui hoc te dono impertirit, ad inferendam cordi tuo lætitiâ, ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen. Nulla tibi est sumendi edulii necessitas? Cave te prætereat ejus memoria, cujus liberali beneficio explesti ventrem. Tunicam indueris? Gratiam agito benigno datori. Amiciris pallio? Fac in te augetur intentior erga Deum charitas, qui contegumenta gratuito largitus est hiemi æstatique accommodata, quibus et vita conservetur, et obveletur turpitude. Tibine dies expletus abiit? illi referto gratias, qui solem quidem nobis nihil tale commeritis indulset in divinæ operationis mysterium: ignem vero contulit illustrandæ nocti, utque subserviat reliquis vitæ commoditatibus. Ipsa rursum nox alias ad orationem suggerere poterit occasiones. » Hæc magnus Basilius. Hac igitur quæstione explicata, et divinæ Scripturæ testimoniis expeditis, ad necessitatem et utilitatem ora-

tionis demonstrandam propius accedamus.

Quanta sit necessitas orationis, nemo sane intelligere potest, qui non intelligit, in quam profundam miseriarum abyssum homo incidit per peccatum: quæ quidem tanta est, ut humanis verbis explicari non possit. Scriptura divina refert, nostros primos parentes simul atque in peccatum illud inobedientiæ lapsi fuerunt, se nudos agnovisse. Vere enim tunc nudi effecti, et innocentia, gratia, justitia aliisque permultis bonis spoliati sumus. Neque solum spoliati bonis, sed induti, et quasi cooperti omnibus malis, ut illud Psalmographi rectissime conveniat: *Induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.* Certe grave admodum fuisse, si maledictio illa Dei solum ut vestimentum totum hominem a planta pedis usque ad verticem corporis cooperuisset: verum justitia Dei hoc supplicio contenta non fuit; sed voluit etiam, ut ea maledictio sicut aqua in interiora hominis penetraret, ut non solum exterius sed etiam interius homines punirentur. Quia vero aqua liquor quidam est crassus, ut qui non facile omnia penetrare potest, ne putaremus aliquam partem solidiorem, et duriores istam maledictionem effugere potuisse, addidit sanctus propheta *et sicut oleum* quod est in liquoribus subtilissimum, et maxime aptum ad penetrandum, *in ossibus*, quæ sunt partes in homine secretissimæ atque durissimæ. Itaque maledictio illa cooperuit carnem humanam, sicut vestimentum: intravit vero sicut aqua in animam sentientem, et omnes ejus motus et sensus: et sicut oleum mentem ipsam ac voluntatem, atque adeo subtilissimas et maxime reconditas partes penetravit, et in eam inopiam et difficultatem spiritualium opum homo redactus est. ut non possit ex se tamquam ex se, agere, vel loqui vel cogitare aliquid, quod Deo sit gratum: neque dicere, Dominus Deus, nisi adjutus a Spiritu sancto.

Quæro igitur a vobis quid remedii superest homini, tam mendico, tam misero, tam nudo, tam debili, qui neque patrimonium habet, neque artem aliquam novit, neque robustus ac sanus est, ut fodiendo ac laborando sibi victum quærat? Quid, inquam, ei remedii, nisi ut si fodere non valeat, saltem mendicare non erubescat? Hoc plane superest, hoc sane necesse facere habet, nisi fame perire velit: nempe semper orare et nunquam deficere; semper mendicare, semper pulsare

ad fores illas divinæ misericordiæ, ac cum propheta dicere, *mendicus sum*, Domine, memorsis mei. Et sicut nos docuit Dominus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quæro igitur a vobis, quid agere debet pullus hirundinis aut passeris, cum nec plumas nec alas habet, nec ullo modo cibum per se quærere sibi potest? Quid ei superest nisi ut repleat aerem clamoribus et querelis ac gemitibus viscera parentum pulset? Ad eundem modum si homo propter peccatum magis nudus ac debilis et inops omnium rerum effectus est, quam sit illa avis quæ recens prodiit ex ovo, quid ei faciendum est aliud, quam noctes et dies clamandum ad Deum et piis gemitibus pulsanda viscera Dei Patris? intelligebat sane hoc rex Ezechias, atque idcirco in oratione aiebat: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba*. Itaque, auditores, post illud magnum naufragium, post illam jacturam omnium honorum, quam passi sumus per peccatum, unicum et singulare remedium nostrum ad omnia mala propulsanda et omnia bona adipiscenda, oratio est. Et ipse maxime ditescet qui sciet optime et importunissime mendicare, et semper orabit et nunquam deficiet.

Venio nunc ad alteram utilitatem, vel necessitatem orationis magis particularem. Ego enim illud mihi verissime affirmare posse videor, sine studio internæ orationis (de hac enim loquimur) neminem unquam hominem spiritualem futurum, neque ad ullum perfectionis gradum perventurum. Videmus multos, qui aliquoties singulis annis ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, et satis diligenter, quantum humana imbecillitas patitur, omnes sordes et maculas peccatorum expiare conantur: et tamen numquam proficiunt, semper sunt iidem, et si post octo dies a confessione peracta iterum ad confessionem redeant, non pauciora aut minora peccata ferunt, quam antea attulerant. Atque ut aliquid majus et tamen verum, dicamus, videmus interdum aliquos homines religiosos et non paucos Sacerdotes, qui officio et vestibus sanctimoniam profitentur, neque hoc solum, sed legunt assidue divinas litteras, frequenter, si non quotidie, rem divinam celebrant, neque uxores aut liberos habent sed sunt ipsi liberi ab omnibus iis curis et sollicitudinibus, quæ eos a studiis rerum divinarum avocare vel impedire potuissent; et tamen ita sunt aridi, ita sine spiritu, ita frigidi in amore Domini, ita fer-

ventes in amore sæculi, ita saccum plenum habent ira, invidentia, cupiditate, ut nihil a sæcularibus differre videantur, horum omnium illa una est causa, quod non intrant in cor, neque curant aliud, quam hominem externum. Sicut barbam et capillos, vel tondent vel radunt, ita peccata resecanda esse putant, et quid mirum, si ita rursus pullulant peccata, sicut renascuntur iterum capilli cum radices maneant? At vero interna oratio illa est, quæ penetrat usque ad profunda animæ, et cordis et spiritus, et non tondet vel secat, sed radicitus evellit vitia.

Scitisne, qualia sunt jejunia, eleemosynæ, confessio peccatorum, lectio Scripturarum et alia ejusdem generis opera sine oratione interna? Sunt quasi medicamenta quædam externa, qualia sunt balnea, vel unguenta vel fomenta quæ extrinsecus adhibentur corporibus ægrotorum. At plaga nostra, auditores, interna est, ægritudo nostra in intimis visceribus delitescit, in recessu cordis est morbus noster, ibi est apostema. *Le corde en m exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemix*. Ibi sunt radices vitiorum, ibi est adhibenda curatio. *Omni custodia*, inquit Sapiens, *serva cor tuum, quoniam ex eo vita procedit*, tamquam si diceret, si manibus et pedibus, et auribus et naribus careas: modo cor integrum maneat, homo eris tametsi deformis et debilis. At si manus et pedes et aures et nares et membra cætera tibi sint, si cor non vivat, homo non eris nihilque differes a simulacro. Sic etiam si neque jejunare, neque eleemosynas facere, neque docere, aut concionari valeat, si tamen homo interior bene se habeat, salva res est. Nam et Deo places, et ejus amicus et et filius es: si vero illa omnia præstare potes, et tamen homo interior non vivis, nihil es aliud, quam æs sonans et cymbalum tinniens, vel simulacrum artificiose depictum et ornatum, sed mortuum. Quocirca omni custodia servandum est cor, quia ex ipso vita procedit. Cordi procurandus est cibus, ne deficiat, procurandus est ignis, ne frigeat vel obduretur, nulla siquidem re facilius obduratur vel extinguitur cor, quam frigore. Ignem vero quid accendit, nisi meditatio? Psalmographus ait: *In meditatione mea excardescet ignis*. Et sicut rigidum atque obscurum aliquod ferrum quod nulla vi nec ullis malleorum ictibus flecti posse videtur tamen si in ignem conjiciatur, statim accidentur et

illustratur et in quam partem volueris sine labore flectitur, sic enim ejus peccatoris, qui dum frigidus atque obscurus est, flecti ad bonum neque admonitionibus neque castigationibus potest, statim tamen cum in istam fornacem, de qua loquimur, injicitur, statim atque ad seipsum redire, et profunda meditatione mysteria nostræ fidei, ut Domini passionem et gloriam beatorum, ut gehennæ supplicia, cogitare incipit repente et in ejus intimis medullis ignis quidam excitatur, quo animus ejus accenditur et illustratur, et nullo negotio non solum flectitur, sed etiam quodammodo liquescit. Atque inde incipit vera et perfecta conversio peccatoris.

Rem ita se habere. Dominus noster hesternæ die sua illustrissima transfiguratione demonstravit. Sic enim pulcherrimum hoc mysterium B. Lucas describit: *Assumpsit, inquit, Petrum, et Jacobum et Joannem, et ascendit in montem ut oraret: et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens.* Poterat certe Dominus, si voluisset, etiam sine oratione transfigurari. At idcirco voluit id in oratione fieri, ut nobis ostenderet, quantam vim habeat oratio ad animas transfigurandas. Itaque in oratione transfiguratur animus: in oratione facies animæ fit sole clarior et nive candidior. Porro hoc idem in lib. sancti Job Dominus significare voluisse videtur, cum ait: *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Admirabile profecto est, quod sciat accipiter tam facile excutere veteres plumas, et producere novas, atque idcirco quærat aerem calidum, et ad austrum se convertat, ut eo calore aperiantur et dilatentur pori: deinde expandat, concutiat atque agitet alas, ut eo motu alarum veteres plumæ ejiciantur, et mox novæ exoriantur. At quanto mirabilius, quod possit animus humanus tanta facilitate exuere veterem hominem et induere novum: exuere Adamum et induere Christum: exuere carnem et induere spiritum: exuere cogitationes et amorem ac desideria rerum terrenarum, et induere aliam mentem, alios mores, alia desideria neque aliud jam, quam Deum et res cœlestes concupiscere? Quanta est hæc mutatio, quanta conversio? Vere *Mutatio est dexteræ excelsi*: et tamen non solum fieri; sed etiam facile fieri hæc mutatio potest. Si accipitrem, de quo jam diximus, imitari velimus, hoc est, si vultum et faciem nostræ animæ ad

illam meridianam lucem, ad illos radios accensos Solis justitiæ convertamus, atque in eam lucem defixis oculis interim alas desiderii expandamus, atque agitemus petentes, obsecrantes, flagitantes non verbis, sed gemitibus, sed lacrymis, sed suspiriis, ut detur nobis spiritus bonus. O quam facile isto calore spiritus aperiuntur pori? O quam cito ista agitatione alarum plumæ veteres ejiciuntur? O quanta celeritate et facilitate renovatur, *Ut aquilæ juvenus* nostra? Magna est igitur et admirabilis virtus et efficacitas orationis.

PARS POSTERIOR.

Quemadmodum iisdem fere medicamentis in humanis corporibus et efficitur sanitas, et conservatur: pari ratione in mentibus humanis unum atque idem pharmacum orationis, non solum virtutum sanitatem efficit, sed etiam conservat effectum nec solum morbos vitiorum contractos expellit, quod paulo ante docuimus; sed etiam prohibet, ne deinceps tales ægitudines contrahantur, quæ est altera utilitas orationis. Ea siquidem, quæ hominem de statu deturbare, et a recta via, quam ingressurus erat, revocare solent, prosperitatum atque adversitatum vicissitudines sunt. Rebus adversis animus dejicitur, prosperis elevatur atque ascendit in mirabilibus super se. Utroque autem modo tandem cadit: multi propter calamitates atque ærumnas a Deo et virtutis via ceciderunt, atque ad peccata, ad blasphemias, ad furta, ad parricidia, ad desperationem se converterunt. Multi rursus ob fortunarum, et amicorum, et dignitatum et rerum omnium affluentiam obliviscuntur Dei et beneficiorum ejus et quasi jam Deo non egeant, ejus gratiam et amicitiam non magni faciunt, facileque, si detur occasio, sicut frequentissime datur legem Domini et præcepta ejus violare non verentur. Utrique vero tandem pereunt, et gehennæ addiuntur. Itaque præclare Philosophus libro de moribus primo, hominem felicem et probum docet quadratum esse debere, hoc est, similem talo, qui quocumque projiciatur, semper recte cadit. Is enim vere felix et probus (si tamen felicitas est ulla in hac vita) dicendus est, qui omnem fortunam moderate ferre potest, et neque adversis dejicitur, neque prosperis elevatur. Porro hanc feli-

citatem, hanc animi constantem et diutinam sanitatem, hanc veram et stabilem tranquillitatem, hanc jucundissimam et gratissimam mentis serenitatem, nulla alia re facilius, quam studio orationis et contemplationis acquiremus. Nihil enim est aliud orare et contemplari, quam agere cum Deo, agere de rebus maximi momenti, de regno, de æternitate, de bono, in quo sunt omnia bona. Quare sicut ii, qui admittuntur ad regis consilium, et agunt ibi de provinciis, de exercitibus; de bellis, de legationibus magnorum principum, et aliis rebus magnis : cum postea redeunt ad suas privatas domos, et iis referuntur privata quædam et minima negotia, de agro, de vinea, de colligendis fructibus, de equo, de bove, de ancilla, de famulo, vix ea dignantur audire; sed fastidiunt ac contemnunt, tamquam res nullius momenti. Habent enim, caput plenum curis et cogitationibus magnarum rerum. Sic etiam qui agunt cum Deo, et agunt de magnis illis negotiis regni cœlestis, et honorum nunquam finiendorum, nec non de præliis et certaminibus, quæ contra potentes et invisibiles hostes gerenda sunt cum ad negotia istius vitæ oculos convertunt, omnia fastidiunt ac contemnunt, tamquam inanissimas nugas. Vident enim esse omnia ista fragilia et caduca, et avibus persimilia, quæ quando maxime teneri videntur, tum maxime fugiunt, et nihil in manibus præter aliquas plumas relinquunt. Non recordamini sancti illius senis, de quo aliquando vobis ex hoc loco retuli, quod is, cum ab oratione surgebat, oculos claudere solebat, neque solem aut cœlum aut aliquam creatam pulchritudinem aspicere dignabatur, sed aiebat : Claudamini oculi, claudamini, nihil enim jam est pulchri, quod aspicere possitis. Quid, quæso, in illo sancto ac regio Propheta Davide effecerat, ut regni gloriam et abundantiam divitiarum ita contemneret, ut ex animo dicere posset. *Quid mihi est in cœlo et a te quid volui super terram? Deficit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum*, nisi studium orationis, nisi contemplatio divinorum? Sed accipite similitudinem aliam.

Qui montes excelsos et turres altissimas conscendunt, nonne cum deorsum aspiciunt, omnia parva et exigua esse censent? Quid putant homines nisi formicas? Quid boves et camelos, nisi capras et oves? pecunias autem et vestes et alia minuta ne vident qui-

deni. Jam igitur quid est oratio, nisi *ascensio mentis in Deum?* et quam alta turris est Deus? Quis mathematicus, et quo geometrico quadrante altitudinem hujus turris metiatur? Quæ moles Babylonica, quis Caucasus aut Olympus, cum Dei sublimitate comparetur? Ejusmodi arx est Deus, ut inde res, et altissimæ et longe inferius positæ conspiciantur. Deus enim *Alta a longe cognoscit*, atque idcirco solus altissimus vere nominatur et est. Illi igitur, qui per orationem et contemplationem quasi per gradus quosdam ascendunt in Deum, explicari non potest, quam exigua, quam minuta, quam vilia esse putant ea, quæ hic jacent in terris, ac propterea non magnificiunt ea neque vehementer diligunt; sed sciunt abundare, sciunt penuriam pati. Si habeant res istas terrenas non extolluntur : si non habeant, non dejiciuntur : si crescant opibus, ac honoribus augeantur non effe-runt se inani lætitia : si contra incidant in calamitates, si divitiis vel dignitatibus spoli-entur, non propterea sunt animo tristiore, sed ubique et semper tranquillitatem et serenitatem animi conservant et tamquam homines vere quadrati semper recte cadunt, nec ulla fortuna, vel prospera vel adversa frangi possunt. Conferte si placet aliquem filium hujus sæculi, qui habitet in superficie terræ, cum aliquo Dei servo cujus perpetuum domicilium sit in Deo : nempe filius hujus sæculi si tres obolos amittat, totam viciniam commovebit : si aliquid pecuniæ lucretur, vel ad aliquam dignitatem ascendat, hoc est, conscendat tumulum unius palmi, non capiet se præ gaudio : si injuriam aliquam accipiat, si non dicatur optimus et sapientissimus totius civitatis, non poterit injuriam illam deglutire : sed statim provocabit ad arma, fremet, rugiet, excandescet, et nisi injuriam suam ulciscatur, vitam sibi acerbam esse putabit. Et undenam hæc omnia nisi quod iste jacet in terris, et ei etiam res parvæ magnæ esse videntur? Aspicit injuriam sibi illatam tamquam fluctus quosdam, atque undas maris, et timet ne ab illis opprimatur et obruatur : at servus Dei, qui sedem suam habet in Deo, et cor suum affixit cœlo, superior est omnibus rebus creatis, et nihil ei nocere potest : *Altissimus posuit tabernaculum suum, non accedet ad eum malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus*, et ista inferiora, vel bona vel mala, nec aspicere, nec de eis cogitare dignabitur.

B. Augustinus libro suarum confessionum nono, referens sermonem illum, quem cum beata Monica matre apud Ostia Tyberina de Deo, de gloria beatorum habuerat, affirmat, se et illam cogitando et loquendo gradatim omnes res creatas transcendisse, et arcem illam altissimam veræ beatitudinis toto ictu cordis modice attigisse, ibique mundum totum inter verba ita iis viluisse cum omnibus delectationibus suis, ut omnes corporeæ voluptates, præ illa beatæ vitæ jucunditate non comparatione, sed ne commemoratione quidem dignæ visæ sint. Et si D. Augustino de Deo loquenti, et divitias illas cœlestes cogitatione modica attingenti, ita mundus cum omnibus delectationibus suis vilescebat, quam vehementer existimatis et ipsi, et alii sanctis hominibus mundus totus, non inquam, vilescebat, parum est hoc, sed fastidio, sed oneri, sed labori erat, cum ad multas horas cubiculis suis inclusi profunda et diuturna contemplatione non modice attingebant, sed ingrediebantur, perambulabant, sed peragrabant campos illos, ubi pascit Deus Israelem in æternum pabulo veritatis? O quam ægre inde avellebantur? O quomodo servire corporis necessitatibus erubescerent? O quam ex animo cum Petro dicebant: *Præceptor, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula.*

B. quoque Gregorius libro altero Dialogorum de divo Benedicto illud refert, eum aliquando cum tempus nocturnæ orationis prævenisset, et aliis dormientibus ipse vigiliis et contemplationibus operam daret, repente quadam luce circumfusum orbem totum quasi sub uno solis radio ante se collocatum conspexisse. Ne vero hoc alicui incredibile videatur, addit sanctissimus Pater, non mirum videri debere, si ante oculos Beati Benedicti totus orbis angustissimus fuit, quando is non in terra jacebat, sed levaverat se super se, et seipsum, atque omnes res creatas transcendens in Deum quasi turrim immensæ sublimitatis conscenderat. Quamobrem, auditores, si quis est, qui mundum et res creatas contemnere ac despiciere cupit, si quis prosperis eventibus non extolli, nec adversis casibus perturbari desiderat, si quis ab amore et cupiditate rerum fragilium et terrenarum liberari, et secure ac tranquille in Domino vivere, et mortem non solum sine metu, sed etiam cum gaudio et alacritate expectare velit, is debet sese colligere et captare tempora et loca apta meditationi,

et serio internæ orationi operam dare.

Non me fugit, esse multas et varias dæmonum molitiones: non ignoro magnam partem adolescentum detineri visco carnalium voluptatum: scio inter omnia Christianorum certamina omnium ferme atrocissima essa prælia castitatis. Legi apud Beatum Athanasium Dæmonem ipsum, cum aliquando D. Antonio quasi puer horridus et niger, Dei jussu, apparuisset, ita locutum esse: Ego sum fornicationis amicus: ego multimoda adversus omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi, hinc et spiritus fornicationis vocor. Quantos pudice vivere disponentes fefelli? quam multos strepue incipientes ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum, propter quem Propheta lapsos increpat dicens: *Spiritu fornicationis seducti estis.* Et revera illi per me fuerant supplantati. Ego sum, qui teipsum sæpe tentavi, et semper repulsus sum: multos seduxi, multos decepi: nunc autem ut a cæteris sanctis, ita et tuo sum labore superatus.

Hæc omnia, auditores, ut dicebam, non ignoro, et si nul illud vel mea, vel aliorum experientia didici, inter tot mundi et carnis et Dæmonis tentationes non posse hominem, ac præsertim adolescentem, sine studio intimæ orationis bene beateque vivere. Nam jejunia et corporis castigationes sunt quidem utilia, et certe omnino adhibenda in remedium: sed sola nullo modo sufficiunt. Sunt enim amara quædam pharmaca, et quasi violenta remedia. At studium orationis medicamentum est naturale, atque idcirco efficacissimum, et facillimum. Ea siquidem est nostra natura, ut sine amore, et lætitia et voluptate aliqua vivere non possimus. Et sicut ingenui pueri magis blanditiis et munusculis, quam minis et verberibus in studiis litterarum proficiunt: ita et nos qui cor nobile, ingenuum, liberale sortiti sumus, multo facilius consolatione cœlesti, quam corporis castigationibus a voluptatibus noxiis et peccatorum delectationibus avocamur. Itaque non est mirum, si multi carnales voluptates, tamquam insani et amentes in suam perniciem persequantur, cum et cor humanum ex amore vivat, et illi adhuc spirituales delicias et divinas voluptates ignorant. Sed assuescant isti vacare Deo, experiantur semel hoc genus medicamenti, statuant serio certis horis internæ orationi sese dedere, et sine dubio mundus illis vilesceat,

et caro desipiet, et Dæmonis machina tamquam fumus evanescet : et tunc videbunt quantam pacem, quantam tranquillitatem, quantum lætitiā, quantam copiam bonorum eis studium orationis attulerit. *Semper gaudete*, inquit Apostolus, *sine intermissione orate*, tamquam si diceret, si vultis semper gaudere, semper orate. Illé enim semper gaudet, qui per orationem unus spiritus fit cum Deo, qui est ipsum gaudium, ipsa lætitiā, mare mellis et fons indeficiens voluptatis.

Multa ac prope infinita mihi occurrunt, quæ de orationis necessitate, et utilitate dici possent : sed quoniam tempus est breve, neque vos nimis longa oratione detinere volo, percurram celerrime, quæ supersunt, nec tam explicabo, quam enumerabo utilitates orationis. Quid igitur facit oratio? Evehit mentem in Deum, et eam quasi ligat cum eo, atque unum spiritum facit ex duobus. Quid rursus facit oratio? Id facit, ut homo levet se supra se et super omnes res creatas, atque in Deo abysso dulcedinis et suavitatis seipsum immergat. Quid facit oratio? Capit quodammodo Deum, et in corde orantis tamquam in suo regno ac templo collocat, ut eum orans possideat, atque amet, ac eo secure et libere perfruatur. Quid facit oratio? Id facit, ut anima Deum, et Deus animam vicissim respiciat. Hic vero respectus majoris virtutis, et efficacitatis est, quam aspectus omnium planetarum. Quid facit oratio? Collocat orantem quasi ad pedes Domini, ubi doctrinam cœlestem et verba vitæ æternæ audiat, et cum sponsa in Cantico amoris dicat : *Anima mea liquefacta est, ubi dilectus locutus est*. Quid facit oratio? Occidit hominem veterem, parturit novum, evellit vitia plantat virtutes. Quid facit oratio? Contemptum parit, et fastidium omnium rerum terrenarum, et orantem fortem in adversis, temperatum in prosperis, securum in dubiis, in omnibus jucundum, tranquillum et hilarem reddit. Quid denique facit oratio? Erigit, ungit, illustrat, inflammat animam orantis, ut ea hic erecta, uncta, illustrata, inflammata contempletur Deum, contemplan-do amet, amando gustet, gustando quiescat, atque in ea quiete, eam gloriam ac beatitudinem obtineat totam, quæ hic in terris obtineri potest.

Itaque nihil est aliud oratio, quam pascuum animæ, quam amplexus atque osculum Dei, quam sabbatum spiritale, quam salus Libani, quam domus deliciarum. Oratio

nihil est aliud, quam speculum candissimum atque clarissimum, in quo mens humana seipsam, et Deum et res omnes intuetur. Oratio nihil est aliud, quam vita virtutum, interitus vitiorum, fons et origo bonorum omnium. Oratio nihil est aliud, quam lac incipientium, cibus solidus perfectorum, medicamentum debiliū, suffragium defunctorum, commune refugium totius Ecclesiæ. Oratio nihil est aliud, quam portus in mari, umbraculum in sole, in prælio scutum et in triumpho corona. Oratio nihil est aliud, quam altera scala Jacob, et porta quædam regia, qua intratur nullo prohibente ad cor Dei. Oratio nihil est aliud, quam primitiæ quædam gloriæ futuræ, et manna absconditum, omnem continens in se saporis suavitatem. Oratio nihil est aliud, quam regina quædam, cui eleemosynæ, jejunia, cantus Psalmorum, habitatio solitudinis, libri, imagines, oratoria, templa deserviunt. Oratio nihil est aliud, quam optima illa pars, quam elegit sibi Maria, quæ iudicio atque sententia Dei anteposita fuit excellentissimo illi operi, in quo Martha soror ipsius occupabatur. Denique oratio nihil est aliud, quam instrumentum quoddam commune ac generale, quo in omnibus nostris operibus indigemus, sine quo nihil, et cum quo omnia etiam difficillima et gravissima possumus. Alioquin quod miraculum unquam factum est sine oratione? Quod genus gratiæ et beneficii sine oratione a Deo impetratum est? Quot et quantas victorias in atrocissimis bellis oratio reportavit? Quibus viribus aut artibus sancti homines morbos curarunt, Dæmones fugarunt, mortem superarunt, feras placarunt, flammis imperarunt, elementorum ordinem et cursum astrorum commutarunt? Nonne viribus orationis? Quibus armis dimicarunt, et vicerunt Moyses, Josue, Gedeon, Jephthe, David, Ezechias, Josaphat, nobiles Macchabæi, et nostri Constantini aut Theodosii? nonne armis orationis?

Postremo, quid aliud sancti homines magis, quam orationem frequentarunt? Quis unquam sanctorum extitit, qui non omni contentione animæ in hoc studium incumberet? Sanctus sanctorum Dominus noster Christus, qui oratione non indigebat, solus, ut eos doceret, pernoctabat in oratione : neque egredi voluit ad concionem, nisi oratione præmissa, et jejuniis quadraginta dierum, neque passioni, et morti se obtulit sine ferventi et proluxa oratione. Sanctus

David et si maximis negotiis et occupationibus distineretur (quippe cui tanti regni administratio incumberebat), tamen septies in die se ad orandum recipiebat, et cum non sufficeret dies, etiam media nocte surgebat, ut ipse ait, ad confitendum Domino. Tempore nascentis Ecclesiae præcipua Christianorum occupatio oratio erat. *Erant*, inquit B. Lucas, *semper in templo laudantes et benedicentes Deum*. Et rursum idem D. Lucas alio loco : *Hi omnes*, inquit, *erant perseverantes unanimiter, in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu*. De S. Bartholomæo legimus, eum centies per diem, et centies per noctem genua flectere solitum fuisse ad orationem. De S. Jacobo item Apostolo fertur, eum callos in genibus per assiduitatem orationis more camelorum habuisse. De apostolis omnibus simul scribit B. Lucas eos communi consensione munus distribuendarum rerum temporalium ab se ablegasse, et septem diaconis commisisse, ut libere ipsi orationi et contemplationi vacare possent. Beatissimus pater Franciscus tanti fecit orationis studium, ut neque propter conciones, neque propter animarum conversionem orationem interrumpere vellet, donec divina revelatione ei munus concionandi imponeretur. Beatissimus quoque pater Dominicus ita tempus

sibi dividebat, ut dies consumeret concionando, noctes orando, atque idcirco tam eximius fructus ejus conciones consequeretur : quia nimirum, quod erat interdiu dicturus concionando, id noctu discebat orando. Omitto de D. Antonio, B. Benedicto et aliis sanctis hominibus dicere. Nam eorum vita pene tota nihil aliud, quam oratio erat : et ideo fugiebant civitates, habitabant solitudines ut semper orationi vacarent.

Quæ cum ita sint, si tales et tanti viri, ita sollicite et assidue gratiam Dei in oratione emendicabant, lumen flagitabant, opem implorabant, cum essent tamen pleni Spiritu sancto, et spiritualibus opibus ditissimi, quid nos facere par esset, qui vere pauperes et mendici sumus ? Hæc profecto est causa, cur illi plus una concione, quam nos decem concionibus proficiamus, quod illi divites humiles erant, nos sumus pauperes superbi : illi spem suam ponebant in Deo ; nos sæpe in nostra sapientia vel eloquentia ponimus. Ad hanc igitur utilissimam, et saluberrimam virtutem vos cohortor, auditores, ad hanc vos provoco atque invito, si recto et brevi et facili et securo itinere ad summum bonum et vitam beatam ac sempiternam pervenire cupitis, quam nobis omnibus concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXXIV.

IN DIEBUS ROGATIONUM

DE MODO ET RATIONE ORANDI.

SYNOPSIS

Præmissa exordii loco probatione necessitatis orationis, de ratione et modo bene orandi dicendum esse proponitur: atque in partes quinque oratio bona dividitur, in præparationem, lectionem, ipsam meditationem, gratiarum actionem et petitionem, de quibus singulis in progressu agitur. Ac primum quam necessario præparatio orationem præcedat, testimoniis et similibus ostenditur: et quod ea duobus modis fieri debeat docetur, primo, commissa peccata Deo confitendo, et de iis dolendo. Deinde, considerando divinæ majestatis magnitudinem, quo Deo quasi reverentia quædam exhibetur, et animus ab evagatione retinetur; quibus insuper modus finiendi præparationem subjungitur. Ad lectionem descendendo meditationi præmittendum, duo præscribuntur in ea servandi modi; unus, quo aliquem textus sacre Scripturæ legamus: alter, qui etiam expeditior, quo capita decerpamus; ubi elegantissima narratione ostenditur, huic rei nihil esse aptius, quam Passionem Dominicam, quæ vitæ nostræ norma virtutum omnium lucidissimum est speculum.

Posterior pars in tribus reliquis partibus explicandis occupatur; atque quid sit, et quomodo perfici debeat meditatio, similibus intelligentiæ, custodum portarum civitatis et canum venaticorum, docetur; eamdemque constanter frequentandam esse suadetur. Deinde, ut peragenda, unde sumenda, et quam grata Deo sit gratiarum actio, demonstratur. In petitione duo observanda monentur, quid, et pro

quibus scilicet, et quomodo patendum: ubi obiter declaratur, quam magnum malum sit sui ignorantia. Quatuor ad hæc conditiones orationem habere debere asseritur, ut nimirum sit confidens, quam efficiunt merita Christi, bonitas Dei, et ejus promissionum certitudo; ut sit humilis; ut perseverans; ut denique charitate ferventi fiat. Tandem orationem bonam semper a Deo exaudiri, non tamen semper impleri, quia non expedit, probatur. Quibus singulis deinde amplificatione exornatis, epilogus ad orationis studium nos invitat.

Sicut nemo est, qui ut æs alienum dissolvat, artis suæ instrumenta, atque arma, quibus victum sibi quærit vendere teneatur: sic etiam, optimi auditores, nemo qui propter quascumque occupationes etiam maxime sanctas, et salutem proximorum vel utiles vel necessarias, studium orationis debet omnino deserere, cum sit oratio instrumentum commune ac generale hominis Christiani, ad omne opus bonum recte exercendum necessarium. Nam sicut ille architectus, vel sutor, qui propter debita dissolvenda suæ artis instrumenta amittit, nec sibi nec aliis prodesse potest: sed cogitur ille ipse cum universa familia sua, vel misere mendicare, vel fame et nuditate interire: sic etiam homo Christianus, si propter occupationes alias, orationis obliviscatur, brevi ad id inopiæ, et difficultatis redigetur, ut jam nec ipse vitam suæ animæ sustentare, nec alii vitam spiritualem suppeditare valeat. Quid enim aget, qui illud instrumentum amisit, quod et sibi et aliis victum, et indumenta et res alias ad vitam conservan-

dam necessarias lucrabatur? Quæ cum ita sint, neminem vestrum arbitror esse, qui non vehementer cupiat in tam utili studio diligenter versari. Sed erunt fortasse non pauci, qui dicent, velle se, et valde etiam velle in studium orationis incumbere, præsertim hoc tempore, quod totum est ab Ecclesia jejuniis et orationibus consecratum; sed se ignorare, quo pacto id fieri debeat, nec unquam solo corde et cogitatione orare didicisse. Ego igitur hodierna die ejusmodi hominis pro mea tenuitate, atque inopia, consilium et auxilium feram.

Jam vero ita de ratione orandi Deum ipso Domino adjuvante disputabo, ut nullus etiam si tardiori ingenio præditus sit in oratione integras horas cum utilitate, et facilitate et jucunditate consumere, modo velit, non valeat. Etenim cum ad orandum Deum accedimus, non totum illud tempus, quod huic studio attribuere decrevimus, in sola consideratione et meditatione consumendum est: sed quinque partes plena atque perfecta oratio habere debet. Sunt vero illæ partes quasi quinque diversa genera spiritualium epularum quibus animæ convivium non solum sine fastidio, sed etiam cum delectatione continuatur. Quæ sunt igitur istæ partes orationis? et quibus nominibus appellantur? Una dici potest præparatio: altera lectio: tertia ipsa est meditatio vel contemplatio: quarta gratiarum actio: quinta postulatio vel petitio. Itaque meditatio, quæ præcipua est, et in qua major pars temporis poni debet, medium locum tenet, sed eam, quatuor quasi sodales et sociæ comitantur, duæ præcedunt, præparatio et lectio: duæ sequuntur, actio gratiarum et petitio.

Jam vero de singulis seorsim pauca quædam dicenda sunt. Ac primum de præparatione, in qua multum omnino, ac pene totum tamquam in radice et fundamento cæterarum partium positum est. Multi sunt, qui non alia de causa toto tempore orationis mente per varia loca vagantur, et sine ullo fructu, ac utilitate surgunt ab oratione, quam quod antea non recte statuerunt animum præparare. Est enim prima illa pars quasi principium vel procemium quoddam orationis. Scitis vero quanti faciant omnes dicendi Magistri accurata principia quibus animi audientium ad reliquam dictionem præparantur. Multum enim refert, quomodo quis audiatur, attentene et amice an cum strepitu et fastidio. Verum rhetorica Spiri-

tus sancti docet quidem animum esse præparandum, sed oratoris, non auditoris. Nec enim periculum est, ut Deus, ad quem loquimur, suo muneri desit: vel si auditoris præparandus est animus, certe non alia de causa, quam quod ipse orator in hac oratione sit auditor. Plus enim omnino, qui bene orat, audit, quam loquitur. *Audiam*, inquit Propheta David, *quid loquatur in me Dominus Deus*. Et Samuel: *Loquere*, inquit, *quia audit servus tuus*. Sed de ista parte orationis, ac ejus necessitate Spiritum sanctum ipsum audiamus. Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, et ait: *Non impediaris orare semper: et ne verearis usque ad mortem justificari. Ante orationem præpara animam tuam et noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Primum inquit: *Non impediaris orare semper*, hoc est, assiduus esto in oratione: neque facile permittas te ab ea occasione aliorum negotiorum avocari. Verum ut cum fructu id facias, *ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Siquidem is dicitur tentare Deum, qui expectat, ut aliquid miraculo fiat, quod alioqui sine miraculo fieri potuisset. Cum Dominus a Diabolo tentaretur, ut de pinnaculo templi seipsum præcipitaret, respondit: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum*: quibus verbis satis aperte declaravit, nihil aliud esse quam tentare Deum, velle manibus Angelorum ferri deorsum, cum possis per gradus commode per te ipsum descendere. Cum igitur præparatio ante orationem maxime necessaria sit, ut quis fructuose atque utiliter oret, velle absque præparatione istum fructum consequi, nihil aliud est, quam miraculum non necessarium expetere, atque adeo Deum tentare. Quemadmodum etiam si quis regem adiret animo imparatus, et neque in ingressione caput aperiret, neque corporis inclinatione reverentiam regi exhiberet, neque sciret ipse quid vellet dicere, nonne patientiam regis vehementer tentaret? Valde mitis profecto esset rex, si tanta rusticitate hominis non offenderetur. Ad eundem modum cum nos absque animi præparatione ad colloquendum cum Deo accedimus, quid aliud, quam ejus patientiam et mansuetudinem exercemus? Ideo secundum B. Aug. in Psalmo LXXXV. legis: *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordix: ideo legis illud: Mitis, quoniam tolerat Deus tot corda precantium, et diversas res cogitantium. Omitto dicere, et noxias, omitto*

dicere, aliquando perversas et inimicas Deo : ipsas superfluas cogitare injuria est ejus, cum quo loqui cœperas. Ergo Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse sicut homo qui tentat Deum.

Postremo, ut plane intelligatur, quam sit præparatio necessaria, nihil est aliud animum ante orationem præparare, quam lyram vel cytharam temperare. Si lyra vel cythara non temperetur. Ita ut nervi atque chordæ partim intente, partim remisse, cum tanguantur, varios concentus efficiant, etiam si is, qui ludit, doctissimus ludendi sit, sonitus tamen inconditus, et insuavis erit, et aures potius offendet, quam mulcebit. Sic etiam oratio nostra, si a bene præparato corde, tamquam lyra temperata, procedat, quasi jucundissima symphonia in Dei auribus resonabit : sin minus, vel non placebit vel etiam displicebit : et sicut scriptum est, vel *Dominus non exaudiet*, vel etiam, quod multo est gravius, et formidabilius, *fiet nobis oratio in peccatum*. Itaque dubitandum non est, quin ante orationem aliqua sit præparatio adhibenda.

Sed qualis erit ista præparatio ? Quid tandem agendum est nobis, ut animum præparemus ? Duo requiruntur ad plenam et perfectam præparationem, tametsi alterum eorum non semper erit usque adeo necessarium. Unum est, ut si conscientia admonente recorderis te in aliquod peccatum incidisse, quod nondum pœnitentia expiatum sit, illud primo loco confitearis Domino in oratione et interna pœnitentia ac dolore pro eo Domino satisfacias. Cum enim hoc facimus, quasi calceamenta solvimus de pedibus nostris, ut cum Moyse terram sanctam ingredi et visiones magnas videre possimus : et tamquam vestimenta cum populo Hebræorum lavamus, ut Domino occurere, atque eum excipere, valeamus. Quod si non solum Deum, sed etiam proximum offendisse te vides, non solum a Domino veniam deprecari, sed etiam cum proximo tuo saltem animo et propositio in gratiam redire debes. Sic enim Dominus ipse apud Mathæum præcipit : *Si offers munus tuum, inquit, ante altare et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offer munus tuum*. Nam ut B. August. libro priore de sermone Domini in monte c. 20. hunc locum exponens ait : « Templum Dei animus no-

ster est : altare fides, munus oratio ». Cum ergo in templo cordis super altare fidei munus orationis offerre volumus, certe non pigro modo corporis, sed celerrimo charitatis affectu ad fratrem, quem forte læsimus, pergendum est, deinde redeundum, hoc est, ad id, quod agere cœperamus, est intentio revocanda. Hoc genus præparationis nos docet Scriptura, docet Ecclesia, docet natura. Docet Scriptura, cum in Proverbiis ait : *Justus in principio sermonis accusator est sui*. Et rursus apud Isaiam : *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*. Siquidem hostis generis humani non ignorans, quod si nos culpas nostras agnoverimus, et nos ipsos damnaverimus, sine dubio justificabimur : si vero nobis tacentibus vel etiam culpas excusantibus, ille nos, quod fiet sine dubio, in iudicio coram Domino prior accusaverit, sine dubio condemnabimur. Nihil cupit, neque aliud molitur, quam nobis eripere de corde recordationem peccatorum, ut ipse prior nos accuset. Ait igitur Spiritus sanctus per prophetam, non committas, ut ille te præveniat accusando, et condemneris ; Sed *Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris*. Neque solum Scriptura, sed etiam Ecclesia hoc nos docet. Ea siquidem tamquam spiritualis, et divinæ rhetoricæ peritissima, nunquam sacrificium illud tremendum Agni immaculati auspicatur, quin antea generalem confessionem clara voce pronunciet. Postremo natura quoque hoc ipsum docet. Omnes enim, cum ab aliquo aliquid petere volumus, si eum fortasse læsimus, natura cogente prius errati veniam petimus, quam aliquid aliud petere audeamus. Hoc est igitur primum, quo animus ante orationem præparatur.

Porro alterum, idque magis adhuc necessarium, id quod nunquam prætermitti deberet, illud est, ut brevissimo aliquo spatio temporis, magnitudinem atque sublimitatem majestatis Domini consideremus. Hæc enim consideratio docebit nos, quanto metu, quanta humilitate, quanta observantia, quanta attentione loqui debeamus. Homo quidem unus ex vermiculis terræ agit cum Domino tantæ sublimitatis, et de re tanti momenti, quanti est nostra perpetua salus. Itaque cum primum ad orationem accedis, illud cogita, cœlum, et terram, et pulchritudinem solis, et numerum stellarum, et gloriam omnium Angelorum, ac denique totam hanc rerum universitatem nihil esse aliud comparatam cum Deo, ut Sapiens ait, quam guttam unam

Roris antelucani. Quid est una gutta roris? Quid magis minutum, magis exiguum, magis fragile, magis vile? Quod si totus orbis, magna hæc moles, et omnis angelorum magnitudo atque potentia est una *Gutta roris* coram Deo; quid eris tu, qui minima portio universitatis es? Si columnæ cælorum coram Deo tremunt, Cherubim et Seraphim facies suas velant, neque audent, in eam majestatem aciem oculorum intendere, sed perpetuo metu quodam a tanta majestate profecto et ingenti stupore, quasi attoniti clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, quanto affectu et quam ex animo tibi cum Abrahamo dicendum erit: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis?* Est vero hæc consideratio quasi profunda quædam inclinatio et reverentia, quam anima exhibet Deo cum in ejus palatium, atque ante thronum Majestatis ejus ingreditur: non secus, atque ii faciunt, qui cum regem adeunt, in ipso primo ingressu totius corporis inclinatione reverentiam quamdam exhibent regi. Et rursum consideratione ista quasi habentis, quibusdam continetur animus, ne, sicut alias, per varia loca temere discurrat atque vegetur. Si enim, qui reges alloqui debent, componunt vultum, componunt oculos, componunt pedes, vestes, verba, diligentissimeque provident, ne aliquid inconsiderate coram mortali rege, vel faciant vel loquantur; quanto magis par est, ut pulvis terræ cum summa humilitate, summoque metu ac reverentia cum Deo loquatur, quem *Laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates?*

Verum posteaquam aliquamdiu ista consideratione te excitaveris, convertere debes oculos cordis ad Deum et ante divitem illam mensam te constituere, sicut parvi catelli faciunt, cum ante mensam dominorum suorum positi oculos in eos intendunt: ibique magno affectu atque ardore animi cum propheta dicere: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec miseretur nostri: miserere nostri, Domine, miserere nostri.* Et: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* His verbis, vel aliqua alia brevi oratione præparatio terminanda erit.

Sequitur deinde lectio eorum verborum, quæ nobis eo tempore consideranda propo-

suerimus. Nam qui cupit cum fructu atque utiliter meditari, is debet certam aliquam materiam accipere in cujus consideratione se exerceat, non vagari huc atque illuc, et modo unum, modo aliud cogitare, prout animo se obtulerit. Materia vero ad meditationem accommodata sunt primum omnia verba divinæ Scripturæ, ac præsertim Evangeliorum et psalmodum; deinde res ipsæ, quæ in Scripturis continentur, sed breviter collectæ et quasi ad quædam capita revocatæ. Itaque duobus modis Scripturis sanctis in meditatione uti possumus. Uno modo si librum aliquem vel Psalmum divinæ Scripturæ considerandum accipiamus, et singulis diebus unum caput vel medium vel unam sententiam ejus libri consideremus. Latet enim in verbis Scripturæ Spiritus Domini super mel dulcis quem qui diligenti meditatione invenire poterit, sentiet animam suam admirabiliter refici, satiari, impinguari, confirmari, denique lætitia et delectatione perfundi: et si quidem hoc modo uti voluerimus statim finita præparatione legendum etiam caput illud vel sententia illa, super qua meditatio futura erit. Alter modus, quo Scripturis utimur in meditationibus, est expeditior et facilior et saltem incipientibus utilior, cum videlicet non accipimus singula verba Scripturæ, sed ex iis excerpimus capita potiora, ut de morte, de judiciis, de suppliciis gehennæ, de gloria beatorum, de conceptione, de ortu, de baptismo, de miraculis, de doctrina, de passione, de obitu Domini, de beneficiis Dei, ut creatione, conservatione, gubernatione, liberatione, et aliis infinitis: nec non de perfectionibus et laudibus Dei, ut potentia, sapientia, bonitate, justitia, clementia, pulchritudine, magnitudine, de miseriis hujus vitæ, de turpitudine peccati, de insidiis dæmonum, de fallacia mundi, denique de iis omnibus rebus, quæ nos vel ad amorem Creatoris vel ad odium peccati, vel ad contemptum mundi et præsentium vanitatum, inflammare possunt. Et si hic modus meditandi magis placuerit, tum præparatione absoluta, loco lectionis, solum erit ad memoriam revocandum caput illud, in cujus consideratione illo tempore occupari decreverimus.

Sed quamquam tam multa sunt, quæ meditationis materiam subministrare possunt: nihil tamen dulcius nihilque fructuosius cogitatur, quam passio Domini. Nam si universa vita Domini, ut Magnus Basilius ait, de

constitutionibus monachorum, nihil est aliud, quam speculum quoddam clarissimum atque exemplar perfectissimum omnium virtutum, quod sibi ante oculos proponere debent omnes, qui pie et sancte vivere volunt, quid de ipsa passione dicemus? Quæ rosæ inter spinas ita micant ut illæ Domini excellentissimæ virtutes inter illa Domini atrocissima supplicia? Vere D. Bernardus ait : *In omnibus mirabilibus, quæ egisti, mirabilior passio tua, Domine Jesu.*

Itaque si quis est, qui intelligere velit, quantum hactenus profecerit vel quantum absit a perfectione, quid virtutum habeat, quid ei desit, frequenter se in hoc speculo intueatur. *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur : Tradebat enim judicanti se injuste.* Neque hoc speculum solum ostendit maculas vitiorum; sed etiam juvat ad illas abstergendas. Quis enim superbia inflari poterit si altissimam illam humilitatem consideret, qua dominus majestatis et rex Angelorum sibi Barabbam latronem anteponi et in patibulo nudus ad supplicium simul et ignominiam suspendi toleravit? Quis ad levissimam injuriam sibi illatam continuo ira exardescet, si incredibilem Domini patientiam inter tot genera succendentium cruciatuum contempletur? Quis animum in laboribus et periculis despondebit, si eximiam illam fortitudinem cogitet qua Dominus tam intrepide hostibus suis occurrit, et morsibus ac furori quasi belluarum imminentium se objecit? Quis perseverantiam in bonis operibus, etiam laboriosis ac difficilibus, non conservabit, si constantiam perpendat, qua Dominus in oratione et suppliciis usus est, donec ad finem perduceret negotium salutis nostræ? Quis flamma amoris non succendetur, si ardentissimam illam charitatem consideret, quæ sola Dominum gloriæ in patibulo inter latrones quasi ligatum continuit : quæque sola effecit, ut cum is in cruce moriens quasi testamentum conderet, ac bona sua divideret, et animam Patri, matrem discipulo, corpus sepulcro, carnificibus vestes, et paradysum latroni reliquerat, in capite, testamenti (O flamma amoris! O fornax caritatis!) in capite, inquam, Testamenti, in ipso principio hostium suorum et illusorum meminerit et eos ingenti affectu Domino commendarit? Quis inhumanus et immisericors esse pote-

rit, si copiosam illam Domini misericordiam contempletur, qua sarcinas atque onera mundi totius in humeros suos tamquam propria sustulit? Quis jugum obedientiæ non libenter feret, si obedientiam illam singularem mentis oculis intueatur, qua Filius Dei usque ad mortem, et mortem crucis Patri obediens fuit? Quis asper, quis immitis, quis erit difficilis, si illam admirabilem Domini mansuetudinem videat, qua sicut *Ovis ad occisionem ductus et sicut agnus coram tondente se obmutuit?* Quis postremo divitias mundi, et gloriam et voluptatem non contemnet, si in hoc speculum oculos mentis defigat? Si regem regum et orbis verum monarcham ita nudum, ita afflictum, ita contemptum in cruce respiciat, ubi non alium thronum habeat, quam patibulum, non aliam coronam, quam spineam; non alias epulas, quam fel et acetum, non alios laterum stipatores, quam duos suspensos fures, non alios in tot calamitatibus consolatores, quam illos crudelissimos illusores, qui moventes capita sua dicebant : *Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud : salva te ipsum, si Filius Dei es.* O si diebus singulis in hoc speculo vultum animæ nostræ consideraremus, quam facile injurias condonaremus, ærumnas pateremur, juste et pie et sobrie viveremus. (O quam pura, quam nitida, quam splendida essent opera nostra!) O quam vehementer luceret lux nostra coram hominibus, si sordes omnes et maculas animæ in hoc speculo videremus, si eas fontibus lacrymarum diebus singulis ablueremus!

Ecce igitur vobis quanta multitudo præstantissimarum virtutum, et quam excellenter clareat in crucis mysterio : et quanta utilitas atque fructus ex harum rerum contemplatione percipiatur ; sed paulisper jam, si placet, quiescamus.

PARS POSTERIOR

Diximus de præparatione, et lectione; nunc de meditatione, gratiarum actione et petitione breviter dicendum erit.

Posteaquam igitur præparatione præmissa vel sententiam aliquam Scripturæ divinæ legerimus vel mysterium aliquod ad memoriam nobis revocaverimus, animo erecto atque præsentis super ea sententia vel mysterio cogitare incipiamus, et summa attentione ac silentio omnia, quæ in iis verbis vel

rebus continentur, diligenti meditatione lustremus. Ea vero meditatio arida et quasi jejuna esse non debet, sed pinguedine affectus et oleo charitatis perungenda erit, quæ duo dum junguntur, non jam meditatio, sed contemplatio dici solet, nihil enim est aliud contemplatio, *quam sapida quædam, ac dulcis et affectu plena cogitatio*. Dicam hoc planius. Inveniuntur nonnulli, qui profundissima atque attentissima meditatione de Deo, de Christo, de passione Domini, de bonitate Dei et aliis rebus ejusdem generis cogitant, ac præsertim si de hujusmodi rebus in gymnasio disputare, aut in templo facere debeant verba, et in iis rationes et causas investigant, et mysteria maxime abdita, et recondita eruunt: sed interim affectus jejumat, et ipsi in sua ariditate remanent, sine amore de amore cogitant, et sine ullo sensu doloris dolores Domini meditantur: quin etiam sine compassione in passione, et sine lacrymis in lacrymis Domini considerandis versantur. Non est ista meditatio, de qua loquimur. Ista enim ad studium doctrinæ, et ad mentem acuendam et exornandam pertinet: nos vero de ea loquimur, de qua animus devotione impinguandus, et flamma divini amoris accendendus est. Itaque in hac meditatione non curiose, sed simpliciter versandum est, et omnis cognitio ad affectum alendum, et roborandum referenda est.

Una vel altera similitudine rem totam explicabo. Intelligentia non secus agere debet cum voluntate atque agit nutrix cum aliquo parvo puero, quem alendum atque educandum suscepit. Quid facere debet nutrix? Primum cibos duriores ac solidiores ipsa dentibus terere, deinde ita confusos in os pueri mittere debet ut is eos deglutiat, atque inde nutriatur atque sustentetur. Quod si nutrix illa quæ cibos pro pueris in partes minutiores dividendos accepit, capta voluptate comedendi eos totos consumat, nonne fame enecabitur puer? Ad eundem modum mens atque intelligentia, in meditatione tamquam nutrix voluntatis adhibenda est ut ea videlicet præparet spirituales cibos, ac deinde sic paratos offerat comedendos voluntati. Quocirca non debet intelligentia totum tempus sibi vindicare, sed statim atque invenerit aliquid, illud transmittere fideliter ad voluntatem, ut ea quoque ad hunc modum sustentetur ac reficiatur. Æquum est quidem ut eorum, quæ deferuntur, ut vendantur in foro aliquid in porta civitatis relinquatur.

Sed si ii, qui civitates custodiunt omnia sibi acciperent, neque aliquid ad forum deferri paterentur, certe periculum esset, ne civitas illa fame conficeretur. Sic etiam, si intelligentia, quæ est quasi prima janua animi nostri, omnem annonam spiritalem retineat sibi, misera nostra voluntas tota jejuna, arida, expers omnis boni remanebit. Venatorum canes si bene sunt instituti, non devorant lepores, quos capiunt: sed eos integros fideliter dominis suis custodiunt. Pari ratione mens nostra, ubi spiritali venatione prædam reconditæ alicujus veritatis nacta fuerit, non eam devorare, sed voluntati offerre debet, ut exquisito illo cibo ipsa tamquam domina perfruatur.

Atque hæc quidem de meditatione sufficere possunt: siquidem hoc genus orationis exerceri, sentiri et gustari potest, verbis explicari et doceri plane non potest. Tamen illud unum addam, si quis vere cupiat in via Domini proficere, et ad aliquem perfectionis gradum pervenire, non debere eum contentum esse parvis rebus, sicut quidam faciunt, qui si tres lacrymas fundere, vel aliquam cordis teneritudinem, atque internam motionem sentire possint, existimant se jam in portu navigare. Non hic finis hujus operis. Legimus enim in Evangelio, semen, quod cecidit super terram lapidosam, continuo exortum esse, sed paulo post exaruisse. Sic etiam multos videmus, qui cum gaudio suscipiunt verbum, et in oratione aliqua spiritali lætitia perfunduntur: tamen ad primam tentationem cadunt, si aliqua peccandi occasio se offerat, si ad aliquod flagitium invitentur, si unum verbum audiant, quod eis non placeat, statim ostendunt quid sint: nempe ostendunt se terram esse lapidosam, et in eis semen devotionis atque amoris Domini radices non gessisse. Quemadmodum igitur, ut terra flores et fructus germinare possit, non sufficit una vel altera *Gutta roris antelucani*, sed copiosa pluvia necessaria est, quæ neque a vento, neque a sole exsiccari possit: sic etiam nos in meditationibus nostris ingentem imbrem lacrymarum exoptare debemus, qui neque vento tribulationum neque ardore libidinum exsiccetur: ut animus noster hac salutari pluvia totus perfusus, castitate, sobrietate, patientia aliisque virtutibus instar prati pulcherimi, quasi venustissima florum varietate vestiatur. Neque vero, si quis non statim hunc eximium fructum consequatur, desperare debet: sed il-

lud cogitet, in lignis viridibus et humore plenis ignem excitandum esse.

Quæro a vobis, si quis velit, ut ligna viridia et adhuc madida flammam concipiant, nonne debet patienter antea non solum expectare; sed etiam fumum perferre et diu etiam flare? Sic etiam, si cupis flammam illam salutarem amoris Domini in corde tuo succendi, interdum necesse erit paulisper expectare, nec non fumum malarum, et inutilium cogitationum patienter aliquando tolerare. *Bonum est, inquit Jeremias Threnorum capite tertio, præstolari cum silentio salutare Dei.* Et rursum Habacuc: *Si moram fecerit, expecta eum: veniens enim veniet et non tardabit.* Et Propheta David: *Expectans expectavi Dominum.* Hæc igitur de meditatione sufficiant.

Post meditationem continuo sequi debet dulcissima quædam, et ex imo cordis ducta gratiarum actio, et ne filum orationis interrumpatur, ex ipsa meditatione occasio sumi poterit Deum laudandi, et ei pro acceptis beneficiis gratias persolvendi. Nihil est enim quod sit materia meditationis, quod etiam ad Deum laudandum, et ei gratias agendas non invitet. Si de passione Domini cogitasti, age gratias Deo, quod tam caro pretio te redemerit. Si de gravitate peccatorum, age gratias Deo, quod adhuc ad pœnitentiam te expectaverit. Si de gloria regni cœlestis, age gratias Deo, quod te ad tam eximium finem procreaverit. Si de cruciatibus gehennæ, age gratias Deo, quod in eos te jam sæpius meritum, sicut multos alios, non præcipitaverit. Atque idem de aliis meditationibus simili modo intelligatur: poterunt enim cum hoc uno beneficio alia omnia, tam communia, quam propria Dei beneficia conjungi, et pro omnibus simul sincerissimæ gratiæ rependi.

Porro hoc munus laudum et actionis gratiarum, gratissimum Deo sacrificium est: hoc est illud suavissimum thymiama, quod semper coram Deo in illis aris mentium beatarum sumat. Petitiones, obsecrationes, postulationes cessabunt aliquando, sed laudes, et gratiarum actionis sacrificium nunquam cessabit. *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Denique nihil melius, ut B. Augustinus epistola septuagesima secunda ad Valerium ait, vel corde cogitamus vel ore proferimus, vel calamo scribimus quam duo illa verba, *Deo gratias*, nihilque est, quod dici brevius vel

audiri dulcius, vel intelligi grandius vel agi possit fructuosius.

Venio nunc ad postrêmam et utilissimam partem orationis, nempe ad ipsam postulationem, quæ etiam proprio vocabulo oratio dici potest. De petitione duo breviter explicanda sunt: quid sit petendum, et quomodo. Quid igitur est petendum? Primum omnium cognitio ac lumen postulandum mihi esse videtur, quo morbos nostros et ægritudines cognoscamus. Una siquidem ex maximis calamitatibus nostris ea est, quod ulcera et vulnera animæ nostræ non videamus: nemo ita rudis, ita agrestis, ita stupidus invenitur, qui si corpore laboret, non statim se ægrota- re animadvertat, et verbis et nutibus morbum suum ostendere non possit, etiam pueri trium annorum, etiam pecudes mutæ, vel gemitu, vel rugitu, vel ululatu vel aliquo alio signo ægritudinem suam produnt. Ac ut longius progrediamur, ipse quodammodo plantæ, ipsa gramina, ipsæ frondes et flores pallore et siccitate languorem suum ostendunt. Solus est homo noster interior, mens nostra, anima nostra, cor nostrum spirituale, quod sæpenumero gravissime laborat et vulneribus confectum jacet, et tamen nihil sentit, neque dicere potest. Hoc mihi dolet. O quam multis illa Beati Joannis verba conveniunt: *Dicis, quia dives sum et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper et nudus et cæcus.* O quam multi gerunt animam suam cruentam et maculis confectam vel etiam mortuam: et tamen sunt hilares, et de medico ne cogitant quidem? O quam multi sedent jam jucundi in conviviis vel in symposiis, quibus jam paratur locus in gehenna, et si eis dicatur, contemnunt, rident, non pallent, non tremunt, et ne cogitant quidem de mutanda vita.

Quoniam igitur *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, primum omnium petamus a Deo, ut aperiantur oculi nostri, ut spiritus adjuvet infirmitatem nostram, ut morbos et ægritudines nostras omnes cognoscamus. Deinde eas probe cognitatas sigillatim aperiamus medico illi cœlesti ac divinissimo, atque ab illo humillima et ardentissima supplicatione flagitemus, ut is unctione gratiæ suæ eas curare pro sua infinita clementia ac benignitate dignetur: neque solum vitiorum curationem, sed et virtutum incrementum et conservationem postulemus, ac præcipue fidei, spei et charitatis, nec non humilitatis,

castitatis, pœnitentiæ, patientiæ, justitiæ ac sobrietatis : neque vero pro nobis solum, sed etiam pro orbe universo preces effundamus, ut omnes homines unum et verum Deum agnoscant, colant, venerentur, adorent : pro pastoribus et Sacerdotibus Ecclesiæ, ut ii fideles omnes ad salutis portum sua vigilantia et sollicitudine dirigant : pro regibus et principibus, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Neque pro capitibus solum; sed etiam pro membris Ecclesiæ universæ orabimus : pro defunctis quoque, ut eis gloriam et requiem æternam largiatur. Postremo omnibus amicis, affinibus, benefactoribus nostris, omnibus afflictis, captivis, ægrotis, morientibus, opus misericordiæ exiguo labore impendemus, si eos, et eorum calamitates atque ærumnas in illis benignissimis manibus repynamus, quæ cruci affixæ pro omnium salute et liberatione fuerunt. Hæc igitur in oratione postulanda sunt.

Sed quomodo postulabimus? Quatuor conditiones bonæ orationis in sacris litteris invenimus. Quatuor enim virtutes sunt, quæ orationem perpetuo comitari debent, dum ea pro nobis in palatio magni regis legatione fungitur, nempe fides, humilitas, perseverantia, charitas.

Initio fides seu fiducia potius, necessaria est, ut omnino credamus, non solum posse Deum facere sed plane facturum, quod petimus. *Quæcumque orantes petitis*, inquit Dominus, *credite, quia accipietis et evenient vobis*. Neque difficile vobis erit ita confidere, si super meritis Christi, super infinita benignitate Dei, super certitudine ac veritate promissionum ejus innitami. Hæc tria, meritum Christi infinitum, quod totum est nostrum, bonitas Dei inexplicabilis, quæ nulla gravitate ac magnitudine peccatorum vinci potest et firmitas atque constantia promissionum Dei, quæ tanta est ut potius cœlum et terra, et omnis natura concidere possit, quam ut unum de verbis Domini non compleatur : hæc, inquam, tria quasi tres anchoræ sunt, quæ navim fiduciæ nostræ ita confirmant, ac stabilem reddunt ut nullo modo fluctuare possit. Neminem terreat magnitudo vel numerus peccatorum, modo tibi peccata non placeant, sed ea vere et ex animo detesteris et concipias magnitudinem pretii nostri, et amplitudinem viscerum Dei et firmitatem atque constantiam promissionum ejus et tum præclara fiducia adeas

thronum gratiæ ejus et sine dubio quicquid petieris, impetrabis, omnia possible sunt credenti, etiamsi *Peccata tua fuerint ut coccinum, quasi nix dealbabuntur et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*.

Neque tamen hoc sufficit : sed illud secundo loco necessarium est, ut cum summa humilitate atque animi demissione ad orandum Dominum accedamus. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Hanc rhetoricam docet nos Christus, cum in principio orationis dominicæ ait : *Pater noster qui es in cœlis*. Sicut enim Deum patrem nostrum appellamus, ut fiduciam atque amorem in nobis excitemus : ita etiam in cœlis cum majestate : et gloria sedentem agnoscere nos profitemur, ut metum et reverentiam tantæ majestati debitam concipiamus. Est enim verè Deus pater noster, sed non pater terrenus, non mortalis, non similis nobis ; sed Pater cœlestis, Pater divinus, Pater sublimis, Pater, qui nos non naturaliter genuit, sed misericorditer adoptavit. Neque solum verbo sed etiam exemplo nos docuit Christus. Itaque cum in horto Patri supplicare vellet, non stabat, neque sedebat, sed proci-dit in faciem suam, et in eo modo orabat. Denique Evangelicus publicanus undenam, obsecro, veniam et misericordiam impetravit, nisi ex humilitate ?

Porro tertio loco perseverantia quam sit nobis in oratione necessaria, vel ex vidua illa, quæ sua importunitate Judicis inclementiam superavit : vel ex amico illo, qui tres panes sola perseverantia orationis obtinuit ; vel ex muliere Chananæa, quæ toties repulsa, tanquam vere canis per unam portam exhibat, et statim injuriæ oblita, et verberibus excussis per alteram intrabat : vel ex Apostolo Paulo, qui ter Dominum pro una re atque eadem rogavit, facile potest intelligi.

Sed postrema atque potissima conditio orationis est, ut cum affectu et fervore fiat. Oratio enim optime atque convenientissime comparatur thuri : thus enim, neque sursum tendere, neque odorem ullum exhibere potest, nisi in ignem conjiciatur. Itaque, auditores, si orationem nostram cœlos penetrare, si ad aures Dei pervenire volumus, currum igneum ei faciamus, necesse est. Nam verba frigida, verba languentia, verba mortua, nubes non transcendunt. Ideo in oratione Dominica dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis, ut intelligamus, vehementer nobis*

clamandum esse, si nos in terra constituti ab eo, qui est in cœlo, exaudire velimus. Scriptura divina, ubique ferme et in psalmis potissimum ferventem orationem nomine clamoris appellat. Clamores vero sine dubitatione non oris, sed cordis intelligendi sunt: nempe suspiria, gemitus, lacrymæ cordis clamores, ignita desideria. Hæc sunt, quæ Domino, quicquid volumus persuadent, non egemus Ciceronis vel Demosthenis eloquentia, neque composita longaque oratione. Deus enim vocem desideriorum et lacrymarum facilius multo, quam politorum verborum exaudit. Non legistis: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus? Et: Desiderium cordis ejus tribuisti ei?* Cum populus contra Dominum murmuraret, et Moyses pro eodem populo Dominum precaretur, et nihil tamen, quæ audiri possent voce corporis loqueretur, Dominus ait: *Quid clamas ad me?* nempe cordis ipsius vehementem clamorem audiebat. Hæc est igitur postrema conditio perfectæ et Deo gratæ orationis.

Quod si his omnibus adhibitis conditionibus, adhuc fortasse Deus nos exaudire non velle videbitur, certi tamen sumus, desiderium nostrum omnino exaudiri. Deus enim solus videt, quid nobis expediat: et simul videt nos nihil cupere aliud, quam quod vere bonum et salutare est. Si interdum vel noxium vel minus bonum aliquid petimus illud nobis in alia majora, et meliora bona commutat. Itaque ipse tanquam bonus pater, ea solum nobis concedit, quæ æternæ salutis nostræ utilia esse novit. Et ad hunc modum

verum et primum desiderium nostrum semper exaudit. Nonne si nudam et simplicem petitionem respiciamus, Deus exaudivit diabolum et non exaudivit Apostolum? Oravit Diabolus, ut ingrederetur in porcos, et illi concessum est: oravit Apostolus, ut Satan recederet ab illo, et non potuit impetrare, et tamen quis dubitat, quin altiore et secretiore quodam modo magis Apostolum, quam Diabolum Deus exaudierit? Tu petis fortasse a Domino sanitatem, petis divitias, et unde scis eam sanitatem et eas divitias tibi occasionem peccandi, et causam mortis et inopiæ sempiternæ non futuras? Et rursus, unde nosti ægritudinem et inopiam istam, quam pateris, tibi coronam gloriæ non fabricaturam? Et si hæc scires, nonne magis patientiam et fortitudinem, quam sanitatem et divitias peteres? Hæc est ergo benignitas Dei nostri, vere patris, vere misericordis. Non dat, quod petis, quia nescis, qui petas: et illud dat, quod vere cupis et omnino peteres, si scires petere.

Quæ cum ita sint, agamus nos, auditores, partes filiorum bonorum, et Deus sine dubio partes aget boni parentis. Delectemur *In Domino, et dabit nobis petitiones cordis nostri. Si enim Vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Quæramus et inveniemus: petamus et accipiemus, pulsemus et aperietur nobis a regnante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXXV.

DE ASCENSIONE DOMINI

THEMA

Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

Ephes. IV, v. 8.

SYNOPSIS

Ab occasione ascensionis Christi et Spiritus sancti missione, sumpto exordio, ratio redditur, cur non ante Christi ascensionem Spiritus sanctus descenderit; deque ascensione præsens instituitur concio. Atque rejectis variis Hæreticorum erroribus, vera doctrina, quisnam, et quo modo in cælum ascenderit, asseritur; ubi illa sententia: Nemo ascendit, in cælum, nisi qui descendit de cælo, explicatur. Investigatur, quoniam Christus ascenderit; et an in cælo stet an sedeat. Excusatur et explicatur illa verborum geminatio: captivam duxit captivitatem. Quibus vinculis nos Deus sibi obstrinxerit; et in quæ, illis excussis, inciderimus, pulchro discursu exaggeratur, scilicet in jugum falsæ necessitatis et voluptatis, ubi vitia nonnulla gravi invectione reprehenduntur. Quomodo ruptis diaboli vinculis, relicto tamen necessitatis jugo nos Christus arctiori vinculo, redemptionis nimium, sibi obstrinxerit, disseritur.

Pars altera ostendit, non tam Angelis, quam hominibus gaudii ansam per ascensionem Christi, esse datam; dederit hominibus enarratur, scilicet Spiritum sanctum, Christum advocatum, Fidei, Spei et Charitatis augmentum. Cur quadraginta dies cum discipulis conversari voluerit Christus, antequam ascenderet, quomodo ab iis avulsus ascenderit, quibus insuper comitibus stipatus fuerit, dilucide

tractatur. Homines natura sua ascendere desiderare, et quam perverse aliqui id faciant; ubi de monte potentie et monte sapientie, quos mortales potissimum ascendere nituntur, plurima non tam jucunda, quam utilia habentur. Quam præterea viam ascendendam Christus nobis præscribat, abnegationem nempe sui docetur, et ratione, quod nemo in cælum ascendat, nisi prius crucem tulerit, ad finem usque diserte corroborabat.

Divinæ sapientiæ et justitiæ ratio postulabat, ornatissimi auditores, ut pax illa, quæ tandem inter cælum et terram summa cum hominum utilitate et Angelorum lætitia Christo auctore composita fuerat, ultro citroque missis muneribus confirmaretur. Ac terra quidem, quæ jam tot annis cælum æneum experta, solisque ardoribus exusta omnino arida et exsiccata fuerat, nihil aliud, quam imbrem Spiritus sancti, et pluviam illam voluntariam sitiēbat, quam (ut Psalmographus canit) segregaret Deus hæreditati suæ. Quamquam enim antiquis temporibus super montes terræ, Patriarchas, inquam, et Prophetas guttæ aliquæ illius aquæ deciderant: tamen fluminis impetus solam adhuc lætificabat civitatem Dei. Contra vero cælum fructum illum terræ sublimem, carnem videlicet Salvatoris, jam gloriosam et immortalem, qua nihil melius ac nobilius orbis terrarum unquam habuit, jam dudum cernere cupiebat. Cum igitur et terra spiritum cælo, et cælum

terræ carnem invideret, illud Deus sapienter constituit, ut Christi caro eveheretur in cœlum et Spiritus sanctus mitteretur in terras ac deinceps mutuis istis officiis inter cœlum et terram fœdere stabilito, et Angelis ad terras et hominibus ad cœlum nunquam amplius essent aditus interclusi; sed liberis ac latis itineribus quocumque tempore proficisci liceret.

Quia vero bellorum faces hominum nequitia primum accensæ, atque a terris tam atrocis dissidii exordium cepit, illud cœlites prope suo jure petere videbantur, ut non ante descenderet Spiritus sanctus in terras, quam Christi gloriosa caro regnis cœlestibus inferretur. Id quod non obscure Dominus significavit cum diceret: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Inde siquidem par erat, ut pacis munera principum sumerent, unde initium discordiæ ac bella susceperant. Hinc igitur benignissimus Christus, cum jam victor ab inferis rediisset, Dæmonum principem alligasset, inferni claustra confregisset, sanctos Patres de carceribus liberasset, mortem interemisset, discipulos docuisset, sacramenta instituisset, ut votis tandem cœlitum satisfaceret, et simul nostræ utilitati consuleret, ac celeberrima ac illustrissima die spoliis inimicorum onustus, dæmonibus rugientibus angelis acclamantibus, mundi elementis prope gestientibus, non laurea mortali insignitus, sed immortalitatis diademate coronatus, non triumphali curru in Capitolium cœlorum invectus, sed vi sua et propria super cœlos ascendens, de tartareis legionibus, clarissime ac lætissime triumphavit.

Hujus vero tantæ celebritatis tantorumque gaudiorum non minima pars nostra est, auditores, hodie siquidem cum Christo cœlos penetravimus. Hodie regni cœlestis possessionem accepimus. Hodie super Cherubim et Seraphim ad dexteram Dei conscendimus; et quamquam hæc omnia lætissimos mihi ad dicendum campos aperiant: tamen ego orationem meam brevissimæ cujusdam sententiæ quasi cancellis quibusdam includam, neque facile eam extra illos egredi aut longius vagari permittam. Ea sententia Apostoli Pauli est. Ipse enim ad Ephesios scribens, ac de hodierno triumpho verba faciens ait: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Quam sententiam ex Psalmo LXVII. verbis paululum immutatis, accepisse videtur. Nam cum Propheta dixit

set: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Apostolus dixit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.*

In hujus igitur propositæ nobis sententiæ explicatione illud imprimis quæri posse video, quis ille sit, qui ascendit? Nam nec propheta, nec Apostolus id satis expressit. *Ascendens, inquit, in altum.* Quisnam? Hæretici Nestoriani, qui duos Christos prædicabant, unum Deum, alterum hominem, eum Christum dumtaxat in cœlum ascendisse affirmare compellebantur, qui solum esset homo. Appellatæ contra, qui Christum non ex Virgine, sed ex elementis carnem accepisse, et eam, a mortuis excitaretur, mundo reddidisse prædicabant, illud etiam asserebant, Verbum Dei, sicut cum de cœlo ad terram descendit, carnem suam non attulerat, sic etiam cum de terris ad cœlum ascendit, nullam omnino carnem secum extulisse: neque aliter intelligi posse, quod Dominus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Nam carnem illam, quam Dei Filius hic in terris gessit, de cœlo non descendisse illustrius est, quam ut sit a nobis necesse monstrari. Porro in eadem hæresi eos omnes constat fuisse, qui vel in Christo naturam humanam penitus non agnoscebant, ut Cerdonistæ: vel eam in divinam esse conversam asserebant, quod Eutychnianos docuisse planum omnino ac perspicuum est.

Verum istos omnes ille ipse, quem hodie veneramus, imperatoris nostri triumphus, gloriosaque in cœlum ascensio reprehendit, aliis testibus non indigemus, ipsa per se Dominica ascensio satis loquitur. Nec enim fieri potest, ut is cœlum ascendat, qui solum est homo, ut somniant Nestoriani: aut solum est Deus, ut Apellitæ, Cerdonistæ, atque Eutychniani delirant. Nam qui solum est homo, evehi quidem, et in sublime ferri ab alio potest: at evehere se ipsum, cœlos omnes transcendere, atque ad ipsam Dei Patris dexteram penetrare per se certe non potest. Qui vero solum est Deus, semper et ubique, et totus, nec ulla temporum aut locorum permutatione mutatur.

Hoc sane Ecclesia Catholica mater nostra probe intelligens, Virginem illam, quam orbis Reginam, Deique parentem appellare non dubitat, quamque et animo et corpore, sempiterno ævo in cœlis frui cum Filio confitetur, assumptam esse ad cœlum dicit, as-

cendisse in cœlum non dicit. Vere enim ipsa veritas ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Evehuntur alii, assumuntur, extolluntur : is vero solus non ab alio accepta ac mendicata, sed sua ac propria virtute cœlos ascendit, qui simul et Dei Filius et Virginis filius est, ut evehi possit ex uno et evehere possit ab altero. Quod vero Hæretici negant, Christi carnem in cœlum ascendisse, quia de cœlo non descendit : Et *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,* nullam prorsus vim habet. Nam ut Augustinus libro de agone Christiano sapienter docet, non Christi carnem, sed Christum carne quasi vestitum in cœlum ascendisse prædicamus. Quemadmodum enim si quis de monte aliquo nudus descenderet, ac deinde non amplius nudus, sed vestitus ascenderet, recte diceremus de eo, qui descenderit, ipse est, et qui ascendit, et nemo ascendit in montem, nisi qui descendit de monte. Sic etiam, quamvis Dei verbum carne humana vestitum in cœlum ascenderit, cum antea sine ea ad terras descendisset, vere tamen de se ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Caro enim non tam ascendit, quam evecta est, ipso evehente qui ascendit. Habemus igitur, quis ille sit, qui ascendit. Superest ut videamus, quo ascenderit.

Quoniam igitur ascendit ? Quo ? In altum. Sic enim Apostolus ait : *Ascendens,* inquit, *in altum,* nempe super omnes cœlos et super res creatas. Ascendit ita, ut B. Cyprianus dicat, Cherubim et Seraphim beatos pedes Domini ambire. Talis enim locus eum decebat, qui non adoptione, sed natura Filius erat Dei, quique ut orbis præses totius universitatis clavum et gubernacula capiebat.

At numquid sedere aut stare in cœlo Dominus existimandus est ? Ista quæstio videtur habere nonnihil curiositatis : tamen sua etiam utilitate non caret. Breviter igitur eam expediamus. Si verum ac naturalem situm consideremus, non sedere aut jacere, sed stare Dominicum corpus existimare debemus. Sedere enim ac jacere infirmitatis ac imbecillitatis est. Corpora vero gloriosa ac immortalia sicut fatigari ac laborare non possunt, ita nec infirma aut imbecillia esse possunt. Quod si nonnunquam in sanctis voluminibus Christus sedere dicitur id secundum metaphoram intelligendum est. Nam etiam et Deus Pater interdum sedere dicitur,

cum tamen proprie nec stare nec sedere possit, quippe qui corpus non habet. Solum igitur Christi gloriam singularem ac plane regiam, et summam illam Judicis majestatem divinæ litteræ nobis significant, cum Dei Filium sedere ad dexteram Dei Patris tradunt. Hinc enim de sanctis cæteris esse eos a dextris Dei sæpe legimus. Sedere autem a dextris Dei, est in illa ipsa gloria et regno sceptrum tenere et caput ac regem cæterorum esse, quod soli Christo convenire nemo fere Christianorum ignorat.

Sequitur, *captivam duxit captivitatem.* Non me fugit, propriam esse phrasim Hebræorum, ut dicant captivam ducere captivitatem, quod nos brevius, captivos ducere vel captivos facere, diceremus. Nam et in psalmo, unde hæc nostra sententia sumpta est, tametsi secundum versionem Septuaginta interpretum legatur : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem,* tamen secundum B. Hieronymi versionem, quæ magis ad Hebraicam veritatem accedit, legitur ; *Ascendisti in excelsum, captivam duxisti captivitatem.* Et capite XXI Deuteronomii, quo loco nostri codices habent : *Captivos duxeris,* Hebræi codices habent : *Captivam ceperis captivitatem.* Et capite XXVIII. libri posterioris Paralipomenon, pro eo, quod nos habemus : *Reducite captivos, quos adduxistis ;* Hebræi habent : *Reducere captivitatem, quam captivam duxistis.* Sed quamquam hæc ita se habent, nihil tamen prohibet, quin aliquam causam hujus elegantissimæ geminationis reddamus. Quid igitur est, *Captivam duxit captivitatem ?* hoc est, quos captivos ac victos invenit, nontam liberavit ac solvit, quam eis catenas et vincula commutavit, et ex captivis Diaboli suos captivos fecit. Quæ sane felicissima, et maxime expetibilis commutatio fuit. Qui enim antea superbissimi tyranni mancipia erant, nunc ejus imperatoris administrati sunt, cui servire, non tam servire, quam regnare est, et qui olim ferreis atque æneis catenis onerati erant, nunc argenteas atque aureas gerunt, ut eis non tam oneri, quam honori, pro catenis torques, pro vinculis monilia esse videantur.

Quoniam attente me de his vinculis disserentem auditis, planius hoc dicam et paulo altius repetam, auditores. Magna et præclara quædam res est homo, præstans ac sane singularis humani animi vis atque potestas, pro qua tanquam pro urbe quadam aut arce pulcherrima et munitissima imperator cœ-

lestis ac Pater luminum cum dæmonum ac tenebrarum principe summa vi semper decertavit. Ea vero est utriusque principis hominem in sua potestate retinendi cupiditas, ut quicumque eum capiat, ita catenis et vinculis revinciat, ut non modo non fugere, sed ne commovere quidem se possit. Ac Deus in primis, qui hominem, ut ejus auctor ac parens optimo jure possidebat, simul atque eum condidit, arctissimis quibusdam nexibus, ne forte diffugeret, colligavit. Quinam isti nexūs? quænam ista vincula fuerunt? Dominum ipsum per Osæ Prophetam loquentem audiamus: *In funiculis*, inquit, *Adam traham eos: in vinculis charitatis*. Itaque funiculi Adam, quibus videlicet initio revinctus est Adam, nexus amoris, vincula charitatis fuerunt. Et quidnam aliud nexus amoris, et vincula charitatis, quam dona ac beneficia sunt: nonne enim etiam in communi sermone nos beneficiis obstringi et obligari dicimus? Et quid obstringi et obligari, nisi fortiter stringi et arcte ligari significat? Deus igitur hominem retinere cupiens, circumdedit animo et corpori multa et magna vincula beneficiorum, cum ei naturam illam præclaram condidit, gratiam atque amicitiam suam donavit, beatitudinem, gloriam et felicitatem promisit. Iste *funiculus triplex* fuit, qui, ut Sapiens ait, *difficile rumpitur*. Verum infelix Adam, spe quadam falsæ libertatis deceptus, vires suas et robur in suam perniciem experiri voluit, et male fortis impetu facto vincula rupit et jugum excussit. Num in Jeremia Propheta querimoniam illam Dei nunquam legistis? *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea*? Sed quid tum servo fugitivo isti contigit? Liberne evasit, an in servitutem vere miseram et luctuosam incidit? Audite rursus, quid Dominus per Danielelem prophetam dicit: *Vinciatur ferro et ære in herbis foris et rore cæli conspergatur et cum feris sit pabulum ejus*. Id vero ita omnino factum fuisse, quis vestrum ignorat, auditores? Quid hoc nostrum exilium? Quid tot ferini motus? Quid tot impetus effrænati? Quid tot labores ac dolores? Quid tot ærumnæ et calamitates clamant? Excussit igitur homo jugum aureum Dei et statim ei impositum fuit jugum plumbeum diaboli. Fregit vincula serica, et injecti fuerunt ei compedes ærei: effectus est enim mancipium diaboli, qui primum vinculis peccatorum eum arctissime colligavit: deinde duplicem ei catenam circumde-

dit, quarum altera necessitatis, altera voluptatis dicitur. An non trahimus fortasse catenam necessitatis, qui edere, bibere, vestiri, spoliari, dormire quotidie necesse habemus? Et quam gravis ac laboriosa est hæc catena? Nonne in sudore vultus nostri vescimur pane nostro? Quam multi labores et sudores necessarii sunt, ut cibum et potum, et vestes et alia quibus egemus nobis comparare possimus?

Sed est adhuc alia quædam catena non veræ sed falsæ necessitatis, quam homines sponte sibi ipsis imponunt, quasi vera necessitas non sit satis, et quamquam eam si vellent statim excuterent; tamen ita nonnulli ea sunt impediti, ut nullo modo ab ea expediri posse videantur. Persuasit diabolus hominibus, ac præsertim nostræ ætatis adolescentibus, non posse eos dignitatem suam atque existimationem tueri, nisi fiant id, quod cæteri faciunt. Videt aliquis nescio quem alium singulis mensibus vestes mutare, statim dicit apud se: Non sum ego illo inferior, oportet etiam me idem facere, alioquin omnes me avarum et sordidum dicent. Ecce catenam falsæ necessitatis. Videt aliquis advenisse quemdam adolescentem, qui præter alia ornamenta, etiam nescio quod appensum ad collum gerat, fortasse retia sunt, ut se a diabolo irretitum esse omnibus manifestum fiat: continuo omnes alii tamquam simii quidam imitantur, et nisi id faciant, honoris sui jacturam facere se arbitrantur. Non sit vobis, quæso, molestum hæc audire. Cogor enim hoc dicere. Nam si tacerem, ipsemet in retia Diaboli caderem. Invitatur aliquis ad potationem, fortasse non cuperet ipse ire, tamen ne rusticus, et inurbanus appelletur, pergat cum cæteris: quod si dicamus, cur ita agis? Ille nobis respondet. Ego quidem non ignoro vitium esse ebrietatem; optarem etiam si possem a nemine invitari, non libenter intersum potationibus et conviviis, sed quid agerem? iste est nostræ patriæ mos, si velim cum cæteris vivere necesse est, ut sic agam: alioquin enim omnibus contemptui et ludibrio essem, censor morum et emendator superbissimus appellarer. O infelicitatem nostrorum temporum. Siccine Diabolus nobis imponit? Siccine falsum honorem pro vero colere nobis suadet? Verus enim honor, auditores, ex veris virtutibus nascitur, quod etiam ethnici philosophi non ignorarunt. Verus honor prudentiam, justitiam, temperantiam, so-

brietatem, gravitatem consequitur. Metuis jacturam honoris facere, si vanos adolescentes non imiteris et non metuis, si tu vanus etiam efficiaris? Times hominum maledicorum linguas, si amico ad potationem invitanti non pareas: et non times proborum hominum, ne dicam Dei, justas reprehensiones, si pareas? Quid? Erubescis vocari sobrius, et non erubescis vocari ebrius? Ego sane non video, quid infelicius Ecclesiæ Christi accidere possit. Et quid fiet temporibus Antichristi, si jam pudet nos virtutum, et non pudet vitiorum? Erubescis confiteri te sobrium esse velle? erubescere etiam te Christianum esse; nam Christus præcepit sobrietatem. Erubescis si castus nominaris? Erubescere etiam si Christianus nominaris; Christus enim castitatem docuit. Erubescere, si injuriam accipias et non ulciscaris eam? erubescere etiam quod baptizatus es: hujusmodi homines injurias condonare tenentur. Erubescunt alii si pauperes et humiles esse eos contingat? Erubescant etiam quod Christo nomen dederint, qui pauperrimus fuit et fabri filius appellatus est. *Dirumpamus, auditores, dirumpamus, quæso, vincula ista: projiciamus a nobis jugum falsæ necessitatis.* Ego enim non dubito, si quis semel inciperet contemnere vestium vanitates, recusare etiam in magnis conviviis tam frequentes propinationes, et verum ac probum christianum non solum fide, sed etiam moribus referre, non esset ille, ut aliqui putant, ludibrio atque ostentui, sed potius, mihi credite, venerationi et admirationi: nec tamquam rusticus et inurbanus contemneretur, sed ut vir gravis et sapiens ab omnibus commendaretur. Hæc enim catena falsæ necessitatis non aliud fundamentum quam inanem quamdam formidinem et falsam persuasionem habet.

Quid jam de catena voluptatis dicemus? Illa non una, sed multiplex est. Tot enim sunt laquei voluptatum, quod ea sunt, quæ sensus nostros blande afficiunt. Sed quamquam hæc omnia laquei sunt, tamen stulti homines ita currunt ad ea, tanquam si non capiendi a laqueo, sed capturi magnam aliquam prædam ipsi essent. Clamat Sapiens omnes creatas tentationem, et muscipulam esse pedibus insipientium, homines vero ut se vere insipientes ostendant, creatoris oblitum, res creatas vehementissimo desiderio concupiscunt. Clamat apostolus Paulus: *Fugite fornicationem*: laqueus enim

diaboli est: at homines quanto magis absterrentur, tanto cupidius ad istum laqueum currunt. Clamat idem Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum Djaboli*, at vero quotusquisque est, qui non doleat se parum fortiter his vinculis obstrictum esse? Clamant divinæ Scripturæ: *Judicium durissimum his, qui præsumunt, fiet*; at homines non solum fugiunt ab honorum et dignitatum laqueis, sed etiam certatim contendunt, quis prior collum in laqueum injiciat. Et quod gravius est, invident captis, qui capi non potuerunt. Rogo vos, si unum, si duos, si quinque, si decem homines impingere in lapidem, aut cadere in foveam aliquam videremus, nonne tot casibus aliorum nos tandem cauti et prudentes efficeremur? Cur igitur cauti non efficimur? cum tam multos quotidie his laqueis capi misereque interire conspiciamus? Sed ad nostrum captivum revertamur.

Quid igitur Deus fecit, cum hominem suum, quem tot vinculis beneficiorum in creatione sibi obstrinxerat, in laqueum Diaboli incidisse et ab eo captum et multiplicibus catenis circumdatum teneri animadvertit? ait intra se: *Descendamus, et liberemus fugitivum nostrum*: nam circumventus et deceptus a Diabolo est, qui nullum unquam poneret modum suæ tyrannidi, atque immoderato illi imperio, quod super miserum genus humanum exercet. Verum cum hominem liberaverimus, duplicemus ei catenas et multo arctioribus nexibus eum ligemus, quam initio ligatus fuisset. Venit igitur filius Dei, singulare certamen cum Diabolo iniit, ac brevi eum prostravit atque ad deditionem compulit: mox vero hominem a Diaboli et peccati potestate expedit, atque in veram libertatem asseruit; sed tamen catenas necessitatis ab eo auferre non voluit, intelligebat enim tantam esse hominis impudentiam, ut si penitus a catenis expediretur, facile negaturus fuisset, se unquam diaboli mancipium extitisse, nec dicere cum Pharisæis dubitasset: *Nos liberi sumus, et nemini servivimus unquam.* Ait igitur Dominus, ut semper hujus beneficii recorderis, reliqui tibi signa servitutis, catenas necessitatis, ut adhuc *in labore vultus tui* vescaris pane tuo, adhuc in membris tuis senties *legem repugnantem legi mentis tuæ* ut adhuc morbis et vulneribus et ipsi interitui subiaceas. Veniet tamen tempus, quando te penitus ab istis etiam vinculis liberabo.

Sed quænam sunt ista vincula arctiora, quibus Dominus iterum hominem alligavit? Beneficia sunt redemptionis, auditores, quæ quidem et plura et majora sunt quam beneficia creationis. In creatione siquidem dedit nobis Dominus sua; in redemptione autem dedit sua, et accepit nostra. Ecce nobis vincula duplicata: dedit, inquam, in redemptione sua dona, charismata, gloriam, gratiam: accepit vero nostra, labores, verbera, dolores, maledicta, plagas, mortem denique ipsam, nonne hæc sunt vincula duplicata? Vere ingratus est, qui non se obligatum atque obstrictum his vinculis sentit. Quid? quod in creatione *Dixit et facta sunt* non laboravit, non sudavit, at in redemptione non sic, sed usque ad mortem sudavit nec sudorem solum et eum sanguineum, sed totum etiam sanguinem suum profudit. Vere igitur *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*, quando tot, et tanta dona hominibus dedit quando nos solvit a vinculis peccatorum, quando ligavit vinculis beneficiorum, quando nos omnes sic feliciter colligatos in triumphum duxit. Omnes enim si non re, certe spe cum ipso ascendimus: nam, ut Apostolus ait: *Convivificavit nos in Christo, et conresuscitavit, et consedere fecit in cælestibus.*

PARS POSTERIOR.

Sunt fortasse, qui non tam gaudendum quam dolendum esse putent, quod Dominus Ecclesia sua quam sibi proprio sanguine comparavit, quasi deserta ad cælum ascenderit: vel si gaudendum sit, angelis certe, non hominibus, quod enim angeli receperunt, homines amiserunt. Videant tamen, qui ista sentiunt, ne forte ab ipso Domino audiant; *Si diligeretis me, gauderetis utique: quia vado ad Patrem.* Vere enim, auditores, expedit nobis ut liberator noster in cælum ascenderet. *Ascendens enim in altum*, non solum *captivam duxit captivitatem*, quod ad ejus gloriam et triumphum pertinebat; sed etiam *Dona dedit hominibus*, quod ad nostram utilitatem et emolumentum pertinet. Tanta vero et tot sunt ea dona, quæ Dominus ascendens hominibus dedit, ut Apostoli sola eorum spe et promissione erecti, non modo Domino recedente non fleverint, verum etiam in Jerusalem cum maximo gaudio et exultatione redierunt, ut ex postremis verbis Evangelii secundum Lucam intelligi potest.

Quæ igitur ista dona fuerunt? Hoc enim dumtaxat nobis explicandum superest. Primum et maximum donum, quod et radix, et primum omnium donorum fuit, Spiritus sanctus est. Hoc enim eximium donum simul atque Dei Filius ad Patrem suum pervenit, Apostolis suis procuravit, et post decem dies super illos, ut divinæ Scripturæ loquuntur, effudit. *Dextera igitur Dei exaltatus*, inquit B. Petrus, *Et promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hunc, quem vos videtis et auditis.* Alterum donum est quod ipse Dei Filius ideo potissimum introierit in sancta sanctorum, et tabernaculum illud non manufactum, ut semper *Appareat vultus Dei pro nobis*, et eum interpellat pro nobis. *Non enim*, inquit Apostolus Paulus, *in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum; sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et B. Joannes; *Hæc*, inquit, *scribo vobis, ut non peccetis: sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Quid? Nonne hoc singulare donum, atque excellentissimum munus est? Quid jucundius homo peccator cogitare potest? Quid felicius, quam in tam formidabili judicio, ubi de æterna salute agitur, judicem habere patrem, advocatum vero fratrem? Quis desperet? Quis animum despondeat? Quis causæ suæ diffidat, etiamsi maximorum innumerabiliumque criminum reus sit, si modo hoc apud se cogitet, apud patrem judicem se fratrem advocatum habere. Tertium autem et postremum genus donorum, quod Dominus ascendens in altum humano generi contulit, illud mihi esse videtur, quod illæ tres principes virtutes, Fides, Spes, Caritas, hinc in nobis mirum in modum nutriantur, confirmantur, augeantur. Fides, quia credimus in eum, quem non vidimus. Et *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Spes quia si caput nostrum cælos penetravit, membra quoque eosdem penetratura confidimus. Caritas in Deum, et amor rerum cælestium, ac spiritualium, quia cum Christum, in quo spes ac salus, et omne bonum nostrum situm est, in cælum ascendisse credimus, nos quoque vota eo et suspiria nostra transmittimus, et Paulum Apostolum intentis auribus audimus, cum ait: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ascendens igitur Christus *in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.*

At quando tandem et quo ordine ascen-

dit? Post dies quadraginta a resurrectione sua ascendit. Cur tanto tempore expectavit? Ut præberet *Seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis*, ut Christianam rempublicam constitueret, ut Apostolo Petro Ecclesiæ clavum et gubernacula traderet, ut pœnitentiæ Sacramentum, et alia, si quæ supererant, institueret, ut Apostolos informaret, atque ad Spiritus sancti adventum præpararet ut demum charitatem atque humilitatem suam nobis adhuc vehementius commendaret. Maxime enim profecto illæ virtutes in Domino extremis illis diebus enituerunt, cum jam vitam angelorum non solum animo, sed etiam corpore viveret, et tamen frequentissime et familiarissime cum discipulis suis mortalibus et abjectis hominibus versaretur.

Porro modum atque ordinem ascensionis disertis verbis explicat B. Lucas: *Eduxit, inquit, eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis: et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cælum*. Itaque Dominus, qui in Jerusalem in urbe totius Palæstinæ celeberrima, et coram toto orbe terrarum in crucem cum maxima ignominia agi voluit, idem ex monte quodam pene deserto, et coram paucis testibus in cælum gloriosus ascendit, ut contumelias et ignominias etiam publicas libenter amplecti; gloriam vero et celebritatem fugere, hoc etiam postremo facto nos doceret. Benedixit vero, hoc est bene suis discipulis, ut eis valediceret, precatus est. Fortasse etiam hoc ipsum invictissimæ crucis super illos signum expressit, atque inde apostoli idipsum usurpare cœperunt. Ac tum demum cunctis videntibus, et eum animis et oculis prosequentibus, sensim ab eis recedere atque elevari cœpit. *Et benedicens eis ferebatur in cælum*, ut jam tum discere inciperent, supplices oculos, et manus in cælum attollere, de cœlo auxilium expectare, in cœlo cor suum affigere, ubi thesaurum suum esse non ignorarent. Cum autem tam satis procul a terra in sublime ascendisset, candidissima quædam nubes suscepit eum ab oculis eorum. Nec vero nubes ideo apparuit, ut vehiculum esset Christo; sed partim ut ejus gloriam et majestatem auget, partim ne Apostoli diutius intimis oculis animisque suspensis eum prosequerentur.

Et quid jam de multitudine hominum et angelorum, qui eum comitabantur, dicemus? Hunc enim magnus ille Jacob refere-

bat, cum de seipso quodam loco ait: *In baculo meo transivi Jordanem, et nunc cum duabus turmis regredior*. Solus descendit Christus de cœlo, solus Jordanem passionis baculo crucis innixus trajecit. *Torcular, inquit, calcavi solus et de gentibus non est vir mecum*. At non solus ad cælum, atque ad Patrem regressus est. Nam turmis duabus, altera hominum, altera angelorum comitatus ascendit. Et qua pompa? qua celebritate? quibus gaudiis illum ascendisse, et triumphum suum egisse putatis? Si ecclesia militans inter bellorum tumultus, et strepitus tubarum canit, quid illa victrix et triumphans Ecclesia faciet? Si lætentur homines in terris, quid ipsi angeli facient in cœlis? O si quis hodie audiret organa, psalteria, cytharas, concentum illum et symphoniam, quibus resonant templa et plateæ cœlestis Jerusalem? O si cernere posset nova illa spectacula, tripudia, choros, triumphos spirituum beatorum. O quam cito liquefieret anima ejus. O quibus vocibus caneret: *Ascendit Dominus in jubilo; alleluia, alleluia. Et Dominus in voce tubæ; alleluia, alleluia. Et: Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. O quis dabit mihi pennas sicut columba? et volabo et requiescam*.

An non vos etiam ascendere desideratis, auditores? Certe desideratis. Id mihi profecto non negabitis. Nam si Philosophus ait: Omnis homo naturaliter scire desiderat, cum tamen plerique ad litteras perdiscendas fustibus et verberibus adigantur, quanto nos verius dicemus, omnis homo naturaliter ascendere, et sursum ferri desiderat? Cur nostri adolescentes tam diligenter incumbunt in studia? Ut ascendant. Cur alii tam læti proficiscuntur ad bella, et eligunt potius in castris vitam miserrimam ducere, quam domi suæ commode et quiete vivere? Ut ascendant. Cur etiam interdum aliqui monachi fiunt, et humilitatem profitentur? nonne ut Abbates fiant, et ascendant? Tanta est in hoc nobilissimo animante, quamvis sæpe perversa ascendendi cupido. Nec mirum, auditores. Nam sedes, et quasi elementum mentium nostrarum sursum est. Cur ignis tendit sursum? Cur terra deorsum? Nonne, quia ignis elementum sursum, et terra elementum deorsum? Quoniam igitur elementum nostrum sursum est, ac de cœlis animas habemus idcirco eo rapi animus desiderat: nam quemadmodum pisces extra aquam moriuntur, et res omnes extra sua et propria

loca diutius conservari non possunt : sic etiam animis nostris non est bene in regionibus istis, ubi *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Nec enim minus animus suffocatur in corpore, quam corpus suffocatur in aquis. Et quamquam eum blanditiis delinire ac detinere caro nostra conetur, quippe quæ novit, quantum ejus conjunctione et societate indigeat, tamen facere non potest, quin interdum animi natura se prodat, et ad loca editiora et sublimiora suspiret. Hoc igitur firmum sit et ratum, auditores, omnes homines naturaliter loca alta atque adeo ipsum cœlum desiderare.

Sed quid interim illis accidit? Idem omnino, quod pueris accidere solet? Aspiciunt aliquando pueri vertices montium, a quibus cœlum ex quadam oculorum deceptione non amplius uno palmo abesse videtur. Illi igitur quia nondum ratione sensuum errorem corrigere didicerunt, vere cœlum non amplius uno palmo abesse a montium verticibus arbitrantur, atque aiunt. O si montem illum conscenderem, profecto cœlum manibus attingerem. Sic etiam cum interdum pueri illi, qui in vallibus habitant. Solem oriri ex montibus vident, putant ipsi si in montibus illis fuissent, se omnino solem attingere potuisse : at cum postea aliqua data opportunitate montes illos superant, tunc demum in quanto errore versarentur, intelligunt. Ad eundem modum in terris loca quædam editiora videmus, licet non tam montes, quam colles seu tumuli quidam potius dici deberent.

Atque ut, quod volumus exemplis planum fiat, duos ex illis montibus nominabimus : unus potentiae, alter scientiae mons appellatur. Cogitat aliquis vel regiam, vel pontificiam vel imperatoriam majestatem : intuetur opum affluentiam, purpuræ splendorem, numerum famulorum, amplitudinem dignitatis, illustres titulos, gloriosa cognomina, continuo ardere incipit desiderio ascendendi. O qualis mons, inquit, est ille? quam excelsus? quam sublimis? profecto etiam mihi nubes superare videtur. O si semel ad ejus verticem pervenirem, nonne cœlum contingerem? Nonne ita beatus ac felix omnino essem, ut deus quidam inter homines dici possem? Age igitur excitemus industriam, manibus ac pedibus reptare incipiamus. Ac aliquando quidem fit, ut post multos annos in rependo consumptos perveniat

quis ad summum montium. Verum cum ibi est, et multitudine negotiorum molestiarum, curarum, sollicitudinum obrui se videt, ut quietem nullam capere possit, omnia plena periculis ac suspitionibus animadvertit : illa civitas defecit, illa defectionem minatur, illa in officio vix contineri potest : undique supplices libelli, undique querimoniae adveniunt. Et ad hæc omnia morbis et ægritudinibus non minus vexatur, quam olim cum privatus esset, tum demum se deceptum intelligit, et nihil aliud est, inquit, esse regem aut pontificem, quam hoc? Putabam me beatum futurum, et miserior mihi nunc esse videor, quam umquam fuerim. Hic ille mons est, quem Diabolus primus ascendere aggressus est. *In cœlum, inquit, conscendam : super astra Dei exaltabo solium meum*. Sed non bene ei successit. Nam repente tamquam fulgur cecidit e cœlo, et ex Angelo optimo et pulcherrimo, perditissimus et fœdissimus Diabolus factus est.

Quid jam de monte sapientiæ dicam? Si procul aspiciatur, o quam sublimis, quam speciosus esse videtur iis, quos amoris stimulus concitat? Quid enim splendidius aut gloriosius nomine sapientiæ? Certe vulgus hominum putat nihil penitus latere Philosophos, sed eos omnia abdita, atque arcana naturæ penetrare : tamen vos, auditores, qui montem illum ascendistis, nonne plane videtis, vix exiguum tumulum dici posse? Quid certum? Quid exploratum quid non dubium? quid non sub iudice adhuc positum in universa philosophia reperitur? Nihil mihi aliud, quam *virum*, in ea videre videor, *virum* omnes replet, atque occupat libros Philosophorum. Et quid aliud istud *virum*, si in eo finis constituatur, si humilitas absit, quam *utres* efficere potest? Et *utres*, inquam, non tam sapientia et cognitione veritatis, quam superbia et vento vanitatis inflatos? Ita quidam veterum Philosophorum intonant, ut quidam hominis appellationem æquivoce, ut ipsi loquuntur, de Philosopho, et non Philosopho, dici asseverarent. Ad istum montem primus noster parens aditum aperire conatus est. Ille enim est, qui cupiditate sciendi bonum et malum ascendere voluit in montem sapientiæ, et miserabili ruina in vallem ignorantiae præcipitatus est.

Quid igitur? An studium sapientiæ negligendum et gymnasia omnia claudenda sunt? Non hoc dico, auditores, imo vero aperiantur, dilatentur, amplificentur, si opus est

domicilia sapientiæ. Quid igitur nos ab isto monte absterres? Quid sapientiæ studiosos reprehendis? Eos dumtaxat reprehendimus, auditores, qui finem ultimum sibi in hujus ascensione constituunt: quique propterea de pietate ac probitate, quæ vera via ad beatitudinem est, aut parum, aut nihil solliciti esse videntur. Nam profecto, qui hoc agunt, in maximo errore versantur, cum propter umbram quamdam, vel potestatis vel sapientiæ, veram et potestatem et sapientiam perdant. Nam ut cætera interim omittamus, quis istius potentiæ et sapientiæ finis est? Nonne gloria quædam et celebritas apud homines? Ista vero gloria quam alte ascendit? quam longe lateque propagari potest? Quis non videt, quantis angustiis gloria humana etiamsi dilatari velit circumscribatur, cum nec Alexandri nec Aristotelis, quorum alter ad summam potentiam, alter ad summam sapientiam pervenisse putatur, nomen et fama vel Causasum montem transcendere (ut Tullius loquitur), vel Gangem fluvium transnatare unquam potuerit? Num quidem putatis, vel in aere apud Dæmones, vel in cælo apud Angelos magni unquam famam esse, vel potentiam Alexandri vel sapientiam Aristotelis? Nihil minus. Deinde quid illis prodest, quod hic nominentur, ubi non sunt, cum ibi torqueantur, ubi sunt? quod si id illis summis hominibus accidit quid iis eveniet qui cum illis nulla ex parte comparandi sunt? Nonne igitur summa dementia est, omne suum tempus, omne suum ingenium, omnes suas vires in ea gloria acquirenda consumere, quæ acumen ipsum ac tectum propriarum ædium non transcendit? Et tamen horum amentium hominum non magnus, sed infinitus numerus est.

Hos igitur montes contemnamus, quorum ascensus difficillimus est et periculosissimus, ad quorum culmen pauci parveniunt, et pauci illi sæpe deorsum graviore casu præcipitantur, ut ex ipsa primi Angeli et primi hominis ruina intelligere potuistis. Et mirum est, homines, quorum vestigia imitantur, eorum præcipitia non perhorrescere. Sed illum potius imitemur, qui non alia de causa ad nos descendit, quam ut nobis viam demonstraret ascendendi. Quod autem verissimam certissimamque viam docuerit, nonne hodie ipsa sua ascensione apertissime comprobavit? Nonne ipse unus vere ascendit eo, quo nec homo nec diabolus ascendere potuerunt?

At quam tandem viam ipse docuit? Nempe viam quamdam mundi sapientibus et potentibus omnino incognitam. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*, hoc est, quia per montem sapientiæ ad Deum pervenire non potuerunt (atque idem de monte potentiæ dici potest) *placuit Deo per stultitiam* (addere possumus et infirmitatem) *Prædicationis salvos facere credentes*. Quid enim stultius, quid infirmius mundi sapientibus et potentibus videri poterat, quam ipsam Dei virtutem et sapientiam penderere in patibulo crucis, cum summa ignominia voluisse? Crucem igitur viam ad vitam et gradum ad cælum, et sibi Dominus et nobis omnibus fecit. *Oportuit, inquit, Christum pati et sic intrare in gloriam suam*. Et hoc quidem de se. De nobis autem audite quid dicat: *Qui vult venire post me*, inquit, non solis Monachis, non solis Presbyteris loquitur, sed omnibus, qui ad regnum cælorum eum sequi desiderant, *Qui vult venire, inquit, post me*. Omnes nos, Domine, cupimus venire post te. Sed quid agemus, ut veniamus post te? *Abneget, inquit, semetipsum*. Quid est, Domine, *Abneget semetipsum*? Non intelligimus, in parabolis loqui videris. Nondum, inquit, viam vobis ostendi, sed quid opus sit ad eam ascendendam, admoneo, ne forte, si imparati inveniatis, frustra eam ingredi nitamini. Via ista maxime ardua est, homines omnino nudos et expeditos requirit: propterea dixi vobis: *Abneget semetipsum*, hoc est, non solum sarcinas non necessarias deponere, sed etiam seipsum relinquere, ac seipsum quodammodo spoliare debet, quicumque vult venire post me. Tunc enim vere nudus, mihi que simillimus erit. Et cum talis fuerit, *Tollat crucem suam et sequatur me*. Hæc igitur est via, auditores: vel hesterna celebritas vos admoneat. Nonne enim heri inventionem crucis, hodie Domini ascensionem celebravimus? Et quid hoc aliud significat, quam in cælum per crucem ascendi? *Quo vado, inquit Dominus, scitis et viam scitis*. Verum loqueris, Domine. Nam et in cælum ivisse, et per crucem ivisse non ignoramus.

Quamobrem, auditores, suscipiamus, quæso, singuli cruces nostras, et sequamur Dominum crucifixum. Ille morbo aliquo vexatur: ferat æquo animo, et gratias agat Deo et tollat crucem suam. Alius uxorem habet morosam, difficilem, iracundam: ferat æquo animo, gratias agat Deo et tollat crucem suam. Alius pro admonitione convitium, pro

beneficio injuriam accipit: ferat æquo animo, gratias agat Deo et tollat crucem suam. Alius nemini obesse et multis prodesse studet, tamen ei magnam bonorum partem fures diripiunt: ferat æquo animo et tollat crucem suam. Alii vel uxor, vel filii moriuntur, vel ipse in carcerem truditur et in exilium mittitur, opibus spoliatur: ferat æquo animo et tollat crucem suam. Sed multi sunt, qui crucem, quam ipsi sibi imponunt, etiamsi gravissima sit, libenter ferunt: at eam crucem, quam Dominus eis imponit, tolerare non possunt. Jejunant, vigilant, orant, eleemosynas largiuntur. At si morbo aliquo affligari incipiant, ferre non possunt, indignantur, conqueruntur. Quidam interdum se etiam verberibus cædunt et ab aliis nec verbum unum asperius pati possunt. Et quid hoc, nisi genus quoddam extremæ dementiæ est? Te ipsum convenio. Quid? Cum ægrotas, et pharmacum sumendum est, sumisne quantum tibi, an quantum medico tuo videtur? Certe non quantum tibi sed quantum medico videtur. Tu enim, etiamsi artem medendi didicisses, tamen vel nimio desiderio sanitatis nimium pharmaci sumeres, vel nimio tui amore nimis parum acciperes. Medicus vero pro sua prudentia ad ægritudinem tuam pharmacum suum accommodabit. Sic etiam in crucem pro animæ salute diligenda sæpe homines vel ni-

mia severitate vel nimia indulgentia peccant. Deus vero, qui intime nos et naturam nostram, morbos nostros et vires nostras cognoscit, quique incredibili quodam ac vere paterno amore nos diligit, eam nobis crucem imponit, quæ nostris humeris convenit, neque *Tentari nos* sinit, *supra id, quod possumus*, quin etiam facit *cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*. Id igitur libentissime omnes toleremus, quod Deo, ac patri, et medico animorum nostrorum videbitur, sive ægritudines, sive bonorum direptiones, sive liberorum amissionem, sive convitia et injurias proximorum, sive quidvis aliud pati necesse sit. Id enim nos ignorare non expedit neminem prorsus sine cruce ad cælum pervenire posse. Deus enim quos diligit, corripit: *castigat autem omnem filium, quem recipit*. Atque adeo hoc verum est, auditores, ut etiam Filium suum illum naturalem atque unigenitum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, castigare voluerit. Quia vero is carnem non habebat in qua pati posset, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Illud etiam pro comperto habeamus, quanto crucem majorem feremus, tanto latiore et commodiorem viam nos ad cælum atque beatitudinem habere, ad quam nos perducatur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXXVI.

IN DIE PENTECOSTES

DE

MISSIONE ET PERSONA SPIRITUS SANCTI

SYNOPSIS

Captata benevolentia in principio statim proponitur, quidnam præsentis concione sit dicendum. Spiritum sanctum Patris et Filii nexum esse subtili discursu declaratur. Enim a Patre et Filio mitti probatur; ejusque divinitas ab impia hæresi Arii et Eunomii multis sacræ Scripturæ auctoritatibus vindicatur; ubi missionem non superioris solum, sed æqualis esse ostenditur. Triplex ut producendi, sic mittendi ratio in divinis dilucide asseritur, et qua ex illis Spiritus sanctus mittatur, contra Mædonianos Spiritum sanctum inter creaturas collocantes, disputatur. Quid in divinis sit, personam aliquam mitti, diserte declaratur. Tot modis Spiritum sanctum hominibus inspirari quod dona ipsius sunt, probatur. Hæreticorum argumento contra Spiritum sanctum diluuntur, et ii suo quasi gladio jugulantur. Multis denique exemplis ex Hæreticorum tum veterum fœce propositis, patefit, quantum opere illi semper Scripturas corrumpendo ad sua dogmata flectere studuerint.

In parte posteriore speciatim agitur de missione Spiritus sancti in Pentecoste facta, et cur in forma ignis, linguarum et sonitus apparuerit, causæ assignantur. Quam sint necessaria verbi Dei præconi sapientia, charitas et donum orationis; et quibus gratia miraculorum sit necessaria, docetur. Qua deinde scientia apostoli præditi fuerint, et an rerum naturalium cognitionem habuerint, disceptatur. Quo modo

et quanto temporis spatio iidem donum linguarum sint adepti, et qua miraculorum gratia donati, narratur. Charitatis insuper, qua inflammati fuerant, mirandi effectus in medium adducuntur. Charitatis perfectæ duo signa traduntur, et ob eorumdem negligentiam nostri sæculi mores graviter taxantur. Tandem quomodo charitas ipsis signis sit ostendenda, conclusionis loco docetur.

Cœlestium munerum magnitudo, et divinorum beneficiorum præstantia tanta est, auditores optimi, ut vires humanæ mentis exsuperet, et omnium mortalium intelligentiam vincat: nec immerito ita divina providentia, sapientiaque constituit, ut quod assequi præ rerum mole ratio nostra non poterat, id fides religioque conciperet: et naturæ mortalis imbecillitatem firma constansque fidei persuasio susciperet. Pentecosten hodie agimus, et sancti Spiritus in terras adventum, et divini constantiam fidemque promissi, ac mysterium maximum more institutoque majorum hodie veneramus ac colimus. De quo quidem mysterio tam abdito et recondito, ut nostrorum animorum effugiat aciem et in tam frequenti ac erudita concione, qualem hic hodierna die conspicio, mihi verba facturo, idem ille sacer Spiritus, qui et oratorum solvit et linguas infantium disertas reddit, pectori animoque meo illapsus eam ad dicendum facultatem et copiam tribuat, qua ipsius incomprehensam, inexplicabilemque naturam, deinde gloriosum adventum, singularia munera, incredibilem vim poten-

tiam, majestatem, non dico pro dignitate demonstrare (id enim ne cœlestibus quidem æternisque illis mentibus licet) sed quoad et mortalis ingenii tenuitas et definiti temporis brevitatis patitur, aliquo modo quasi valeam attingere. Postremo docere quibus potissimum rationibus tam dignum sanctumque hospitem accipere et nobiscum retinere possumus.

Quid igitur Spiritus sanctus, nisi admirabilis et indissolubilis quidam Patris ac Filii nexus, inexplicabilisque communio? Cum enim tam Pater, quam Filius Spiritus sit et sanctus, ut ex nomine, quod utrique convenit, utriusque communio significetur, amborum donum Spiritus sanctus aptissime nominatur: et quod communiter vocantur et singuli, hoc proprie appellari oportuit eum, qui non alter est eorum sed in quo utriusque communitas reperitur. Itaque nec Patris est solius nec Filii, sed amborum, ut communem, quo sese mutuo amant, amorem et charitatem ostendat. Atque hic admirabilis in illa beatissima Trinitate complexus non genitus, sed genitoris, genitique suavitas, totam hanc rerum universitatem a se productam ingenti munificentia et bonitate perfundens, atque conservans Patri et Filio, ex quibus tamquam ex uno principio et unica spiratione procedit *δμοούσιος*, et æqualis vita natura vivens, et viventium origo ac parens, Deus ex Deo, et homines deos efficiens, vis præpotens et infirmorum robur ac firmitas semper proficiens, complens omnia, tempore, specie, atque habitu carens, libere agens, solutus ac liber, segregatus ab omni materia et concretionem mortali: Spiritus sanctus, non spiritus ventorum, non angelicus, non corporeus, non aereus, sed Spiritus opifex, Spiritus Deus, Spiritus tertia sempiternæ Trinitatis hypostasis, constanti fide et integra religione a nobis creditur, asseritur, colitur, adoratur.

Jam vero ut ad missionem ipsam Spiritus Paracleti, qui magis ad celebritatem hodiernam pertinet, veniamus, res est ejusmodi, quam modo auspicamur, ut non minus attentionem vestram, quam nostram diligentiam requirat. Duo siquidem nobis in hac missione consideranda sunt: unde videlicet et quo Spiritus sanctus mittatur. Omne enim, quod mittitur, ab aliquo et ad aliquem mittitur, ac Spiritus sanctus a Patre quidem et Filio missus est. Sic enim legimus: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, quem mittet Pater*

in nomine meo. Et rursum: Si non abiero Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Itaque Dominus utrumque disertis verbis affirmavit. Et Pater, inquit, mittet, et ego mittam.

Verum non facile est explicare, quomodo una divina persona ab alia mitti possit. Hinc enim potissimum, ut B. Augustinus libro altero de Trinitate refert, occasionem acceperunt Ariani blasphemias suas in Spiritum sanctum evomendi. Cum enim ex divinis voluminibus cognoscerent, Spiritum sanctum a Patre et Filio mitti, et rursum viderent, semper eum, qui mittitur, minorem atque inferiorem eo, qui mittit (servi enim a dominis et milites ab imperatoribus mitti solent) ad id insaniam prolapsi sunt, ut dicerent, Spiritum sanctum nec vere Deum, nec Patri et Filio æqualem; sed rem creatam, Patrisque ac Filii administram esse: quamquam primus, qui bellum tam nefarium contra Spiritum sanctum movit (si magno Basilio credimus) impie Eunomius fuerit, sed plena sunt volumina Prophetarum, pleni codices Evangeliorum, plena Apostolorum monumenta, plena scripta et lucubrationes sanctissimorum atque eruditissimorum testimoniis. Passim in divinis litteris Spiritus sancti majestas ac divinitas asseritur et prædicatur. Quid? Esse ubique, cujus est, nisi Dei? At Psalmographus ait: *Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* Omnia replere, cujus est, nisi Dei? At Sapiens ait: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omnia cognoscere, cujus est, nisi Dei? At Apostolus ait: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Operari omnia, et divina charismata elargiri, cujus est, nisi Dei? At idem Apostolus ait: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Creare et cœlos ipsos stabilire, cujus est, nisi Dei? At regius Propheta ait: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Et rursus: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Habere templum, cui, quæso, convenit, nisi Deo? At de Spiritu sancto Apostolus ait: *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti? Glorificate ergo, inquit, et portate Deum in corpore vestro.* Atque hoc Augustini, aut si mavultis, beati Pauli argumentum est. Quis præterea ille est, qui per Prophetas loqui consuevit? Nonne Deus? Sic enim legis: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visita-*

vit, et fecit redemptionem plebis suæ: et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, quia sæculo sunt Prophetarum ejus. At ego, inquit magnus Athanasius, Apostolum Petrum audio dicentem Deum istum, qui per prophetas locutus est, Spiritum sanctum esse. *Non enim, inquit, humana voluntate allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Postremo, ut cum argumento invictissimo Basili Magni disputationi finem imponamus, nonne clarissimis atque apertissimis verbis princeps apostolorum Petrus Spiritum sanctum Deum esse docuit, cum in Actis apostolicis ait: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es, inquit, mentitus hominibus, sed Deo.* Quid clarius? quid apertius? quid evidentius? Cum, inquit, mentitus sis Spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo. Habemus igitur mitti quidem Spiritum sanctum a Patre et Filio: sed non propterea minorem aut alterius naturæ a Patre et Filio.

At numquid non illud est verum inferiores et minores a superioribus et majoribus mitti? Duobus modis, auditores, alicui convenit mittere, imperando et producendo. Nam et milites mitti ad bellum ab imperatoribus dicimus: et rursum flores et fructus ab arboribus, et radios ac splendorem a rebus per lucidis emitti affirmamus. Ac illa quidem prior missio; quæ nascitur ab imperio, mittentem superiorem et missum inferiorem requirit. Sed ea in Deo locum habere non potest, ubi non solum est æqualis, sed una atque eadem trium personarum natura, potentia, sapientia, bonitas atque majestas. Missio vero posterior, quæ non imperio, sed productione continetur, mittentem et missum omnino æquales postulat. Nec enim flores vilioris naturæ, quam ipsæ arbores sunt. Et hæc est missio, quam divinis personis, Filio videlicet et Spiritui sancto, ut ex divinis litteris didicimus, attribuimus. Hinc enim Dominus quodam loco ait: *Ego ex Deo processi, et veni: non enim a meipso veni, sed ille me misit.* Quid est, *A me ipso non veni, sed ille me misit?* id est, quod paulo ante dicebat, *Ego ex Deo processi,* hoc est, non a me esse, et naturam habeo, sed ex Patre quasi germen ex planta, et tanquam ex luce splendor natus sum.

Verum illud, auditores, prætermittendum non est, Deum sicut tribus modis producit,

ita etiam tribus modis ac rationibus mittere: id quod ignoratum Macedonianis gravissime errandi et hæresim perniciosissimam condendi occasionem dedit. Ac ut rem totam sub aspectum subjiciamus, Macedoniani putabant duobus modis dumtaxat a Deo aliquid produci posse, creatione videlicet et generatione. Ac Angelos quidem et res creatas creatione: solum autem Verbum generatione productum esse. Ac proinde Deum Verbi quidem patrem, rerum autem cæterarum opificem et creatorem dici debere: ex quo etiam illud asserebant, Verbum, eo quod vere Filius ac vere germen esset Patris omnino *δμοούσιον* et æquales esse Patri, in quo ab Arianis ad Catholicos deficiebant: res vero cæteras, quod non genitæ ex Deo, sed ex nihilo effectæ ac procreatæ essent, alterius penitus naturæ atque substantiæ, et longe Deo inferiores existere. Verum qui de Verbo Dei, et rebus creatis recte sentiebant ac loquebantur, de Spiritu sancto tamen omnino impia ac blasphema proferebant. Cum enim jam sibi persuasissent, id, quod non gignitur, neque est a se, omnino creari: et rursum intelligerent, Spiritum sanctum non gigni a Patre, neque Filium in sacris litteris appellari (est enim vere Dei Verbum unigenitum, neque plures Filios, quam unum Deus habere potuit) dualitatem pro trinitate impie ac nefarie excogitaverunt, et Spiritum sanctum a Patre et Filio separantes, eum in serie rerum creatarum collocaverunt: inde videlicet semi-Ariani, ac Spiritus sancti hostes, optimo jure appellati sunt. At vero Christi sponsa ac mater nostra Ecclesia Catholica, quæ et sponsi secretorum conscia est, et filios suos in tantis rebus errare non patitur, sicut non dualitatem, sed trinitatem in Deo agnoscit; sic etiam non duobus, sed tribus modis eum operari, ac producere confitetur, nempe generatione, spiratione, creatione. Generatione Filium, spiratione Spiritum, creatione res cæteras. Nec enim minus est efficax ac fœcundus amor in Deo, quam cognitio: quamquam id intelligere Macedoniani non potuerunt. Quare sicut intelligendo, ac seipsum quasi speculum quoddam intuendo, Deus Pater, imaginem sui ipsius, nempe Verbum, gignit, sic etiam infinito amore se Pater ac Filius diligendo Spiritum sanctum, non duabus sed unica spiratione producunt. Et quemadmodum Pater, cum Filium generat, non aliam quam suam ipsius naturam et potentiam et sapien-

tiam et bonitatem cum eo communicat: sic etiam Pater et Filius, cum flammam illam divini amoris spirant non aliam, quam suam ipsorum naturam, potentiam, sapientiam, bonitatem cum Spiritu sancto communicant. Spiritus igitur sanctus a Patre et Filio, non creatione ut angeli; neque generatione, ut Verbum; sed spiratione procedit: ac proinde mittitur non tamquam servus a domino, sed tamquam spiritus ab eo, cujus est spiritus: quæ missio non imperium sed productionem designat.

Itaque paucis multa complectar, Deus Pater a nemine mitti potest ac in sacris litteris venisse reperitur, missus fuisse (ut D. Augustinus libro altero de Trinitate monet) non reperitur: quia neminem habet, a quo procedat. Filius a solo Patre mitti potest, quia a solo Patre procedit: Spiritus sanctus a Patre et Filio: quia a Patre Filioque procedit. Angeli vero tamquam servi a Patre, et Filio et Spiritu sancto mittuntur: quia a Patre et Filio et Spiritu sancto non generatione aut spiratione, sed affectione et creatione procedunt. Hactenus igitur unde Spiritus sanctus mittatur vidimus: nunc quonam mittatur breviter videamus. Hæc enim duo in missione Spiritus sancti explicanda proposuimus.

Quonam igitur missus Spiritus sanctus est? Divinæ personæ, auditores, ut brevi oratione rem totam absolvam, ad ea loca mitti aut venire dicuntur in quibus aliqua nova ratione et modo esse aut habitare incipiunt. Deus enim cum semper ubique sit præsens, et cælum et terram præsentia sua ac maiestate compleat, nullo modo potest ad aliquem locum venire vel mitti in quo antequam venire, vel mitti diceretur, non esset. Ad eum igitur locum venit, vel mitti potest Deus, in quo est quidem sed non eo modo est, quo cum venerit vel missus fuerit, erit. Ad exempla veniamus. Dei Filius una cum Patre et Spiritu sancto semper in orbe terrarum fuit: *In mundo erat*, ait Evangelista Joannes, *et mundus eum non cognovit*. At Dei Filius certo quodam modo, nempe carne humana vestitus, non semper fuit in mundo. Quare tunc missus est, tunc *In propria venit*, tunc exivit a Patre, et venit in mundum, cum *Verbum caro factum est*, visum in terris, et cum hominibus conversatum est. Hinc videlicet Apostolus Paulus cum ad Galatas scribens, ac de Filii Dei adventu verba faciens dixisset: *At ubi venit plenitudo temporis*

misit Deus Filium suum, continuo subiecit et ait: *Factum ex muliere, factum sub lege*: ut intelligeremus, fieri ex muliere esse mitti. Idque B. Augustinus libro altero de Trinitate sapienter admonuit. Ad eundem igitur modum nihil est aliud Spiritum sanctum mitti ad homines, quam in eis nova ratione et modo inhabitare, atque esse incipere.

Quænam est ista nova ratio, iste novus modus? Non unus aut simplex; sed varius ac multiplex modus est. Tot enim modis Spiritus sanctus hominibus inspiratur, quod ipsius Spiritus sancti virtutes ac dona enumerantur. Erat aliquis Ethnicus vel Hæreticus, convertitur ad veram fidem ad eum Spiritus sanctus missus est. Antea siquidem non in eo habitabat Spiritus sanctus per fidem et charitatem nunc habitat in eo per fidem et charitatem. Erat aliquis in Ecclesia fide integra, sed corruptis moribus, fide Catholicus, sed moribus Ethnicus, avarus, impurus, superbus; convertitur ad Deum, pœnitentiæ sacramento purgatur, ad eum Spiritus sanctus est missus. Antea siquidem non habitabat Spiritus sanctus in eo per gratiam, per castitatem, per humilitatem: nunc in eo istis omnibus modis incipit habitare. Quocirca virtutes istæ nos tam virtutes, quam Spiritus in sacris litteris appellantur. *Requiescet*, inquit Isaias, *super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini*. Et Apostolus Paulus: *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt idem autem spiritus*, hoc est: Non omnes eandem gratiam habent, sed alius gratiam sanitarum, alius donum linguarum, alius donum fidei, alius donum sapientiæ: omnes tamen eundem spiritum inhabitantem habent qui et eorum donorum est auctor et per ea dona in singulis operatur. Ecce igitur quid sit missio Spiritus sancti.

Sed Hæreticorum imperitiam vel improbitatem potius considerate. Nihil eorum, quæ diximus, eos movet: vel enim ea loca Scripturarum, quæ nos adduximus, non legerunt, vel si legerunt non intellexerunt. Sed quo quædam testimonia (ut ex magno Athanasio, magnoque Basilio, nec non ex B. Ambrosio cognosci potest) invenerunt, in quorum altero varie exultarent, in altero trepidarent. Ac pro se quidem illud ex Amos Propheta afferebant: *Ecce ego formans tonitruum, et creans spiritum*. Quid apertius, inquit? An non hic clarissimis verbis cre-

ari Spiritus sanctus dictus est? sed quid, obsecro, virium hoc argumentum habet? Quis nescit spiritum in Scripturis modo flatum ventorum, modo animam, modo mentem, atque intelligentiam dici? Quod vero Amos Propheta non de Spiritu sancto; sed de spiritu ventorum loquatur, vel ex præcedentibus verbis intelligi potest: *Ego, inquit, formans tonitruum et creans spiritum.* Quid habet commune Spiritus sancti productio cum formatione tonitruum? Nonne credibilis est multo, post tonitruum creationem de ventorum creatione Prophetam esse locutum? Itaque Hebræi codices non spiritum, sed ventum in illo ipso loco habent.

Audite vero quid contra se in sanctis litteris invenerunt, cum evangelium B. Joannis Ariani quidam legerunt, et ad eum locum pervenissent, ubi Dominus ait: *Spiritus est Deus, et eos qui eum adorant, in spiritu et veritate oportet adorare.* Quid hoc est, inquit: *Spiritus est Deus?* Ergone tam aperte Evangelista scripsit: *Spiritus est Deus?* Potuitne hoc apertius dicere? *Spiritus, inquit, est Deus.* Et tamen nos dicimus: *Spiritus non est Deus.* Quid agemus? quo nos vertemus? Quid consilii capiemus? adfuit continuo spiritus mendax, et eis pro tempore utilissimum, ut putabant, contra Spiritum veritatis consilium inspiravit. Itaque aiunt, locus iste explicari non potest: sed numquid deleri aut abradi pon potest? Certe potest, atque in momento, (ut B. Ambrosius lib. III. de Spiritu sancto auctor est) tria illa verba, *Spiritus est Deus,* non amplius in codicibus Arianorum apparuerunt. Ita argumenta refellere Hæretici didicerunt. Verum plus eis illa litura, quam littera illa nocuit. Antea siquidem dicere potuissent, non tam verbis illis affirmari Spiritum sanctum esse Deum quam Deum Patrem non corpus sed spiritum esse. At vero nunc sibi ipsis omnem defensionis viam atque aditum præcluserunt. Vel enim de Patre ea verba dicta esse volunt, vel de Spiritu: Si de Patre cur ea sustulerunt? Num etiam hoc dicere adebunt Deum Patrem corpus non spiritum esse? Si vero de Spiritu, ergo Spiritum sanctum ab ipso Domino Deum esse appellatum, sua illa litura confitentur. Intelligitisne quantus sit furor, quanta rabies hæreticorum? Stomachantur cum Christo quod aliud loquatur, quam ipsi vellent: malentque textum Evangelii, quam suas perversas opiniones mutare. Sic etiam hodie indignantur B. Jacobo Lutherani, quod

tam aperte fidem sine operibus mortuam esse pronuntiet: nec minus offenduntur, quod in libris Macchabæorum suffragia et oblationes pro defunctis laudari intelligunt. Irascuntur Domino Zwingliani et Calvinistæ, quod cum ipsi dicunt, Eucharistia non est corpus Domini, Dominus tam aperte dicat: *Hoc est corpus meum.* Et si possent, quam libenter putatis illum locum delerent vel depravarent, vel suum illud (*significat*) pro nostro (*est*) in Evangelium intruderent, quandoquidem eorum stultissimus quidam Carolstadius dicere ausus est cœnam dominicam illis verbis constare; *Accipite et manducate.* Quod vero sequitur: *Hoc est corpus meum,* ad propositum non facere. O linguam præcidendam.

Date mihi veniam, auditores, ut quia huc oratio mea devoluta est, adhuc pauca quædam de hoc eodem argumento dicam, ut intelligatis non solos Arianos Scripturarum loca depravare consuevisse sed commune facinus hostium Christi, Judæorum et Hæreticorum esse, ut hinc Hæreticos a Catholicis internoscere facile possitis. Nonne sanctus Justianus fortissimus et clarissimus martyr in dialogo, quem habuit cum Tryphone, ipsa luce clarius ostendit: Hebræos non unam, sed multas sententias ex veteri instrumento sustulisse, ne convenire cum Evangelio viderentur? Nonne beatissimus Martyr Irenæus lib. I, in Valentinum, capite vigesimo nono, Marcionem ostendit omnia loca ex Evangeliiis, et epistolis Apostolicis abrasisse, quæ contra suam hæresim faciebant? Nonne etiam Tertulianus lib. quinto in Marcionem, spongiam Marcionis irridet, quæ licet multa in divinis litteris delevisset, multa tamen adhuc imprudens reliquerat, unde Marcionis opinio refelli posset? Nonne magnus ille Dionysius Corinthius, ut est apud Eusebium lib. IV. historiarum Ecclesiasticarum: Quid mirum, inquit, si dominica verba sanctæ Scripturæ falsare conati sunt, qui vilia hæc quæ nos scripsimus, corruperunt? Nonne Cyrillus in utroque ad Successum epistola de Nestorianis conqueritur, quod epistolam magni Athanasii ad Epictetum scriptam ita corruperunt, aliis detractis, aliis suppositis, ut jam nihil aliud quam hæresim Nestorianam sonaret? Nonne etiam in sexta Synodo, Act. IX. ab ipsis Romanis pontificiis legatis plane convicti sunt Hæretici Monothelitæ, multa loca, vel sustulisse vel corrupisse in libris sanctorum Patrum, Athanasii, Ambrosii at-

que Chrysostomi? Sed inauditum facinus audite Apollinaristarum. Cum aliquando temporibus Damasi Papæ (ut Ruffinus in Apologia pro libris Origenis refert) Catholici cum Apollinaristis disputarent, nostrique hoc est Catholici, pro se libellum quemdam magni Anastasii protulissent, eum librum Hæretici sibi ad breve tempus concedi postulaverunt: tum ex eo primum, quod pro ipsis non faciebat, deleverunt: deinde illud ipsum pessimo calidissimoque excogitato consilio rescripserunt, ut vera illa catholicaque sententia, non ab Athanasio posita: sed a nostris supposita, et liber corruptus non ab hæreticis sed Catholicis videretur. Quid, obsecro, magis impium, quid hac improbitate improbius? Quid hac vere satanica versutia callidius excogitari potest! O quale portentum! O quam horrendum monstrum est homo Hæreticus! O quam vere et sapienter magnus et apostolicus vir Polycarpus Marcioni occurrens ait: « Agnosco te primogenitum Sathanæ. » Quid de nostri temporis Hæreticis dicemus? Num meliores sunt, quam patres eorum? Num majorum suorum non expressam imaginem referunt! Quando de uno Lutero testantur ii, qui libros ejus diligentissime perlegerunt, in sola versione Testamenti novi amplius quam mille loca eum mutasse, præterquam quod integros libros de Scripturarum sanctorum Canone tot Conciliorum, tot Pontificum, tot Patrum, tanta totius Ecclesiæ consensione suscepto penitus rejecit. An non videtur vobis spongiam Marcionis mutuo accepisse? Neque una Evangelii versione vel potius eversione contentus fuit novus iste patriarcha Hæreticorum, sed sæpius cudit et recudit et semper aliud atque aliud Evangelium, ut verum esse probaret, quod alio quodam loco ait, nempe non esse tantum quatuor Evangelistas et quatuor Evangelia. Verum loquitur. Nam ipse plura quam septem brevi tempore edidit inter se maxime dissimilia Evangelia, et jam plenus est mundus Evangelistarum. Omitto de Calvinistis et recentioribus Hæreticis dicere. Nam nec ego finem ullum invenirem, et plerique vestrum de hisce rebus usque ad nauseam, vel per se legerunt vel ex aliis cognoverunt. Quæ cum ita sint, perspicuum est, id proprium esse Hæreticorum, ut non Scripturas divinas suæ fidei regulam, sed fidem suam Scripturarum divinarum regulam esse velint: nec tam ipsorum dogmata cum verbo Dei consentiant, quam ut verbum Dei cum ipsorum impiis

dogmatibus velit nolit consentiat, suis nefariis depravationibus, truncationibus et abractionibus faciant: tametsi nihil magis, quam purum et sincerum Dei verbum mendacissime et arrogantissime habere se jactent. Verum, ut B. Ambrosius ait: *Illorum stipendium est quod dum ipsi delent de Scripturis verba veritatis, delet eos veritas de libro summx et sempiternæ felicitatis.* Sed jam, si placeat, paulisper quiescamus.

PARS POSTERIOR.

Emersisse jam e vadis ac scopulos prætervecta oratio nostra videtur. Quocirca mihi per jucundus et perfacilis reliquus cursus ostenditur. Hactenus enim de ipsa missione Spiritus sancti in universum disseruimus: nunc ad ipsam hodiernam missionem veniendum est et ad quem modum hodie Spiritus sanctus ad Apostolos venerit; et quæ munera secum attulerit, paucis explicandum.

Quomodo igitur tandem Spiritus sanctus a Patre et Filio missus advenit? quibus signis se prodidit? qua specie se ostendit? Novo nimirum et inusitato more. Non enim in columna nubis vel ignis quemadmodum Hebræos olim cum Ægyptiæ servitutis jugo ereptos duce Moyse interdum noctuque proficiscentès deduceret: non in columbæ specie quæ super Christum, cum Jordanis aquis a Joanne perfusus ac delibutus esset, apparuit, ut divinæ gratiæ in eo omnem exuperantiam designaret non in levi flatu, sive oris Spiritu, sicut paulo ante cum eosdem Apostolos Dominus a mortuis excitatus afflaverat, iisque in hominum animas jus omne potestatemque permiserat: non denique mortali aliquo aut psallente, sicut ad Elisæum vatem aut concionante, quemadmodum ad Cornelium Centurionem: neque in silentio, sicut ad Virginem Deiparam venit: sed cum in superiori parte domus Apostoli, ubi eos vel judicæ impietatis et crudelitatis furor ac rabies vel potius flagrans religionis ardor divinumque studium continebat, cuncti piis precationibus et supplicationibus toto pectore animoque incumberent, et promissum Numen efflagitarent ac expectarent. *Factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis: et replevit totam domum ubi erant sedentes et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum.*

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Nova et insolita species, sed quæ tacitam vim numinis indicet: neque minus emolumenti, quam admirationis afferat et stuporis. Etenim sonum adventu suo Spiritus sanctus edit, ut adversarios superbosque perterreat atque percellat: linguas præfert, ut ignaros doceat atque instituat: ignem imitatur, in quo splendor et calor invenitur ut obscuros illustret et frigidos calefaciat et accendat: terret potentia, erudit sapientia, amore inflammat, ut unus atque idem spiritus (quia una est cum Patre Filioque substantia) non modo quod ipsi, verum etiam quod illorum personis tribuitur, præ se ferat, et quatuor illa munera largiatur. Quatuor enim dona sunt, auditores, quibus Apostoli potissimum indigebant, quæque in eos benignitate Spiritus sancti hodie collata fuerunt, sapientia, charitas, donum linguarum, gratia miraculorum. Quid enim eximius ille splendor ignis, nisi lucem sapientiæ? Quid ille ejusdem ignis calor, nisi fervorem charitatis? Quid ipsæ linguæ nisi eloquentiam? Quid sonus vehemens, nisi tonitrua miraculorum per apostolos edendorum significabant?

At vero his omnibus donis et charismatibus ad suum munus recte obeundum indiguisse Apostolos quis ignorat? Hodie siquidem Apostoli præcones evangelii, et forma atque exemplar Christianorum oratorum constituebantur. Existat autem concionator aliquis, qui non fulgeat luce sapientiæ, quid obsecro efficiet? Nonne cæcus cæcis ducatum præstabit, et tam ipse, quam ii, a quibus auditur in foveam cadent? Existat deinde alius, qui luceat quidem, sed non ardeat, sapiens sed improbus, nonne quantum sapientia et verbis ædificabit, tantum vitio et moribus destruet? Ut illud omittam, quod qui spiritum ad fervorem non accepit nunquam se periculis exponet, nunquam vitia reprehendere audebit, nunquam auditores suos accendet. Ignis enim et fervor charitatis, non eruditio et sapientia accendit. Porro existat tertius, qui Spiritum sapientiæ et charitatis acceperit, sed lingua non valeat, neque oratione sensa animi sui exprimere possit, qui hæreat, balbutiat, tædium gignat, risum moveat, non illum gratam indicem voluptatis, qui leporem et gratiam dicentis consequitur; sed illum infaustum et ab oratoribus fugiendum, quem imperitia atque

infantia oratoris extorquet, quid obsecro, iste unquam persuadebit? Non igitur sine sapientia, charitate et dono orationis aliquis unquam absolutus concionator erit. Nam gratia miraculorum non omnibus, sed iis duntaxat necessaria est, qui novam aliquam legem aut religionem persuadere conantur. Quemadmodum enim litteræ pontificiæ et regiæ diligenter obsignantur, et certis quibusdam signis appensis muniuntur, et si obsignatæ non essent, fidem non facerent: sic etiam fidei et religionis prædicatio obsignatæ esse debet sigillo prodigiorum. *Illi autem, inquit B. Marcus, profecti ubique prædicaverunt, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* Quod si Germani, Bohemi, Angli, Galli intellexissent, nunquam novis illis prædicatoribus fidem adhibuissent. Nonne enim magna stultitia fuit, novas litteras tamquam a Deo recipere, quæ tamen consueto sigillo obsignatæ non essent? Præsertim cum adhuc exstarent veteres litteræ novis istis plane contrariæ, quas initio nascentis Ecclesiæ non nisi Dei sigillo diligenter perspecto receperant? Nam nos, auditores, signa et prodigia edere non debemus, quippe qui non fidem ac religionem novam prædicamus, sed in veteri fide ac religione homines continere studemus, neque litteras novas, sed veteres, et eas veteribus signis communitas vobis afferimus. Illorum esset miracula facere, qui nova et inaudita nostris auribus inferunt: quod tamen nec adhuc fecerunt, nec in omnem æternitatem facient. Nisi fortasse aliqua non vera, sed mendacia, et apparentia signa faciant, qualia futura Antichristi prodigia Apostolus docet. Nec enim sigillo suo litteras non suas Deus obsignare, aut testis falsitatis et mendaciorum esse potest. Sed a proposito non recedamus.

Hodie igitur chorus ille B. Apostolorum Spiritu sancto auctore, sapientia, charitate, nec non dono linguarum et gratia miraculorum ornatus fuit. Ac ut de singulis istis præclaris muneribus paucissimis verbis disseramus, intelligere vultis, auditores, quam hodie sapientiam apostoli a Spiritu sancto didicerunt? Earum rerum scientiam consecuti sunt ad quam mens humana suis ac propriis viribus pervenire non potest. *Confiteor tibi Pater (Dominus ait), quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Itaque Apostoli scientiam salutis, cognitionem Trinitatis, incarnationis, sacra-

mentorū, fidei, spei et charitatis, ac cæterorum perfectissimam habuerunt. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, ait Sapiens, *et ostendit illi regnum Dei*. Nam philosophos quidem Deus ad se deducebat, sed per vias quasdam obliquas ac longas: per ipsam videlicet rerum creaturarum cognitionem. Hinc nimirum Apostolus Paulus posteaquam de philosophis ait: *Quod notum est Dei manifestum est in illis, Deus enim in illis manifestavit*; et ne forte crederemus eos raptos fuisse in tertium cœlum et ibi audivisse arcana verba, continuo subiecit, et ait: *Invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur*. Itaque Doctores philosophorum cœli, et elementa fuerunt: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. At Apostolos ipse Spiritus veritatis per vias rectas et breves deduxit cum eis ipse per se, non per cognitionem rerum creaturarum innotuit.

Rerum vero naturalium, non omnino constat, an Apostoli periti fuerint, ac non fuisse multo credibilius est. Non enim ad eorum institutum illa sapientia faciebat. Nec enim a Spiritu sancto docebantur, ut in aliquo gymnasio physicam vel metaphysicam profiterentur. Quo igitur hæc eorum institutio pertinebat? Quo? *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum*. Apostoli dicebant; *Domine, nescimus, quo vadis: et quomodo possumus viam scire?* Hoc igitur Spiritus sanctus docuit, nempe finem et medium quo sit eundem et per quam viam sit eundem. Quocirca beatissimus doctor Augustinus, cum aliquando cum Felice quodam Manichæo disputaret, et a Felice audiret, propterea Manichæum Spiritum sanctum videri, quod docuerit omnem veritatem, ac multa de fabrica mundi, de diebus ac noctibus, de cursu solis et lunæ in suis voluminibus reliquerit, respondet: Spiritum sanctum longe alias veritates docuisse: *nam christianos, inquit, facere volebat, non mathematicos*. Vos Manichæi cum Spiritum sanctum expectabatis, aliquem doctorem mathematicum expectabatis, sed toto cœlo aberravistis. Nemini tamen dubium esse potest, si beatis Apostolis cum sapientibus mundi disputare necesse fuisset, quin eis Spiritus sanctus adfuisset et argumenta optima et responsiones verissimas subministrasset. Nam de B. Antonio, qui sapientia non humana, sed divina, et plane Apostolica præditus erat, magnus Athanasius scribit, ab eosum-

mos etiam Philosophos superatos et confutatos fuisse. Atque hæc quidem de sapientia.

Porro linguarum varietatem Apostoli a Spiritu sancto adepti sunt: sed non erant eæ linguæ politiores et ornatiores, quam aliorum hominum essent, græce loqui poterant, sed non copiosius quam Demosthenes: latine loqui poterant, sed non ornatius, quam Marcus Tullius. Media enim cum fine convenire debent. Qui erat, fidem ac legem Domini, non verborum apparatu, et copia, ac pondere et gravitate orationis; sed virtute spiritus, et signis ac prodigiis persuadere: ut ejus fidei ac legis homines quidem præcones et administri; Deus autem inspirator et doctor videretur. Itaque linguæ Apostolorum non politæ, sed ignitæ erant, ut jam in posterum homines ignei, linguis igneis, verba ignea et cœlestia loquerentur.

At quanto tempore divinam istam sapientiam et eloquentiam didicerunt? In momento, auditores. Admirabilis doctor Spiritus sanctus est; mox ut tetigerit mentem, docuit: solumque tetigisse docuisse est. Felix, qui ad ejus gymnasium potest admitti. Ac ut rem istam apposita similitudine illustremus, quantum inter scriptionem et impressionem interest, tantum mihi interesse videtur inter eum modum quo nos discimus et eum, ad quem Apostoli dederunt. Quid interest inter eos, qui calamo scribunt et eos, qui prelo in litteris imprimendis utuntur? Hoc interest, quod ii, qui manu et calamo scribunt, sensim procedunt, ac primum litteram unam, deinde aliam, syllabam unam, deinde aliam, dictionem unam, deinde aliam formant ac sæpe characteres inæquales, distorti, imperfecti, nec sine multis et magnis lituris fiunt. At hi, qui prelo utuntur, celerrime totum atque integrum folium characteribus replent, nec prius litteram unam, quam aliam; sed omnes simul in tabellam imprimunt, notasque perfectas, directas, æquales, sine maculis et lituris informant. Pari ratione, auditores, nos cum philosophiam, cum eloquentiam, cum theologiam discimus, non prelo utimur; sed quasi calamo quodam in animis nostris scribimus. Atque idcirco multis indigemus annis, hodie rem unam, cras alteram cognoscimus, et id non sine maculis et lituris. Nam cum una vera sententia multi errores falsæque opinioniones se miscent. At in mentibus Apostolorum Spiritus sanctus quasi prelo quodam usus, incorruptam sapientiam, et eloquen-

tiam in momento, sine ullis erroribus impressit. O admirabile! O plane divinum! O non imitabile magisterium S. Spiritus in puncto temporis doctores Theologos et summos oratores facit. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine. Vere lingua tua calamus scribæ velociter scribentis.*

Sed quid jam de gratia miraculorum et charitate dicemus? Acceperunt illi quidem signorum edendorum eximiam potestatem, ut magna, ut mirabilia, ut stupenda efficerent. Nonne beatissimus princeps Apostolorum Petrus, ut de aliis taceamus, Ananiam et Sapphiram unico verbo tamquam fulmine quodam percussos, prostravit ac sustulit? Nonne rursus Tabitham eadem facilitate ab inferis revocavit: Nonne ad solam umbram ipsius omnia morborum genera curabantur? Nihilominus tamen, auditores, non semper ea potestate uti pro suo arbitrio poterant. Sed tunc solum, cum eos Spiritus sanctus, ipsorum inhabitator, admonebat. Itaque apostolus Paulus cum sæpius virgis cæderetur, non ipse sua vulnera miraculo repente curabat: sed ea lavari et curari ab aliis sinebat. Cumque Timothæum suum gravi et diuturno laborare morbo non ignoraret, non ei dicebat, esto sanus, sed humana remedia cum adhibere volebat. *Noli, inquit, adhuc aquam bibere, utere modico vino propter stomachum et frequentes tuas infirmitates.*

At divina charitas illa est, auditores, quam hodie præ cæteris donis abundantissime Apostolica illa pectora receperunt. Et quidem charitatem filii erga patrem, sponsæ erga Spiritum sanctum, sponsi erga sapientiam increatam, patris ac matris erga omnes proximos Apostolica vox est: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et: si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: per Evangelium enim in Christo Jesu ego vos genui.* Ista præterea charitas ita corda eorum roboraverat, ita metum omnem expulerat, ut qui antea fores claudebant, jam ne ora quidem claudere dignarentur propter metum Judæorum. Nam sicut lateres, quia terrei et lutei sunt, antequam coquantur, et molles, teneri, infirmi, nullum impetum sustinere levissimoque ictu frangi possunt: at postquam in fornace ad ignem admoti, ac diligenter excocti fuerint, ita duri ac firmi efficiuntur, ut ad eos frangendos ferrei mallei necessarii sint: ad eundem modum Apostoli carni, hoc est, lutea et mollia corda

ante gerebant, ut ad unius verbi sonitum frangi possent, sed posteaquam Spiritus sanctus in eorum pectoribus vehementius spirans, maximum ignem divinæ charitatis accendit, ita corda eorum obduravit, ita confirmata ac roborata sunt, ut qui ante ad unius ancillæ vocem formidabant, nunc inter magistratum ac tyrannorum minas, sævitiamque imperterriti, robur animi ac magnitudinem suam declararent. Qui etiam dum in custodias dantur, dum in vincula conjiciuntur, dum catenis onerantur, dum virgis cæduntur, dum exquisitis tormentorum generibus excruciantur, tunc maxime gaudent, lætantur, exultant, quod digni divinitus habeantur, qui pro Christi nomine contumeliis et pœnis afficiantur, et qui antea cum perjurio Christum se nosse negabant, nunc pro eo in suppliciis gloriantur et hujus divini Spiritus igne succensi parum ducunt esse, quod Christi causa patiantur, et qui verbis nuper terrebantur, nunc tormentis et cruciatibus confirmantur atque corroborantur, et Christum Dominum non solum verbis, sed etiam moribus et mortibus confitentur et amoris magnitudine, contempta injuriarum multitudine et sanguinis profusione testantur.

Credere ergo, aut certe optare debeo, singulis, qui hic adsunt, datum esse Spiritum sapientiæ: Spiritum vero fervoris tributum nobis omnibus ita velim, auditores, ut maxime necessarium hoc potissimum tempore, esse non dubito. Multi sunt in hac urbe sapientes, multi eloquentes; sed haud scio, an itidem illo charitatis igne sint succensi. Certe signa Spiritus sancti non modo audistis; sed prope etiam oculis vestris, cum de Apostolis loqueremur, vidistis. *Charitas foras mittit timorem.* Ecce signum unum. Vera charitas in contumeliis et injuriis gloriatur, et semper parum judicat esse, quod patitur. Ecce alterum. Non addam plura, unusquisque in animum suum paulisper ingrediatur, et quasi manu quadam diligentis considerationis ignem istum exploret. Multi fortasse timent, ne comburantur, qui glaciem potius, quam ignem invenient. Vidistine fratrem tuum aliquando peccantem? Vidi. Eumne fraterna admonitione corripuisti? Non. Quamobrem? Ne illi displicerem, metuebam. *At perfecta charitas foras mittit timorem.* Quam sæpe ad pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta accedis? Semel aut iterum in anno. Et quam sæpe comedis. Ter aut quater in die. Et

animus tuus non comedet, nisi bis in anno? Quid si octavo quoquo die ad mensam Dominicam accederes? O, ne hypocrita dicar ab hominibus, pertimesco. Eia miser, *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Quam sæpe ad choreas, ad ludos, ad convivia, ubi ebrietates, et comes ebrietatis luxuria regnat, ubi quodammodo certo scis, te in Deum tuum graviter peccaturum: quoties, inquam, ad hæc invitatus non ivisti, et ejusmodi munera fortiter recusasti? Quod sciam, nunquam. Cur ita? Ne amicos meos offendam. Eia, cæce: ergo tu magis homines, quam Deum offendere reformidas? *At perfecta charitas foras mittit timorem*. Num ægros, inopes, afflictos invisere et consolari consuevisti? Non sane. Cur? Pudet me cum ejusmodi hominibus versari. *Perfecta charitas foras mittit timorem*.

Vera præterea charitas in contumeliis et injuriis gloriatur, omnemque crucem libenter perfert, quam Deus nobis imponit. Tu vexaris fortasse morbis, ille uxorem habet difficilem, iracundam, morosam: pro admonitione convitium, pro beneficio injuriam accipis: alii, vel uxor, vel liberi moriuntur, vel ipse in carcerem truditur: in exilium mittitur, opibus spoliatur: fertisne æquo animo? Agitis gratias Deo? Nihil minus. Ergo Spiritum ad fervorem, mihi credite, non accepistis. O quam rara est hæc avis in terris? Quam multos videmus hodie, qui crucem, quam sibi imponunt, libenter ferunt, eam vero crucem ferre non possunt quam eis Christus imponit. Jejunant, orant, vigilant, peregrinantur, eleemosynasque largiuntur, et tamen si Domini imperio atque voluntate morbo aliquo gravius afflicentur, ferre non possunt, conqueruntur, indignantur. Nonnulli etiam verberibus se ipsos cædunt, qui ne verbum quidem unum ab aliis ferre poterunt. Quid? Nonne hoc genus quoddam extremæ dementiæ est? Te ipsum judicem hujus rei constituo. Cum

ægrotas, pharnacumne sumis quantum tibi videtur, an quantum medico tuo videtur? Certe non quantum tibi, sed quantum medico tuo videtur. Tu enim etiamsi artem medendi didicisses, vel nimio salutis desiderio nimium pharmaci sumeres, vel nimio tui amore nimis parum acciperes. At medicus tuus pro sua prudentia ad ægritudinem tuam pharnacum accommodabit. Sic etiam in cruce pro animæ salute diligenda sæpius homines, vel nimia severitate vel nimia indulgentia peccant: Deus vero, qui intime nos et naturam nostram, et morbos nostros et vires nostras, hoc est, figmentum nostrum agnoscit, eam semper crucem nobis imponit, quæ humeris nostris convõnit: neque *Tentari* nos sinit *supra id quod* possumus: quin *etiam* facit *cum tentatione proventum*, ut possimus *sustinere*.

Quæ cum ita sint, auditores, tunc nos Spiritum sanctum accepisse monstrabimus, et eum nobis retinere poterimus, cum id omne libentissime perferemus, quod Deo, et patri et medico animorum nostrorum videbitur, Deus enim, quos diligit, corripit: *Castigat autem omnem filium, quem recipit*. Ac ut ille se patrem ostendit, cum corripit: ita nos filios esse, cum correptionem libenter suscipimus demonstramus. Atque id usque adeo verum est, auditores, Deum quos diligit corripere, et omnem filium, quem recipit, castigare, ut etiam filium illum naturalem atque unigenitum, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, castigare voluerit. Quia vero is carnem, in qua pati possit, non habebat, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Illud postremo numquam obliviscamur, auditores, quanto crucem graviorem et majorem propter Deum ferimus, tanto nos Deo gratiores et viciniore esse: viamque tanto latiore et commodiorem ad cælum; atque ad æternam felicitatem habere, ad quam nos perducatur, qui sine fine vivit et regnat. Amen.

CONCIO XXXVII.

DE DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN

QUÆ EST DOMINICA INFRA OCTAVAM

CORPORIS CHRISTI

DE VENERABILI SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

THEMA

Homo quidam fecit cœnam magnam. *Luc.* XIV, v. 16.

SYNOPSIS

*Prælibata SS. Eucharistiæ dignitate et præ-
minentia, eam vere esse cœnam magnam con-
tra Hæreticos nostri temporis, defenditur: et
veritas corporis Christi in eadem tribus potis-
simum argumentis astruitur. Quia illius insti-
tutio erat lex, erat testamentum, erat munus,
quæ singula non admittunt figuratam locu-
tionem. Eadem veritas SS. Patrum auctori-
tatibus in medium adductis, et firmis inde
rationibus erutis, demonstratur, ut Irenæi,
Hilarii, Cyrilli, Epiphani, Augustini. Quanto
præterea cultu veteres patres SS. Euchari-
stiam sint prosecuti, in perceptione, adoratione
invocatione, aspectu et sermone, ostenditur.
Tandem per brevem enumerationem priorum
argumento a minore ad majus veritas et
præstantia Eucharistiæ probatur.*

*Parte secunda detegitur astutia Hæreticorum,
testimonia Patrum, auctoritates novem Con-
ciliorum, et miraculorum experientiam, de
hac veritate SS. Eucharistiæ, evertere nitentium.
Argumenta deinde a sanctitate Patrum
Eucharistiam colentium afferuntur; et quo-*

*modo a miraculis argumentari liceat, osten-
ditur. Repræsentatur actio Eucharistica, qua-
si in judicio extremo agatur, quid nos, quid
Hæretici excusationis sint allaturi. Sumpta
occasione ex Evangelii textu, superbia, avari-
tia, curiositas et libido, potissimæ hæresium
causæ statuuntur: ubi etiam de avaris et am-
bitiosis jucunda canum venaticorum immisce-
tur similitudo. Insuper explicatur, quam
multos sensualitas præcipitet, quam multos
voluptas, et falsa libertas in hæresi detineat,
qui omnes olim a cœna Agni excludentur probe
illusi. Exponitur quoque, quinam sint illi
pauperes, cæci, debiles, claudi, cœna digni
habiti. Tandem ad frequentem Eucharisticæ
sumptionem, quæ vera ejus est veneratio, serio
invitamur.*

Multa, et varia sunt, auditores optimi, pri-
vilegia singularia, præclaraque ornamenta,
quibus Ecclesia Catholica, mater nostra, se
Dei munere condecoratam, et Judæorum
synagogæ quasi testimonio quodam claris-
simo atque illustrissimo antepositam merito
jureque optimo gloriatur. Sed nihil est, in
quo ita splendeant singulares honores Eccle-
siæ.

siæ, ut illud augustissimum et vere maximum corporis et sanguinis Domini Sacramentum. Quid enim habent omnia Sacramenta, omnes ceremoniæ, omnia sacrificia Judæorum, si cum hoc uno Christianorum et Sacramento simul et sacrificio comparentur; quid oves et boves, quid arietes et tauri sunt, si cum ipsa divini Verbi carne integerrima et sanctissima conferantur? Quis non videt, quantum intersit inter manna veteris synagogæ, et hunc cœlestem cibum Ecclesiæ? Inter aquam de petra fluentem et illum gloriosum sanguinem de Christi latere promanantem? Neque vero solum antiquæ legis ritibus et ceremoniis: sed etiam omnibus Evangelicis Sacramentis et dignitatis pondere et utilitatis ubertate, hoc unum, de quo loquimur, Sacramentum divinissimum antecellit. Id enim, quod est illis beatis, ac prope divinis mentibus ordo seraphicus, in globis cœlestibus cœlum empyreum, in stellis ac sideribus sol, ignis in elementis, homo in animantibus, pinus in arboribus, aurum in metallis, in virtutibus charitas, et in artibus et disciplinis theologia, id est in Ecclesiasticis Sacramentis, et omnibus privilegiis ac prærogativis Ecclesiæ summum ac divinissimum Eucharistiæ Sacramentum. Quocirca mater Ecclesia tantis ac tam singularibus cumulata, et honestata muneribus, merito et ipsa lætatur, et filios suos ad spiritualem animorum lætitiã, hisce potissimum diebus hujus tanti Sacramenti institutioni consecratis, accendit.

Unum est, quod communem istam lætitiã vehementer impedire et bonis omnibus non mediocrem mœrorem ac tristitiã afferre videtur, furor videlicet insanus atque effrenata rabies hæreticorum, qui ore nefario ac sacrilego Domini corpus Eucharistiæ Sacramento non contineri, sed dumtaxat significari contendunt.

Verum eis mater nostra Ecclesia Catholica Evangelium hodiernum sapienter opponit, et ad eorum phrenesim curandam, quasi medicamentum quoddam plenissimum adfert: *Homo quidam*, inquit, *fecit cœnam magnam, et vocavit multos*. Etenim quid aliud cœna ista magna, quam corporis et sanguinis Domini Sacramentum designat? Nam si ciborum abundantiam, et copiam quæris, ita magna est, ut cum toto orbe terrarum eadem celebretur, et jam tot sæculis tot hominum millia satiaverit, adhuc tamen mensæ plenissimæ ac refertissimæ sint. Si verum

ciborum eorundem nobilitatem atque excellentiam spectes, dapes sunt Angelorum, omnem saporis suavitatem omneque delectamentum in se habentes. Sed exorti sunt infaustis auspiciis quidam filii tenebrarum qui cœnæ hujus magnitudinem extenuare et splendorem obscurare totis viribus suis conantur. Et quid tandem illi aiunt? Quomodo, inquit, frustum panis cœnam magnam appellatis? Certe si ab aliquo ad cœnam invitemini, et nihil ab eo, nisi modicum panis accipiatis, eam non modo non cœnam magnam, sed nec cœnam quidem nominandam censebitis. Sic isti tamquam vere phrenetici contra medicum suum insaniunt: et quasi venenum quoddam pestiferum, saluberrimum medicamentum evomunt. Non vacat mihi, auditores, hoc tempore argumentum hoc accurate tractare, nostra tueri, aliena refellere, ac demum pro dignitate de tam sublimi mysterio disputare, dabitur alias fortasse melior opportunitas. Nunc vero cum longiorem orationem temporis angustia minime patientur, hoc ero contentus uno, si paucis, sed apertis et invictis rationibus ostendere potuero, Eucharistiæ Sacramentum optimo jure cœnam magnam ab Ecclesia nominari.

Primum igitur habemus sententiã illam expressi verbi Dei apud Matthæum, Marcum et Lucam: *Accipite et manducate: Hoc est corpus meum*. Cur vero non pudet expressi verbi Dei prædicatores ab expresso verbo Dei ad nescio quas metaphoras et metonymas descendere? Perpendite, quæso vos, auditores, vim hujus rationis. Certe leges ac decreta perspicue, proprie, simpliciter, non figurate, non obscure non perplexe efferri debent. Alioquin enim nemo esset, quem non ignorantia excusaret, omnes enim, qui contra legem facerent, dicere possent: Verba legis non intelligebam: aperte loquatur legislator, si legem suam violari non vult. Jam vero quis unquam Christianus dubitavit, cum Dominus Sacramentum instituit, simul etiam præcepisse, legemque tulisse, ut idem Sacramentum in Ecclesia Sacerdotibus conficeretur? *Hoc facite*, ait, *in meam commemorationem*. Cum igitur hæc Domini verba legem contineant, obscura profecto ac figurata esse non debent, nisi Dominum omnium legislatorum insipientissimum facere velimus, quod non solum dicere, sed vel cogitare blasphemum ac sacrilegum est. Deinde, Testamenta nonne etiam propriis

ac usitatis vocabulis constare debent? Nisi enim, vel qui Testamentum facit, insanus est, vel inter filios suos discordias ac seditiones exoriri post obitum suum desiderat, semper qui testatur apertissimis et maxime propriis verbis loqui consuevit: metaphoræ, ac metonymiæ in testamentis locum habere non possunt. Cum testator ait, domum meam Joanni filio meo relinquo, quis unquam intelliget non veram, sed pictam domum Testamento esse relictam? Quare cum hujus Sacramenti institutio non solum lex quædam, sed etiam Testamentum Domini fuerit, ut ipse ait: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: certe nullo modo figurata oratione pronuncianda erat. Nec enim Dominus, aut insanus erat, aut in Ecclesia sua dissensiones ac tumultus esse volebat: quin potius ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Et rursum: *Habete sal in vobis et pacem habete inter vos*.

Præterea quæro a vobis, auditores, si princeps aliquis centum coronatos aureos alicui vestrum se daturum polliceretur, ac deinde in pulchra tabella eos depictos mitteret, quid vobis de ista liberalitate videretur? Etsi forte qui pictos aureos pro veris accepit, de principe suo conqueretur, eique princeps diceret: Non mireris: nam coronati, quos accepisti per quamdam metonymiam veri coronati dici possunt. Quis non eum, qui munus accepit, et re et verbis ab eo principe derideri existimaret? Ad eundem modum carnem suam in cibum se daturum Christum pollicitus: *Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Quæro igitur, cum Sacramentum instituit, quidnam dedit? Panem an carnem? Dices fortasse: Dedit quidem panem, sed qui per figuram quamdam caro dici potest. Præclarum vero munus. Ergo Dominus nos deridere ac decipere voluit, cum tamen sicut ipse decipi non potest, quia sapientia est, ita nec decipere possit, quia veritas, justitia et bonitas est? Dedit igitur, quod promisit: nec frustum panis, sed cœnam vere magnam et epulis exquisitissimis instructam nobis exhibuit.

Ad alterum argumentum veniamus. Quia vero hostes Christi ita vetustate delectantur, ut nullius auctoritatem admittant, qui ante mille annos non floruerit, ab illis vetustissimis patribus unum argumentum vel alterum petemus. Omitto enim singulorum testimonium percensere. Ea enim quamquam apertissima sint, tamen miris modis in varios

sensus ab Hæreticis torqueri solent. Afferam igitur argumenta quædam, quæ torqueri in alium sensum nullo modo possunt.

Initio igitur usque adeo primis illis temporibus tam apud catholicos, quam apud hæreticos compertum atque exploratum erat, verum ac naturale Domini corpus in Eucharistia contineri, ut nonnulli ex optimis et sanctissimis Patribus hoc uno catholico dogmate, tamquam certo quodam principio, vel ad aliqua dogmata illustranda vel ad varias hæreses refellendas uterentur. Quod dum vobis expono, quæso, diligenter, ut facere soletis, attendite.

Scriptor vetustissimus martyrque beatissimus Irenæus cap. 4. lib. iv. in Valentinum, demonstraturus Christum illius Dei Filium esse, qui mundum condidisset, atque adeo ipsum Christum, tamquam Verbum Patris, mundi opificem atque architectum fuisse, quod Valentinus aperte negavit, hoc argumento usus est. Si Christus rerum auctor ac parens non est, certe eas commutare ac vertere in alias naturas non potest: Valentiniani autem fatentur panem in carnem a Christo converti: quomodo igitur negant eum mundi conditorem fuisse? Verba vero ejus hæc sunt: « Quomodo autem, inquit, constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, dat primum quidem fœnum, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? » Percipiant vim argumenti, et tum respondeant Calvinistæ, si possunt. Nam si Eucharistia nihil aliud, quam panis esset, nec ulla fieret vi consecrationis transmutatio, nullas omnino vires B. Irenæi argumentum haberet. Quid quod ex eodem principio in eodem capite alteram Valentini hæresim expugnat? Summa rationis hujus est: Ideo corpora nostra gloriosæ immortalitatis capacia esse, quia cum glorioso et immortali Christi corpore conjunguntur. Id quod B. Cyrillus libro decimo in Joannem paulo apertius is verbis asseruit: Non poterat, inquit, aliter corruptibilis hæc natura « ad incorruptam vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus cum ea conjungeretur. » Ponamus jam, auditores, nihil aliud esse Eucharistiam, quam panem, quid omnes istæ rationes efficiunt? Plane nihil. Panis enim non minus corruptibilis est, quam corpora nostra sunt. Illustrat vero

rem totam sanctus Irenæus elegantissima similitudine, « Quemadmodum, inquit, panis post consecrationem Eucharistia est, constans duabus rebus, terrena et cœlesti. » (Nam accidentia panis terrena et corruptibilia sunt ; Christi corpus cœleste est et immortale) « Sic etiam corpora nostra, præcepta Eucharistia, quia unum cum Christo corpus efficiuntur, partim terrena, partim cœlestia sunt : et re quidem corruptibilia, spe autem incorruptibilia. »

Jam vero B. Hilarius libro octavo de Trinitate, et beatus Cyrillus in Joannem decimo, et undecimo cum adversus hæresim Ariatorum demonstrare vellent, Deum Patrem et Deum Filium non sola consensione voluptatum (ut Ariani dicebant), sed naturali conjunctione, ac nexu copulari, ab Eucharistia argumentum accipiunt. Ac beatus Hilarius quidem ita loquitur : « Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo : utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est? Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget potius naturaliter, vel se in Christo vel Christum sibi inesse. » Ac ne forte aliquis Berengarius non naturaliter, nec vere nec corporaliter Christum nobis per Eucharistiæ sumptionem conjungi diceret, addidit beatissimus doctor, et ait : « De naturali enim in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait : Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est et vere sanguis est, et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne, inquit, hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. » Hæc Hilarius. Beatus vero Cyrillus his verbis illud ipsum demonstrare contendit : « Non negamus, inquit, recta nos fide charitateque sincera Christo spiritualiter conjungi : sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis Scripturis om-

nino alienum dicimus. Ac fortasse putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cum enim membra fidelium membra Christi sunt? Membra igitur Christi faciam membra meretricis? » Quoniam, inquit B. Hilarius et Cyrillus, Christi corpus naturaliter et vere cum corpore nostro conjungitur, et nos unum cum Christo non conversione, sed conjunctione naturarum efficimur, quis dicere audebit, Deum Patrem et Deum Filium non naturaliter, sed sola voluntatum concordia unum esse? Et quid, obsecro, auditores, hæ rationes valerent, si aliquid sententia adversariorum valeret.

Porro D. Epiphanius in eo libro, quem Ancoratum inscripsit, de imagine Dei, quæ est in homine, verba faciens atque ostendere volens, vere in nobis esse imaginem Dei, tametsi nulla ex parte Deo similes esse videamur, ab Eucharistia argumentum sumit. Credimus enim constanti atque integra fide, verum Christi corpus in Eucharistia contineri : et tamen nulla esse similitudo videtur inter Christum et eam formam, quam in altari corporeis oculis cernimus : verba vero ejus hæc sunt : « Et quot sunt, inquit, quæ similia sunt? Videmus enim, quod Salvator accepit in manus suas veluti Evangelista habet, qui surrexit a cœna et accepit hæc (nimirum panem) et cum gratias egisset, dixit : Hoc corpus meum est, hoc, et hoc. Et videmus, quod non æquale est neque simile, non imagini in carne, non invisibili deitati, non lineamentis membrorum : hoc enim, nempe quod extrinsecus in Sacramento videmus, est rotundæ figuræ, et insensibile, quantum ad potentiam, et voluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc, et hoc, et nemo non fidem habet sermoni, » præter Zwinglianos videlicet et Calvinistas ! Sed audiant ipsi quod sequitur : « Qui enim, inquit, non credit esse ipsum verum, sicut dixit is, excidit a gratia et salute. » Quantam integritatem, quantam sinceritatem spirant hæc verba vere sancti et admirabilis Patris?

Sed postremo loco argumentum etiam unum aut alterum petamus a beatissimo et eruditissimo pontifice August. Is enim c. 10 lib. III. de Trinitate, explicaturus ad quem modum Angeli in quibusdam corporeis formis appareant, licet nos, quemadmodum eæ formæ ab Angelis fiant, ignoremus : « Illas

etiam nubes, inquit, vel ignes quomodo fecerunt vel assumpserunt Angeli? Quis novit hominum? Sicut infantes non noverunt, quod in altari ponitur et peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur unde in usum religionis assumatur: et si nunquam discant, experimento vel suo vel aliorum, et numquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes sacramentorum, cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cujus corpus et sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium; et de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse.» Perpendite, quaeso, similitudinem istam. Licet, inquit, ignoremus, ad quem modum nubes illae vel ignes fiant, in quibus angeli hominibus apparere soliti sunt, illud tamen comperto habemus, vere angelos in formis illis apparuisse: sicut illi qui nunquam didicerunt experimento suo vel aliorum, quid illud sit, quod ponitur in altari: et tamen firmissime credunt in illa specie vere esse Dominum, qui oculis apparuit mortalium, et de latere ejus percusso illum omnino fluxisse liquorem. Cur enim id non crederent, cum auctoritate gravissima sanctarum Scripturarum admoneantur? Quamobrem, auditores, omnino perspicuum esse arbitror, apud veteres Patres, ad quos tamen haeretici nostri temporis appellare nequaquam verentur, usque adeo firmum ac ratum catholicorum dogma de Eucharistiae sacramento fuisse, ut ex eo res dubias explicare, obscuras illustrare, errores refellere, veritatem statuere atque asserere minime dubitarent.

Sed quid de veneratione et cultu, quo tantum Sacramentum primi illi patres prosequerentur dicemus? Equidem, auditores, ego sic statuo, neminem prorsus de fide illorum sanctissimorum Patrum dubitare posse, qui diligenter considerare voluerit quo honore illi hoc Sacramentum colerent. Primum enim non nisi jejuni illud percipere audebant. « Placuit (inquit B. Augustinus ad Januarium) Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret quam exteri cibi. » Id quod etiam Tertullianus libro secundo ad uxorem affirmat. Deinde summa diligentia providebant, ne aliquid Eucharistiae in terram caderet. Origenes enim homilia 13 in Exodum ait: « Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum susci-

pitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. » Ut omittam illud, quod olim in aureis pretiosis vasculis panem istud coelestem recondebant, ut ex sexta synodo cognosci potest. Hinc videlicet B. Victor Uticensis libro primo Wandalicæ persecutionis, tamquam immane facinus Arianorum refert, quod illi Eucharistiam a Catholicis consecratam in terram abjecerunt, pollutisque pedibus calcaverunt. Beatus vero Optatus Milevitanus libro altero contra Donatistas, conqueritur de episcopis Donatistarum, quod tantum Sacramentum canibus porrigere non sint veriti: sed continuo canes rabie accensi, auctores tanti sceleris lacerasse affirmat. Quid? Quod hoc Sacramentum, tamquam in quo Deus ipse admirabili ratione et modo vere delitesceret, adorare non dubitabant? Audite enim quid B. Ambrosius capite duodecimo libri tertii de Spiritu sancto dicat: « Videamus, inquit, ne terram illam adorandam dicat propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie, quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. » Beatus quoque Augustinus in Psalmum xxxviii scribens ait: Quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccamus adorando sed peccamus non adorando. » Atque usque adeo id verum est, auditores, ut Ethnici propter istam Eucharistiae adorationem Cererem et Bacchum a christianis coli existimarent, ut B. Augustinus contra Faustum libro vigesimo auctor est: neque solum veteres illi Patres Christum in Eucharistia adorabant; sed etiam certis verbis invocabant. Magnus enim Basilius libro de Spiritu sancto: « Invocationis, inquit, verba cum ostenditur panis Eucharistiae, et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit: » Agit in eo loco de traditionibus, et hanc Christi invocationem in Eucharistia non scriptis, sed traditione contineri demonstrat. Neque verò contenti sancti illi Patres fuerunt, quod ipsi tam eximium cultum ac venerationem Chri-

sto in Eucharistia existenti exhiberent : sed etiam aliquid ad hoc addere cupientes, constituerunt, ut catechumeni tanta mysteria ne cernere quidem permitterentur. « Non initiatis (inquit magnus Basilius loco paulo ante notato, de sacramento Eucharistiae verba faciens) nec itueri fas est. » Id quod et beatus Augustinus et alii Patres non semel affirmant. Sed quod omnem excellentiam ac dignitatem mihi superare videtur, illud est, quod sicut olim Hebræi Dei nomen Tetragrammaton pronuntiare non audebant, ita etiam tanta veneratione hoc divinissimum sacramentum optimi illi Patres prosequerentur, ut de eo vix loqui apertius auderent. Hinc videlicet B. Augustinus frequenter illud repetit : « Norunt fideles. » Et B. Chrysost. « Novistis vos qui estis initiati. »

Quæ cum ita sint, nonne solis luce clarius est hæreticos nostri temporis in densissimis ignorantiae tenebris versari? Nam si ponamus, nihil aliud quam triticeum panem Eucharistiam esse, unde ei tantus cultus tantaque veneratio debetur? Certe aqua baptismi majori honore digna, quam Eucharistiae sacramentum esset. Nam si pannis Eucharistiae Christi corpus significat, et aqua baptismi Spiritum sanctum, qui sine comparatione Christi corpore major est, designat. At quis unquam audivit aquam baptismi aureis vasculis inclusam aut adoratam aut invocatam fuisse? Quis unquam audivit eos homines reos fuisse, quorum culpa aqua baptismi periisset? alioquin enim magno scelere tenerentur astricti sancti illi, qui interdum in fluminibus baptizabant. Quis unquam audivit prohibitos esse catechumenos, ne baptismi aquam conspicerent? Quis unquam audivit sanctos Patres non fuisse ausos de baptismæ aqua apertius loqui. Aliud igitur, quam aqua baptismi Eucharistia est : vere cœna magna et plane divina est. Vere cæci et duces cæcorum hæretici sunt. Eos igitur relinquentes Ecclesiae fidem, Patrum consensionem, verborum Christi veram intelligentiam amplectamur, tueamur, conservemus, retineamus.

PARS POSTERIOR

Hæretici nostri temporis vulpeculis illis mihi significari videntur, de quibus in canticorum Canticis dicitur : *Capite nobis vulpeculas quæ demoliuntur vineas.* Audite enim callidissimum istarum vulpecularum consilium.

Cum intelligerent, hæresim istam de augustissimo Sacramento post annum millesimum a Servatoris adventu auctore Berengario extortam esse, ac post illud tempus, et Patres et Concilia non solum aperte et perspicue, sed etiam ex proposito adversus eam hæresim decreta et libros composuisse, suspicati sunt antiquiores Patres nihil de hac re, nisi obscure et involute scripsisse : quippe quæ eorum temporibus nondum in controversiam vocarentur. Itaque communi sententia decreverunt eos omnes sanctos Patres, qui ante annum millesimum non extiterunt quique adversus hanc hæresim scripserunt neque vere sanctos esse neque ad veram Ecclesiam pertinere. Eos vero, qui primis quingentis annis floruerunt, ad veram Ecclesiam pertinere : sed nihil aperte scriptum de Sacramento Eucharistiae posteritati reliquisse. Verum in utroque turpissime lapsi sunt. Nam ut vetustissimos illos Patres ita aperte locutos esse ostendimus, ut apertius non poterint : sic nunc posteriores, ut B. Anselmum, B. Bernardum, B. Malachiam, B. Dominicum, B. Franciscum, B. Bonaventuram, B. Thomam et alios quam plurimos adhuc recentiores, quos Hæretici nostros esse et nobiscum sentire de hoc Sacramento Eucharistiae confitentur, ad veram Ecclesiam pertinere breviter ostendemus. Omitto enim novem Concilia hoc tempore celebrata, in quibus hæc veritas perspicuis verbis, vel statuitur vel asseritur : nempe Tridentinum sub Julio, Florentinum sub Eugenio, Constantiense sub Martino, Lateranense sub Innocentio, item Lateranense sub Gregorio, atque aliud sub Nicolao, nec non Turonense sub Victore, Vercellense sub Leone et Nicenum secundum sub Adriano. Nam extremæ dementiæ est, putare, tantum numerum sanctorum Pontificum, qui hisce Conciliis interfuerunt in re tanti momenti dormivisse : et plus unum Berengarium, unum Wicleffum, unum Zwinglium quam tot Ecclesiae lumina vidisse. Nihil dico, quam sit absurdum credere, Ecclesiam Christi tot sæculis, vel in solis Sacramentariis, paucis et turbulentis hominibus, delituisse : vel ab obitu Berengarii usque ad ortum Wicleffi totis trecentis annis, aut nusquam fuisse, aut occultam, et tenebris plusquam cimmeriis ita obrutam, ut si quis aliquem ad eam deferri, juxta Domini præceptum vellet, is lucernam accendere ad eam pervestigandam deberet. Taceo, quod ipse Diabolus, hostis humani generis atrocissi-

mus, aperte cum Luthero suo per Germaniam pene universam vicario, disputans, ut ipse quodam loco testatur, ei persuadere hanc hæresim conatus est. Et quis dubitare potest, Diabolum patrem mendacii, nihil aliud persuadere quam mendacium voluisse? Nam et B. Episcopus Fulbertus, cum diem extremum ageret, sic Diabolum cernere affirmabat, qui tenui flatu homines ad Berengarium impellebat. Prætermitto signa et prodigia, ac visiones innumeras, quibus Deus hoc nostrum catholicum dogma confirmavit, quæ ex B. Cypriano, Chrysostomo, Optato, Bernardo, et aliis viris summa fide et religione præditis adducere possemus, si angustiis temporis non præmeremur.

Hæc omnia, et alia permulta, quæ mihi magno adjumento esse possent, facile patior sileri: hoc solum teneo, hic hæreo, hoc sum contentus uno: si vere Christi corpus in Sacramento Eucharistiæ non continetur, ergo Beatus Anselmus, B. Bernardus, Dominicus, Franciscus, aliique quamplurimi, idololatræ Deoque invisi fuerunt: nam eos nobiscum sensisse etiam adversarii nostri confitentur. At si idololatræ erant, quomodo signis et prodigiis vivi mortuique claruerunt? Nisi enim omnes historias negare velimus, multa et magna fuerunt beati Anselmi miracula, et plura et majora B. Bernardi, plane singularia Malachiæ Hibernorum Episcopi, maxima B. Dominici, innumera B. Francisci. Quin etiam hisce temporibus, pene nostra memoria, alius quidam B. Franciscus, auctor ordinis Minimorum, tot ac tantis miraculis coruscavit, ut plane admirabile sit: et tamen isti omnes romano pontifici semper paruerunt, ab Ecclesia Catholica nunquam recesserunt, Christum in Eucharistia summa religione adoraverunt, ac demum sententiam nostram, vel libris vel sermonibus vel operibus confirmaverunt. Deinde miracula, quæ per istos servos suos Deus effecit, hujusmodi sunt, ut nec Diaboli nec Angelorum, sed solius opera Dei fieri possint: qualia sunt, sensuum restitutiones, et mortuorum ab inferis excitationes. Et, quamquam cum fides vera confirmanda est, et per probos et per improbos signa et prodigia fieri possint; tamen cum non fides in dubium vocatur, sed Deus servum aliquem suum illustrare ac celebrare vult: tunc non nisi per probos et Dei amicos edi miracula possunt. Deus enim testis falsitatis et mendaciorum esse nullo modo potest. Jam vero, neque B. Malachias cum

mortuum quemdam ab inferis revocavit, ut B. Bernardus auctor est, Domini fidem miraculo non necessario confirmare voluit: et cum ad implorationem B. Francisci, ut beatus Bonaventura scribit, non unus, sed plures mortui resuscitarentur, quis dubitare potest, quin ea miracula ad gloriam tanti viri hominibus demonstrandam fierent? Quæ cum ita sint, quis non obstupeat Patres nostros idololatrias esse, et signis et prodigiis coruscare? Hostes vero nostros et evangelistas esse, et nec unam muscam in vitam restituere unquam potuisse? Atque idololatrias quidem nostros honores contempsisse, divitias conculcasse, impetum repressisse, omnibus injurias condonasse, et vitam in terris Angelorum duxisse: Apostolos vero istos novos honorum cupidissimos, orbem terrarum suis tumultibus conturbare, divina atque humana jura frangere, carnis libidines non compescere, sed explere, et dæmonum potius, quam hominum vitam ducere?

Intelligere vultis, quam nos justam et bonam causam habeamus, auditores? Proponite vobis extremi judicii diem, et quod nos de Eucharistiæ Sacramento credidimus, falsum omnino atque absurdum (quod tamen fieri non potest) fuisse: cum Dominus quæret a nobis: Cur vos ita de meo Sacramento credidistis? Cur hostiam illam adorastis? Nonne secure dicemus: Imo, Domine Deus, si error est, tu nos decepisti. Primum enim verbum tuum audieramus: *Hoc est corpus meum*. Numquid tibi de te fidem præstare don debebamus? Deinde ejusmodi signis ac prodigiis id sæpius confirmatum est, quæ nisi a te nunquam fieri potuissent. Ad hæc audiebamus Dæmonem contendere totis viribus, ut hoc, quod credimus, non crederemus, et quid aliud patrem mendacii, quam mendacium persuadere velle credere poteramus! Postremo videbamus consensionem Ecclesiæ tuæ, majorumque nostrorum vestigia sequebatur, ac eorum præsertim, qui singulari dono gratiæ tuæ, tum signis ac prodigiis, tum vitæ ac morum sanctimonia, quasi clarissima quædam lumina enitebant. Quare si error est, tu nos, Domine, decepisti. Hæc nos tato sine dubio diceremus. Quia vero falsum esse non potest, quod tam aperte a Veritatis ore processit, illud potius videamus, quid responsuri sint Calvinistæ, cum eis Dominus in formidabili illo judicio dicet: Et quidnam vos, genimina prava atque perversa, impulit, ut ex ovili meo ad

luporum cœtus et caveas fugeritis? Respondebunt fortasse : Nos Calvinus decepit. At Dominus : Et quid in Calvino videbatis, propter quod antiquam fidem deserere, et novam tam facile recipere vobis liberet? Quibus miraculis ille sua dogmata comprobavit? Ad quem modum se vere Apostolum meum esse vobis ostendit? Numquid Apostolus meus vobis non dixerat : etiamsi *Angelus de cœlo evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit?* Si Angelo de cœlo contra fidem jam receptam credere non debebatis, quanto minus impuris quibusdam et seditiosis hominibus? At, Domine Deus, corrupti mores antistitum Ecclesiæ tuæ nos de ea egredi compulerunt. Et quales sunt Hæreticorum mores? An non præterea de malis pastoribus vos monueram : Quæ dicunt facite : quæ faciunt facere nolite? Itaque obmutescent, nescientes omnino quid dicant. Causæ siquidem, quæ illos in hæresim istam præcipitarunt, tres omnino ac quatuor sunt. Sed eas in iudicio vel qui non licebit vel quia illos pudebit, nullo modo commemorabunt.

Quæ vero istæ causæ sint, jam ex Evangelio discere potuistis. *Homo quidam* (inquit Dominus) *fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Illi autem cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit : Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam : rogo te, habe me excusatum. Alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa, rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Nam et B. Augustinus et Gregorius docent, qui villam emit, aut superbus aut avarus est. Qui juga boum emit, curiosus est. Qui duxit uxorem, voluptuarius est. Ille siquidem, qui villam emit, aut hoc ideo fecit, ut aliquos subjectos haberet et dominus vocaretur, et est superbus : aut ideo, ut eam villam diligenter excolendo amplius lucraretur et avarus est. Quinque vero juga boum quid aliud, quam quinque sensus nostros designare possunt? Recte enim non quinque boves, sed quinque juga boum dicitur, cum omnes sensus pene geminati sint. Ille igitur, qui juga boum emit quinque, hoc est qui sensibus ducitur, et nihil credit, quod non videt, curiosus optimo jure nominatur. Nam qui uxorem duxit, non ideo voluptuarius appellandus est, quod uxorem ducere peccatum sit, sed quod plerique voluptatem potissimum, et expletionem libidinum in matrimonio quærant.

Hæc igitur quatuor superbia, avaritia, curiositas, voluptas, innumerabiles homines ad hæresim pertrahunt, atque in ea quasi catenis quibusdam revinctos tenent. Si per tempus liceret, longissimum indicem explicarem eorum, qui non alia de causa ab Ecclesia defecerunt, quam quod episcopi aut cardinales esse non potuerunt. Quam multos etiam ad hæresim invitavit illa templorum spoliatio, simulacrorum confractio, altarium eversio, urbium populatio, unde ipsi maxime ditescere, credebantur? Isti igitur vere dicunt : *Villam emi* : avaritiæ vel ambitionis mancipium factus sum. In Ecclesia Catholica neque ad honores ascendere, neque commode lucrari possum : quare necesse habeo de Ecclesia exire, et ad videndam villam me conferre. Recte vero ait : *Necesse habeo exire et videre illam.* Ambitiosi enim atque avari, honores suos atque opes solum cernunt, nec aliter eas possidere possunt. *Ne timueris, cum dives facturus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus : quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Accipite illustrem similitudinem, et eam memoriæ diligenter commendate. Venatores simul atque prædam vident, eam canibus suis ostendunt et clamare incipiunt : Cape, cape, rape, rape et tum canes cursu iucitatissimo ad prædam accurrunt. Sed cum primum apprehenderunt eam, ecce adsunt venatores, et quibusdam baculis capita canum suorum percutiunt, et clamant : Relinque, relinque, desere, desere, atque hac ratione canibus suis prædam ostendunt, ut eam videant, sed non possideant : ut eam cum labore capiant, sed mox captam cum dolore relinquunt. Idem omnino avaris atque ambitiosis hominibus contingit. Diabolus enim antiquus venator, eis tanquam canibus aliquam prædam ostendit, ut lucrum aliquod ut aliquam dignitatem : et tum clamat : Eia rape, cape, per fas et per refas, assentare, mentire, nega fidem, nega religionem, sic ditescitur, sic ascenditur. Verum ubi honorem aliquem adepti fuerunt, vel opes aliquas congregaverunt, tunc adest mors, et longe aliud carmen intonans ait : Relinque, desere, et nudus ac solus, velis nolis, ad æternos cruciatus descende. At vero benignissimus Dominus noster ex adverso hic quidem dum vivimus clamat : relinque, desere opes, honores, villam, domum, liberos, uxorem, si ita res postulat, propter regnum Dei, At cum morimur, tunc dicere incipit, nunc cape,

nunc implere, nunc satiare veris divitiis, vere ac solidis voluptatibus. Sed ad propositum redeamus.

Porro multi sunt, qui non tam propter opes et honores in hæresim incidunt, quam quod sensibus ducuntur : et nil credere volunt, quod non capiunt. Isti igitur cum animadvertunt, sensus vere omnes clamare, nihil aliud, quam panem et vinum Eucharistiæ Sacramentum esse : juga boum quinque, inquit, emimus : quinque nostris sensibus magis, quam vestris argumentis credimus : atque idcirco de Ecclesia egredi necesse habemus. Verum istos omnes me auctore contemnite ac despiciate, auditores. Qualis enim Deus esset, si eum, non, inquam, sensus humanus, sed ipsa mens humana capere posset, quæ vix formicæ naturam plene ac perfecte capit? Cum aliquando impius Eunomius se Deum comprehendere jactaret, magnus Basilius ad eum litteras dedit, in quibus de formicæ natura viginti, et eo amplius quæstiones proponit quarum cum ne unam quidem plane dissolvere Eunomius potuisset, tum vero ille ait : Si minutissimæ formicæ naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei naturam te intelligere gloriaris. Habeant igitur sibi Hæretici deum suum, qui nihil facere potest, quod ipsi non capiant : nos vero Deum nostrum vere magnum habeamus, qui *Major est corde nostro*, ut Joannes Apostolus ait : qui sapientiam atque intelligentiam nostram vincit. Quia etiam gloriemur nos Deum habere, qui majora, magis abdita, magis abstrusa, magis recondita, efficere potest, quam ut ea mens nostra capere possit. Ei nihilominus fidem in omnibus, quæ ad nos, vel per Ecclesiam vel per Scripturas loquitur, adhibeamus : quia *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*. «Credamus ubique Deo (inquit Chrysostomus homilia octuagesima tertia in Matthæum) nec repugnemus, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur.»

Jam vero quis nobis enumerabit eos, qui compedibus voluptatum impediti ad Ecclesiam redire non possunt? Quot homines Deo dicati, quot Monachi, quot Presbyteri nefario matrimonio sacrilegisque nuptiis uxores sibi inter Hæreticos adjunxerunt : qui proinde aiunt : *Uxorem duxi, ideo non possum venire?*

Quam vero multi sunt, quos nihil aliud in

hæresi detinet, quam falsa illa libertas frangendi impune jejunia, confessione non expiandi peccata, pontificum decretis non obediendi? Isti igitur omnes cum Dominus per servos suos ad cœnam magnam invitat, *Rogo te*, inquit, *habe me excusatum*. Sed ad eundem modum, auditores, cum ex hac vita discesserint, et ad cœnam nuptiarum Agni admitti cupient, Dominus eis cum irrisione dicet : *Rogo vos habete me excusatum : Vocavi, et renuistis ; extendi manus meas, et contempsistis : nunc Ego quoque in interitu vestro, ridebo ; rogo vos habete me excusatum*. Cum vos quondam vocarem, negotiis impediti venire non poteratis, apud me excusationem invenire cupiebatis : nunc ego etiam negotiis quibusdam distineor, non possum surgere, et aperire vobis : *Rogo vos, habete me excusatum*. Hæc tunc Dominus illis respondet.

Sed interim præcipit servis suis, ut pauperes, et cæcos, ac debiles et claudos ad convivium introducant. Et qui sunt pauperes, nisi humiles, et spiritu pauperes, qui nec ambitioni nec avaritiæ student : et villam non emunt sed vendunt, et pecunias pauperibus largiuntur? Qui sunt cæci, nisi qui judices mysteriorum Dei non oculos sed aures esse volunt? *Fides enim ex auditu*, non ex aspectu. Et cum oculi dicunt, nos panem videmus : aures vero, nos Christi corpus esse ex ipso Domino audivimus : ipsi aures patefaciunt, eruunt vero oculos ; malunt vero cæci intrare in regnum Dei, quam bene videntes mitti in gehennam ignis. Et qui sunt debiles, nisi qui castigant corpus suum et in servitatem redigunt, qui jejuniis, qui vigiliis, qui orationibus, qui ciliciis corpus debilitant, diabolique arma retundunt, ut animus fortis atque robustus efficiatur? Postremo claudi illi sunt, qui Deum ut par est, vehementius, quam res creatas diligunt. Pedes enim affectus designant : et tunc homo utiliter claudus est, et ad cœnam magnam idoneus, cum dextrum pedem, hoc est, amorem in Deum longiorem et majorem habet, quam pedem sinistram, qui amorem in res creatas significat. Ita nimirum claudus evasit magnus ille patriarcha Jacob posteaquam usque ad auroram cum Deo luctatus est.

Habetis igitur, auditores, de Evangelio hodierno quæ ad præsentem solemnitatem accommodate dicenda esse putavimus : reliquum est, ut Sacramentum saluberrimum

non frustra esse institutum patiamur. Nam quemadmodum panis triticeus, qui cibus est corporis, non idco tanto labore efficitur, ut solum videatur, sed ut manducetur, atque hac ratione sustentet, nutriat, auget vitam, et vires corporis humani : sic etiam panis vitæ et Angelorum. non idco nobis tribuitur, ut eum solum intueamur et veneremur, sed etiam ut eum frequentius sumamus, et eo animos nostros reficiamus, et recreemus. Multi sunt in hac urbe, qui præclare et magnifice de tanto Sacramento loquuntur et sentiunt, et illud certatim honorare contendunt. Sed, mihi credite, illi maxime hoc honorant, qui ipsum pura atque integra

conscientia frequentare student. Et cur, obsecro, tantum in nobis refrixit charitas? Cur vita et mores nostri tantum absunt a vita et moribus primorum illorum christianorum, ut illi veri, nos depicti Christiani esse videamur? nisi quia obliti sumus *comedere panem* nostrum : illi vero, ut ab Apostolis didicerant, quotidie ad hunc utilissimum et saluberrimum cibum accedebant? Inde nimirum fortes, inde robusti, inde alacres, inde ad martyrium, et omnes labores subeundos idonei erant. Illorum ergo similes esse studeamus in terris, ut consortes quoque esse mereamur in cœlis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

CONCIO XXXVIII.

DE SANCTO JACOBO

THEMA

Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

Matth. xx, v. 22.

SYNOPSIS

Exordii loco Scripturæ testimoniis probatur, concionatores, quales et Apostoli fuerunt, Spiritus sancti esse organa; tum de hodierno evangelio instituitur concio. Atque primo tres causæ assignantur, cur hoc Evangelium hodie recitetur; quarum prima, ut videamus, quanta possit homo (qui ex se nihil boni potest) divina adjutus gratia. Altera, ut peccata spiritus, ex quorum numero etiam est ambitio, quæ hodierno evangelio reprehenditur, caveamus, utpote periculosiora quam carnis. Tertia, quia ostenso D. Jacobi defectu hinc illustrior apparet, quod a simili vestis novæ resartæ et vulnerum Christi declaratur. Quam cæca sit ambitio, ut quæ etiam bona in malam partem et peccatum trahat; quamque eadem sit versipellis, ut quæ more vulpecularum sustinet, ut regnet, se subjicit, ut præsit. Ratio redditur, cur Christus quæsierit, quidnam velint hi duo discipuli? Quam difficile a rerum terrenarum cupiditate abstrahamur. Apostolorum peccata erit in ratione, qualitate, fine, et re, explicatur. Quam sit plena periculi res prælaturus ecclesiasticas ambire, Patrum testimoniis probatur; et quid iisdem D. Bernardus graviter intonet: aliæ præterea pro episcopatu appetendo objectiones diluuntur. Denique quam securus sit locus humilis; quam lubricus

sublimis, exemplis Saulis et Davidis confirmatur.

Secunda pars ostendit Romanorum exemplo, semper laborem præcedere debere præmia; cur deinde passio Christi et dolores calix die catur, varice afferuntur rationes. Docentur etiam pastores, quomodo crucem tum corporis tum cordis pro ovibus suis, S. Pauli exemplo, non debeant subterfugere. Serio præterea reprehenduntur ambitiosi, qui ita obcæcantur, ut multo plura quam possint, sibi præsumant, et onera quantumvis gravia, sibi levia fingant. Quantum sit Dei donum, martyrii calice potari: et quisnam sit calix et crux hujus mundi, explicatur. Quod calicem Domini non nisi cum ipso et per ipsum, ut qui interius confortet, bibamus, ostenditur. Explicatio loci illius: Sedere ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, varia a variis afferuntur, et vera illa contra hæresim arianam asseritur. Conclusio demum apta similitudine personam comædiæ probat, cælum non personis, sed virtutibus, sed actionibus impartiri; ac proinde ad crucem ferendam et calicem bibendum exemplo sanctorum, præsertim S. Jacobi, imo ipsius Christi, hortatur.

Neminem vestrum esse arbitror, optimi atque ornatissimi auditores, qui in sacris voluminibus aliquando non legerit, quid illis Hebræis apparitoribus acciderit, quos Hebræorum rex Saul ad Davidem domi suæ necan-

dum miserat : nempe quo pacto non Davidem, ut putabant, sed pro eo mutum ac frigidum simulacrum, quod Michol, femina prudentissima ac salutis viri sui studiosissima, callide in lectulo composuerat, invenerunt. Idem omnino auditoribus meis hodierna die, nisi fallor eveniet. Profecto enim non alia de causa huc tam frequentes convenistis, nisi ut hominem de rebus divinis concionantem audiatis. Ego vero vehementer timeo, ne non hominem audire, sed statuam vobis spectare necesse sit. Sed cur ego, auditores, simulacrum videri tantopere timeam, cum hoc ipsum ardentem optare, et a Domino sperare, ac perpetuo petere nos oporteat? Nec enim fuit aliquando ulius Evangelicæ doctrinæ, catholicorumque dogmatum verus prædicator, qui dum suggestum ascenderat, hominis personam non deposuerit, et sibi conscius statuam se esse, organum divino Spiritui non præbuerat. Muta sunt simulacra, *Os habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt*. Denique nihil ex se, nisi stare et silere noverunt. Quod si loqui et responsa dare Ethnicis videbantur, non ipsa erant simulacra, quæ hoc præstabant, sed impurissimi Dæmones, simulacrorum inhabitatores, ad imitationem humanæ vocis sonitum excitabant, ut quorum imitabantur voces, ab eis venerationem et cultum extorquerent. Ad eundem modum oratores Christiani suggestum conscendunt, ora aperiunt : sed alius est, qui per illos et in illis Christianam plebem alloquitur. *Dilata os tuum*, ait Dominus ad Prophetam, *et ego adimplebo illud* : et ad Apostolos idem Dominus : *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. An non erant omnes Prophetæ excellentes concionatores? Quis eorum non frequentissime ac pene tertio quoque verbo repetebat : *Dicit Dominus, dicit Dominus*? Apostolus vero Paulus, summus Evangelii prædicator, qui ab Jerusalem usque ad Illyricum Christi Ecclesiam propagavit, nonne de seipso testatur, ac dicit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus*? De beatissimo autem protomartyre Stephano nunquam legistis : *Non poterant resistere sapientiæ ejus et spiritus qui loquebatur*. Quid, quod ipse Dominus, verbum ac sapientia sempiterni Patris, non sua, sed Patris verba se loqui confirmat, cum ait : *Sermonem, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris*. Denique quamobrem, obsecro, in die Pentecostes in lingua-

rum specie sese Spiritus sanctus ostendit. Quia nimirum Apostoli, qui primi futuri erant sanctissimæ nostræ fidei prædicatores, non suis ipsorum sed Spiritus sancti lingua locuturi erant, ac de ipsis scribi non multo post debebat : *Loquebantur variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Quare si ille idem sacer Spiritus, qui ora mutorum solvit, et linguas infantium disertas reddit, pectori animoque meo illabi, et me, tamquam statuam et simulacrum aliquod, inhabitare dignetur, non dubito, quin ea dicturi simus; quæ tum spiritualem animis nostris lætitiâ, tum emolumentum maximum sunt allatura.

Agonem hodie beatissimi Apostoli Jacobi, et eum diem, in quo cœlum triumphator intravit, sacris anniversariis, stisque cæremoniis veneramur et colimus. De quo quidem Apostolo, cum historiam sane utilem nostri temporis præsertim hominibus beatus Evangelista texerit, et eandem inter sacramissarum solemniam publice decantari Ecclesiæ universæ placuerit, nihil mihi magis accommodatum tam tempori tum auditoribus explicari posse hac ipsa, de qua nunc loquimur, historia visum est. Eam igitur si placet inspiciamus, et quantum definiti temporis brevitatis patitur, explicemus.

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, et petens aliquid ab eo. Video mentes omnium vestrum, auditores, suspensas expectatione tacita pendere, et Evangelica narratione permotas vehementer mirari. Cur hæc potissimum historia hodie decantetur, in qua nihil de laudibus aut virtutibus apostoli Jacobi sit positum, sed contra quæ elationem ejus prodat, insipientiam accuset, et gravissimum ambitionis crimen complectatur. Quonam pacto, vos quæso, ista cohærent; ut quem beatum ac Dei amicum asserimus, ejus interim vitia publice mus? Cujus nomen, ut sancti hoc est, ut justi ut prudentis, ut temperati, ut pii, ut inanis gloriæ, et rerum omnium præsentium contemptoris cum cantu et lætitiâ celebramus, eum et imperitum et gloriæ cupidum, atque adeo ambitiosum ab omnibus cognosci velimus? ac propterea historiam, quæ id continet palam in templis ex edito loco recitemus? Multæ sunt causæ, auditores, quæ majores nostros, homines optimos ac sapientissimos, ut hanc hodie nobis historiam proponerent, impulerunt.

Primo, ut intelligeremus, quid homo per

se, et a Deo destitutus possit : et contra quid possit, si Deum suorum operum auctorem habeat, et eum in omnibus suis actionibus ducem sequatur. Quid enim, obsecro, quid, inquam, homo solius rationis vi adjutus potest? Peccare quidem, et labi ac deficere potest : improbus, impurus, avarus, elatus, perjurus, adulter esse potest. At bonum aliquid sine Deo non modo agere, sed ne cogitare quidem potest. *Non sumus sufficientes*, inquit Apostolus Paulus, *cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis*. At vero quodnam fastigium virtutis ac perfectionis tam excelsum reperitur, ad quod homo pervenire, Domino adjuvante, non possit? *Omnia possum*, inquit idem Paulus, *in eo, qui me confortat*, sive labores tolerandi, sive pericula adeunda, sive mors oppetenda, sive morte aliquid adhuc gravius sit perferendum; id vero libenter et æquo animo pati et tolerare possum. Siquidem *Omnia possum*, omnia, inquam, nihil excipio, plane omnia possum *in eo, qui me confortat*. Porro D. Jacobus, cujus hodie memoriam veneramus, mentiri nos minime patietur. Ecce enim iste, qui aliquando sibi ac prudentiæ suæ relictus, humanum aliquid passus est, primasque sedes ambitiose quærere, ac labores fugere, ac otium, et quietem consecrari visus est; postea per Dei gratiam ad illud sanctitatis culmen pervenit, ut dæmones coram ipso stare non auderent; et viam illam, quæ ducit ad cælum, angustissimam et difficillimam tanto mentis fervore cucurrit, ut, Apostolis cæteris longo intervallo post se relictis, regnum cœlorum cum palma martyrii primus intraverit. Merito igitur, jureque optimo gloriosissimi Jacobi nobis hodie imbecillitas ante oculos ponitur, ut Domini ac Dei nostri potentiam ac sapientiam admiremur, qui non solum Apostolum ex piscatore; sed virum sanctissimum ex peccatore, et ex ignorantia ac tenebris lumen clarissimum toti orbi terrarum produxit.

Altera ratio est, ut hoc exemplo doceamur, ambitionis virum omni animi provisione esse cavendum. Duo siquidem genera vitiorum sunt : alia enim carnis, alia spiritus peccata dici possunt, juxta illud Apostoli : *Charissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*. Ac priore quidem infamem hominem apud homines reddunt; posteriora apud Deum. Illa bestiis hominem similem faciunt; ista dæmonibus. Denique illa, quod appareant, et in oculis omnium

sint, facile caveri et evitari possunt : at ista, quod occulta sint, et in hominum pectoribus lateant, plerumque in illis etiã, qui alioqui sanctissimi et optimi censebantur, inventa sunt. Hujus generis ambitio est, quæ si in cœtu Apostolorum locum invenit, ubi virtutum omnium disciplina vigeat, ubi Christus ipse doctor erat, qui non solum verbis, sed etiam reipsa, et factis ad nullam virtutem magis, quam ad humilitatem hortabatur, quis nostrum ab hac peste tutus erit, nisi omni adhibita diligentia, totisque viribus in salutem suam incumbat? Proponitur ergo nobis, ac in memoriam revocatur hoc factum Apostoli, ut quanto studio, quantaque vigilantia ambitio cavenda sit admoneamur, quam in tanti tamque eximii viri pectus penetrasse videmus.

Est item, auditores, et alia ratio, cur hodie hæc historia potissimum recitetur, nempe quia hæc commemoratio ambitionis B. Jacobi nescio quo pacto clariorem ipsam et illustriorem efficere mihi videtur. Id quod hac similitudine intelligi fortasse poterit. Induit quis hodie novam et pretiosam vestem, sed casu fit, ut, dum ex foribus egreditur, vestis clavo, qui forte ex pariete prominebat, implicata alicubi laceretur, ille vestem aureis filis resarciri jubet, tantoque artificio resarcitur, ut jam non casu fracta, sed de industria scissa esse videatur. Quis præterea dubitare potest, quin Dominicum corpus lanceæ et clavorum vulneribus vehementer dehonestatum fuerit: at vero nunc adeo signa illa vulnerum in Dominico corpore micant, tantumque gratiæ et decoris divinis Domini membris addunt, ut non tam ferro mortalium ad ignominiam membra lacerata, quam summa artificis manu ad gloriam auro et gemmis distincta judicentur fuisse. Pari ratione peccatum fœdat, commaculat, vulnerat, lacerat, deformem denique et invisum hominibus reddit peccantem; sed si fontibus lacrymarum macula diluatur, et pœnitentiæ medicamento vulnus peccati curetur, tantus accedit animæ decor, ut magis *Gaudium fiat in cœlo pro uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non egent pœnitentia*. Cum igitur, auditores, *Ubi abundavit delictum*, superabundaverit *gratia*, et levis culpa ambitionis gravi pondere meritorum obruta, et divinorum charismatum fontibus tamquam abluta atque deleta, novorum gaudiorum materiam nobis attulerit, quid miramur, si hac ipsa die

divo Jacobo sacra, erroris ipsius historia recitetur?

Sed ipsa jam sua narrationis verba consideranda ac perpendenda sunt: *Tunc accessit mater filiorum Zebedæi.* Tunc, inquit. Quando nam, obsecro? Nempe, cum Dominus de cruce et vulneribus loqueretur: Cum enim diceret: *Ecce ascendimus Jerosolimam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, ad illudendum, et flagellandum et crucifigendum.* Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, primas sedes pro filiis postulatura. Intelligitisne, quam cæca, quam inconsiderata, quam importuna sit ambitio? Quid affinitatis habet vituperium crucis cum regni fastigio? Dominus de labore et cruciatibus agit, et tu sedes et otium postulas? Sed sit hoc in ambitione levissimum. Transeamus ad cætera.

Tunc, inquit, accessit. Quisnam? *Mater filiorum Zebedæi.* Femina erat, auditores, Domino secundum carnem affinitate conjuncta, atque inde videlicet suum esse putabat, ut Dominum admoneret, ne affinibus suis in regno aliquos alios anteponeret. Audierat fortasse, duodecim Apostolis duodecim sedes esse promissas: quare pro filiis sollicita, ne forte postremas sedes aut certe non primas obtinerent, Dominum adiit, *Adorans et petens aliquid ab eo.* Memini me aliquando ex philosopho didicisse: Omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipi, ut in vase rotundo rotundam formam aqua suscipiat, in quadrato quadratam et de aliis ad eundem modum. Videas hominem integrum, et sanum quicquid alimenti sumat id totum in succum et sanguinem incorruptum convertere; æger etiam optimos et alioqui saluberrimos cibos in noxios humores convertit. Pari ratione vir pius et sanctus, et ut Apostolus loquitur, spiritualis, quicquid illi detur, sive divitiæ, sive magistratus, sive Ecclesiastica beneficia, denique quicquid illud sit, id totum efficit spirituale, atque utitur ad ampliorem gloriam in regno cælorum promerendam. Is vero, qui blandissimæ dominæ voluptatis lenociniis deceptus, nihil quærit, nihil appetit, nihil optat amplius, nisi præsentia bona, licet fragilia et caduca: quicquid habere potest, etiam Sacerdotia et animarum gubernationem et Sacramentorum administrationem, ad opes cumulandas et divitias angendas traducit. Quid de Hæreticis dicam? An est quisquam,

qui ignoret, sententias divinorum, librorum, qui in ore Catholici hominis veritatem confirmant, in ore Hæretici ad errores confirmando valere? Quæ cum ita sint, profecto mirum esses non debet si mater filiorum Zebedæi, quæ cum Domino cognationem habebat, eam ambitioni suæ et commodis filiorum servire voluit: tametsi potius illi ad amicitiam Dei et charismata spiritualia comparanda valere debuisset. *Accessit igitur adorans, et petens aliquid ab eo.*

Ecce vobis etiam ambitionis perversitatem. Omnis ambitiosus est versipellis: descendit, ut ascendat: repit per humum, ut volet super aerem: subjicit seipsum, ac servit, ut dominetur et regnet. *Adorans et petens aliquid ab eo.* Qui montes arduos et excelsos ascendere volunt, non recta sursum tendunt, sed per ambages et circuitus quosdam, unde ambitio nomen accepit. Vulpecula quoque animalium callidissima mortuam esse se fingit ascendere aves, et volitare et ludere super se patitur, interdum etiam carpi et vellicari, ut illa post paululum in aves conversa, super eas ascendere, et non carpere, sed lacerare; non vellicare, sed devorare possit. Ad eundem modum videas ambitiosum hominem, qui forte coniecit oculos in divitem aliquem canonicatum vel pastorum vel episcopatum, mox prælatum salutare incipit, adulari, obsequi, famulum humilem se dicit; ad omnia, quæ imperantur, paratum. Si forte a prælato illo injuriam accipiat, fert æquo animo: si rideatur, tolerat: si verberetur, patitur, si quid imperetur, obtemperat, interim tamen superbiam alit in pectore et quo modo super dominum suum ascendat, perpetuo cogitat. O vulpecula, vulpecula, nihil in te præter pellem est boni: nihil, inquam, nisi facies ista exterior et signa præclara humilitatis: idcirco tibi pellis ista detrahetur, et in gehennæ flammis quod minime cogitas, præcipitaberis.

Audiamus Domini responsum: *Ait illi: Quid vis?* B. Evangelista Marcus planius explicat, quid illud *Aliquid* esset, quod femina ista petiit, et quod Evangelista Matthæus non expressit. Ait enim, filios Zebedæi dixisse: *Magister, volumus, ut quodcumque petierimus facias nobis.* Stulta plane et ambitiosa petitio, tametsi non nihil ejus turpitudine minuitur, quod ad Christum dirigatur, qui omnipotens est, et quæcumque voluerit, et cuicumque voluerit, largiri potest: nec aliquem habet, cui rerum a se gestarum ratio-

nem reddere teneatur. Ut igitur Dominus hanc petendi rationem tan. absurdam reprehenderet, ait : *Quid vis?* Non decet sapientiam meam, ut quicquid petieris, me factorum pollicear : sed explicatum quid velis, ut si justa petitio fuerit, admittatur, si autem injusta, repellatur. Neque vero Dominus ideo rogavit, quid velit, quia ipse non sciret, cum ipse, et solus ipse noverit omnia corda filiorum hominum : sed id propterea fecit, ut intelligerent cæteri, qui tunc aderant, iniquam esse petitionem : tum etiam, quia quod ipse non probat, nescire se dicit, ut in eo loco : *Amen dico vobis, nescio vos.* Et rursum : *Amen dico vobis, quia nunquam novi vos.*

Explicat igitur planius mulier, quid velit, et ait : *Dic, ut hi duo filii mei sedeant unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Tanta est, auditores, naturæ humanæ post peccatum cum iis rebus, quæ sensus nostros afficiunt, contracta necessitudo, tantoque pondere et impetu in res istas corporeas ferimur, ut non sine gravi et diuturno labore ab eis animum avocare, et in æterna et sola vera bona eum figere, et collocare possimus. Hinc videlicet apostoli, tametsi Dominum paupertatem consectari, et regnum fugere et spiritualia bona prædicare videbant, persuadere tamen sibi ipsis non poterant, eum non esse in Palæstina, et Hierusalem regnaturum, testaturquesacer Evangelista, cum Dominus de cruce et cruciatibus loqueretur, eos numquam intelligere potuisse : imo vero, cum Dominus jam a mortuis excitatus fuisset ab eo petebant : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Sed in die Pentecostes, cum Spiritum veritatis accepissent, tum demum divino fulgore illustrati, quæ *Sursum sunt* sapere et quærere inceperunt, et *Non quæ super terram.* Ex illa igitur priori ignorantia et rerum præsentium cupiditate petitio prima processit. *Dic ut hi duo filii mei sedeant unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*

Cui Dominus sapientissime respondit : *Nescitis quid petatis.* Alloquitur nunc Dominus filios, licet matris interrogatio fuerit : quia eum minime latebat matrem verba filiorum esse locutam. Itaque B. Marcus, ut paulo ante vidimus, eam petitionem non matri, sed filiis tribuit. Mater enim a filiis edocta, quid petere deberet, et ab iisdem deducta ad Dominum fuit. Sed videte Domini sapientiam, non tacet, ne discipuli tamquam reprehensione indigni se contemni

putarent : neque in Judæa regnum se habiturum inficiatur, quia nondum spirituale regnum intelligere poterant, et tamen regnaturum Dominum omnino credebant : neque asserit, se facturum, quod petunt, ne discipulos cæteros offenderet ; neque negat tamen primas sedes se illis daturum, ne et matrem et filios mœrore conficeret. Quid igitur ait ? *Nescitis, inquit, quid petatis.* Fecit enim id, quod interdum magni principes facere solent, cum eis libelli supplicum offeruntur.

Nam si forte contingat, ut alicujus libellus offeratur, cui princeps negare non audeat id, quod petit : neque tamen id velit concedere, rescribere solet, eum libellum non esse ea forma conscriptum, qua debuit, neque ea ratione oportuisse peti. Idem hic Dominus facit : neque enim facturum se, quod petunt, aut ait aut negat : sed petitionem in multis deficere causatur, affirmatque illos ignorare, quid sit illud, quod petant ; et quidem non injuria, nam ea petitio primum deficiebat in ratione, qua ad petendum movebantur : deinde in qualitate eorum, quæ petebant, tum in fine propter quem petebant, postremo in ipsa re, quam petebant. Prima enim ratio, qua ad petendas primas sedes impellebantur, erat affinitas et cognatio secundum carnem, quæ si ipsos ad petendum incitare potuit, Dominum tamen ad concedendum movere non debuit, illi vero qui petebant, inepti eo tempore minimeque idonei erant ad illum honoris gradum, quem petebant. Porro finis, quem sibi, dum peterent, proposuerant, otium erat, et quies, quæ iis, qui nondum laboraverant, minime debebatur. Res denique quam petebant, erant primæ sedes in regno Palæstinæ, cum potius cœleste ac spirituale aliquod donum a rege cœlorum petere oportuerit. O utinam, auditores, non tam apte in hæc nostra tempora, hæc Domini responsio conveniret. *Nescitis quid petatis.* Petit aliquis in Ecclesia Dei locum altiolem, Ecclesiasticum beneficium, pastorum, pontificatum, nescis mihi crede, quid petas, scies autem postea, quando jam scire nihil proderit. Existimas enim divitias ac delicias, butyrum et mel petere, invenies autem rem laboris et doloris, fellis et amaritudinis plenam. Vel enim fungi munere tuo pro viribus eliges, et nihil gravius, nihil difficilius, nihil amarius, nihil tristius ullo unquam tempore pertulisti, semper animo excubare, quietem nullam capere te oportebit. Vel iis curis et sol-

licitudinibus prætermisissis, totum te voluptatibus dabis, quibus vix degustatis perpetuo cruciandum gehenna suscipiet. Nescis, mihi crede, quid petas et sæpius tibi patibulum utilius, quam dignitatem ecclesiasticam peteres. « Locum (inquit D. Bernardus ad Eugenium) altiore sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem sed non securiorem. » Nichil est in hac vita, ait Augustinus ad Valerium, et maxime hoc tempore, facilius et lætius et hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio si perfunctorie et adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius, et tristius et damnabilius. » Hinc B. Chrysostomus in vocem illam horribilem quidem, sed veram aliquando erupit. « Non temere, inquit, dico, sed ut affectus sum sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, seu multo plures, qui pereant. Unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione possit æstimari. Etenim, si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur; perditio cogita quantam conciliabit pœnam? Quod etiam alii peccant Sacerdotibus imputatur: sicut cum ovis a lupo rapitur, culpa recidit in pastorem. Nescitis » ergo « nescitis, quid petatis. » Ac de seipso libro de sacerdotio ait: « Ab eo ipso die, in quo tu mihi episcopatus suspicionem iniecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens mœstitia animam meam occupavit. Nam cum apud me considerarem Christi sponsæ gloriam, sanctimoniam, venustatem spiritualem, prudentiam ornatam; tum vero animi mei vitia expenderem fiebat ut assiduis tum illam, tum me gemitibus luctibusque prosequerer. Nescitis » ergo, « nescitis quid petatis. » Deinde, quis nostrum ignorat, aut in Apostolo aliquando non legit, Ecclesiam Dei esse corpus Christi, ut alii in eo sint oculi, aures alii, lingua alii, alii manus, alii pedes? Quanta igitur perversitas est, si auris, lingua aut manus, oculos esse velit? Ad audiendum, frater, vocatus es, non ad loquendum. Quod si non audire, cum sis auris, sed loqui volueris, neque audies neque loqueris. Non audies, quia non vis: non loqueris, quia non potes. Quid ergo superest, nisi ut tamquam inutile membrum abscindaris, et in ignem mittaris? Ita pereunt multi, auditores, ita nonnulli ex sedibus ad gehennæ incendium devolvuntur, qui, si in humili loco manere voluissent,

beati jam et felices bonis cœlestibus potirentur. *Nescitis ergo, nescitis quid petatis.*

At alliciunt illæ sine labore partæ opes, sedes honoris, fastigium dignitatis. Cantabo tibi, frater, canticum Beati Bernardi: « Clericus, qui habet partem in terra, non habebit partem in cœlo ». Et item: « Clericus si quidpiam habuerit præter Dominum pars ejus non erit Dominus ». Et rursus: « Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur: sane patrimonio pauperum, facultatibus Ecclesiarum sacrilega crudelitate subripitur, quidquid ministri et dispensatores, non utique domini et possessores, ultra victum accipiunt et vestitum ». Et rursus: « Væ, væ tibi, clerice; mors in olla carniū, mors in hujusmodi deliciis est. Nam populi constat esse peccata quæ comedis; sumptus Ecclesiasticos gratis habere te putas, sed bonum erit magis fodere aut mendicare. Peccata enim populi comedis; ac si propria tibi minus sufficere viderentur sollicitus esto tamquam rationem redditurus pro iis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus: alioqui ea noveris tibi imputanda, quæ modo inter delicias comedis, et parvi pendis, et dissimulas tamquam nihil attinentia tibi. Venient, venient ante tribunal Christi, audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vivere stipendiis, nec diluere peccata ». Intelligitisne? *Nescitis ergo, nescitis quid petatis.*

At, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, verba sunt Apostoli Pauli. Episcopatus, frater, optima res est, sed eum desiderare, malum est. Nam et qui Deum desiderat, rem excellentissimam desiderat et diabolus tamen, qui Deus esse vel Deo similis esse desideravit, ex paradiso deliciarum tamquam fulgur, in inferni barathrum ruit. In episcopatu siquidem animarum gubernatio, fastigium sedis, divitiæ et honores reperiuntur. Si gubernationem animarum desideras, rem periculi plenam desideras, et *Qui amat periculum peribit in illo*. Si fastigium sedis, superbus: si divitias avarus: si honores, ambitiosus es. At charitas me ad id petendum impellit. Cave ne decipiaris. Nam *Charitas non est ambitiosa; neque quærit quæ sua sunt*, sed quæ Domini nostri Jesu Christi. At Ecclesia interim bonis pastoribus destituitur, si qui sint idonei non se produnt. Quid ad me, et quid ad te? Curam istam Domino relinquamus. Numquid quia Beatus Gregorius hæc onera fugiebat, quia

B. Ambrosius fugiebat, quia B. Augustinus et Chrysostomus fugiebant, ideo Ecclesia pastoribus caruit? Imo vero istos ipsos, qui tantopere fugiebant et Deum tamen minime latebant, ad Ecclesiæ gubernacula Dominus evehebat. Itaque sanctos multos, qui episcopatus fugerint, legimus: aliquem qui appetierit vel quæsierit, non legimus. Numquid sanctissimi et eruditissimi illi Patres ex Apostolo non didicerant; *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat?* Et si didicerant, cur fugiebant? cur abscondebantur, ne pontifices fierent? Numquid Apostolo non credebant? Credebant plane: sed interim intelligebant, non Episcopi sedes, sed Episcopi virtutes, quæ multæ sunt et magnæ, esse desiderandas: *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitaliæ, doctorem,* et alia quæ ad Timotheum B. Paulus late prosequitur. *Nescitis ergo necistis, quid petatis,* quicumque dignitates Ecclesiasticas petitis.

Denique videre vultis, quam omni luce clarius sit, humilem locum esse securum, sublimem locum esse periculosum? Aspiciatque intuemini primos reges Hebræorum, Davidem et Saulem. Saul, cum privatus esset, erat omnium Hebræorum, Scriptura divina teste, sicut corpore maximus ita moribus optimus: evehitur ad regnum, continuo efficitur omnium pessimus, Deo rebellis, bene de se meritis ingratus, amicis infidus. Itaque Davidem tanto atrocius persequebatur, quanto plura et majora beneficia ab eo recipiebat. Ipse vero sanctus David, cum similiter privatus et facultatum pauperrimus esset, virtutibus ditissimus erat, ita, ut ne hostem quidem suum sibi a Deo in manibus datum lædere voluerit. At ubi ad regni gubernacula conscendit, adulterium homicidio copulavit: et qui privatus hosti pepercit, ideam rex devotum sibi famulum crudeliter interfecit. Quæ cum ita sint, auditores, quis in posterum loca sublimia et primas sedes affectabit? Si Saul et David, qui non regnum appetebant, sed a Deo vocati sceptrum oblata susceperant, tam misere corruerint, quis impune se ingeret? quis sedium fastigia non horrebit? quis Veritati non credet prædicanti atque dicenti: *Nescitis quid petatis?*

PARS POSTERIOR.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Beatissimus pontifex Augustinus refert in libro quinto de civitate Dei, olim Romæ templum virtutis et templum honoris fuisse, quæ quidem duo templa tali ædificio fuerunt ædificata, ut nemini ad templum honoris aditus pateret, nisi per templum virtutis. Ex quo veteres illi Romani, qui honorum cupidissimi erant, intelligi voluerunt, honorem esse præmium virtutis. Tale aliquid, auditores, mihi Dominus significare videtur, cum ait: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Tamquam si dicere voluisset: Crux, et regnum ita se habent, ut nemo ascendere possit in cælum, nisi per crucem: nemo seipsum fallat, ad epulas Paschatis, nisi per jejunium quadragesimæ nemo perveniet. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Quare, si vos, qui primas sedes in regno nunc petitis, intelligeretis, quantis laboribus, sudoribus, curis, incommodis, cruciatibus etiam et tormentis regnum cælorum vobis sit comparandum, non tam inconsiderate fortasse in eo primos honores peteretis.

Idcirco ait: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et simul, auditores, videte Domini sapientiam. Poterat enim jure discipulos suos ambitionis arguere, ac dicere: O discipulorum ambitiosissimi, et quandonam id meruistis? Ostendite labores, quos tolerastis? videamus sanguinem, quem fudistis? ubi sunt merita? ubi virtutum opera? Hæc est illa humilitas, quam vos docui? Ita mundum contemnere didicistis? Sed non erant eo tempore tam atrocis reprehensionis capaces, spiritualis militiæ tirones: quocirca reprehensionem suam ita Dominus temperavit, ut ignorantia potius, quam ambitione lapsi fuisse discipuli viderentur: *Nescitis, inquit, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

Sed cur nam, dicet aliquis, tormenta et dolores calicem Dominus nominavit? Hujus rei, auditores, multæ sunt causæ. Primum enim ideo Dominus labores suos cibo, ut est apud Joannem, et dolores potui comparavit, ut intelligeremus, neminem apud nos tam libenter exquisitissimos cibos comedere, aut

vina suavissima bibere, quam ipse pro nobis non modo libenter, sed etiam cupide labores ferebat et dolores patiebatur : deinde potus restinguit sitim, et propterea nihil est, quod homines siti stimulati magis, quam potum desiderant. Vehementissima sitis vel maximis divitiis aquæ poculum anteponeret. Dominus noster Jesus Christus, auditores, salutem nostram non cupiebat, sed ardentissime sitiebat : infiniti amoris flammam in pectore tanquam in fornace Dominus nutriebat. Ardebat plane, ardebat patiendi cupiditate. Ex quanta siti, obsecro, ex quanto ardore illa verba prodibant : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum? Et : Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Hinc igitur Dominus pœnas et tormenta, quæ sitim illam restinguebant, calicem et dulcè refrigerium, voluit appellare. Præterea calix quantumvis magnus et plenus brevissimo tempore hauritur. Non enim quemadmodum cibus, qui dentibus teri, et huc atque illuc volvi et revolveri linguæ ministerio debet, antequam glutiat; sed in momento tangit, sentitur et transit. Quare Dominus admonere nos voluit de brevitatem laborum et pœnarum, quæ in hoc sæculo perferenda sunt. Pertulit Dominus acerbissimos cruciatus; verum est id quidem, sed tamen celerrime transierunt, quemadmodum citissime calix etiam plenus hauritur. At post hujus brevissimæ vitæ curriculum, non calices, sed torrentes et maria pœnarum vel gaudiorum inveniemus. Qui enim hic calicem Domini libenter biberunt, ibi, non calice, sed *torrente voluptatis* potabuntur. Qui autem hic calicem Domini respuerunt, præcipitabuntur ibi *In stagnum ignis et sulphuris, quæ est mors secunda*. Verum igitur est, quod Apostolus Paulus ad Corinthios scribit dicens : *Id enim quod in præsentimomentaneum est, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*. Rursum, calix ebriosos homines et furiosos facere solet. Id, quod Noe Patriarchæ legimus accedisse : ex quo et nudatus filio ad ignominiam patuit. Quod si ita est, quidni passio Domini calix verissime nominetur : cum eum ita salutis nostræ ebrium fecerit, ut nudari se vestibus omnibus, et in crucem agi, et in ea pendere ad mortem usque in conspectu maximæ multitudinis minime recusaverit? Neque solum ebrietatem, sed etiam sumnum calix inducit : quod et in Domino passionis calix

efficit. Nam ubi calicem illum exhaustit, de quo scriptum est : *Calix meus inebrians quem præclarus est*, mox dormire cœpit, et cum triduo in eo summo peregisset, surrexit, *Tanquam potens crapulatus a vino*. Denique, auditores, in calice interdum amara, sed salubris, et ad morbum expellendum apta potio sumitur. O præclarum mysterium. O vere sapiens et salutare Servatoris inventum! Gravi morbo, auditores, jamdudum genus humanum afflictabatur, mors erat in januis, medicamentum illi necessarium erat : sed pharmacum tam amarum et tam potens imbecilla et tenera hominum natura minime patiebatur. Quid igitur mater, et nutrix nostra divina sapientia fecit? nempe quod nutrices facere solent : quæ cum vident infantulos suos laborare, et amaram potionem tam teneram ætatem ferre non posse, ipsæ pharmacum sumunt, ipsæ amarum calicem bibunt, ut inde lac salutare infantuli sugant. Ad eundem modum, auditores, nutrix nostra sapientia Dei, trabea carnis induta, non egebat quidem ullo pro se medicamento, quæ *Peccatum non fecit : nec dolus inventus est in ore ejus*, pro nobis tamen, tamquam bona nutrix, calicem passionis accepit, ut lac Sacramentorum nobis præberet. Quare, auditores, *Quasi modo genti infantes, lac concupiscamus*, si nostra sancta nutrix ad calicem bibendum pigra non fuit, qua pœna digni erimus si nos ad lac quærendum pigri simus? Sed jam de calice satis multa dicta sunt, cætera videamus.

Post illa enim verba : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*, addit S. Marcus, *aut baptismo, quo ego baptizor baptizari?* Quæ verba leguntur etiam in codice græco B. Matthei. Neque vero, quæ hic de baptismo dicuntur, mysterio carent. Dominus enim duplicem crucem passus est, unam in corpore, alteram in corde. Nam et desiderio nostræ salutis, et patiendi cupiditate et dolore, quem ex præscientia periturorum hominum cupiebat, vehementissime cruciatur in corde : et simul atrocissimo clavorum, et spinarum, verberum et plagarum supplicio torquebatur in corpore. Crux illa interior calicis nomine significata est. Exterior vero baptismatis appellatione. Siquidem calix hominem purgat interiorius, baptisma eundem lavat exteriorius. Neque injuria Dominus petit a discipulis, an et calicem bibere, et baptismo baptizari possint : nam prælatos, et principes et pastores, quales illi fieri cu-

piebant, utramque crucem et cordis, et corporis ferre necessarium est. Nam et vigilare super gregem, et de bonis pascuis cogitare et contra varios ovium morbos medicamenta, et quod caput est, maximo desiderio salutis ovium flagrare et æstuarere debent. Et hæc quidem est crux interior. Deinde etiam, ut crucem interiorem ferant, concionandum est, sæpe etiam itinera faciendæ, pauperum hominum querelæ patienter audiendæ, perversorum inimicitiae non timendæ, vitia et verbis et re ipsa ac factis extirpanda, denique multa illis pericula subeunda, multæ molestiæ superandæ, mors ipsa, si fuerit opus, fortiter appetenda est. Vultisne ut hujus rei testem vobis gravissimum adducamus? Testis sit nobis Apostolus Paulus. Quo pacto, quæso, persuades nobis, Apostole beatissime, te Christi ministrum, id est, Ecclesiæ episcopum esse? *Ministri, inquit, Christi sunt? Et ego (ut minus sapiens dico) plus ego.* Quamobrem obsecro? Audite rationes: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum: semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore, in ærumnis, in vigiliis multis, in fame, in siti: in jejuniis multis, in frigore et nuditate, præter ea, quæ extrinsecus sunt, præter crucem, inquit, istam exteriorem, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Vere ergo B. Paulus et calicem Domini bibebat, et sanguinis baptismate lavabatur.*

Cæterum quidnam B. Jacobus et Joannes Domino respondeant: audiamus. *Dicunt ei: Possumus.* Ex ambitione quid, nisi cæca et inconsiderata temeritas nasci poterat? *Dicunt ei: Possumus.* Philosophi dicere solent, propterea solem, dum oritur aut occidit, majorem spectantibus apparere, quam in meridie, quod in ortu et occasu per interpositos quosdam vapores cernendum se præbeat. Eodem modo ambitiosus majores arbitratur vires suas, quam sunt; quia per interpositos cupiditatis suæ crassissimos vapores eas intuetur. Hac ergo ratione et Apostoli decepti, *Dicunt ei: Possumus.* Hæc

est illa præclara virtus, quam in B. Jacobo nostri temporis homines imitantur. Nam si forte petebatur ab iis, qui onera Ecclesiastica et curam animarum quærunt: Num castus esse potes, respondet alacriter: Possum. Num gregem tibi commissum verbo Dei assidue pascere potes? Possum. Num præter victum et vestitum nihil amplius accipere de sumptibus Ecclesiasticis, et reliquum egenis dispensare potes? Possum: Num animum pro ovibus tuis, si necessitas postulet, ponere potes? Possum. At ubi non verbis, sed facto opus est, nihil possunt, levissimæ tentationi succumbunt, super gregem dormiunt, super honores vigilant: de prolixitate brevii, de beneficii tenuitate queruntur, ovium recordantur numquam, opum obliviscuntur numquam. Et undenam, quæso, tam cæca temeritas, ut ad omnia, *Possumus*, respondeant? Nimirum, auditores, quia per interjectos ambitionis vapores vires suas intuebantur. Deinde idem ambitiosis accidit, quod evenire iis solet, qui ex edito aliquo loco ea, quæ deorsum jacent, intuentur. Scipio Africanus, quem Cicero per quietem in cælum ascendisse finxit, cum ex orbe lacteo mundum hunc inferiorem contemplaretur, vastissimas regiones quasi maculas quasdam ac veluti puncta cernebat: et contra stellarum globos inter quos ipse tunc erat, tantæ molis esse videbat, ut diceret ab illis orbem terrarum facile superari. Eodem plane modo, auditores, ambitiosus ex excelso monte superbiæ, in quem jam conscendit, onera prælatorum, quæ multa et maxima sunt, veluti humilia et vilia, et humi jacentia ac longe posita cernit: Atque ideo non mirum est, si parva, et levia, et humeris suis longe inferiora esse dijudicat: at opes et honores et cætera commoda, quæ ante oculos obversantur, imo quæ in corde habere se videt, magni facit, et vere eximia et excellentia bona esse censet. Hinc nimirum perversa illa et execrabilis consuetudo in Ecclesiam invecta est, ut animarum gubernatio per alios procuretur, redditus nemine committantur. O ambitiose cæce, siccine Apostolorum proprium munus committis aliis; Judæ provinciam reservas tibi? Descende, descende, cæce de monte, discute vaporem cupiditatis, remove nubem ambitionis, accede ad curam animarum propius, magnitudinem, difficultates, pericula intueri, et tunc, si audes, responde, *Possum.* Cæterum quicquid ipse dicas, te ipsum fortasse

falles, Dominum certe non falles. *Sed de vobis*, auditores, spero *mcliora et viciniora saluti*. Ad Evangelium igitur revertamur.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est a Patre meo. Videte rursus atque imitamini Dominisapientiam. Certe illa responsio; *Possumus*, magis fuit temeraria quam fuit ambitiosa petitio. Ex quo etiam acribiori reprehensione digni erant: Dominus tamen maturissimo consilio, neque illo indignatur neque eos objurgat; non enim omnia vitia eodem die reprehendenda sunt: sed hodie unum, cras alterum, postridie tertium, atque ista sensim omnia extirpantur. Cum ergo Dominus cerne- ret verum esse, quod illi responderant, quamquam nescirent, quo pacto id implendum esset, non enim viribus naturæ, ut ipsi existimabant; sed gratia Dei, calicem bibituri erant. *Ait illis: Calicem quidem meum bibetis*. Dominus noster, auditores, consuevit amicis ac familiaribus suis calicem istum laborum et molestiarum propinare, quemadmodum vos in conuiuviis vestris facere soletis: et quo quid domino magis est familiaris, eo prius et frequentibus calicem istum Dominus ei propinat. Idcirco ait: *Calicem quidem meum*, ut mihi conjunctissimi atque amicissimi, *bibetis*. Ex quo intelligi potest, quam eam B. Jacobus Domino fuerit, cum ipsi omnium primo inter Apostolos martyrii calix a Domino propinatus sit. Sed rursus *Calicem*, ait non vestrum, sed *Meum*, quia pro justitia pati et martyrium ferre, non est humanæ infirmitatis, sed benignitatis divinæ *Vobis donatum est*, inquit Apostolus Paulus, *pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Et B. Episcopus et martyr Cyprianus, cum in sermone de lapsis ostendisset, quam multi tempore persecutionis a Domino defecissent, ad forum ultro concurrissent, Dæmonibus immolassent, Christo renuntiassent: *Corona*, inquit, *de Dei benignitate descendit, et non potest accipi, nisi fuerit hora sumendi*. Legite epistolam Plinii ad Trajanum, et ubi eognoveritis, quam facile multi a Christo ad idola tormentis territi revertuntur, dicite martyrium Dei donum excellentissimum esse; et non temere Dominum dixisse judicabitis; *Calicem meum bibetis*, quem scilicet nisi ex me habere minime potestis.

Est item et alio ratio quare suum dixerit calicem, quem non ipse, sed discipuli bibi-

turi erant: nempe quia multi imo vero omnes homines laborum calicem bibunt, sed non omnes calicem Domini bibunt. Respicite divites, avaros, numquid calicem non bibunt? numquid crucem non ferunt? maxime vero et crucem ferunt et calicem bibunt. Nam nec noctu dormiunt, nec interdiu quiescunt; sæpe in itineribus, semper in negotiis versantur: in numerandis autem pecuniis, et tempus, et manus et cerebrum conterunt: fraudes cogitant, lucris inhiant, opes aueupantur: et interim tamen nihil retibus suis, nisi timores et dolores, curas et sollicitudines capiunt. Pauperem vident? Suspiciantur furem. Divitem vident? Suspiciantur latronem. Ferunt igitur crucem et bibunt calicem, sed Judæ, non Domini. Quid de ambitiosis hominibus dicam? O quam grande, et quam amarum poculum bibunt, dum ad honores anhelant, suspirant ad cathedras, cum isto æquari, illum superare contendunt, et quem præire sibi vel uno passu videant, invidentiæ rabie consumuntur. Crux ista crux mali latronis est, et istum calicem Diabolus, non Dominus propinavit. Porro Hæretici et isti calicem bibunt: nam et concionum laborem libenter tolerant, et facultatibus interdum spoliari, et cædi et cremari, sed non tam fortiter, quam pertinaciter ferunt: neque tamen inde præmia ulla aut coronam reportant; sed potius ex brevibus suppliciis transeunt ad æterna. Quid ita? Quia non calicem Domini, sed Diaboli bibere voluerunt, et ideirco supplicium, quod pro hæresi patiuntur, *Non est*, ut Cyprianus ait, *fidei corona, sed pœna perfidiæ*. Quamobrem illis dicitur solum: *Calicem meum bibetis*; qui pro justitia, pro veritate, pro Christo, non pro avaritia, pro ambitione, pro hæresi labores et cruciatus alacriter subeunt et patiuntur.

Sed interim alia, nec minus apta hujus loci intelligentia mihi se offert: fortasse enim *calicem meum* maluit dicere, quam vestrum: quia nunquam servus Christi calicem bibit, quin etiam eum illo Dominus bibat. *Calicem*; inquit, *meum bibetis*, quia nunquam sine me illum bibetis. Cum Dominus Petro ex urbe fugienti occurrisset, interrogatus ab illo, quonam iret? respondisse fertur (ut Hegesippus in historia sua scriptum reliquit) *Eo Romam, iterum crucifigi*, tamquam si diceret: Tu quidem, Petre, pro me, sed non sine me in crucem agendus es. Undenam, obseero, erat, ut Dominus in

horto, cum obitum sibi irminere cerneret, timeret et mœstus esset; Andreas autem ante crucem, Laurentius in craticula exultaret? Et cur Dominus Patrem rogavit, ut calicem passionis ab eo transferret, et apostoli eundem calicem bibere ardentissime desiderarunt? Numquid famuli Domino fortiores erant? Minime vero, auditores. Sed cum Apostoli et Martyres calicem biberent, Dominus eos juvabat: cum Dominus biberet, nemo¹ juvabat. *Torcular*, inquit, *calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.* Itaque dum Martyres cruciarentur exterius, eos Dominus reficiebat et recreabat interius: et calicem fellis non sine mellis admixtione illis propinari sinebat. Et ideo *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* At ipse Dominus calicem plenum fellis et absynthii, sine ulla dulcis liquoris admixtione ebibere voluit. Merito igitur calicem suum Dominus dixit, quem non nisi per ipsum, et pro ipso, et non sine ipso discipuli bibituri erant.

Sequitur: *Sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, sed quidem paratum est a Patre meo.* Multas ejus loci apud veteres expositiones invenio. Ac in primis non defuerunt, qui dicerent, eas sedes Moysi atque Eliæ esse paratas, ut quemadmodum in monte Dominus in medio eorum apparuit, ita perpetuo sit futurus in gloria. Quorum sententiam sicut B. Hilario placuisse scio, ita beato Hieronymo et posterioribus minime probatam esse video. Ariani vero, ut B. Ambrosius libro de fide quinto testis est, hic doceri existimabant, Filium Dei non esse Patri æqualem, sed potestate longe inferiorem, cum sedem in regno, cui voluerit, dare non possit. Verum hæc Arianorum opinio, seu potius gravissimus et perniciosissimus error, facile refellitur, si vel cum B. Augustino hæc Domini verba ad formam servi referamus, et sensus sit: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo,* hoc est, non pietate humana, sed auctoritate divina gloriam regni cœlestis impartior. Idecirco iis est meum eam donare, quibus ab ipsa æternitate sempiternus Pater, non sine Filio tamen, paravit. Vel certe cum Nanzianzeno, cum Hieronymo, cum Chrysostomo aliisque sanctis et eruditis patribus dicamus; regnum cœlorum non cuique, sed laborantibus certantibus et vincentibus esse paratum, atque

idecirco jure Dominum affirmasse, non esse suum, qui sapientissimus et justissimus est, illud ambitiosis et elatis concedere. Ut autem exemplo rem totam illustremus: Finge potissimum aliquem regem coronam auream eurrentibus in stadio constituisse, et eam auctori se daturum promisisse, numquid si amicus aliquis regis a rege contenderet, ut ea sibi propter amicitiam corona daretur, numquid, inquam, non merito audiret: Non est meum, hoc est, æquitatis et justitiæ meæ non est, ut eam coronam propter amicitiam largiar tibi, quam mercedem laboris et virtutis in stadio decertantium esse volui? Eodem plane modo Dominus respondet: non enim propterea, inquit, quod aliqua cogitatione mecum copulati estis idecirco primæ sedes in regno dandæ sunt, cum, eæ jam sint fortiter certantibus præparatæ: sed tum demum eas a me obtinere poteritis, quum tam grandi præmio tum gratia mea. Quum industria et labore vestro dignos vos efficietis.

Verum hinc, auditores, eam conclusionem effici video, quæ et nobis summam utilitatem et consolationem afferre potest, quam quæso, diligenter animis nostris mentibusque mandemus. Quænam igitur est ista conclusio? Regnum cœlorum non personis, sed virtutibus dari: neque enim regibus, pontificibus, magistratibus, nobilibus, divitibus: aut contra, privatis, obscuribus, pauperibus, promitti videtis: sed iis dumtaxat, qui in quocumque fuerint statu, in eo bene se gesserint et virtutum operibus enituerint. Nec B. Jacobus ideo regnum cœlorum intravit, quia Apostolus fuit; sed quia bene in Apostolatu se gessit. Agimus enim in hujus mundi teatro veluti quamdam comœdiam, Deo giudice, et Angelis spectatoribus. Dum comœdiæ aguntur, iste personam regis, ille pontificis repræsentat: alius agit servum, alius dominum, alius plebeium, alius patritium, alius rusticum, alius magistratum. Quo autem spectant omnes actores? Ut regem potius, quam villicum agant? Minime vero. Quomam igitur? Nimirum eo, ut suam personam; quæcumque illa sit, apte et composite repræsentent. Sæpe enim accidit, ut is, qui servum vilissimum egit, quia eam personam bene est imitatus, miris laudibus ab omnibus extollatur. Is vero, qui regem repræsentabat, quod frigidus in agendo fuerit, conviciis et sibilis explodatur. Ita prorsus, auditores, se nostra res habet: Comœdiam agimus, et ideo illi

contingit regis persona, isti Pontificis, ille Theologum, iste jurisconsultum agit, alius laicum, alius clericum repræsentat, et interim Deus est Judex, qui non terretur sceptris regum, neque tiaris Pontificum, neque purpuris imperatorum, sed eos commendat, et præmio afficit, qui suam personam bene gesserunt, illos contra reprehendit, et tormentis addicit, qui secus fecerunt. Judas Apostolus, hoc est, Episcopus et Doctor erat, Stephanus Diaconus, hoc est, minister et discipulus fuit, exacta tamen comœdia Judas ex theatro explosus in gehennæ incendium ruit; Beatus Stephanus totius comœdiæ plausibus exceptus ad cœlum cum honore sublatus fuit. Quamobrem? Quia Stephanus discipuli personam egit bene; Judas autem personam Apostoli egit male. Itaque contingere potest, et sæpe, ni fallor, contingit ut rex, et Pontifex et jurisconsultus et Theologus, æternis cruciatibus adjudicentur, et Pontificis cocus et regis mancipium, et alius, nescio quis, imperitus et plebeius æternis præmiis affecti beatis Angelorum agminibus inserantur, nec immerito: cum illi sublimes illas personas non bene præsentaverint isti autem suas, licet viles, et abjectas personas præclare et eleganter gesterint. Hinc Beatus Gregorius ait: « In examine justis Judicis mutat merita ordinum qualitas actionum. ». Et B. Hieronymus: « Cernis, inquit, scribens in Jovinianum, quod Episcopus, Presbyter et Diaconus non ideo sint beati, quia Episcopi vel Presbyteri sunt vel Diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioqui si Diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo quod inferiori gradu est, apud Christum deterior erit. »

Frustra igitur auditores, frustra mortales ad sublimiora semper anhelant, cum in eo potius vehementer laborandum sit, ut in eo gradu, in quo positi sumus, ita nos geramus, ut divinæ majestatis oculis minime displiceamus. In quo Beatissimus Jacobus maxime enituit. Cum enim Apostoli personam ageret, et ex piscatore mutorum animalium piscator hominum esset effectus, ita serio provinciam sibi commissam administravit, ut etiam, cum ad supplicium duceretur, sui muneris minime immemor, hominem quem-

dam piscatus sit, et non solum fidei, sed martyrii quoque consortem habuerit, ut Clemens Alexandrinus et Eusebius Cæsariensis scriptum reliquerunt. Deinde cum martyris personam agere et calicem Domini bibere deberet, tanta constantia et alacritate id egit, ut velut signifer agminis Apostolici primus certamen iniret, atque ex certamine coronam reportare meruerit. Sed quanto ille beator, quod calicem tam amarum tanta alacritate biberit, tanto nos infeliciores, qui eum nec videre quidem, nec olfacere sustinemus. Et tamen, auditores, cogitandum nobis esset, ac dicendum, si beatissimi Christi discipuli, si invictissimi martyres, si hic ipse Apostolus eximius Jacobus, si mater Filii Dei, si ipse Filius Dei, non nisi calice laborum et dolorum epotato regnum cœlorum ingredi potuerunt; quis ego sum, qui sine ullo sensu doloris in lecto plumaceo ad cœlum per Angelos me transferri debere præsumam? Numquid Dominus vehementius me diligit, quam illos dilexerit? Numquid mea præsentia illi tantopere necessaria est, ut sine me regnum cœlorum consistere non possit? Et si calicem istum Domini hic ad tempus ferre non valeo quomodo calicem iræ Domini ferre valebo, quem perpetuo peccatores in inferno bibere compelluntur? de quo mihi Scriptura prædicat, dicens: *Ignis grando, nix glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Nemo igitur, auditores, nemo se fallat, si ad eam gloriam cupimus pervenire, ad quam effecti et creati sumus, ad quam hodie Beatissimus Jacobus pervenit, eadem nobis via capienda est, quam ille suscepit, serio de animæ salute cogitandum, neque solum cogitandum; sed reipsa et factis omni diligentia procuranda. Neque tempus expectandum. Nam tempus est breve, iter est longum, socordia humana magna est, et animæ negotium negotium negotiorum est. Quare, auditores, vos, simul et meipsum oro atque obtestor, ut in eo dissoluti et negligentes non simus, in quo verum et solum bonum nostrum positum est, ut tandem aliquando ad eum, in quem credimus, perveniamus, Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXXIX.

DE SANCTO LAURENTIO

THEMA

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.

Joan. XII, v. 24.

SYNOPSIS

Breve S. Laurentii Martyris encomium exordii vices sibi vindicat, et ad propositum thema accingitur oratio. In primis itaque præmittitur, quem scopum Christus, dum hæc loquebatur, propositum habuerit. Quomodo Christus, creator et creatura, et in duplici suo adventu, maximus et minimus fuerit, ex occasioneseinum sinapis et frumenti, ostenditur. Duæ causæ afferuntur, cur Christus se grano frumenti comparet: una sumitur ex ipsius grani virtute et proprietate: altera ex fructu, quem producit; ubi Catholicorum Ecclesia, non vero Hæreticorum, spicæ ex Christo grano ortæ apte assimilatur. Quod sine Christi morte muddus salvari non potuisset, sed solus ipse justus fuisset, probatur; unde quantum fructum moriendo attulerit, figuris Adæ dormientis, Rachel partu icentis, Moysis petram percutientis, et similitudine agricolæ seminantis demonstratur. Quod Ecclesia a Catholica in suo incremento semper et ubique eadem manserit, contra vero Hæreticorum dogmata variare, vacillare et facile arescere affirmare exemplis confirmatur. Per verba deinde textus triplex in fringitur error: primus, eorum, qui ob mortuum granum Christum, se animam suam amando posse salvari, existimant: secundus Lutheranorum, fidem absque operibus sufficere credentium. Tertius denique, otiosorum, qui soli manere volunt, nec

fructum bonorum operum requiri ad perfectionem autumant Quæ vita amanda, quæ odio prosequenda; et quomodo aliquando in corpus nostrum sævire, non attentis ejus querelis, oporteat, docetur; atque medici exemplo, rei natura et experientia, malum malo pellere solitis, comprobatur. Quomodo præterea ad id nos ducet Martyrum constantia et præsertim D. Laurentii, cujus certament breviter narratur. Tandem ad mortificationem corporis et injuriæ tolerantiam, loco conclusionis efficax consequitur adhortatio.

Clarior Laurentii flammis, quam solis luce dies, et illustrissimo martyrio ad æternam posteritatis memoriam consecratus, tantam mihi ad dicendum alacritatem affert, optimi auditores, quantam hæc tam præclari triumpho commemoratio et Ecclesiæ universæ lætitia debet afferre. Hic enim invictissimus Christi miles et clarissimus martyr, adolescens egregius, fide eruditus, pietate conspicuus, Spiritus sancti igne succensus, divino lumine illustratus, omni fortitudine insignis, sapientia præstans, sanctitate perfectus, signis et prodigiis admirandus, morte denique et martyrio gloriosus, cum sempiternæ illius beatæque vitæ desiderio flagraret, ejus gloriam, qui vita est omnium, assereret, et facultates Ecclesiæ in pauperum sinibus pie reconderet, hujus brevissimæ lucis usuram cum immortalitatis munere commutavit: ab hominibus quidem in terris injuste dam-

natus, sed a Christo jure et merito in cœlum sublatus, et florenti laurea, pretiosis lapidibus gemmisque clarissimis coronatus.

Et quidem si de laudibus tanti martyris dicere vellem, metuendum mihi profecto esset, ne dies potius in tam illustri causa me versantem, quam oratio desereret. Verum Evangelica illa et dominica verba, quæ inter sacra missarum solemnities recitari audivistis, me rapiunt ad se, et elegantissima illa similitudo de grano frumenti, quod nisi moriatur, fructum afferre non potest, me quodammodo cogit, ut cæteris omnibus argumentis præternissis ad eam explicandam aggrediar. Tantam enim utilitatem, tantumque emolumentum cum ad fidem confirmandam, tum ad mores corrigendos, in ejus expositione positum esse video; ut non sine causa mihi persuadeam, ipso quoque Beatissimo Laurentio gratiorem hanc orationem futuram, quam si solum ejus laudes prædicantem. Nec enim in tam perfectæ tamque excellentis charitatis gradu constitutus, magis de suis encomiis, quam de nostra utilitate sollicitus esse ulla ratione posset.

Sacra igitur evangelii verba audiamus et ea Domino inspirante breviter explicemus: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Antequam ad ipsa Evangelii verba explicanda accedamus, illud est nobis veluti fundamentum jaciendum, cum sibi finem ac scopum in hac parabola Dominum proposuisse, ut intelligamus, Deum omnino decrevisse nemini ad regnum cœlorum, nisi per crucem, aditum aperire. Videt enim Deus nos, etiamsi Christiani, etiamsi Catholici, etiamsi clerici simus, nihil tamen aliud perpetuo cogitare quam quomodo in otio esse et in honoribus crescere et divitiis humeros onerare possimus. Videt hæc, inquam, Deus, et nostri misertus clamat: O, o quo pergitis? Non est ista via, quæ ducit ad cœlum: sed potius quomodo laboretis, et parvuli efficiamini, et non solum divitiarum, sed etiam propriarum vestium onere sublevemini, considerare debetis. Siquidem regnum cœlorum, tametsi amplissimum, latissimum et maximum est, tamen portam humillimam et augustissimam habet. Et quia nos id non videmur intelligere posse, ideo nihil frequentius in Evangelio Dominus repetere solet. Cam igitur post solemnem illum in-

gressum in Jerusalem, quando cum olivarum et palmarum ramis lætissimisque acclamationibus Jerosolyma Servatori suo obviam processit, gentiles quidam, ac celebritate permoti Dominum videre desiderarent, idque Dominus ex Andrea et Philippo cognovisset, tamquam bona occasione sibi oblata, dicere cœpit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet,* tamquam si dicere voluisset: Erit quidem tempus, quando me gentes requirent, et de numero fient ovium mearum, et vocem meam audient, et *Fiet unum ovile et unus pastor,* et tunc laudes meæ, et nomen et gloria ubique celebrabuntur. Sed nondum venit hora ista. Ante mihi fortis armatus, qui custodit atrium suum, debellandus, et vasa ejus diripienda, et Adæ peccatum expiandum, et mors, quam incurristis, exterminanda, et vita, quam perdidistis, reparanda est. Ut enim granum frumenti non prius frugem ex se fundit, quam terræ complexu et calore solis tepefactum, et corruptum fuerit ita neque ego ante salutis humanæ fructum ferre potero, quam vitam pro vobis et sanguinem fudero. Habetis igitur, auditores, et scopum parabolæ, et unde Dominus ejus dicendæ occasionem habuerit. Nunc similitudinem ipsam exponamus.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Dominus noster, auditores, duobus seminibus se diversis temporibus comparavit, grano sinapis, ut est apud Matthæum, et grano frumenti, seminum videlicet omnium minimo et maximo. Nam granum sinapis omnium seminum minimum esse ex Evangelio didicimus: frumenti autem granum aut maximum, vel certe in maximis esse, experientia rerum magistra nos docet. Quid igitur hic mysterium? Quod Sacramentum latere existimatis? Nimirum illud hic latet mysterium, quod Nestorius, alique Hæretici multi intelligere nunquam potuerunt. Quid enim est maximum, nisi Deus? quid minimum, nisi creatura? Solus igitur Christus maximus et minimus est, *qui cum in forma Dei esset; semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Sic enim tunc divina atque humana natura in unam colere personam, ut unus prorsus atque idem creator esset et creatura, terminatus atque immensus, genitus ab æternitate et ortus in tempore, dominus et servus, verbum et caro, Deus et homo, maximus et minimus. Deinde cum duo sint adventus

Salvatoris ; unus, quem fuisse jam credimus, alter, quem esse futurum minime dubitamus ; in illo minimus apparuit, in isto maximus apparebit. Quid ? Quod in ipso etiam priori adventu et minimum et maximum Dominum cernere licet. Nam qui nascitur in stabulo, et pannis involvitur, et in præsepio reclinatur, qui adhuc infans vulnera excipere, et regum impetum effugere, et in Ægyptum ire compellitur, qui pro beneficiis injurias, pro verbis salutaribus convitia, pro curationibus maledicta et verbera, et necem reportat, qui denique albis iudumentis ut insanus vestitur, qui spineam coronam, et sceptrum arundineum et purpuram jam detritam, ut rex ridiculus, ferre cogitur : cui Barabbas homicida et vir sceleratissimus antepositur, qui virgis cæditur ut reus, in crucem agitur ut latro, in medio latronum moritur ut princeps furum et flagitiosissimis flagitiosior, numquid non minimus et novissimus virorum tibi esse videtur ? Contra vero, nonne maximus est ille, qui nascitur ex Virgine, cujus ortum Angeli cum cantu et lætitia celebrant, quem vix dum natum stella prodit. Reges metuunt, Magi venerantur, qui siccis pedibus ambulat super aquas, qui ventis, et tempestatibus imperat et obediunt, qui cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, ægris incolumitatem, et mortuis vitam reddit : quo moriente terra tremit, lapides franguntur, sepulcra aperiuntur, velum scinditur, sol deficit, cœlum ipsum tenebris densissimis obducitur : qui denique post triduum devicta morte et inferni carceribus reseratis mundo redivivus apparuit ? Vere igitur Dominus Christus et minimus, et maximus : et granum sinapis et granum frumenti.

Multa hic, auditores, de grano frumenti dici possent : quia magnitudine, specie, sapore, utilitate, cæteris seminibus antecellit, et quia, quod est in corporibus cœlum, in sideribus sol, ignis in elementis, aurum in metallis, in virtutibus charitas, et in animalibus homo, id est in seminibus granum frumenti. Multæ rationes coacervari possent, cur Dominus huic potissimum grano se comparare voluerit. Cæterum nec mihi hæc persequi per temporis angustias licet, et facilliora sunt, quam ut nostra explicatione indigeant. Duas igitur dumtaxat hujus rei causas aperiam, quarum altera ex ipso grano sumitur : altera ex fructu, quem producit.

Ut igitur primam grani vim, et naturam contemplemur, granum frumenti, et quodlibet

aliud semen exiguum est mole, sed virtute tantum est ut plane incredibile sit iis, qui usu vim illius non didicerunt. Constituamus enim ante oculos arboris alicujus miram magnitudinem, ligni duritiem, corticis asperitatem, ramorum varietatem, foliorum viriditatem, florum pulchritudinem, fructuum denique colorem, saporem, odorem, speciem consideremus. Quis, obsecro, harum rerum tam dissimilium, et disparium, tam discrepantium originem exiguum granum fuisse non miretur ? quis non stupeat ? quis facile credat ? Ubi enim in tam parvo semine ligni durities, ubi corticis asperitas, ubi saporis odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum ? et tamen hæc omnia latent in semine : et quod magis est admirandum, ipsum semen latet in semine. Ex semine quippe producitur radix, ex radice procedit virgultum, ex virgulto oritur fructus, ex fructu rursum oritur semen. In semine igitur et radix, et virgultum, et fructus, et ipsum semen delitescit. Deinde quis capiet, ipsum semen, quamdiu integrum est, et incorruptum, vim nullam exercere posse : ubi autem corruptum et dissolutum fuerit, tunc radices, et truncum et ramos et flores et fructus, et omnem illam arboris molem ex se fundere ? Quæ cum ita sint, non sine causa Dominus grano vel semini comparare se voluit. Aspiciate enim atque intuemini Ecclesiæ magnitudinem, sublimitatem, majestatem, senatum Apostolorum, Martyrum agmina, Virginumque cœtus, Pontifices, Presbyteros, Diaconos, aliosque gradus inferiores, tam multos, et tam diversos ordines hominum religiosorum, aliaque maxima et innumerabilia Ecclesiæ ornamenta considerate. Undenam, obsecro, prodierunt hæc omnia, nisi ex illo crucifixo Salvatore ? ex illo, inquam, semine, quod mole tam parvum videbatur, cum virtute maximum esset. Vere igitur Christus et granum, et semen, cum ex ipso, qui tam humilis et abjectus apparebat, illa Ecclesiæ arbor processerit, quæ extendit ramos suos ad ultimas usque orientis et abeuntis solis, aquilonis, austrique partes et cujus umbra cunctum operuit orbem terrarum.

Porro altera ratio ex ipsa spica, quæ fructus est grani et seminis, de quo loquimur, colligi potest. Quid enim est spica, nisi multitudo granorum, non sparsa, neque confusa ; sed composita, cohærens, ordinata, et contra avium morsum munita callo arista-

rum? Talis, auditores, talis omnino est illa Ecclesiæ spica, quæ ex Christo semine prodiit. Primum non tam arcte grana in spica sibi invicem copulata sunt, quam sunt vere Christianorum et Catholicorum animi fidei et charitatis nexibus colligati. *Erat*, inquit, B. Lucas in Actis Apostolorum, *multitudinis credentium cor unum et anima una*, hoc est, grana multa erant, sed spica una erat. Et modo quoque vere credentium est cor unum et anima una. Idem sapimus, idem sentimus omnes, grana multa sumus, sed spica una sumus. Quamquam enim, qui in peccatis versantur, charitatis vincula fregerunt; tamen si vere credentes et catholici sunt, ejusdem fidei nexibus in eadem Ecclesiæ spica cum cæteris colligantur. Quid enim existimatis responsuros, si interrogentur de Ecclesia, de Sacramentis, de Pontifice, de purgatorio, de justificatione, de merito, de arbitrîi libertate, aliisque rebus ad fidem pertinentibus, Catholicos, qui degunt in Hispaniis? Idem quod nos. Et qui degunt in Italia? Idem. Et qui in Gallia et Germania? Idem. Et qui in Asia atque Africa? Idem. Et qui orbem nuper inventum, et latissimas Indorum regiones colunt? Omnino idem. Et patres, avi, atavi, majores denique nostri, si similiter interrogati fuissent, quid quæso, respondissent? Plane hoc idem. Qui vero erunt post nos, nepotes, inquam et posterî nostri, de fide quid sentient? Idem omnino quod nos. Quicumque igitur Catholici sumus, grana multa sumus, sed spicæ unius grana sumus. At Lutheranorum et Calvinistarum synagogæ quid? Christi spicæ? Non. Quid igitur? Infelix lolium et sterile avenæ sunt, cum in eadem provincia, in eadem civitate, in eadem domo, pluribus linguis isti loquantur, quam loquerentur olim in turri Babylonica, qui eam ædificabant, neque sciunt ipsi hoc anno, quid sequenti anno credituri sunt.

Deinde, ut grana in spica pulcherrimo quodam ordine posita sunt, ut alia sint inferiora, alia superiora, ita vero in Christi vera Ecclesia non omnes sunt Sacerdotes, non omnes doctores, non omnes pastores; sed ordine quodam alii aliis muneribus præficiuntur. Quemadmodum et in cœlesti hierarchia non omnes sunt Angeli, neque omnes Archangeli, neque omnes Principatus, neque omnes Potestates, et in corporibus nostris non quodlibet membrum est oculus, aut auris, aut lingua, aut manus ergo Lu-

therana respublica, ubi omnes sunt oculi vel potius ubi nullus est oculus, sed omnes sunt lingua, palatum et venter; non spica, aut respublica aut corpus est Christi, sed chaos antiquum rudis indigestaque moles, et eo tandem præcipitanda, *Ubi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Denique quemadmodum spica munita est vallo aristarum, ita Christi Ecclesia *Terribilis est, ut castrorum acies ordinata*. Habemus enim scutum fidei, galeam salutis, thoracem justitiæ, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Cum igitur tantum sit inter granum et Ecclesiam similitudo, nemini profecto mirum jam videri debet, si grano frumenti potius, quam aliis seminibus seipsum Dominus comparaverit.

Ait igitur: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Quamquam enim Christi actiones infinitam vim ad promerendum haberent, et quodlibet Christi opus, etiam minimum, sufficere potuisset ad omnia totius humani generis peccata purganda atque delenda, quia tamen æterno consilio Deus optimus et sapientissimus decreverat, ut non nisi per mortem Filii sui orbis terræ salutem consequeretur, idcirco verissime Dominus ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipsum solum manet*. Quod vero tale fuerit Dei consilium, quale nos diximus, testis est D. Lucas, qui in actis Apostolorum ait: *Convennerunt vero in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri*. Id, quod et Apostolus Paulus non obscure declarat, cum ad Colossenses ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. Deinde sanctus David et omnes Prophetæ dum tam multa et tam perspicua de obitu Christi prædicunt, quid aliud, quam hoc magnum et immutabile Dei decretum hominibus prædicant. Quid postremo mors innocentis Abel, obedientia usque ad mortem Isaac, venditio Patriarchæ Joseph, et tot sacrificia in lege instituta, nisi hoc unum et maximum sacrificium significabant? « Hujus sacrificii, Augustinus ait, multiplicia varia-

que signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, et sine fastidio multum commendaretur. »

Igitur *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Et vere, auditores, ipsum inquam, manet. Nam cum mors, pœna, et stipendium peccati sit, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, et qui *Inter mortuos liber*, hoc est, innocens inter peccatores et inter injustos justus erat, mortis imperio subjacere non debuit. Et certe nisi propter nos moriendo aliorum onera ferre, et quæ non rapuit exsolvere decrevisset, nemo illum non modo interficere, sed nec lædere unquam potuisset. *Ego*, inquit, *pono animam meam, nemo tollit eam a sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam*. *Ego dormivi*, inquit, ego sponte, voluntate, non necessitate dormivi, *Et soporatus sum et exurrexi*. Ipsum igitur, nisi voluntarie moriatur, manet, non moritur, non corrumpitur, non dissolvitur, et solum manet. Cum enim omnium nostrum, qui in Adam mortui sumus, salus et vita ab istius unius grani morte, et passione penderet, si ipsum mori non voluisset, quis nostrum vivere potuisset? Neque igitur Patriarchæ, neque Prophætæ, neque Apostoli, neque Martyres, neque Confessores, neque Virgines, neque cætera beatorum hominum agmina cœlum tenuissent, neque in posterum aliquis ad illas beatissimas sedes aspirare potuisset, si Christus Dominus suo sanguine nos non abluisset et crucis ligno, veluti quadam clave, cœlum non aperuisset, sed ipse solus, qui solus justus et innocens erat, salvus et beatus fuisset. *Nisi igitur granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet*.

Sed enim auditores, ideo Dominus carnem suscepit, et novus Adam, et granum frumenti dici voluit, non ut otiosus esset, et fructum nullum adferret, sed potius, ut pater fieret futuri sæculi, et ut segetes, quæ ex corrupto semine tabidæ et corruptæ natæ fuerant, iterum ex incorrupto atque integro semine nascerentur et incorruptæ atque integræ fierent. *Oportet*, inquit, *vos nasci denuo*: ex patre servo servi nati estis, iterum ergo ex patre libero nasci debetis, ut liberi sitis. Idcirco sequitur, et ait: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Initio enim cum ex primo Adam mater omnium gentium Eva fieri deberet, immisit Dominus

soporem in Adam, et dum ipse dormire ecce de latere ejus Domino jubente Eva procedit. Evigilabat Adam, videt sibi datum adjutorium simile sibi, et ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, adhæret uxori suæ, et ecce duo sunt in carne una. *Sacramentum hoc magnum est*, auditores, *ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Quis enim Adam novus et cœlestis, nisi Christus? Quænam Eva mater nostra, nisi Ecclesia? Dormit igitur Adam in paradiso, moritur Christus in cruce: ex Adæ costa fabricatur Eva, ex Christi latere procedit Ecclesia: Eva uxor efficitur Adæ, Ecclesia sponsa efficitur Christi: ibi sunt duo in carne una; hic autem non sunt duo, sed una caro. Hoc est igitur: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*.

Rursum pulcherrima Rachel bis peperit filios: semel quidem cum gaudio et lætitia, et Joseph, hoc est, augmentum nominavit. Iterum autem cum tam acerbis cruciatibus, ut dum filium in lucem ederet, ipsa migraret ex luce, et prolem illam filium doloris sui voluit appellare, sed pater filium dextræ nominavit. O mysterium adorandum. O nobis utilissimum sacramentum. Quid enim Rachel pulcherrima, nisi sapientiam Dei significat? quæ *candor lucis æternæ, et speculum sine macula et luci comparata invenitur prior*. Hæc igitur a terna sapientia bis hominem peperit, auditores: semel creando, iterum recreando, ut jure ac merito dicere possit: *Filii mei, quos iterum parturio*: verum dum crearet, minime laborabat, imo et ludebat. Sic enim legis: *Cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*. Et tunc hominem Joseph, id est, augmentum appellavit. Siquidem ait: *Crescite et multiplicamini et replete terram*. At cum secundo eadem sapientia carne vestita filium pareret, numquid sine labore id fecit? Non sane, auditores, sed laboravit, sudavit, fatigata est. Et idem doluit, gemuit, clamavit, et tandem moriendo filium enixa est, quem ipsa quidem filium doloris sui dicere potuisset; sed Pater æternus dextræ et beatitudinis filium esse voluit: hoc igitur est: *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*.

Stabat aliquando Moyses coram silice, et virgam in manu tenebat et populis sitientibus petram percutere non audebat, sed aiebat: *Num ex petra hac vobis aquam elicere*

poterimus? Percursit tamen virga silicem, et ecce largissimæ aquæ profluxerunt. Ita plane, auditores, apparuit quondam in Sion lapis magnus, lapis angularis, lapis offensio- nis et petra scandali : populus sitiebat et lapis clamabat : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Verum Mosaici Sacerdotes et Scri- bæ et Pharisei impingebant in eum; et dicebant : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Scimus, quia hic homo pec- cator est.* Nathanael quoque dicebat : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed percute Judææ petram, feri silicem rebellis et incre- dule. Percutit Judæus lapidem, clavos figit, pectus fodit, et ecce scaturiunt fontes cha- rismatum, pluunt imbres Sacramentorum, currunt flumina sanguinis pretiosi, quæ pec- catorum maculas abluunt, virtutum plantu- las irrigant, et sitim terrenæ cupiditatis ex- tinguunt. Hoc est igitur : *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Denique, ut in proposita similitudine ma- neamus *seminat in lacrymis* agricola nudum granum, ut paulo post *in exultatione* metat. Emoritur quidem illud, sed mox resurgit, neque solum neque nudum, sed virescentibus foliis quasi vestitum, et multis sibi similibus granis ex omni parte stipatum. Ad eundem modum, auditores, Christus solus et nudus veluti semen in terræ visceribus jacuit re- conditus; sed post triduum exurrexit, im- mortalitatem, gloriam, et lumen et decorem indutus : et Ecclesiam simul ad vitam et lu- cem revocavit. Itaque ipse culmus, ecclesia spica, ipse caput, Ecclesia corpus, ipse ra- dix, Ecclesia virgultum, seu potius arbor pulcherrima et maxima est. Hoc est igitur : *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Verum auditores, in initio hæc spica more cæterarum frugum parva et tenera erat, sed paulatim Domino incrementum dante ad eam magnitudinem pervenit. Hæretici cla- mant, non erant in Ecclesia temporibus Apostolorum tot templa, tot ornamenta, tot aurea vasa atque argentea, tot cæremoniæ, tot festa, tot sermones : non erant, quia spi- ca recens orta, nisi parva esse non poterat. Sed numquid propterea nunquam esse de- buerunt? An vero, quia in mense Novembri in arvis vix herba conspicitur, in Julio et Augusto messis esse non debet? Et quia puer in primis annis, neque dentes neque barbam habet, in maturitate, postea barba et dentibus carere debet?

Crevit igitur Ecclesia, et multum vehe- menterque profecit, scientia, intelligentia, sapientia; ornatu et cultu rerum divinarum aucta est : eadem est tamen quæ antea erat, sicut et eos pueri, adolescentes et viri non alii, sed iisdem prorsus sumus. Nam quem- admodum nos dum crescimus et augemur, non alia membra acquirimus, quæ initio non haberemus, sed illa ipsa, quæ parva in pue- ris erant, magna fiunt in viris : et caput et genæ pilis quodammodo vestiuntur, et totum corpus, quod nudum ex utero matris in lucem prodierat, indumentis ornatur. Ita prorsus, auditores, dum crescit Ecclesia, non alios fi- dei articulos, aut alia Sacramenta aut alia Evangelia acquirunt, quæ antea non haberet; sed hæc ipsa explicantur ornantur illustran- tur. Initio nascentis Ecclesiæ, quot erant ar- ticuli fidei? Duodecim. At modo quot sunt? Numquid viginti quatuor? Minime : sed om- nino duodecim. Et tamen, quæ in illis articulis breviter continentur, in Concilio Nicæno et Constantinopolitano quodam modo explicata creverunt. Et Sacramenta quot erant Apo- stolorum temporibus? Plane septem. Neque plura aut modo sunt aut unquam fuerunt. Et hæc tamen sanctissimis cæremoniis, et aureis atque argenteis vasis, et pulcherrimo apparatu a religiosissimis pontificibus, qui *decorem domus Domini* dilexerunt, ornata atque instructa, majora et augustiora quo- dam modo esse videntur. Idem de rebus cæteris, quibus aucta est Ecclesia, si per tempus liceret, dicere possumus.

Sed illi sunt, auditores, illi, qui hujus spicæ incremento invidentes, eam eradicare conantur : non nocet domui, qui super eam ædificat, sed qui ejus diruit fundamenta : neque officit arbori, qui eam erigit, et ra- mos explicare, et flores ac fructus parere facit, sed multum obest, qui radices ejus evellere molitur. Et hoc est, quod hæretici faciunt, dum modo unum articulum, modo unum sacramentum, modo unum canonicum librum, modo ipsum Sacramentum de Eccle- sia tollere nituntur. Et quia id non valent efficere (nam *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*) venit Satan, et infelices ali- quot ramos et jam igni destinatos, ab Eccle- siæ trunco præcidit, et in sterili solo figit potius, quam plantat, et tunc exultantes Hæretici vociferantur, et dicunt : *Ecce hic est Christus*, hæc est arbor Ecclesiæ, quæ parva est, ut erat olim apostolicis tempori- bus : recognoscite fidei puritatem, sinceri-

tatem, simplicitatem. Sed non credimus vobis: nam vera spica ex Christi semine orta et vera arbor Ecclesiæ non potest, tam recens et tam exigua esse, quæ jam a pluribus quam mille quingentis annis orta est. Jam adolevit, jam radices altissimas ac profundissimas habet, et ramos suos *A mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* extendit.

Verum Deo gratias, auditores, rami isti præcisi, nullis nisi sibi, efficere potuerunt. Siquidem ipsi, quia radices non habent, arescent omnino, et pabulum fient ignis æterni. Ex arbore autem Ecclesiæ novi et meliores rami pro illis pullulabunt. Quis hoc ignorat, auditores? Quis hoc usu tam longo non didicit? Ubi enim jam sunt Hæretici Ariani, qui orbem pene totum jam sibi subigerant, ut Beatus Hieronymus diceret: *Ingeniuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* Ubi sunt Sabelliani? Ubi Macedoniani? Ubi Donatistæ? Ubi Manichæi? Ubi totalia infelicia monstra; nec ipsi, nec libri nec templa, nec dogmata illorum apparent: et nisi in voluminibus Catholicorum eorum nomina legeremus, fortasse nec si aliquando fuissent, intelligere possemus. Nec mirum; nam rami præcisi erant nec sine radicibus vivere diutius poterant. At Ecclesiæ arbor, semper floruit magis ac magis; et quam radices habent in cælo, concuti, agitari ramis et foliis spoliari potest; sed eradicari, et penitus excindi aut dejici minime potest.

Quæ enim ita sint, auditores, dubitare non possumus, nec debemus, quin etiam rami recens præcisi, Lutherani inquam et Calvinistæ, quamquam vigorem quemdam adhuc retinere et conservare videantur, arescere tandem, et sempiternis flammis cremari debeant, nisi Dei benignitate in arborem Ecclesiæ rursum inserantur. Erit etiam tempus Domino aspirante, quando ne vestigium quidem hujus incendii, quod modo restingui non posse videtur, apparebit: Deus enim ideirco ad tempus hæreses oriri, et ramos Ecclesiæ præcidi permittit, ut Ecclesiæ purgetur et confirmetur, et novis prodeuntibus ramis, revirescat et innovetur.

Sequitur. *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam.* Dominus noster, auditores, hactenus de seipso, verba fecit, atque ostendit, quo pacto viam nobis ad cælum aperire ac sternere decrevisset: nunc de nobis sermonem instituit, ac docet,

quid nobis faciendum sit, si ad eam gloriam cupimus pervenire, ad quam ipse, tamquam dux et princeps noster, viam munivit: et una atque eadem sententia tribus simul falsis opinionibus, quæ ex præcedenti oriri posse videbantur, occurrit.‡

Primum enim opinari aliquis potuisset, omnes homines salvos futuros, et regnum cælorum adepturos esse. Nam si pro omnibus granum frumenti mortuum est, et inefficax seminis virtus esse non potuit, cur non omnes resurgere ad vitam, et ad gloriam debent? Verum Dominus respondet, non omnes, imo nec majorem partem hominum, sed paucos quosdam salvos fore. Siquidem ait etiamsi granum frumenti moriatur, et fructum multum afferat, tamen *Qui amat animam suam, perdet eam: et qui mihi ministrat, me sequatur.* Numeremus, auditores, eos, qui animam suam, hoc est, vitam suam non diligunt, et qui Christum per arctam illam et difficilem viam sequuntur; fortasse non multos, fortasse paucos, fortasse nec unum in hac tam frequenti concione reperiemus. Non vos decipiam, auditores, non adulator vobis. *Popule mi, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt:* non ita ego a Domino didici, quem auditores suos reprehendisse frequenter lego, laudasse numquam lego. Et præcursor Domini Joannes Baptista initio concionis aiebat: *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* Hæc ejus exordia erant, ita benevolentiam et gratiam sibi conciliabat.

Paucos igitur, paucos, si verum dicere volumus, numerare poterimus, qui vitam suam oderint in hoc mundo, millies eam periculis exponere sunt parati potius quam vel levissime Dominum suum offendant. Qui autem viam illam lapidum et spinarum plenam cum Domino ingredi velint, nescio an aliquos simus inventuri: quando non solum ii, qui mundo palam inserviunt, sed etiam clerici et ministri Domini nihil aliud, quam otium et quietem consecantur. Videas adolescentem ornatis moribus, et præclaro ingenio philosophiæ et theologiæ operam dare, petas ab eo, quo spectant illa studia? quo illi diuturni nocturnique labores diriguntur? num, ut armis Domini sui tam bene instructus in solem et arenam descendat? nam, ut in agro, num, ut in vinea Christi laboret? Non sane, hoc respondebit; sed, ut divitem canonicatum habere possit, ac deinceps tranquille et quiete vi-

vat, et *In labore hominum non sit*; et nescit miser eos, qui in labore hominum hic ad tempus esse nolunt, in laborem dæmonum perpetuo esse venturos. Profecto si mentis oculos in eam viam, quæ ducit ad inferos, intendere volueritis, videbitis eam tam frequentem, tam celebratam, tot curribus, et equis refertam, ut vix tantam hominum multitudinem capere possit, invicem se comprimunt, aliis aliis pellit, ad gehennæ incendium festinant, tamquam si properarent ad nuptias. At contra via illa, quæ ducit ad cælum, deserta et invia quotidie magis ac magis efficitur. *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem*: ibi crescit herba, Christus pene solus est ibi, et interim clamat: *Qui ministrat mihi, me sequatur*. O saltem vos, qui ministri mei dicimini, o clerici, o Sacerdotes, quid vos cum via lata, quæ ducit ad inferos? cur me non sequimini? cur animarum salutem negligitis? cur spinas horretis? cur molestias fugitis? cur talentum absconditis? Tempus fuit, auditores, quando se Christo homines commendarent; nunc mihi opus esse videtur, ut nos hominibus Christum commendemus. Ne, quæso, fratres, ne ita solum Christum relinquamus, sed singuli potius in humeros cruce sublata tantum ducem per tribulos et saxa, per clavos et lanceas persequamur, ut cum pauci sint, qui salvi fiunt, ex illis paucis esse digni simus.

Verum enimvero, auditores, non ideo pauci qui resurgent ad vitam, quod inefficax aut sterile fuerit granum frumenti, quod pro nobis mortuum est: sed quia socordia et nequitia sua homines, vel misceri se in spicam, et ejus effici grana non sinunt, vel jam grana spicæ effecta excuti se, et in terram dejici, et ab avibus cæli, id est, dæmonibus devorari facile patiuntur. Sic igitur profigatur quæstio prima.

Sed ecce adest Lutheranus nescio quis, qui unum errorem ex verbis Domini confirmat, et ait: Si granum frumenti mortuum est, ut multum est, et multum fructum attulit, hoc est, humani generis salutem procuravit, nihil profecto nobis efficiendum dimisit: sed velimus nolimus, modo tamen credamus, salvi erimus. Falleris, Lutherane, falleris. Non est ita. Sed licet frumenti granum mortuum sit et fructum multum attulerit, nisi tamen *Oderit animam suam, perdet eam*. Itaque non solum credere nos jubet, sed etiam animam nostram odisse, et ejus ves-

tigia sequi: sic etiam dicit Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*. Quod exemplum, Beatissime Petre, quæ vestigia, sequi nos jubes? Numquid fidei exemplum? ut sicut ille credit, ita et nos credamus? At in Domino, qui faciem Patris semper videbat, fides locum habere non potuit. Quid igitur exemplum, quænam igitur vestigia? Ipsum audiamus: *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*. Hæc igitur vestigia sequi debemus, si salvi esse velimus: patientiam, constantiam, fortitudinem, et cæteras præclaras et Christiano nomine dignas virtutes.

Jam vero postremus error quorundam est nimis torpentium et desidiosorum. Invenias enim nonnullos, qui cum audierint verbo illa Dominica: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, referunt ad se atque aiunt: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, non addidit, putrescet, confringetur, in ignem mittetur: sed ipsum solum manet*. Igitur manebo, et salvus ero, etiamsi fructum non attulero. Erras, frater, falleris, deciperis: non enim de te, sed de se Dominus ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet*. De te autem audi, quid dicat: *Qui amat animam suam, perdet eam*, hoc est, qui pati et mori, ut fructum multum adferat, noluerit, non dico, ipse solum manet; sed perdet animam suam. Vides quam bene Dominus errorem tuum et falsam opinionem refellat? O utinam, auditores, aperiat Dominus aures cordium nostrorum, et intelligamus verbum veritatis. Nemo dicat: Non occidam: non mœchabor: non falsum testimonium dicam: a rebus alienis mentem, oculos, manus abstinebo. De cætero autem mihi vivam, ad proximorum calamitates oculos claudam, otium et quietem consecabor: nemo, inquam, hæc dicat: Siquidem hodie necessitas nobis imposita est, aut fructum, quantum possumus, afferendi aut certe animam nostram perdendi.

Neque hoc novum est atque inauditum, auditores. Recolite mecum Evangelium: qui talentum in sudario conservavit, et domino repetente integrum restituit, numquid non audivit: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*? Quamobrem? nunquam talentum

dissipavit? numquid amisit? numquid non diligenter custodivit? Custodivit sare, et integrum, ut diximus, restituit: sed cum usura reddere debuit, quod accepit. Et quia id non fecit, merito audivit: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Quæ cum ita sint, auditores, excutamus torporem, operi manum admoveamus, proximorum salutem cum Christo sitiamus, et talentum, quod accepimus, cum fœnore reddere Domino studeamus.

Video, auditores, me telam, quam incepti, propter temporis angustias, non posse perficere: faciam igitur id, quod viatores facere solent, qui tametsi proposuerint ad urbem aliquam pervenire; tamen ubi solem occumbere vident, ad illud hospitium divertunt, quod primum occurrit. Sic, inquam, et ego, cum telam texere totam non possim, ubi horam fluxisse cognovero, orationis meæ filum præcidam. Quemadmodum igitur illa sententia Servatoris: *Qui amat animam suam perdet eam,* tres perniciosi errores refellantur, hactenus audivistis: sequitur, ut illam ipsam sententiam breviter explicemus.

Qui amat, inquit, *animam suam perdet eam.* Duo sunt nobis hoc loco fundamenta constituenda. Unum, animæ nomine vitam hic esse significatam, ut Cyrillus, Augustinus et Chrysostomus docent. Alterum, non omnino hic vitæ amorem prohiberi, alioqui non adderet Dominus: *Qui autem oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Vitam igitur in hoc mundo dumtaxat odisse, in altero autem amare et custodire jubemur. At vero, cur et quomodo vitam in hoc mundo odisse, in altero diligere debeamus, audite.

Atque ut exemplis rem totam ob oculos proponamus, fingite febri ardentissima aliquem laborare, eaque stimulatam vehementer sitire, et ab iis, qui domi sunt, magnis contendere precibus, ut sibi aquæ poculum adferatur. Porro medicum interea accersitum adesse, et ubi ex concitatore motu venæ febrium exploravit, ad ægrum converti, et dicere: Vena renuntiat febrim, idcirco vide, ne forte incautus gelidam aquam bibas: si enim id feceris, primo quidem modicum levaberis, deinde tamen multo gravius vehementiusque afflictaberis. Quod si tunc æger medico responderet, ac diceret: quomodo tam sævius in carnem meam unquam esse potero, ut ei etiam aquæ poculum denegem? Arctioribus, medice, arctioribus nexi-

bus charitatis cum ea sum colligatus, quam ut eam ulla ratione contristare possim. Nonne medicus jure cum stomacho diceret: Agas, ut lubet, vivas ratione tua, qui mea non potes: verumtamen illud scito, quod si carnem tuam sic affectam, ut est, diligere, et eam minime contristare volueris, interficies eam: si vero ad tempus carnem ægotam oderis, et eam pharmacis, inedia, cauteriis aliisque medicamentis sævieris, eam sanam, integram et benevolentem in non modicum tempus conservabis.

Pari ratione, auditores, si natura nostra in eo vigore et integritate permansisset quam a Deo effectore in sua conditione receperat, nunquam Dei verbum, medicus humani generis, diceret: *Qui amat suam animam, perdet eam,* neque jejuniorum aut vigiliarum aut ipsius martyrii nomen unquam audivissemus. Verum quando per peccatum primi hominis in gravissimum morbum incidimus, plane nobis necessarium est medici consilium audire, pharmaca ab illo constituta non spernere, et in ægram naturam nostram ad tempus sævire, ut eam sanam et incorruptam in æternitate custodire possimus. Nam etsi interdum baptismi salutaribus aquis, vel pœnitentiæ medicamento vulnus peccati curatum est; tamen et sæpe in morbum recidimus, et semper fomes et concupiscentia, radix peccatorum, nobiscum perseverat. Unde tam multæ, et tam distortæ ac tam effrenatæ appetitiones perpetuo pullulant, ut Apostolus Paulus dicere cogeretur: *Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum.*

Est autem hæc natura rerum, auditores, ut clavus clavo tradatur, et venenum veneno, et malum malo, et perturbatio perturbatione pellatur. Hausit quis venenum, vel nequitia inimicorum vel incuria domesticorum? mox pharmacum ex venenis variis compositum sumere jubetur. Æger est aliquis, et consolatione et refectione indigere videtur? medicus tamen afflictum rursus affligit, et venam secat, membrum urit aut medicamentum bibere cogit, quod stomachum ægri totum conturbat. Quid ita? nimirum, ut humorum temperamentum morbi perturbatione sublato medicamento perturbatione restituatur. Sic etiam ille, qui homicidium fecit, reipublicæ membrum præcidit, ac proinde quietem illi et tranquillitatem abstulit: venit iudex, et homicidam agit in crucem, atque ita membrum alterum

reipublicæ præcidendo, quietem illi et tranquillitatem reddit. Ita plane, ita, auditores, Deus facere solet. Siquidem malum culpæ curat malo pœnæ : ac propterea peccatores in gehenna pœnarum nunquam deseret, quia nec ipsi deserent unquam malum culpæ. *Superbia eorum, qui te oderunt*, ait David, *ascendit semper*. Hinc igitur benignissimus et sapientissimus medicus noster Christus, dum in corpore sumus, dum morbus curationis est capax, quando quis nostrum peccat, pœnitentiæ pharmacum proponit, et ne quis potionis amaritudinem causetur, addit, et dicit : *Qui amat animam suam perdet eam*.

Quid igitur nos facere oportet, auditores? Plane, quod ægri facere solent vel debent. Ut enim illi, dum medicus contra ægritudinem præliatur, non debent a partibus ægritudinis contra medicum stare, sic enim nunquam morbus debellaretur : sed cum medici dextera suas dextêras jungere, et communi consilio bellum gerere contra morbum : ita et nos, cum Deus non in corpora nostra (ut sapienter D. Basilius ait) sed in peccata nostra desæviat, ideo crucem in humeros tollere, et gemitus fundere, et orare, et vigilare, et jenunare nos jubet, ut aliquando peccati pestis radicitus eruat, et sanitatem perfectam in cœlis consequi possimus.

Audire non debemus, quid ægra, et insana, et futurorum bonorum nescia caro, vel cupiat, vel postulet, vel quærat : sed cum Deo medico sapientissimo et salutis nostræ studiosissimo dexteras jungere, et in nos ipsos sævos ad tempus et crudeles existere decet. Igitur si peccasti, frater, confitere : si rapuisti, restitue : si petulans caro turpes ingerit, cogitationes, et in flagitia te impellit, corpus cæde flagellis, coerce jejuniis, compesce ciliciis, humi cubationibus reprime. Et si dura ista tibi videntur, duriora erunt tormenta gehennæ, et si carnem tuam, quam diligis, contristare vel modicum times, audi : *Qui amat animam suam perdet eam*. Si qui injuria te, aut contumeliis affecerunt, non illis irascaris, sed potius ut bene de te meritos amplectere. Siquidem ut Beatissimus Franciscus dicere solebat : Qui nos vexant illi partes nostras contra pessimum inimicum, carnem videlicet nostram, quam nos ipsi domare non possumus, capiunt. Et si hoc tamquam nimis crudele factum exhorres, audi : *Qui amat animam suam, perdet eam*.

Aspiciamus, fratres, atque imitemur Chri-

sti martyres invictissimos et milites Domini strenuissimos licet virgas expediri, et gladios nudari et ignes accendi, et bestias incitari, et cruces aptari, et alia innumerabilia atque exquisitissima supplicia diaboli nequitia excogitata, parari viderent, minime tamen moveri aut flecti ullo modo poterant. Quamobrem, charissimi? Nempe, quia ista Domini verba in cordibus suis jam scripta legebant : *Qui amat animam suam, perdet eam : et, qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*.

Ac ut de cæteris sanctis Martyribus dicere omittamus, certe noster Beatissimus Laurentius, cujus inclyto martyrio Ecclesia illustrata hodie potissimum exultat et gaudet, cum esset adhuc adolescens, et in ipso plane flore ætatis, quando jucundior vita hominibus esse solet, et cum non æreum corpus, nec lapideum sed carneum et sensibus præditum haberet, sicut nos omnes habemus, et interim sibi tam acerbum, tam atrox, tam inauditum supplicii genus præparari videret, ut lento igne corpus torrendum, et longissimis cruciatibus vita sibi finienda esset, numquid tamen ingemuit? numquid fidem abnegavit? numquid non tyrannum irrisit? Et unde in tam tenero et delicato adolescente tanta animi fortitudo? tantum robur? tanta constantia? Nimirum, quia non surdis auribus audierat : *Qui amat animam suam perdet eam ; et qui oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Astabat cruentus carnifex, ferream craticulam præparabat, nudatum adolescentem, et virgis crudelissime cæsum, super eam extendebat, arden-tes prunas supponebat, jam stridor teneræ carnis audiebatur, jam sacrificii odor diffundebatur, jam membra delicata solvebantur, et interim aures martyris beatissimi sirenarum illæ voces feriebat : Parce adolescens infelix, parce ætatis flori : quid magnum est in Christum aliquid dicere? nega fidem, et vive ; dic unum verbum, et tantis cruciatibus libera. At ille, quia non extrinsecus verba sonantia, sed intrinsecus sibi loquentem, et magnis clamoribus repetentem : *Qui amat animam suam perdet eam*, vigilanter attendebat, licet corpore semiusto, lætus tamen et hilaris tyrannum irridebat.

Audierat plane, audierat Beatissimus Laurentius et in corde penitus reposuerat illa verba : *Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit : se Christi Diaconum, hoc est, ministrum esse*

noverat idcirco in qua urbe Sacratum Domini sanguinem ministrabat, in ea pro Domini fide sanguinem suum fundere gestiebat. Nec ejus spem, et desiderium Dominus fefellit. Sanguinem igitur fudit, imperatorem in prælio non deseruit: propterea laurea juxta suum nomen coronari, et cœlestem Jerusalem triumphator intrare, et ubi Christus est, et ipse tamquam fidelis minister, esse promeruit.

Nos autem, auditores, quid? numquid solum audire et laudare, et admirari gesta sanctorum, et eorum labores momentaneos, et gloriam diuturnam et præmia sempiterna debemus? Cur non potius Uriam illum imitamur, cui ex castris venienti, cum diceret David, ut in domum suam abiret, et quieti paulisper se traderet, fortiter omnino respondit: *Dominus meus Joab, et servi Domini mei super faciem terræ manent, et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Dominus meus Joab, auditores, imperator, inquam, noster Christus scalam crucis ascendit, ut regnum cœlorum pro nobis expugnet: plagas excipit, lanceis foditur, vulneribus conficitur, neque tamen descendit: et servi Domini mei omnes sunt in acie, alii lapidantur, alii secantur, alii decerpuntur, alii bestiis objiciuntur, alii flammis torrentur, alii circumeunt in melotis, in pellibus caprinis, egentibus, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terræ, alii mundo, et deliciis valedicentes in monasteriis reconduntur, et ibi jugiter obedientiæ holocaustum offerunt Domino, donec transeant dies mali, et spiritus dicat, *ut requiescant a laboribus suis*: et nos in umbraculis sedentes otiosi, manibus complicatis, horas et dies, et menses et annos numeramus: comedimus et bibimus, ludimus et ridemus, ducimus *In bonis dies nostros et in puncto ad inferna descendimus.*

O quam multi sunt, auditores, qui inconsiderate viventes ante se in gehennæ incendiis vident, quam de illis cœperunt cogitare? Nunc, nunc, hac hora, hoc momento incipiamus, fratres. Numquid non legistis de templo Salomonis, quo pacto dum erigebatur, sonitus mallei non est auditus? Siquidem in alio distantissimo loco lapides polie-

bantur et accommodabantur, ut cum ad templum deferrentur super ædificium impositi optime cum aliis cohærent. Ad eundem modum in cœlorum regno, ubi vivis ex lapidibus Jerusalem construitur, mallei sonitus non auditur, non ibi labores jejuniorum tolerandi, non eleemosynæ faciendæ, non injuriæ perferendæ, non salus animarum procuranda est; sed hic tusionibus, pressuris poliuntur lapides, ibi autem disponuntur permansuri per manum artificis.

Neque dicat aliquis: Ego quidem percuti et poliri, vexari et cruciari, martyrium ferre et sanguinem fundere pro Domino sum paratus, sed abest persecutor. Non credimus, frater, non credimus, neque facile id nobis persuadebis. Nam si martyrium ferre potes, quare si quis te torve aspiciat, ferre non potes? Si sanguinem dare potes, cur pecunias dare non potes? Si vulnera excipere potes, cur verbum unum, quod per aerem volat, et corpus non tangit, patienter, audire non potes? Si in vinculis, et carceribus et equuleis pro Christo manere potes, cur jejunare, orare, horas canonicas paulo prolixiores recitare non potes? Cum igitur ista minima et levia non possis, neque illa magna et gravia posses. Et si persecutor adesset, non unam fidem, sed septem, ut ait Tertullianus, abnegares.

Quocirca, auditores, per salutem animarum vestrarum, per capita vestra oro vos, statuete aliquando, imo vero statuamus jam, nun regnum cœlorum adipisci velimus et si quidem id volumus intelligamus, non esse istum ludum puerorum, neque in ultimis negotiis ponendum; sed primum id maxime velle et ardentissime cupere et quotidie a Domino petere non vocibus tantum, sed gemitibus et suspiriis, et perpetuo de eo cogitare debemus. Deinde operi manus admovendæ sunt, et nulla lucris spiritualis occasio dimittenda, nullis parcendum laboribus, omnia pericula, et difficultates animi fortitudine superandæ sunt: omnibus autem et mundi blanditiis et carnis illecebris, diaboli molitionibus, terroribus, minis, tamquam scutum opponamus illa Domini verba: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Hæc verba semper in ore, semper in corde volvamus, ut ad eum, qui illa protulit, perveniamus Jesum Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XL.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

THEMA

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. *Luc. x, v. 38.*

SYNOPSIS

Utilitates festivitatum sanctorum, et causæ assumptionis B. Virginis breviter narratæ, exordii vices subeunt; et ad explicationem evangelii præparatur oratio. Quomodo nostra anima sit spiritualis domus Dei, quam in firma fide fundare oportet, secus quam faciunt hæretici, pagani et Judæi. Quomodo Christus et Petrus sint Ecclesiæ fundamenta subordinata; et cur Hæretici extra hæc fundamenta in arena ædificent, pulchro discursu probatur. Fidei articulos ad unum omnes esse tenendos, vulgari quidem, sed apposita similitudine calcei, docetur. In spirituali domo supra fidem fundata spem loco parietum esse debere, demonstratur; qua ratione spes omnia gravia faciliat, et quam vana sit impiorum spes, seu potius præsumptio, testimonio Sapientiæ confirmatur. Ne tamen hæc spes in temeritatem degeneret, lecto charitatis, secundum S. Scripturæ doctrinam, sartatecta est custodienda; ac proinde domus spiritualis fundamento fidei innititur, parietibus spei erigitur et lecto charitatis perficitur.

Secunda pars in laudibus B. Virginis occupatur, ubi primum ipsius firma fides, singularis spes et perfecta charitas dignè extollitur; ceteraque exercitia et desideria post ascensionem Christi ad finem usque vitæ describuntur. Tandem obitus ipsius breviter narratur, ubi deinde pro-

batur, corpus B. Virginis etiam in cælum assumptum fuisse. Quantis præterea gaudiis in vicem superatorum olim sub crucem dolorum perfusa sit, mira amplificatione adducitur. Virginem Deiparam esse mulierem amictam sole Apocalypsis, et quæ sint duodecim stellæ in corona illius; et quomodo lunam sub pedibus habeat, eleganter declaratur. Epilogus denique nos ad imitationem virtutum B. Virginis invitatur, atque, ut patrocinium ejusdem imploremus, graviter admonet.

Cum omnes festi dies, quibus divorum pie memoriam ac vitam religiose prosequimur (ornatissimi auditores) nos ad spem beatitudinis et immortalitatis ascendere, atque ad ea præmia consequenda, ad quæ illi pervenerunt, quasi stimuli quidam nobis esse deberent; tum vero maxime hodiernæ diei summam lætissimamque celebritatem id nobis efficere, regni cœlestis amorem animis nostris inserere, mentes erigere, desideria inflammare et stimulos concitare, par esset. Beata siquidem Virgo, non Deus, non angelus sed homo tantum erat, ejusdem naturæ, ejusdem mortalitatis, cujus nos omnes sumus: quin etiam, quod magis est admirandum, humilioris. Nam feminarum naturam infirmiore et humiliore esse, quam virorum natura sit, quis ignorat? et tamen hanc ipsam virginem, natura hominem, sexu feminam, conditione mortalem, ex hominibus natam, inter homines educatam, quæ ali-

quando esurivit, sitivit, fatigata est, jam terræ montes, spatia elementorum, cœlorum regiones transcendisse, et super omnes omnium Angelorum choros, ut Ecclesia canit, exaltatam, proxime ad divinum Numen accessisse credimus. Nec solum animo ita illustratam, ut intelligentiam, ac sapientiam Cherubim et Seraphim, aliarumque sempiternarum, ac prope divinarum mentium longe superest, sed etiam corpore quasi vestitam immortalis et glorioso, tantaque luce prædito, ut hujus solis splendor cum eo nulla ex parte comparari possit. Hæc igitur omnia nihil dubito, quin omnium vestrum animos feriant, atque in eis cœlestis gloriæ desiderium vehemens, et flammam amoris accendant. Sed, quid consilii capiemus, ut ad eam gloriam aliquando pervenire possimus? Quis explicabit nobis, quam viam prudentissima illa Virgo tenuerit? Nam et cœlum sublimius est, quam ut ad ipsum scalæ admoveri possint, et nos natura ita comparati sumus ut semper ad imum pondere nostro feramur. Atque utinam vel pennas haberemus, sicue columbæ, ut volando aliquid experiri liceret.

Ego quidem, auditores, diu apud me cogitans, quibus gradibus hodie Virgo Deipara cœlos ascenderit, video, eam non tam suis ac propriis viribus ascendisse, quam a Dei Filio assumptam, atque ad eam gloriam evectam admirabili ratione et modo fuisse. Nec sane immerito. Nam cum aliquando idem ipse Dei Filius de cœlis ad terras descenderet, et in propria quidem veniret, sed sui eum minime reciperent, hæc una optima atque sapientissima, summa alacritate occurrens, excepit illum in domum suam. Quid mirum igitur cum ipsa ex hoc nostro orbe in alium commigravit, si elementissimus Dominus ei vicem reddere, et eam excipere in suam regionem voluit? Id enim ratio hospitii postulare videtur, ut qui amice ab alio excipitur, is quoque alium libenter excipiat. Atque hæc causa est quantum opinor, cur Ecclesia Catholica mater nostra historiam illam Evangelicam hodie nobis proponat, cujus initium est. *Intravit Jesus in quoddam castellum : et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam ; et huic erat soror nomine Maria.* Nomine siquidem Marthæ et Mariæ una Domini Mater significatur, quæ et sollicitudine Martha, et contemplatione vere Maria fuit. Quæ cum ita sint, nihil me utilius explicare posse hodierna die existi-

navi quam hæc duo : ad quem modum videlicet olim Maria Christum et hodie Christus Mariam exceperit.

Ut igitur de eo, quod prius est, prius dicamus, cum Dominus in terras ad opus nostræ liberationis adveniret, omnes ferme alias domos, vel a dæmonibus occupatas vel semidirutas vel parum munitas, vel saltem minus ornatas et instructas invenit. Itaque in domum Virginis Mariæ, quam unam instar arcis munitissimam et instructissimam esse vidit, se recepit.

Quærat forsitan aliquis, qualis hæc sit domus, ad quem modum fabricata, quod fundamentum, quos paries, quod tectum habeat? « Domus Dei, inquit beatissimus doctor Augustinus sermone 22 de verbis Apostoli, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » Habet igitur domus hæc fundamentum fidei, parietes spei, tectum charitatis. Certe Ecclesia in oratione hujus hebdomadæ nihil aliud postulare videtur : « Omnipotens sempiternus Deus, inquit, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum. » Ecce domum. At in quem finem? Et : « Ut mereamur, inquit, assequi, quod promittis. » Quid promittit et præcipit Deus? Promittit nobis domum in cœlo, si nos illi hic in terris domum exhibeamus. Ergo ut mereamur assequi domum illam, quam promittis, fac nos libenter et gratis animis domum ædificare, quam præcipis. Beati plane, qui ejusmodi domum in suis animis habent. Hæc enim sedes sapientiæ est, hanc *Elegit Dominus in habitationem sibi.* Et quo tendunt omnes conciones, omnia Sacramenta, omnia præcepta, omnia consilia, omnes divinæ litteræ, omnes patrum lucubrationes, omnes nostræ contentiones? nonne huc, ut in animis nostris hæc domus ædificetur? atque in eam Dominum, dum vivimus, recipiamus, ut ipse nos in æterna sua tabernacula post obitum recipiat? Domus igitur Dei credendo fundatur : fides enim est fundamentum initiumque justitiæ. *Sine fide, inquit Apostolus Paulus, impossibile est placere Deo.* Et rursus : *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod remunerator sit inquirantibus se.*

Verum enim vero omni animi provisione cavendum est, ne forte super arenam et non super petram fundamentum nostrum collocemus. Nam, ut ipse Dominus apud Lucam admonere dignatus est, *Qui fodit in altum, et, ponit fundamentum super petram, ille sapiens architectus est : inundatione autem facta illidi-*

tur *flumen domui illi, sed non potest eam movere : fundata est enim supra petram* : Qui vero ædificat *Domum suam super terram*, stultus est : mox enim ut ad eam illiditur flumen, corrui, et fit *Ruina domus illius magna*. Cur quæso Hæretici, Judæi, Pagani, orant, jejulant, eleemosynas faciunt, et tamen omnibus suis operibus gehennæ incendium evitare non possunt. Cur ? Quia fundamentum suum super arenam posuerunt. Credunt illi, sperant, amant, domum ædificant, sed super arenam, non super petram. Quid est petra ? Christus. *Petra autem*, ait Apostolus, *erat Christus*. Et : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*. Itaque Pagani, Judæi Hæretici credunt, sed non Christo, nec in Christum : fundamentum ponunt, sed non super petram : propterea cum moriuntur, fit ruina domus eorum magna : omnia enim, quæ pro salute animarum suarum operari studuerunt, repente corruunt ; et ipsi cum operibus suis in gehennæ barathrum præcipitantur. Fides altare illud est (ut sapienter divus Augustinus docet) super quod operum sacrificia poni debent. *Cum offers*, inquit Dominus, *munus tuum ad altare*, hoc altare est fides in Christum : offerunt Pagani sacrificia, offerunt Judæi, offerunt Hæretici : sed Deo non placent, quia non super altare efferuntur.

Dicat aliquis : Numquid Hæretici non credunt in Christum ? Et quid aliud, quam Evangelium sonant ? Cur igitur super petram fundamentum non ponunt ? Hæretici omnes supra Christum quidem, auditores, fundamentum suum collocare se putant, sed vehementer aberrant : opinione et existimatione sua super petram fundamentum ponunt, re autem vera super arenam ponunt. Percipite, quæso diligenter, quæ dicam : duæ sunt petræ super quas ædes nostras fundare debemus : prior Christus, posterior Petrus. De priore Apostolus ait : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. De posteriore Dominus ait : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. At si *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, quomodo nos Petrum tamquam fundamentum aliud ponimus ? Dicam, auditores : nos Christum et Petrum non ex æquo fundamenta facimus, sed primum lapidem ponimus Christum, deinde super hunc lapidem collocamus Petrum. Itaque non Christus a Petro, sed Petrus a Christo tamquam a

fundamento sustentatur. Fundamentum igitur primum, et quod super alio fundamento non innitur, solus est Christus, ac de eo Apostolus ait : *Fundamentum, videlicet primum, nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*.

Jam vero quemadmodum et Christus et Petrus fundamenta sunt, breviter, si placet, explicemus. Christus ideo primum ac præcipuum fidei nostræ fundamentum est, quod ea omnia credimus esse vera, quæ Christus, quæ Dei sapientia, quæ veritas prima, quæ mentiri non potest, sive per Scripturam, sive alio modo nobis revelavit. Credimus Deum nostrum unum et trinum esse : credimus Deum verbum naturam humanam suscepisse : credimus nos omnes in ultima die a mortuis excitandos. Cur ista credimus ? Quia Petrus, quia Paulus, quia Joannes sic docuit ? Nequaquam. Cur igitur ? Quia veritas prima, nempe Deus, in quem mendacium non cadit, hæc ita esse revelare dignatus est. Itaque fides nostra super Christo, qui veritas est, tamquam super firmissimo fundamento innitur. Atque hactenus, auditores, ab hæreticis non discrepamus. Siquidem et illi palam affirmant, quicquid Christum dixisse constiterit, omnino esse credendum. Et si nihil aliud requireretur, nullus inveniretur hæreticus. Quid igitur hæreticum facit ? in quo, dissensio posita est ? quidnam in quæstione versatur ? Nimirum hoc. Quid illud sit, quod Christus sine dubio revelavit. Multa enim illi a Christo veritate prima revelata esse contendunt, quæ nos ab ipso mendacii parente revelata dicimus. Et contra, multa illi figmenta esse putant, quorum nos auctorem non alium, quam Deum agnoscimus. Quis igitur erit iudex ? Num Christus Dei sapientia, in Ecclesia nullum reliquit, ad quem in rebus dubiis recurramus ? Plane reliquit. Alioqui enim finalem rempublicam haberemus ? Quis igitur ille est ? Fremant Hæretici omnes licet, non alius, quam Petrus. Illum enim vicarium suum constituit, illum post se Ecclesiæ petram et fundamentum fecit. Illum in cathedra, tamquam omnium christianorum doctorem et magistrum posuit. Illi uni ait : *Ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Illi ait : *Pasce agnos meos ; Pasce oves meas*, hoc est, et matres et filios et Episcopos et plebeios, unus tu pascere doctrina et verbo veritatis debes. Ecce igitur vobis quemadmodum Petrus post Christum Ecclesiæ

tundamentum est. Christo credimus quicquid ille revelare dignatur : sed quid revelet vel revelaverit Christus a Petro, et ejus successoribus in eadem cathedra sedentibus, dicimus. Quæ cum ita sint, cum Hæretici omnes super hanc posteriorem petram ædificare, cum a Petro et ejus successoribus discere dedignentur, et ex suis capitibus dogmata fidei sibi fingant, quid mirum, si toto cælo aberrant et super arenam ædificant, cum super Christum ædificare se credunt? Atque hæc quidem de fundamento domus esse potuissent satis, nisi quidam mihi necessario admonendi essent quos in maximo errore versari intelligo.

Nonnulli sunt, auditores, qui omnia ferme constanti fide tenent, quæ Catholici homines tenent : unum est aut alterum dumtaxat, quod nondum sibi plane persuadere potuerunt ut purgatorium existere, ut sacras imagines venerandas esse, ut summum Pontificem esse Christi vicarium et Ecclesiæ universæ caput, et quoniam multa sunt, quæ credunt, unum dumtaxat aut alterum, quod non credunt, idque minimi ponderis, si cum articulis cæteris conferatur, existimant se satis bene super Christum fundamentum possuisse. Quid, inquit, et si in illo uno, quod adhuc credere non possum errarem, numquid Dominus in judicio ad illud unum respiciet? Et tam multa et tam difficilia, quæ credidi, non rescipiet? Ita nimirum isti sibi blandiuntur; quibus ego serio denuntio, eos a gratia excidisse, super arenam fundamentum jecisse, et nullam cum Christo partem habituros. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Aut integre fides habetur, aut non habetur penitus. Quæro abs te (ut rem ipsam crasso exemplo ostendam) cum tu calceos tibi a sutore fieri jubes si cum perfecti, absolutique sunt, uno digito sunt pedibus tuis breviores, num eos induere, num eis uti potes? Dices, Non possum. At non sunt nisi uno digito breviores, cur non potes cum tam parum illis ad justam mensuram desit? Ut igitur calcei tui, aut æquales sunt pedibus tuis aut nihil penitus valent : sic etiam fides aut integra est, aut fides non est. Nemo igitur seipsum fallat. Si domum ædificare cupimus, quæ a ventis et pluviis moveri non possit, super utramque petram, hoc est, super Christum et Petrum fundamentum ponere debemus.

Jacto veræ fidei fundamento, parietes spei erigendi sunt. Nec enim secus a fide nascitur spes, ac parietes a fundamento surgunt. Nam

cum Deum esse, et liberatorem hominum esse, et gloriam sempiternam diligentibus se paravisse credimus, continuo sperare incipimus, ejus benignitate et misericordia nos aliquando tandem per opera bona, quasi per gradus quosdam, ad eam gloriam perventuros. Mirum vero profecto est, quantum hæc spes animos nostros erigat, et ad omnes labores perferendos idoneos faciat : *Qui sperant in Domino, inquit Isaias, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ : current et non laborabunt : volabunt et non deficient.* Hic est eximius fructus hujus præclarissimæ virtutis ut hominem præsentem, robustum, fortem, erectum efficiat, et a laboribus difficultatem, a doloribus pœnam, a felle amaritudinem, ab ærumnis et calamitatibus mœstitiam et animi dejectionem auferat, et ii quidem, qui in actione inter homines versantur, *Current et non laborabunt* : illi vero, qui in contemplatione rerum cœlestium et divinarum versantur, *Volabunt et non deficient.* Equidem, auditores, ego sic statuo, nihil omnino grave aut arduum ei videri posse, qui semel probe intellexerit, quam excelsa atque sublimis sit spes Christianorum hominum. Quid enim Judæi aut Pagani sperant, nisi res quasdam exiguas et quæ corporis delicias non transcendunt? At vero Christiani homines Deum ipsum fontem et oceanum omnium bonorum aliquando se plane, sicut est, esse visuros et possessuros confidunt. Quod quidem bonum tantum est, ut non modo cogitationem et intelligentiam sed et desiderium nostrum longe superet : ut illa minora interim omittam, quod aliquando non solum animis angelis æquales, sed etiam corporibus sole illustriores et clariores effecti, non attingemus, ut ille ait, *Vertice sidera*; sed calcabimus pedibus sidera, et eam regionem perpetuo incolemus, a qua tam procul abest omne malum, quam procul a gehenna abest omne bonum. Intelligebat hoc Apostolus Paulus, cum aiebat : *Existimo enim quod non sunt condignæ passionnes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et : *Id enim, quid in præsentem momentaneum est, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

Verum ad quem modum de fide paulo ante dicebamus, cavendum esse ne super arenam fundamentum poneremus : ita et nunc de spe admonendum existimamus, ne ea super *Baculo arundineo* innitatur. Multi

sunt enim, qui quidem beatitudinem et immortalitatem sibi proponunt; sed ad eam, vel per affluentiam opum vel per amplitudinem dignitatum, vel per amicitias et necessitudines principum ascensuros se credunt. Isti omnes ponunt *Carnem brachium suum*. hoc est, super re maxime infirma et fragili innituntur: ædificant parietes, sed ex luto, non ex marmore, ita, ut levissimo ictu dejici possunt. Audite, quid ipsa Sapientia de ejusmodi architectis dicat: *Spes impii quasi lanugo est, quæ a vento tollitur: et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur: et tamquam fumus, qui a vento diffusus est; et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis*. Et quid, obsecro, facilius cadit, quam lanugo? Quid facilius dissolvitur, quam spuma? Si opes fures diripiant, et ubi erit spes avari? Si propter aliquam, sive veram sive falsam suspicionem a gratia principis aliquis excidat, ubi manebit spes ambitiosi? Ergo *Spes impii quasi lanugo est; et tamquam spuma, quæ a procella dispergitur*. Et quando nihil penitus horum occideret, nonne tandem aderit mors, et uno impetu luteos istos muros dejiciet? Nam propterea Sapientia addit, atque ait: *et tamquam fumus, qui a vento diffusus est; et tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis*. Aspiciate vestros caminos, nonne tantum fumus ascendit, quanta est longitudo camini? Ita sane: nam simul atque caminus deficit, fumus a vento diffunditur et in auras evanescit. Pari ratione spes impii tam diu durat, quam diu vita ipsa durat: vita deficiente, spes omnis, quæ in opibus et honoribus posita erat, continuo deficit, et parietes corruunt; ergo *Spes impii tamquam fumus est, qui a vento diffunditur*. Quid amplius? *Et tamquam memoria, inquit, hospitis unius diei prætereuntis*. Illustrissima sane similitudo, et ipsa Dei sapientia digna. Cum amicus aliquis, quem multis annis non vidimus, iter faciens ad nos divertit, quo apparatu, quæ lætitia, quo studio illum excipimus? Nihil loquimur, nisi de eo; nihil cogitamus, nisi de eo: nihil agimus, nisi pro eo: toti denique sumus in eo curando occupati. At posteaquam die sequenti recessit, alia negotia occurrunt animo, et statim amici hospitis obliviscimur. Ad eundem modum cum in hunc mundum ingredimur, qui (ut sæpe vos admonui) non domicilium, sed hospitium est, continuo ab amicis, affinis, honoribus, voluptatibus, tamquam hospiti-

excipimur, omnia nos circumstant, omnia ad se capienda et cumulanda invitant. At ubi mors, quasi nox quædam, vitæ diem claudit, nosque de hospitiis recedere cogimur, omnia nos deserunt, et domum æternæ oblivionis ingredimur, illi quidem, qui remanent in hospitiis, satis in iis excipiendis qui adveniunt, occupantur: nec eorum qui recedunt, diutius recordari possunt. Quid igitur *Spes impii est nisi memoria hospitis unius diei prætereuntis*.

Rursum alii quidam sunt, qui in Deo sperant, sed male et perverse sperant: nimirum ii, qui Deum suis flagitiis et facinoribus ad iram provocare non cessant: et tamen securi dormiunt, sperantque se ab eo æternam beatitudinem accepturos. Ista, auditores, non tam spes vana, quam temeritas et præsumptio est. Quid, inimicitias cum Deo perpetuas geris, et ab eo præmium speras, cum supplicium potius reformidare deberes? Non frustra ait Scriptura divina: *Spera in Domino et fac bonitatem*. Non sunt ista separanda, *spera in Deo et fac bonum*. *Spes enim ideo non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Nam quemadmodum n parietes nisi tectum superponatur, facile moventur et nutant: tecto autem superposito, confirmantur atque stabiliuntur; sic etiam spes nostra firma constansque esse non potest nisi eam charitas et opera bona comitentur.

Tectum igitur charitatis ad hanc spiritualem fabricam perficiendam plane necessarium est: neque vero ad parietes confirmandos tamen. sed etiam quia domicilium sine tecto, nec ab æstu, nec a frigore, nec a flatibus ventorum, nec ab imbribus, et procellis, nec ab aliis multis et gravibus cœli injuriis satis tueri potest. Porro, quam apte charitas tectum dicatur, quis non videt? Nam si tectum a tegendo dicitur, certe tectum est charitas. *Beati, quorum remissæ sunt, iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, inquit David*. Et quid, obsecro, tegit peccata, nisi charitas? *Charitas, inquit Apostolus Petrus, operit multitudinem peccatorum, Et: Remissa sunt ei peccata multa, ait Dominus, quoniam dilexit multum*. Si tectum est pars altissima et amplissima domicilii, recte tectum est charitas. *Nunc, inquit Apostolus Paulus, manent tria hæc, fides spes; charitas major autem, sublimior, celsior, latior, horum est charitas*. Si denique tecto absolvitur, perficiturque domus, certa

tectum est charitas. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Animadverti, inquit regius Psaltes, intellexi, cognovi, omnis perfectionis atque absolutio- nis domicilii spiritus finem esse latissimum atque amplissimum illud mandatum, quod et Deum, et proximos et inimicos compre- hendit. Domus igitur, optimi auditores, quam *Elegit Deus in habitationem sibi*, cre- dendo fundatur, sperando erigitur, diligen- do perficitur.

PARS POSTERIOR.

Ex iis domibus, quæ credendo fundantur, sperando eriguntur, diligendo perficiuntur, constat Jerusalem *Civitas regis magni*, non illa, quæ sursum est, quæ lætatur atque triumphat in cælis; sed ista, quæ adhuc est deorsum, et peregrinatur in terris,

Sed si sanctorum Ecclesia Jerusalem di- citur, quid Mariam fuisse dicemus, nisi arcem Sion vel templum Salomonis? Si omnes animæ justæ sedes sunt sapientiæ, quid tandem esse Mariam existimabimus? Quæ omnium istorum uno Christo excepto justissima fuit, et ipsum Solem justitiæ pe- perit? Singulari igitur ratione et modo *Elegit Mariam Dominus in habitationem sibi.* Quantum fidei, quantum spei, quantum charitatis in Maria extitisse censeatis: *Beata quæ credidisti*, exclamat Elisabeth, *quoniam perficuntur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Quam alte Maria fundamentum jecerat fidei, quæ cum se nihil aliud quam humilem et exiguam ancillam crederet, credidi, tamen ad mysterium incomprehensum, ad commer- cium admirabile, ad inscrutabile sacro san- ctum a Domino se electam, et inusitato mi- raculo supra ordinem naturæ sine ullo ex- emplo cum virginitate fecunditatem copu- landam, et se vere parentem Dei atque hominis mox futuram. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, patriarchis videlicet et pro- phetis, propterea *diligit Dominus portus Sion super omnia tabernacula Jacob.* Vere fuit filia Abraham, cujus egregia fides singulari præconio in sanctis litteris celebratur. *Fide obtulit Abraham, ut Apostolus ait, filium suum Isaac, arbitrans quia potens est Deus et a mortuis excitare.* Et quid minus fecit Maria? Nonne et ipsa fide obtulit Filium suum Do- minum nostrum Jesum Christum, cum in monte illo funesto juxta crucis patibulum

staret? et cur die tertia cum aliis sanctis mulieribus ad unguendum Dominum venisse non legitur, nisi quia firmissima fide crede- bat, non esse eum in tumultu requirendum qui juxta verbum suum jam ab inferis re- diisset. Nec enim suspicari fas est, eam ti- more perterritam ad sepulcrum cum cæteris sanctis feminis non venisse. Quomodo enim timebat, quæ ipso turbulentissimo tempore Judæis fuientibus, discipulis fugientibus, om- nibus mortem intentantibus juxta crucem imperterrita stabat? Enituit igitur fides in Maria, propterea *Elegit eam Dominus Deus in habitationem sibi.*

Neque vero de spe et charitate Mariæ pau- ciora dicenda essent, si per otium nobis li- ceret. Tanto siquidem fidei fundamento pa- rietes spei et tectum charitatis respondere par est. Quocirca nonnulli id, quod legimus in Psalmo, *Singulariter in spe constituisti me*, non immerito transferunt in Mariam. Quo- modo enim non singulari spe prædita Maria fuisset, quæ tot et tanta pignora divinæ di- lectionis acceperat? Nos gloriam illam bea- tam servi speramus a Domino: quomodo non magis eam mater speraret a filio? aut quomodo sempiterna et cœlestia bona sim- pliciter non speraret Maria, quæ omnia fra- gilia et terrena tanto mentis ardore despe- xerat? Singulariter igitur in spe Maria con- stituta fuit, propterea *Elegit eam Deus in habitationem sibi.*

Porro charitas, regina virtutum, in qua magis, quam in ipsa orbis regina enituisset? Si perfecta charitas in rebus adversis potius cognoscitur, quam in secundis quomodo non perfecta charitas in Maria, quæ omnium molestiarum et passionum Christi socia fuit? quæ a primo die usque ad ultimum fidelis- sima perseveravit? quæ maximum illud et postremum lancea vulnus pro Filio suo ipsa animo crucifixa excepit? Nec enim tunc in pectore Domini anima Domini fuit, sed anima Mariæ, quæ, ut D. Bernardus loquitur, inde nequibat evelli, *Si perfecta charitas foras mittit timorem*: quomodo non perfecte cha- ritas in Maria, quæ in medio tumultu mili- tum strepituque armorum, amicis omnibus recedentibus, ipsa charitatis nexibus colli- gata a cruce Domini non recedebat? *Si ma- jorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis suis*: quam excellens charitas Mariæ fuit, quæ filium illum pro amicis posuit, quem multo vehementius, quam animam suam diligebat? Si demum charita-

tis est implere præcepta, quid de Mariæ charitate dicemus, quæ incredibili mentis fervore, antequam Evangelica consilia orbi promulgarentur, sola magistra charitate, consilium perpetuæ virginitatis arripuit? ipsa est igitur *Mater pulchræ dilectionis*, ipsa *mulier amicta sole*, ipsa *rubus ardens*, ipsa *gratia plena*, ipsa est illa *amica*, illa *columba*, illa *formosa* et *speciosa*, illa *soror*, et *sponsa* quam *introduxit rex in cellam vinariam*, et in quam *ordinavit charitatem*. Ipsa est domus David, ipso ædes Salomonis, ipsa arca fœderis, quam *elegit Dominus in habitationem sibi*. Ipsa denique est illa, quæ venientem Dominum et in castellum quoddam intrantem, ut hodierna die toto orbe terrarum Ecclesia canit, excepit læta in domum suam.

Quemadmodum summo apparatu in hoc nostro exilio Maria Dominum exceperit hætenus explicuimus. Sequitur ut quo apparatu hodie ipsa a Domino excepta fuerit breviter exponamus. Nemini dubium esse puto, Virginem Beatissimam post gloriosam Domini ascensionem, quotidie ardentissimis desideriis, summisque votis cupivisse dissolvi et esse cum Christo: mihiq̄e omnino credibile videtur, quod a nonnullis dicitur, nihil ei dulcius in hac vita fuisse, quam frequenter sanctissima illa loca, si non corpore, certe animo et cogitatione lustrare, in quibus Filium suum et Dominum, vel egisse aliquid vel passum fuisse meminerat. Itaque nunc descendebat in Bethlehem, nunc ascendebat Hierosolymam, nunc morabatur in Golgotha, nunc ingrediebatur sepulcrum, nunc Bethaniam, nunc montem Olivarum, unde Dominus in cœlum ascenderat, invisebat, et quis ambigare potest, quin sæpius illa verba peteret: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus*. De Silvano Abbate legimus, cum, cum surgeret ab oratione, ac magnitudinem et pulchritudinem Dei contemplatus esset, ita contemnere et despiciere solitum res omnes creatas, ut oculos clauderet, nec eas aspicere dignaretur: quin etiam ad oculos suos diceret. Claudamini oculi, claudamini, nihil est in orbe jam pulchri, quod videre possitis. Etsi hæc Beato Silvano accidebant, quid de illa dicemus, quæ tanto clarius Dei bonitatem, sapientiam, pulchritudinem, majestatem, contemplationis oculis intuebatur, quanto sæpius, et familiarius et liberius cum ipso Dei verbo triginta tribus annis conversata fuerat? Itaque dicebat et ipsa: Clau-

damini, oculi, claudamini; nihil est enim pulchri, quod jam videre possitis. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi: Ubi est Deus tuus? Hei mei quia incolatus meus prolongatus est. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* Atque ad hunc modum beatissima Virgo divini amoris flamma accensa totum illud tempus transegit, quod ab ascensione Domini usque ad suum extremum diem intercessit.

Verum hodierna lætissima et clarissima die, vivendi curriculo probe confecto a Domino tandem promeruit audire: *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit: surge amica mea, et veni*. Equidem, auditores, ego mihi persuadeo, ad hoc verbum non expavisse, sicut olim cum ab Angelo salutaretur, sed liquefactum plane fuisse cor Mariæ. Sed deinde, vel oratione, vel cogitatione consequi poterit, quale gaudium illud fuerit, cum filium suum omnibus Angelorum ordinibus comitatum ad se venientem vidit? et cum in ejus clementissimas ac benignissimas manus securo ac læta spiritum illum sanctissimum exhalavit? et cum demum tota cœlestis Jerusalem reginæ suæ obviam procedente, ipsa enixa super delictum *Deliciis affluens, in vestitu deaurato, circumdata varietate, sicut virgula fumi* de hujus mundi deserto, Apostolis acclamantibus, Angelis plaudentibus, aercis potestatibus fugientibus, mundi elementis probe gestientibus, in cœlestes regiones ascendit?

At numquid solus Mariæ animus evolavit in cœlum? et quid tandem de sanctissimo illo corpore factum est? ubi jacet? ubi latet? quis locus thesaurum illum habet? Breviter hoc expediam, auditores optimi, et orationi meæ finem imponam. Cum homines primum in hunc nostrum orbem terrarum ingrediuntur, corpus præcedit, anima subsequitur. Nam cum hæc regio proprie corporum locus sit, ratio ipsa postulat, ut corpus, tamquam hujus urbis civis, primum adveniat, et animæ, tamquam peregrinæ, aditum patefaciat; at cum ex hoc orbe terrarum in cœlestes regiones commigrandum est, contrario modo res agitur. Animus enim, tamquam ejus urbis civis, statim admittitur: corpus vero, tamquam peregrinum, usque ad ultimum judicii diem residere cogitur in sepulcro, et tum demum in gratiam animo-

rum in cœlum etiam corpora admittentur. Verum, auditores, lex ista privatorum hominum est, non regis aut reginæ. Nec enim reges et domini in suis regnis et ditionibus aliorum patrociniis indigent; sed possunt ipsi pro suo arbitratu ducere secum, quos volunt, sive ii cives, sive peregrini sint. Quin etiam licet eis, quos volunt pellere, quos volunt revocare. Quocirca liberator atque assertor noster Christus quia non privatus civis, sed rex ac Dominus cœlestis Jerusalem erat, simul et corpus, et animam in cœlorum regnum invexit: neque multo secus de ipsa regis matre atque orbis domina sentire ac loqui debemus. Nimirum Dei Filius post obitum beatissimæ suæ matris non diu corpus illud separatum jacere in tumulto passus est; sed illud pro privilegio singulari post modicum tempus et revocavit ad vitam et evexit ad gloriam. Nec enim decebat, ut cujus anima corruptionem non viderat, ejus corpus corruptionem videret. Et quis, obsecro, credere posset, arcam sanctitatis, domicilium verbi, templum Spiritum sancti corruisse? Exhorret plane animus meus vel cogitare carnem illam virgineam, quæ Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam, vel in eseam vermibus traditam. Et quomodo fieri posset, ut corpus tantæ Virginis adhuc esset in terris, et jam tot sæculis incognitum et sine ullo honore jaceret? Quid? homines ex ultimis orientis et obeuntis solis, aquilonis, austrique partibus ad corpora principum Apostolorum Romam concurrunt: corpus B. Jacobi est et fuit jam tot annis toto orbe celeberrimum: ossa Martyrum et cæterorum divorum aureis et argenteis thecis includuntur, et singulari Dei providentia tot sanctorum corpora, quæ latebant; summa Christianorum lætitia diversis temporibus inventa sunt. Adeo non patitur justissimus Deus Deus corpora servorum debito cultu et honore privari: et nos dicemus Filio Dei matrem ipsam suam ita parum caram, ne dicam ita vilem esse, ut corpus ejus in aliquo deserto loco contemptum, neglectum, oblivione sepultum, jam tot sæculis sine ullis honoribus delitescere patiatur? Non ita est, auditores, sed probe retinens Dei Filius verba illa Patris: *Ingredere in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*: neque ignorans arcam sanctificationis suæ esse corpus Beatissimæ matris suæ, posteaquam ipse prior in requiem suam gloriosus intraverat, prima quoque tem-

pore arcam illam sanctissimam, universa cœlesti Jerosolyma exultante, in templum veracissimi Salomonis induxit, et tunc renovata sunt gaudia supernorum civium; renovata tripudia, renovati triumphi, qui propter adventum tantæ Virginis agebantur. Numquid legis, qua lætitia, qua pompa, quibus plausibus arca Domini, vel in domum David vel in templum Salomonis initio ducta fuerit? Quid igitur mirum, si arcam hanc sine comparatione præstantiorem et sanctiorem, cum cantu et lætitia omnium illarum æternarum, et prope divinarum mentium in cœlestia templa Dominus introduxerit?

Sed si magna fuerunt, ac pene incredibilia gaudia cæterorum, quid ipsam Virginem Beatissimam sensisse cogitandum est? Actum præsertim, cum primum pedes intulit in illius sublissimæ ac pulcherrimæ civitatis januas, cujus splendorem, cujus delicias, cujus gloriam, nec hominum nec Angelorum linguæ explicare pro dignitate possent? Et quantam, obsecro, lætitiā ei primus aspectus attulit? O quantum interest inter hunc diem, et eum quo aliquando in Golgotha coram Filio suo cruci affixo stetit? Quid enim tunc cernere poterat, quod non et mœrorem ac tristitiā auget? Si montem, in quo erat, considerabat, ubique mortis vestigia et horrorem videbat: si ad cœlum oculos levabat, solem et lunam mœrentes, et aerem tenebricosum et diem in noctem conversam intuebatur. Si eos, qui juxta ac prope se erant aspiciebat, hinc quidem Joannem afflictissimum et collacrymantem, inde vero turbas insanientium et furentium militum, et Judæorum cernebat. Si demum in eum qui cruci appensus erat oculos intendebat videbat Christum, id est, animam et cor et omne suum bonum, gaudium cordis sui et lumen oculorum suorum extinctum: et tum vere vaticinium illud implebatur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. At vero hodie ita sunt omnia illa tristia et luctuosa spectacula in jucunda et felicia commutata, ut quaquam versus oculos suos convertat, nihil penitus spectet, quod eam summa lætitia non afficiat. Aspicit enim locum, et videt paradisi voluptatis, hortum deliciarum, urbem regis magni, portas ex auro mundo, plateas lapidibus pretiosis, gemmisque clarissimis stratas. Aspicit incolas regionis, et videt illustrissimas et maximas acies angelorum, ornatissimum cœtum Patriarcharum, longissimum ordinem san-

ctissimorum vatum, necnon sanctas mulieres, quæ sexus infirmitatem animi robore et magnitudine superarunt. Aspicit sedentem in throno, et videt Filium suum gloriæ et honore coronatum, et lumine amictum sicut vestimento, cœli et terræ atque adeo orbis totius gubernacula tenentem intuetur: caput non jam spinis, sed radiis coronatur. Intuetur oculos solis luce clariore, signa manuum et pedum omnibus carbunculis pulchriora, auream quoque portam lateris, primum quidem ad ignominiam ab insano milite reseratam, sed ad gloriam postea a Christo resurgente conservatam. Postremo aspicit et seipsam, et videt se super omnes omnium Angelorum ordines exaltatam, in omnibus rebus creatis principem locum tenere: videt omnium beatorum principum oculos in se unam esse coniectos: videt se sole amictum et stellis duodecim coronatam, sub pedibus lunam habere. Et quanta est hæc gloria? Quanta hæc majestas? Et quantam affert secum materiam gaudiorum? *Egredimini filie Sion. Egredimini mentes Christianæ, et Videte reginam vestram in diademate, quo coronavit eam Filius suus. Videte reginam vestram, quam laudant astra matutina, et cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.*

Porro gloriam istam imperatricis nostræ se vidisse Joannes in Apocalypsi testatur: *Signum magnum, inquit, apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in cadite ejus corona stellarum duodecim.* Quid enim aliud mulier amicta sole, quam Mariam in abyssum divinæ lucis quasi immersam significat, ut sicut ipsa quondam Deum vestit, ita quoque nunc ipsa a Deo quodammodo vestiatur? Quid vero corona designat stellarum duodecim; nisi quicquid eminent sparsim in omnibus membris Ecclesiæ, quæ omnino duodecim sunt, id totum in Mariæ corona fulgere? nimirum in Patriarchis enituit fides, in Prophetis cognitio futurorum, in Apostolis charitas, in Martyribus fortitudo, intelligentia, in doctoribus, sanctimonia in Sacerdotibus, contemplatio in Eremitis, in Monachis humilitas, in Virginibus puritas, in Viduis continentia, in maritis et maritatis fecunditas. Jam vero, quis audeat inficiari extitisse in Maria fidem Patriarcharum, lumen Prophetarum, fervorem Apostolorum, necnon Martyrum fortitudinem, doctorum intelligentiam, Confessorum patientiam, sanctimoniam Sa-

cerdotum, contemplationem Anachoretarum, humilitatem Monachorum, postremo virginum puritatem, continentiam Viduarum, fecunditatem conjugatorum. Et quemadmodum hic in terris ex omnibus omnium ordinum donis et virtutibus Mariæ corona intexta fuit: sic etiam nunc in cœlis, quicquid gloriæ et splendoris fulget in coronis ordinum singulorum, id totum admirabili quodam et divino penitus artificio in Mariæ diademate vario clarissimoque fulgore coruscat. Hæc est igitur *In capite ejus corona stellarum duodecim.* Porro, *et luna sub pedibus ejus* Quidni enim luna sub pedibus ejus sit, quam sol vestit, et stellæ coronant? Luna mutationem in sanctis litteris significare solet: et Maria hodie omnis mutationis experta facta est. Ergo *Et luna sub pedibus ejus.* Luna præterea Ecclesiam universam designat; et Maria hodie thronum tam sublimem singulari Dei munere sortita est, ut non solum Ecclesiam istam, quæ peregrinatur in terris, sed etiam illam, quæ triumphat in cœlis, sub pedibus suis videat: nempe collum est inter caput et corpus reliquum medium: media inter Christum et Ecclesiam Maria: ergo *Et luna sub pedibus ejus.* Neque minus apte homines peccatores luna significare potest, *stultus enim, inquit sapiens, ut luna mutatur: justus autem ut sol permanet.* Et quis nescit, Mariam singularem advocatam et patronam esse hominum peccatorum: *Vultum tuum, inquit David, deprecabuntur omnes divites plebis: ergo et luna sub pedibus ejus.* Postremo Diabolus quoque lunæ nomine intelligitur. Ipse est enim omnium stultorum et peccatorum princeps, qui pane ut luna, mutatus est, cum ex Angelo optimo et pulcherrimo, nequissimus et teterrimus Diabolus factus est. Eum vero Maria non solum sub pedibus habet, sed et pedibus suis caput ejus contrivit: *Et luna sub pedibus ejus.*

Hæc habui, auditores optimi, quæ de hodierna celebritate pro temporis brevitate dicere. Reliquum est, ut si aliquando in regnum illud cœleste a Domino recipi, si in requiem et gaudium Domini ingredi, si reginam nostram in diademate, quo hodie coronata est, intueri desideramus, beatæ Mariæ vestigiis insistamus, eamque, quantum nostra infirmitas patitur, imitemur. Audivistis, quid Maria Virgo prudentissima fecerit; nempe excepit Dominum in domum suam, in domum fide fundatam, spe erectam, charitate perfectam: in hoc eam imi-

tari debemus. Fundemus, fundemus, audito-
tores, domicilium nostrum supra firmam
petram *Non sumus instabiles et fluctuantes,*
nec *Omnino vento doctrinæ circumferamur,*
quemadmodum illi faciunt, qui ubi semel
circa fidem naufragaverunt, perpetuo tam-
quam undæ instabiles fluctuant, et singulis
annis fidem commutant. Habemus Christum
Petram, illi fide ad hæreamus : habemus et
Petram petram, ab illo quicquid credendum
sit, discamus. habemus Ecclesiam Dei vivi,
columnam et firmamentum veritatis, quæ
nos peperit, quæ nos aluit, quæ nos instituit,
in ejus gremio sequere et quiescamus. Ne-
que vero speremus *In in er'o divitiarum,*
in Deo vivo, qui vera et stabilia bona in se
sperantibus præparavit, quæ *Nec oculus vi-*
dit, nec auris audivit nec in cor hominis as-
cenderunt. Neque minus tectum, quam pa-

rietes et fundamentum nobis curæ sit : pa-
rietibus jam erectis, tectum charitatis super
ponamus, diligamus Deum, diligamus pro-
ximum et *Non lingua et verbo, sed opere et*
veritate diligamus : non parcamus pecuniis,
non parcamus laboribus, non parcamus vi-
tæ et sanguini, ut amplum et sumptuosum
habeamus tectum charitatis. Quia vero hu-
jus tanti operis præcipuus auctor et archi-
tectus Deus est : *Nisi enim Dominus ædifica-*
verit' domum, in vanum laboraverunt qui ædi-
ficant eam. Beatæ Mariæ pedibus provolvamur,
ejus patrocinium imploremus, ejus
preces flagitemus, eam advocatam apud
Deum habere toto animo cupiamus, ut per
eam Deus in animis nostris domicilium sibi
ædificare, atque in eo semper habitare dig-
netur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XLI.

DE SANCTO BARTHOLOMÆO

THEMA

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Joan.* xv, v. 17.

SYNOPSIS

Exordium sibi vindicat charitas a S. Joanne Evangelista tantopere inculcata, caque pro concionis materia proposita, quid de eadem potissimum dicendum sit præmittitur. Sine charitate neminem divitem dici posse demonstratur, ut quæ hominis sit vita, ignis, aqua, tectum, cibus, potus, vestis, arma et pecunia quæ singula in progressu exaggerantur. Ac primo, quomodo charitas vita sit, simul et sententia D. Jacobi, fides sine operibus mortua est, explicatur. Quam necessaria sit ad hominis perfectionem charitas, pulchra quadam inductione ostenditur. Charitatem ignem esse, cæ variis inter ignem et charitatem proportionibus declaratur; ubi deinde iste ignis inveniens, et quomodo idem tribulationis aqua nutriatur et prosperitatis oleo extinguatur, affirmatur, et eventibus quotidianis confirmatur. Quomodo item eadem charitas aqua sit, et proprietatibus variis aquæ palam redditur, ubi obiter causa assignatur, cur Apostolus admoneat, qui stat videat ne cadat. De hujus demum aquæ miranda virtute in restringenda siti terrenarum rerum, multa afferuntur.

Altera pars reliquum propositi prosequitur, atque primis probatur charitatem domum esse, eumque altissimam, in qua justis de die sole prosperitatis non utuntur, neque nocte luna adversitatis vexantur, quod multorum exem-

plis sanctorum confirmatur; quomodo Deus in amante, et amans in Deo maneat. Probato deinde, charitatem esse cibum et potum, qui in vino, oleo et pane potissimum consistit, disseritur, qua ratione charitas vinum, et oleum sit; et quia panis cibus est robustorum et agrestium, illius loco lac amantibus ministratur: ubi convenienti similitudine canum venaticorum declaratur, quomodo mortales antequam suavitatem Domini gustaverint, in incertum ferantur. Ut insuper charitas sit vestitus et lorica, et quomodo iis indui et armari oporteat, docemur. Quod charitas denique pecunia sit, et quam studiose cavendum, ne hanc habeamus adulterinam: quamque necessaria ea sit Ecclesiæ pastoribus luculenter explicatur. Charitatis comites perpetuas esse sapientiam et eloquentiam asseritur. Tandem apostrophe ad D. Bartholomæum, qua venia petitur, quod de illo non pro materiæ dignitate sit prolixior facta mentio, finem imponit.

Evangelista Joannes, optimi auditores, cum Ephesi moraretur, et usque ad ultimam senectutem pervenisset, ut vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec ejus vox aut latera concionandi laborem ferre diutius possent, nihil aliud nisi, *Filioli, diligite alterutrum*, in singulis concionibus dicere solebat. Itaque discipuli, ut sanctissimus doctor Hieronymus in Commentariis epistolæ ad Galatas scriptum reliquit, tædio jam affecti, quod eadem semper audirent,

aliquando dixerunt: *Magister, quare semper hoc loqueris?* Qui respondit: *Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.* Præclara vero vox, et Beato Joanne, viro sancto ac sapiente digna. Nec enim ea sententia aut aut plenius aut brevius aliquid dici vel excogitari potuit. Siquidem ea significatur, hoc uno charitatis præcepto, præcepta omnia contineri: et qui charitatem habeat, eum omnes virtutes habere. Ex quo non sine causa in festis diebus Beatorum Apostolorum et principum Ecclesiæ, illæ Evangeliorum historiæ publice in tempus decantari solent, in quibus hujus excellentissimæ virtutis, seu potius virtutum omnium principis commendatio continetur. Qualis ea est: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et rursum illa: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Sic enim dicebat, ut principes orbis terrarum et Christianæ reipublicæ maximæ lumina, in ea virtute quæ princeps et regina virtutum est, maxime cognoscerentur enituisse. Cum igitur et Evangelia, quæ in diebus festis Apostolorum legi in Ecclesia consueverunt ad dicendum de charitate me invitent et provocent ad hoc ipsum B. Apostoli Bartholomæi martyrium illustrissimum, quod quanto magis atrox et exquisitum fuit tanto perfectioris et excellentioris charitatis argumentum extitit: et demum emolumentum, atque utilitas maxima, quam ex hac oratione percipi posse video, me ad idem alliciat, ac pene impellat, de nulla re aut nobis magis salutari aut tempori accommodata dicere potero, quam de hac virtutum principe charitate.

Hoc igitur nobis hodie propositum sit, non quidem in illis quæstionibus laborare, cur Deus nobis charitatem præcipiat, cum ea donum ipsius maximum et præstantissimum sit? et quomodo charitas a gratia differat? quam habeat naturam? quam habeat sedem? quomodo crescat? quomodo minuat? Hæc enim in gymnasiis commodius, quam in suggestis, et concionibus explicantur. Sed eos fructus, eaque commoda percensere, et exemplis appositis illustrare, quæ secum charitas solet adferre, ut eorum magnitudine et copia, tamquam quibusdam stimulis, ad eam virtutem, vel comparandam vel augendam, vel conservandam et retinendam incitemur. Non tam enim naturam charitatis investigare, et de ea sapienter et copiose disserere, quam ejus igne fervere et frigidus inflammare Dominus jubet. Quod igitur

constanter asserimus, et quod aptissimis argumentis Domono bene juvante confirmare conabimur, tale est, charitatem parentem et nutricem esse omnium bonorum ut si loqui possit, verissime dicat: *Omnibus omnia facta sum,* et qui eam sit consecutus cum Sapiente pronuntiet: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa:* et demum jure optimo B. Joannes dixisse videatur: *Filioli diligite alterutrum: quia præceptum Domini est, quod si solum fiat sufficit.*

Dicam hoc planius, auditores. Existat hic in oculis omnium nostrum vir aliquis potens, purpura et bysso indutus, auro et gemmis ornatus, stipatus undique famulis, et qui marmorea palatia, pecuniarum acervos, agros, vineas, hortos, pecora, servos et ancillas habeat, et solum charitatem non habeat: hunc assero pauperem et nudum, et nec domum, nec pecunias, nec cibos, nec vestes habere, et miserum, et mancum ac membris omnibus captum ac debilem, imo et mortuum esse. Contra vero alius nobis sistatur, et sit hic ipse gloriosissimus Bartholomæus, quem ita mente concipiamus, ut erat eo tempore, cum ab insanis iudicibus pelle detracta, ludibrioque expositus, non homo vulneribus confectus, sed ipse totus ingens plaga et horrendum vulnus videbatur: certe iste non modo auro, et argento, et agris et tecto, et cibariis et vestibus, sed ipsa pelle indigere videbatur, et tamen quia charitate non indigebat, eum ego pecuniis, domibus, cibariis, vestibus, aliisque rebus omnibus affluentem ac redundantem assero. Quale igitur bonum sit charitas; et quantum pro ea, vel acquirenda vel retinenda laborare par sit, cogitare. Ut autem ad certa capita hæc omnia revocemus, charitatem vitam, ignem, aquam, tectum, cibum, potum, indumentum, arma et pecunias esse confirmo. Neque arbitror aliquid esse relictum quod homines desiderare possunt.

Primum igitur et maximum, quod hominibus esse videtur, et in quo conservando, quam diligentissime omnes laborant, vita ipsa est. *Pellem pro pelle dabit homo et cuncta, quæ habet pro anima sua,* hoc est, non solum pecunias et cætera bona externa, sed et ipsam pellem periculis objiciet, ut pellem conservet. Nam si quis districto gladio caput, unde vita dependet ferire, conetur, nonne vestem incidendam et brachium ipsum vulnerandum opponet, ut salvum et incolu-me caput custodiatur? Vita igitur nihil ca-

rius, nihil dulcius, nihil majus homines habent. Jam vero charitatem esse vitam testis est Apostolus Joannes. *Qui non diligit, manet in morte.* Neque vero qualiscumque vita charitas est, sed cœlestis ac prope divina: *Videte* inquit idem Apostolus, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Et Apostolus Petrus: *Maxima et pretiosa vobis promissa donavit ut per hæc efficiamini de vna consortes naturæ.* Quantum sit hoc donum, auditores, plane est inexplicabile: et non solum verbis declarari non potest, sed ne cogitatione quidem comprehendi. Primum enim, qui hanc vitam vivunt, ii sunt, qui in regno cœlorum Deum perpetuo laudabunt. *Non mortui laudabunt te, Domine; sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino.* Deinde iidem sunt qui jure suo corporis Dominici sacramento divinissimo nutriuntur. Non enim mortuorum, sed viventium cibus est. Postremo, quemadmodum animus noster mentis et rationis compos, dum corpore isto conjungitur, non solum efficit, ut corpus ipsum vivat, sed etiam ut omnium sensuum organa vivant, et munera sua ac functiones exercere possint: ita etiam a charitate, quæ ipsius vitæ vita et animæ anima est, non ipse modo animus perficitur et formatur; sed virtutes omnes, quæ veluti facultates et vires sunt hominis interioris, ab ea formantur et animantur, ut earum actiones vim et efficaciam habeant ad gloriam regni cœlestis promerendam. Hinc videlicet Beatus Paulus quæ cæterarum virtutum propria sunt, uni charitati attribuit: *Charitas, inquit, patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur non cogitat malum et non gaudet super iniquitate, congrudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Et alio loco fidem per dilectionem operari confirmat quomodo et justitiam, et temperantiam et cæteras virtutes per charitatem operari verissime dici potest ac debet. Vultis, ut exemplis rem istam ob oculos proponam? Qui sunt medicinæ artis periti, nonne dicunt, medicamenta nullam vim in corpus affectum habere, nisi a naturali calore formetur, et tamquam animetur? Sane hoc dicunt: Imo vero nemo non dicit, qui magnum illum Hyppocratem diligenter lectitarit, qui medicamentum asserit non esse id, quod curat, sed naturam, quæ pharmaco tamquam instrumento utitur

ad curandum. Ita igitur et fides non operatur, nisi ab illo vivo et divino igne charitatis, quasi vitam recipiat. Ex quo sapienter ab Apostolo Jacobo, *fides sine operibus mortua* nominatur.

Neque vero ita est hoc accipiendum, quasi fides naturam suam et nomen amittat, et omnino nihil sit, si a charitate separata sit, sed eo modo fidem sine charitate mortuam esse dicimus, quo eas aquas, quæ in paludibus jacent, mortuas appellamus: non quod vere ac proprie aquæ non sint: sed quod more fontium et fluviorum non moveantur, non fluant, non labantur. Quare B. Jacobus prudentissime, et quasi seipsum explicans, ut is, qui spiritu jam futuras hæreses prævidebat, non ait, fidem sine operibus mortuam esse, sicut homo sine anima, mortuus est: siquidem homo sine anima non modo mortuus est, sed omnino homo non est. Quid igitur B. Apostolus dixit? *Sicut corpus, inquit, sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est.* Jam vero corpus sine spiritu mortuum quidem est, sed verissime tamen corpus est. Sic igitur et fides sine charitate fides est, sed viva non est. quod adulteris, meretricibus, lenonibus, aliisque sceleratis hominibus, et in ipsis dæmonibus apparet. Nam *Et Dæmones credunt, et contremiscunt,* quamquam non leve discrimen est, inter Diaboli et peccatorum hominum fidem. Hi enim fidem infusam et veram, licet mortuam, retinent, illi autem non aliam fidem habent, nisi quam ipsi sibi comparaverunt. Hæc propter Hæreticos dicta sint.

Ut igitur ad rem nostram revertamur, charitatem animæ vitam esse hactenus, ni fallor. accepistis: nunc ut quam hæc vita homini non modo utilis, sed plane necessaria sit, intelligatis, constituendum et confirmandum nobis est, neminem sine charitate integrum, perfectum et absolutum hominem esse posse, sed plane mutilum et imperfectum. Tunc enim unaquæque res perfecta, et absoluta dicitur, cum talis est, ut cum suo sine propter quem est effecta, conjungi et copulari possit. Quis, obsecro, ædium finis est? Habitatio. Quamdiu igitur ædes, aut tecto, aut aliquo pariete carent, ut habitari non possint tamdiu imperfectæ et non absolutæ sunt. Quis brutorum animantium finis est? Ea sensibus probe percipere, quæ naturæ eorum consentanea sunt. Non igitur perfectum est animal, si vel sensum videndi,

aut audiendi, aut gustandi aut aliquo alio careat, vel non careat illis quidem, sed corruptos et depravatos habeat. Neque rursum perfectum dici posset, si præter sensus istos aliquo habitu, quem minime haberet, ei ad sentiendum opus esset. Jam igitur quis hominis ipsius finis et summum bonum est? Certe, vel ipso Philosopho teste, non alius est hominis finis, quam actio animæ secundum optimam et perfectissimam virtutem. Sic enim, ut verba ipsius proferamus, in libro de moribus primo scriptum reliquit: *Humanum bonum actio animæ secundum virtutum est, et si plures sunt hominis virtutes, secundum optimam et perfectissimam.* Quænam igitur est hæc optima et perfectissima virtus? Scio quid Philosophus responderet, sed malo Apostolum audire, qui cum ad Corinthios scribens excellentissimas virtutes enumeraret ait: *Nunc autem manent tria hæc fides, spes, Charitas: major autem horum est Charitas.* Et rursum ad Colossenses: *Super omnia autem charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Charitas igitur illa optima et maxima virtus est, quæ præstantissimam partem animæ nostræ cum Deo, fonte omnium bonorum, conjungit. Quare tum demum perfectus et absolutus homo dici potest, cum charitatem habet. Et hoc est, quod Beatissimus martyr Irenæus significare volebat, cum diceret, hominem tribus constare, animo, corpore et Spiritu sancto. Quia nimirum perfectus homo sine charitate non est. Et *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Neque aliud Ecclesiasten voluisse crediderim, cum ait: *Deum time et mandata ejus observa hoc est enim omnis homo.* Idem est, ac si apertius dixisset: Tunc homo totus perfectus et absolutus est homo, cum Deum timet et mandata ejus observat, quia vero, qui diligit proximum, legem implevit, et Domini præceptum hoc est, ut diligamus invicem, propterea est totus et perfectus homo, cum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex omnibus viribus Deum diligit et proximum suum, sicut seipsum. Habemus igitur charitatem esse vitam.

Postquam nihil est homini magis necessarium, quam ignis et aqua, quippe cum ei, cui aqua et igni interdictum est, ipsam quoque vitam esse interdictam necesse sit. Charitas vero utrumque, hoc est, aqua et ignis est. Ac ut de igne, qui nobilior est, prius dicamus, numquid non de charitate Dominus

loquebatur, cum diceret: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Et Deus ipse cur *Ignis consumens* ab Apostolo nominatur, nisi quia ipsa *charitas Deus est*, ideo et *ignis consumens* est. Denique quid dicimus amantes ardere? Cur poeta de amante dixit:

« Et cæco carpitur igni? »

ac ut de nostris potius loquamur, cur discipuli duo ab oppido Emmaus venientes dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?* Certe non alia de causa, et sacri et profani scriptores et ipsum hominum vulgus ita loquitur, et nisi quia omnino similes sunt ignis et charitatis effectus. Ac ut cæteros onittamus, ignis semper ascendit, quia sursum est locus, nec ipse solum, sed ea etiam, quæ circa terram volutantur, si calorem concipiant, sursum tendere compelluntur. Videas interdum paulo antelucem terram nebulis et vaporibus coopertam ubi autem igneus sol exoritur, et ex loco superiori vapores calefacit, et ignem in eos quodammodo jaculatur mox ascendere, et in sublime ferri incipiunt. Ita plane, auditores, et charitas facit. Homines enim natura terrestria animantia, hoc est graves et frigidi erant et suoapte nutu ac pondere ad terram ferebantur, et nihil, nisi terrenum et caducum et fragile noverant cogitare. Venit autem sol justitiæ Christus Dominus noster, et super nostrum horizontem apparens, clara voce clamavit: *Ego autem si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum.* Neque dixit et non fecit, sed fecit omnino, sicut dixit. Ascendit enim in cælum, et post decem dies ignem misit in terram, calefecit vapores, qui volutabantur adhuc circum terras, et ecce repente attollunt capita, relinquunt terram, et domos et agros et parentes, et liberos et pecunias et voluptes et clamant: *Trahe nos post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cur tot millia sanctorum hominum initio nascentis Ecclesiæ, spretis omnibus, quæ in terris possidebant, ad martyrium cucurrerunt, nisi quia vapores calefacti a Sole justitiæ sursum trahebantur? Et quid, obsecro, sanctos illos Patres Antonios, Paulos, Hilariones, Macarios, Benedictos et alios tam multos, ex urbibus expellebat, in eremos agebat, et pro conviviis jejunia, pro sumno vigiliis, pro

mollibus indumentis cilicia, pro frequentia solitudinem, pro quiete ac otio labores tam duros et tam diuturnos eligere faciebat, nisi illa flamma divini amoris, quæ ab eo in ipsorum cordibus accensa fuerat qui dicebat: *Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut ascendatur?* Quid postremo Beatissimum Franciscum, ut de cæteris taceam, et mundi totius et pene sui ipsius oblivisci, et solum cælum intueri, ad ipsum suspirare, ipsum solum sitire cogeat, nisi ignis divinus, nisi incendium, quod tam magnum in tam exiguo pectore Dominus excitaverat, ut quasi in illis augustiis se continere non valens, in quinque locis corpusculum aperuerit, et inde tamquam ex fornace violenter eruperit? O vis admiranda! O potentia incredibilis charitatis! Quicumque igitur, auditores, ad illas sedes beatorum aspiramus, frustra agimus, quicquid agimus, si duri et frigidi lapides permanemus, et charitatis incendio non flagramus non enim cælum, sed centrum lapidum locus est. Hinc enim Judæis Dominus aliquando dicebat: *Quo ego vado vos, non potestis venire:* nimirum, quia ipse ignis erat, et sursum habitat: Judæi autem terra et lapides erant, et nisi deorsum ire non poterant. Et nos quoque si charitatis igne accensi non sumus, merito a Domino audimus: *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

Verum quia nobis longa restat via, et ad eam transmittendam breve tempus constitutum est, non ambulare, sed currere necessarium erit: ut igitur paucis multa complectar, et cæteras ignis et charitatis comparationes ostendam potius, quam exponam. Ignis rubiginem ferri, charitas rubiginem peccati consumit. *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ignis aurum a cæteris metallis, charitas sanctos et pios a peccatoribus sejungit: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Tamquam diceret, ut B. Augustinus exponit, alia munera mea habere vobiscum possunt etiam non mei: non solum naturam, vitam, sensus rationem, et eam salutem, quæ hominibus pecoribusque communis est, verum etiam linguas, Sacramenta, fidem, scientiam, distributionem rerum suarum pauperibus, et traditionem corporis sui, ut ardeant; sed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest: nihil ergo in illis, quamvis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli

mei. *Sed in hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Sed roget fortasse quispiam; et ubinam hic ignis invenitur? Audi regium Psaltem: *In meditatione mea exardescet ignis.* Et vere ita est. Nam dominicæ passionis et rerum cœlestium assidua contemplatio vere fornax est, ubi divini amoris flamma succenditur. Quid enim est oratio, nisi ascensio mentis in Deum, qui ignis est et unus spiritus sit cum eo, et illustratur et inflammatur, cum studio orationis et contemplationis vacat: neque poterit unquam, mihi credite, ad aliquem perfectæ charitatis gradum pervenire, qui non serio, et totis viribus in hoc piam, et vere sanctum et salutare studium incubuerit.

Ut autem, et quo pabulo nutriri hic ignis debeat, et quibus rebus extinguatur percipiatis, illud considerare debetis, non esse similem flammam charitatis illi igni, quo ubique et passim homines utuntur, qui aquis extinguitur et oleo succenditur sed potius illi, qui admirabili quodam artificio excitatur, et contrario modo, atque alius ignis, oleo extinguitur, et aqua pascitur et nutritur. Quid enim aliud aqua significat, quam vexationes, calamitates, ærumnas, inopiam, ægritudinem, tormenta, supplicia, exilia, damna et alias res naturæ nostræ contrarias atque adversas? De quibus Dominus per prophetam ait: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam,* Oleum autem, quid, nisi blanditias et delicias, commoda et voluptates designat? *Oleum autem peccatoris,* inquit idem Propheta, *non impinguet caput meum.* Ignis igitur charitatis non vulgaris est ignis, sed in officina summi artificis elaboratur: oleo, hoc est, otio et voluptatibus corporis præfocatur; aquis autem tribulationum et pœnarum nutritur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Ita legis in cantico amoris. Hinc Dominus sanctos famulos suos Apostolos et Martyres, et ipsam integerrimam et optimam matrem suam in quibus hunc ignem conservare volebat, non deliciis affluere, non opibus abundare, non honoribus multis ac dignitatibus clarescere, sed per multas tribulationes transire, et sic intrare in regnum cœlorum voluit, hoc est enim pabulum charitatis. At contra ignis amoris rerum creatarum qui ubique reperitur, et quem omnes in suis ædibus, imo et in cubiculis accendunt, oleo, ut dixi-

mus, deliciarum nutritur et aquis tribulationum extinguitur. Cur enim existimatis Deum his diebus tantam copiam aquarum super nos effudisse, nisi quia ignem istum amoris rerum terrenarum nimium crescere perspiciebat? Ingrati igitur sumus, si de eo conquerimur, cum ille, ne ab igne consumamur pluvias mittit. O utinam, auditores, voces istas Dei nostri blande ac benigne, ad se vocantis audiremus. Ut enim mater, cum filium jam a lacte abstrahere, et cibo solidiori assuefacere cupit, felle et absynthio aspergit ubera nutricis, ita benignissimus et nostri amantissimus Deus noster, quia nos non cibum istum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, vult quærere, quia amorem carnis extinguere, et secum ascendere cupit, ideo omnes nostras voluptates amaritudine aspergit; hinc pestem minatur, inde famem, hinc bella, inde hæreses oriri permittit: in æstate serenitatem negat, in hieme fortasse pluvias denegabit, ut aliquando evigilemus, et *Quæ sursum sunt* sapere, *quæ sursum sunt* quærere incipiamus, et *Non quæ super terram*. Si enim hanc brevem et exiguam mundi dulcedinem tanto felle admixtam, adhuc tam vehementer adamamus, quid faceremus, si felle admixta non esset? Si omnia prospere et ad votum succederent, quis de cœlesti gloria cogitaret? Quis non perpetuo hic in terris vivere vellet? Gratias igitur gratias tibi agimus, Domine, qui nos dulci baculo tuo, licet invitos, ad summum et verum bonum nostrum redire compellis. Sed satis multa de igne. Nunc de aqua breviter explicemus.

Charitatem igitur aquam esse docet Dominus per Ezechielem: *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Cur autem charitas aqua dicatur, explicat B. Martyr Irenæus in libro tertio contra Valentinum: « Ut enim, inquit, ex multis granis unus panis efficitur, quia aqua veluti quodam glutino invicem copulantur et multa pulveris grana, si aquæ humor accedat, unum laterem faciunt, alioqui vero sicca grana sine humore in unum coalescere quomodo possunt? Ita quoque et nos, qui terræ ac pulveris grana sumus. Pulvis es, ait Dominus, et in pulverem reverteris; numquam per nos, vel nobiscum conjungi vel cum Deo possumus: sed accedit humor charitatis et ita nos cum hominibus cæteris copulat ut Apostolus dicat, unus panis et unum corpus

multi sumus ». Et rursum ita cum Deo nos unit, ut idem Apostolus confirmet: *Qui adhæret Domino unum spiritum cum eo effici*. Est vero tam fortis, atque indissolubilis hæc unio, ut in sanctis Martyribus prius corpus ab anima, quam animus a Deo separetur: et in Beatissimo Apostolo Bartholomæo sævissimi carnifices pellem a carne sejungere possent, cor tamen ipsius a Deo sejungere nunquam possent. Quid de apostolo Paulo dicemus? qui ad Romanos scribens, et quod nos dicimus, confirmans, ait: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*. Ecce aquam, ecce humorem, ecce gluten. *Propter eum*, inquit, *qui dilexit nos*. Et addit: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*. Fortis igitur ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio: neque gluten est aliquod, quod cum ea comparari possit.

Quid igitur, dicat aliquis, semper vigilare, semper timere, semper animo excubare jubemur, ne a charitate excidamus? cur Apostolus tam sollicite monet, ut qui stat, *videat ne cadat*, si neque mors neque vita, neque cœlum, neque terra, neque Angeli, neque Dæmones, neque creatura alia potest nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro? Insidias, auditores, insidias, dolos cavere nos jubet. Ut enim arx aliqua munitissima viribus expugnari non potest, et tamen insidiis et prodicione capi potest, ita nexum istum admirabilem charitatis, omne quod est, dissolvere non valet; et tamen id, quod nihil est, peccatum videlicet, non modo solvere, sed etiam frangere et violenter dirumpere valet. *Peccata nostra*, ait propheta, *diviserunt inter nos et Deum nostrum*. Et sicut Troianos, quos

« Non anni domuere decem, non mille carinæ. »

parvus homuncio, sed callidus, sed vafer, sed versipellis, nomine Sion, ad exitium, et ultimam perniciem adduxerit: sic et nos

totius mundi atque inferni vires a Deo separare non valent, et peccatum, quod nihil est, valet.

Sed rursus charitas aqua nominatur, quia sitim restinguit. Nemo est, auditores, qui non sitibundus nascatur. Ex uteris matrum infinitas cupiditates nobiscum trahimus, nisi potius ab illis trahimur, quæ nos perpetuo miris modis exeruciant, et plane sedari, nisi hac aqua, non possunt. *Qui biberit*, inquit Dominus, *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Sed *Qui biberit ex aqua hac*, ex aqua, inquam, quam mundus habet, *Sitiet iterum*. Ecce sitis aureos nummos centum, dantur, incipis sitire ducentos. Sitis unam aliquando voluptatem, adipisceris, incipis aliam confestim sitire, et numquam est finis; quia *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*. Istæ enim.

Quo plus autem potæ, plus sitiuntur aquæ, falsæ sunt, amaræ sunt, sitim accendunt, non extinguunt. At *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Veritas hæc dicit, et verum dicit. Nam gustato spiritu, desipit omnis caro. Non ante igitur speremus, auditores, nos sitim terrenæ cupiditatis extinguere posse, quam hanc Domini aquam bibamus. Tunc enim *Fiet in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam*. Nam si Philosophis credimus, quantum aqua descendit, tantum ascendit. Hæc igitur aqua, quæ de cælo descendit (*Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*), procul dubio et ad cælum usque conscendet, et *Fiet fons aquæ salientis*, et secum abripiens vasa sua, corda videlicet nostra *In vitam æternam*. Et cum cæteræ aquæ nihil nisi frigefacere noverint, hæc aqua, quia cælestis est, refrigerat et accendit. Ea est enim virtus cælorum, ut contrarios et pugnantes effectus producant. Ut igitur ad unum atque eundem solem et cera liquescit et lutum duratur, sic ad hujus cælestis aquæ aspersionem mens amore divinorum icalescit et sensus et caro et tota hæc inferior portio refrigeratur. Postremo aquæ cæteræ funibus cum labore trahuntur sursum; hæc autem precibus ac suspiriis trahuntur deorsum.

PARS POSTERIOR.

Charitatem instar omnium bonorum, hoc est, vitæ, ignis, aquæ, tecti, cibi, potus, ve-

stis, loricæ, et pecuniarum nobis esse, initio asseruimus. At de vita, igne et aqua satis, ni fallor, explicuimus, nunc de cæteris dicendum est. Et quamquam multo plura supersint, quam ut semihoræ spatio expediri possint si pro dignitate explicari debeant, tamen ita mihi moderabor, ut tempus præscriptum et definitum non excedam.

Is igitur qui vitam et ignem et aquam jam habet de domo fortasse sollicitus erit, sed habeat charitatem et domum habet non lateritiam aut marmoream, sed plane cælestem ac divinam. Nam *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Magna est enim ac præpotens vis amoris et cor amantis rapit ac transfert in rem amatam. *Anima*, inquit Augustinus, *magis est ubi amat, quam ubi an mat*. Et rursus Dominus: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*. Cur quæris cor tuum in pectore tuo? *Ubi est thesaurus tuus ibi est et cor tuum*. Et quia corpora nostra, anima recedente, deficiunt, ideo qui Deum amant, deficere ac languere se dicunt: si videritis *Dilectum*, inquit sponsa, *renuntiate ei quia amore langueo*. Et sanctus David: *Deficit cor meum et caro mea, Deus cordis mei et pars mea. Deus in æternum*. Et idem ille Propheta flebiliter aliquando canebat: *Cor meum dereliquit me*: avolaverat enim in pectus rei amatæ. Quicumque igitur Deum amant, in Deo tamquam in proprio domicilio commorantur.

Sed dices: Quomodo qui Deum amat, in Deo manet, et Deus in eo? Numquid in suo habitatore domicilium habitare potest? Potest plane, si et amatus amantem redamare potest. Tú pecunias diligis? in pecuniis manes, sed non pecuniæ in te manent, quia redamare amantem non noverunt. Deus autem diligentes se diligit, imo vero prius ipse diligit, quam diligatur. *Qui diligit me*, Dominus ait, *diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Ergo qui manet in charitate, quia diligit Deum manet in Deo, et quia vicissim diligitur a Deo, Deus manet in ipso.

O nos beatos, auditores, si talem domum nobis comparare, et eam, quocumque pergimus, nobiscum circumferre studeremus, ut Diogenes de suo dolio satagebat, fortasse non tam frequenter inæsti essemus, nec tum sæpe damna accepta defleremus, sed de nobis caneret propheta David: *Altissimum posuisti refugium tuum non accedet ad te malum et flagellum, non appropinquabit tabernaculo*

tuo. Contenderent hostes nostri arcus suos; sed ad arcem istam jacula non pervenirent, neque *Sol per diem* ustularet te, neque *luna per nocem*. Quid enim dies, auditores, nisi tempus prosperum significat? Tunc enim quia lux micat secundæ fortunæ, multi numerantur amici: omnes te ostentant, omnes blandiuntur, omnes adulantur. Quid vero nox designat, nisi fortunam adversam? Tunc enim tanquam si densissimis tenebris obrutus esses, nemo te videt, nemo cognoscit, transis per plateas? nemo occurrit, nemo salutatur: quæris amicos? nemo te novit: quæris affines? se tibi conjunctos omnes negant. Quod si iterum lux tibi prosperitatis oriretur, mox innumerabiles cognatos, consobrinos, nepotes et pronepotes haberes. Et qui paulo ante in tenebris adversitatis affinitatem videre non poterant, nunc arcissimam conjunctionem viderent. Dies igitur secundum, nox adversum tempus significat. Ac in die quidem sol hoc est, concupiscentiæ ardor exurit. Qui enim cernunt sibi quodlibet licere, ac impune esse cupiditates suas explere, mirum est, in quæ scelerum ac flagitiorum præcipitia nonnunquam dilabantur. At vero in nocte luna, hoc est, inconstantia et mutabilitas nocet. Quoniam enim tunc ex claris obscuri, pauperes ex opulentis, ex felicibus miseri efficiuntur, sæpe vim adversæ fortunæ non ferentes, vel ad laqueos, vel ad aquas, vel ad venenum vel ad gladium currunt.

Sed hæc omnia, auditores, illis accidunt, qui domum non habent. Nam qui se abscondunt *In abscondito tabernaculi Domini sui*, eos nec, *Sol per diem* urit, nec, *Luna per noctem*. Certe Sanctus Abraham, et rex Ezechias, et imperator Theodosius, et Pontifex Gregorius, et rex Gallorum Ludovicus, et Bocmorum Wenceslaus, et Hungarorum Stephanus, et Anglorum Ofwaldus, et alii permulti in die fuerunt: divitiis, honoribus et aliis hujus mundi bonis abundabant: numquid propterea a sole exusti sunt? numquid divitiæ talibus obfuerunt? numquid non magis per eas sibi gradam ad cælum effecerunt? Et hoc unde? Nisi quia in charitate manentes, in Deo manebant, et Dei amorem rebus omnibus caducis et fragilibus anteponebant? Ista enim non magnopere diliguntur, nisi ab iis, qui meliora diligere non noverunt. Rursum autem sanctus Job, et pene omnes Prophætæ et Apostoli ac Martyres Domini in nocte fuerunt. Audi quid Aposto-

lus dicat: *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus et laboramus operantes manus nostris, maledicimur et benedicimur, persecutionem patimur et susinemus, blasphema mur et obsecramus iniquum purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsemus usque adhuc, et cum tanta palerentur, non propterea tristes erant, sed e contrario gaudebant in infirmitatibus: quia Virtus in infirmitate perficitur, scientes quia triulatio patientiam operatur patientia autem probationem pro alio vero, spem spes autem non confundit. Quare? Quia charitas Dei (vides quo pacto omnia charitati accepta referuntur) diffusus est in cordibus nostris. Isti igitur, quia in Deo proferunt nidum suum, nihil amittebant, quia nihil diligebant, nisi in Deo, qui amitti, aut perire nullo modo potest. Vis et tu non sentire jacturas? non diligas res perituras: sed ibi tige mansionem tuam, ibi cor tuum requiescat, ubi nihil transit, sed vera et æterna et stabilia sunt bona.*

Jam vero ædibus constitutis, victus est quærendas. Quid enim juvat amplam et elegantem domum sed vacuam rebus omnibus possidere? Verum non longius abire debemus, ut victum quæramus, nam ipsa charitas, quæ domus est, etiam victus est. Ad victum enim tria omnino necessaria esse videntur panis, oleum et vinum juxta illud Psalmi: *A fructu frumenti vini et olei sui multiplicati sunt.* Et item Jeremias ait: *Confluent ad bona Domini super frumentum et oleum et vinum.* In Genesi quoque non legis, quibus verbis patriarcha Isaac Jacob filio suo benedixit? *Det tibi, inquit, Deus de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini et olei.* Et in eodem capite loquens ad Esau: *Frumento, inquit, vino et oleo stabilicem eum et tibi post hæc, sibi mihi, ultra quid faciam?* Is enim omnia, quæ ad victum pertinent, habere videtur, qui frumentum, vinum et oleum habeat.

Charitas, auditores, vinum est. *Inroduxit me in cellam vinariam, et ordinavit in me chitatem.* Ut enim vinum homines ebrios et furiosos facit, ita charitas sanctos viros ad eam sapientissimam dementiam adducere solet, ut in rebus adversis, summisque difficultatibus gloriantur, et contumeliam decus, injuriam gloriam, contemptum honorem vel amplissimum ducant. Quid enim illud erat, quod in sanctis hominibus faciebat, ut nihil arduum, nihil grave, nihil difficile esse puta-

rent, ut omnia se posse pro Domino crederent, difficultatem nunquam causarent, nisi sobria et sancta vini hujus ebrietas? Nonne ebrius Benedictus, nonne ebrius Franciscus, quorum alter in spinis tamquam in rosis, alter in nive tamquam in plumis volutatus est? Nonne ebrius Bartholomæus, qui pellem ita sibi detrahi passus est ac si veste solum aliqua spoliaretur? nonne ebrii et musto pleni omnes Apostoli, qui cum duodecim tamen essent, totum tamen orbem aggredi non timuerunt? Ad hanc ebrietatem sponsus invitat, qui *Tamquam potens crapultus a vino*, in cantico amoris dicit: *Comedite aici; et bibite et inebriamini charissimi*. Hoc enim non est *Vinum in quo est luxuria*, sed *vinum germinans virgines!* Hoc item est illud vinum quod quia novum est, non nisi in utres novos poni debet. Quocirca, auditores, si quando nobis pro Domino pericula subeunda sunt, vel caro petulans edomanda, vel Diaboli molitionibus resistendum, et ne succumbamus vehementer timemus, cur non ad vinum et ebrietatem istam confugimus? Qui ultimo supplicio affiendi sunt, in aliquibus locis, usque ad ebrietatem bibere compelluntur, et quamquam non bona consuetudo est, tamen id propterea fit, ut qui ad tale supplicium ducuntur, tamquam mentis inopes, sensum doloris vel nullum vel minimum capiant. Ita igitur et nos, si Dei amore ebrii effici voluerimus, res maximas minimo negotio peragemus, sine labore laborabimus, et summos dolores sine sensu doloris perferemus.

Charitas rursum oleum est. Primum quidem quia curat vulnera peccatorum, deinde quia, ut oleum super omnes liquores ascendit, ita charitas, quæ excellentissima virtus est, nisi supremum in corde locum habeat, in corde esse minime dignatur. Postremo, quia summam homini lætitiâ adfert: *Propterea*, inquit, *unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Et item: *Ut exhilaret faciem in oleo*. Hinc videlicet Dominus ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum*, hoc est, lætum et hilarem te præbe. Et vere, auditores, nulli tamquam tam jucundi et læti fuerunt quam Dei amici, quorum deliciæ hoc oleum fuit, qui in tribulationibus gaudebant quorum et lacrymæ dulces erant. *Multi vident*, ait B. Bernardus, *crucem nostram, sed non vident unctionem nostram. Quam si viderent, profecto crucem non horrerent. Nam et si crux jugum videtur, tamen computrescit jugum a facie olei*. Charitas igitur et vinum et oleum est.

Sed numquid est etiam panis? Non sane. Charitas, inquam, panis non est: nec injuria. Nam hic non messorum, non rusticorum, non robustorum, sed amantium cibum quærimus. Amantes autem ægri et languidi sunt. *Stipate me malis, quia amore langueo*, ait sponsa. Charitas igitur non panis est, sed pro pane lac est. Talis enim cibus ad languidos reficiendos accommodatus est. *Meliora sunt* (inquit sponsa) *uberâ tua vinô*. Et Isaias: *Venite emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac*. Lac igitur, auditores, cibus, quo sponsa cordium nostrorum amatores suos alere, nutrire, reficere etiam et recreare solet. Quid enim est lac, nisi inexplicabilis et eximia, et omnem sensum exuperans quædam dulcedo, quam vere spiritales, et qui mundum propter Dominum contempserunt, ex uberibus sponsæ interdum sugunt? auditores, et dicam qui plane hujus lactis est expertus, neque vel semel gustavit, quam suavis est Dominus, quietus et tranquillus nunquam esse potest. Vidistis aliquando canes in venatione, quo pacto dum leporem aut perdicem pervestigant semper incertos et vagos cursum ineunt? nunc hæc nunc illac discurrunt, nunc montes ascendunt, nunc per valles impetu feruntur, nunc prata vel arva circumeunt: at ubi olfaciendi sensu prædam, licet longe positam, senserunt, mox ad eam cursum dirigunt, nec amplius incerte vagantur. Pari ratione mortales omnes veluti quidam canes nihil aliud, quam beatitudinem et felicitatem venamur. Sed quamdiu odorem aliquem Dei, in quo solo nostra beatitudo posita est, spiritalibus naribus non haurimus, tamdiu incerti et vagi sunt gressus nostri; nunc post istam, nunc post illam voluptatem currimus et ubi videmus eas non esse leporem, quem quærimus, mutamus consilium, et honores ac dignitates venari incipimus. Ubi autem jam multum lassi umbram quamdam amoris apprehendimus, et nec ibi esse cernimus leporem, quem quærimus, iterum nos ipsos excitamus et scientiam rerum et cognitionem persequimur, tamquam ibi certissimam quietem et tranquillitatem inventuri. Sed ubi omnia plena opinionibus, plena labyrinthis, plena difficultatibus, et veritatem in abdito positam esse videmus, quasi consilii inopes, iterum aut pecunias aut voluptates corporis consecramur. Ita ambulamus *Vias difficiles*, et tempus, et vestes, et membra in venatione terimus: et tamen, quod quærimus, non in-

venimus. Quærimus enim quietem, et voluptatem, et nisi labores et dolores, et timores et sollicitudines capimus. Et merito. Nam petimus a mari dulcedinem, a spinis uvas, a tribulis ficus. At si forte Dei benignitate, et industria ac labore nostro semel perfecte cor convertimus ad Dominum et odorem veræ felicitatis sentimus, et ex uberibus ejus, vel modicum lactis sugimus, tunc diriguntur gressus nostri, et *vultus nostri non amplius in diversa* mutantur : nulli tunc circuitus, nulli anfractus, nulli ascensus aut descensus : sed iter rectum et expeditum, nec ad dextram nec ad sinistram, semper illares, semper gaudentes ad cælum recta tendimus. Consulite, obsecro, consulite vitas sanctorum, ut Benedicti, ut Dominici, ut Francisci, ut aliorum : et quales ante conversionem et quales post conversionem fuerint, considerate : et plane videbitis omnino verum esse quod dicimus. Sed quia tempus transit et nos transimus et cætera :

Post victum igitur sequitur vestitus. Sic enim Apostolus ait : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Caritas, auditores, sicut victus, ita et vestitus est. *Caritas*, inquit Apostolus Petrus, *operit multitudinem peccatorum.* Hæc est illa vestis nuptialis, sine qua tutum omnino non est inveniri, cum ad Domini convivium introducimur. Hæc vestis amplissima et maxima debet esse ut etiam proximorum nuditatem et ignominiam tegat. Vides fratrem tuum a Diabolo circumventum in crimen aliquod incurrisse? Noli illum Cham, Noe filium, imitari, noli cæteris prodere, quod vidisti, noli fratri tuo aliquid mali nominis conflare ; sed operi plagas ejus veste charitatis, et eas curare potius, quam aliis ostendere satage. Hanc vestem Beatissimus Bartholomæus ne amitteret, non solum alias vestes omnes, sed et ipsam pellem sibi detrahi passus est. Ut enim latrones in silvis non vitæ hominum, sed marsupiis insidiantur : gladios quidem distringunt, et mortem intentant ; non tamen animam sed marsupium petunt : ita nostræ fidei persecutores a Diabolo incitati, non ideo fortissimos Martyres tam diris suppliciis cruciabant, quia pœnis eorum et cruciatibus delectarentur ; sed quia fidei gemmam pretiosam et charitatis ornatissimam vestem eis detrahere gestiebant. Intellexit hoc Beatissimus Bartholomæus, et bene sibi conscius thesauri, quem gestabat, naturalè pallium corporis sui latronibus in deserto dimisit ;

et in tabernaculum Domini sui cum thesauro fidei et veste charitatis aufugit.

Neque solum vestis est charitas, sed etiam lorica. Nam, ut Apostolus docet : *charitas omnia suffert* : et ut sponsa dicit in Cantico : *Fortis, ut mors dilectio : dura, ut infernus æmulatio.* Hanc lorica Domini discipulis promittebat, cum aiebat : *Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Hinc videlicet Apostoli, ubi in die Pentecostes lorica istam induissent, non amplius fugam propter metum Judæorum, non tenebras meditabantur : sed liberior tunc, et audacius in publico versabantur, veritatemque promulgabant, quam timidius ante delitescerent.

Sed ut jam ad extremam orationis partem veniamus. Si quid est, quod propter vitam, ignem, aquam, domum, victum et indumenta quis requirat, id omne pecuniis emi potest. Quare postremo loco charitas etiam pecuniis comparatur. *Suadeo tibi* (Dominus loquitur in Apocalypsi) *emere a me aurum ignitum.* In regno cælorum, auditores, nulli nummi, nisi aurei accipiuntur : ærei autem atque argentei nisi auro tecti sint, omnino rejiciuntur : hoc est, (ut apertius loquar) charitas est velut aurum, quæ cælum comparare potest : fides autem, et castitas, et cæteræ virtutes, velut nummi ærei aut argentei sunt : et nisi auro tegantur, id est, cum charitate jungantur, non recipiuntur a rege cælorum : neque, etiamsi multa millia talium nummorum numerarentur, gloriam illam unquam emere valerent. Inspicite nunc, auditores, inspicite oculos vestros. O quam multi sunt, qui se divites putant, et auro abundare se credunt, et interim tamen nisi aurichalcum habent, vel folia quædam, quæ colorem auri et sonitum quemdam habent, sed pondus et æstimationem auri non habent. Isti sunt, qui diligunt *Verbo et lingua non opere et veritate.* O quam multi reperiuntur hoc tempore, qui si verba spectes, charitate plenissimi videntur : pecunias et vestes, et domum et seipsos offerunt, et amicis dicunt. Quicquid est meum, pariter est et tuum utere, frui bonis meis, non secus ac tuis : operam meam in nullo sive loco, sive tempore desiderabis. At ubi reipsa aliquid ab illis petitur, nihil habent, nihil valent, nihil possunt : pecunias fures rapuerunt : vestes tineæ comederunt : frumentum totum est consumptum. Ah miser, charitas ista, charitas aulicorum est, non charitas

Christianorum est. Siccine aurichalcum venditis pro auro, et iudicium Dei non timetis? Feminam unam his diebus vidimus in patibulo, quia adulterinum argentum in hanc urbem affererat : sed o quam multos pariter in patibulis videremus, si de omnibus supplicium sumeretur, qui non pro argento stannum, sed pro auro aurichalcum venditant? Cur igitur tam stultus es, ut cuius facta imitaris, ejus exitium non perhorrescas? Sed enim, auditores, incidimus in fœcem sæculorum, in illa, inquam, tempora incidimus, de quibus Apostolus prædicebat : Futuros in eis *Homines sine affectione seipsos amantes. O quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus!* Ubinam est hoc tempore charitas illa primorum Christianorum, quorum *Erat cor unum, et anima una? Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat* : et ideo nullus *Egens erat inter illos*. Ubi est charitas illa Beatissimi Martini, qui pallium dimidium habere voluit, ut charitatis vestem integram retineret? Ubi charitas Paulini, qui cum nihil jam præter seipsum haberet, se quoque ipsum vendi voluit, ut viduæ filius redimetur? Exulat, charitas : ad inopiam redacti sumus, volentes divites fieri, pauperes facti sumus.

Verum enimvero, auditores, quicumque pastores, aut esse debetis aut jam estis, vos, inquam, arcam auro plenam habere necesse est : profecto enim recordamini, cum Dominus Apostolum Petrum primum et summum Pastorem efficere vellet quidnam petierit ab eo : Num quidnam rogavit, ex quam illustri stirpe descendisset, aut quem patrem, quem avum, proavum, atavum, quos majores habuisset? Aut quot prædia, quot famulos, quam suppellectilem haberet? aut quot annos in curia versatus fuisset? Non sanè, non hæc Dominus rogavit. Sed quid? *Simon Joannis, diligis me plus his?* hoc est, marsupium charitatis estne tibi majus et plenius quam his? Et B. Chrysostomus in altero dialogo de sacerdotio, qua ratione convincit, suum illum Basilium dignissimum pontificatu fuisse? nonne quod bonus ille Basilius, cum salutem proximi in discrimen adduci videret, ipse se in aperta pericula conjecit? cum hoc ejus factum ab amicis reprehenderetur, ait : *Non aliter ego amare didici nisi, ut pro fratribus animam ponam*. Videtis igitur, videtis, quomodo charitas aurum sit.

Sed forte his aliquis non contentus divitias

mentis, hoc est, sapientiam et eloquentiam requirat. Verum et hoc charitas habet. Nam aurum ignitum, cum pondere et colore etiam lucem et sonitum habet. Quid vero lux, nisi sapientiam? quid sonitus, nisi eloquentiam ostendit? Hinc B. Joannes ait : *Unctio docebit vos*. Et quid unctio, nisi charitas? Et ipse Dominus : *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Mystera igitur et arcana divinæ sapientiæ amicis, id est, iis, qui diligunt, et diliguntur nota fiunt. Hinc B. Bernardus et B. Thomas Aquinas plura oratione, quam lectione didicerunt. Hinc beatus ille et magnus Antonius alioqui simplex et imperitus, doctissimos Philosophos confutavit. De eloquentia vero quid dicam? quando charitas magistra sanctorum, ipsa rhetorica efficacius persuadeat? Videte matres, quando filios retinere conantur, ne pergant ad bellum, quam multa faciunt, et dicunt ad persuadendum accommodata? Quis, obsecro, eas rhetoricari, quis pandere capillos, quis ubera ostentare, quis gestationem in utero, quis partus dolorem, quis laborem educationis commemorare docuit? nonne charitas eloquentiæ et omnium bonorum mater? Charitas enim verborum et sententiarum vim, copiam, ornatum deesse non patitur. Quis nostrum aliquando tam fructuose concionabitur, ut B. Franciscus concionabatur, qui non verba cogitabat, et ignem charitatis accendebat? Sanctus Athanasius refert, cum B. Antonius ab Episcopis Ægypti accersitus Alexandriæ contra Arrianos Hæreticos prædicaret, innumerabiles homines ad Christi fidem esse conversos : neque tamen B. Antonius Tulliana volumina, sed charitatis liber eloquentiam edocuerat. O utinam oratores Christiani in hoc omnes incumberent, ut verba non tam polita, quam ignita proferrent : neque tam aures delactarent, quam corda succenderent : fortasse enim aliam Ecclesiæ faciem videremus. *Quid paleis ad triticum?* ait Dominus : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petras?* Ignis est verbum Dei, malleus est verbum Domini : non ergo molle et languidum, sed vivum et efficax esse, et non mulcere, sed terrere ; non adulari, sed minari : non refrigerare, sed inflammare debet.

Sed tu, o Beatissime Bartholomæe ! Apostolicum sidus ! O Martyrum decus ! O Indiæ lumen ! O Ecclesiæ ornamentum, ignosce, quæso, ignosce supplicio tuo. Tibi jam sermo deberetur, neque materia deesset. Tu

pro Christo Lycaoniam, Indiam, Armeniam peragrasti. Tu reges et populos ad Christi imperium adjunxisti : tu gladio verbi Dei vicisti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas. *Bonum certamen* certasti, *cursum* consummasti, *fidem* servasti. Tu pro Christo in terris mortalibus spoliis exutus fortiter occubuisti. Tu a Christo in cœlis stolam decoris indutus gloriose triumphasti : et si cæteri commilitones tui, in qua parte corporis vulnera susceperunt, in ea præcipuo splendore clarebunt, quid corpore splendidius aut admirabilius tuo,

quod totum ea gloria, eo fulgore micabit? Et quantam hæc nobis ad dicendum materiam, quantam ad ornandum copiam, quantam facultatem ad agendum ministrarent? Sed charitas, de qua loquimur, non patitur, ut auditores meos, cultores tuos, audiendo fessos amplius defatigem. Tu igitur, o beatissime, de cœlo nos respice, et ignem illum, quo in terris flagrasti, quo aditum tibi in locum istum aperuisti, a Christo nobis orationibus impetra; ut qui de te gaudemus in terris tecum perpetuo lætemur in cœlis. Amen.

CONCIO XLII.

DE NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

THEMA

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? *Cant. vi, v. 9.*

SYNOPSIS

Illustrium feminarum laudes propositis earum præclare gestis a vulgi opinione vindicantur: et ad propositum thema divinæ Virgini applicandum et explicandum descenditur. Quantum lætitiæ natiuitas B. Virginis toti universo attulerit declaratur, et a simili auroræ amplificatur. Maria eleganti comparatione lunæ assimilatur, ubi quasi per transennam lunæ magnitudo ex sacris litteris et Patribus contra astrologorum seita ostenditur. Dignitas et excellentia Dei paræ Virginis contra Lutherum eidem omnes homines æquantem, ferverter defenditur, et testimoniis Patrum, et Chrysostomi, Epiphani, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Bernardi et Anselmi confirmatur, ubi etiam a quarundam hæresum enumeratione probatur, Hæreticos semper medio relicto, virtutis sede, ad extrema exorbitare. Quomodo ex imputativa justitia perverse Lutherus ratiocinetur et seducatur; et qua ratione justitia in homine a Deo proveniat, luculentis argumentis colligitur. Quam variis modis Maria pulchrior sit luna, et electa ut sol, docetur. Deinde corpus Ecclesiæ mysticum in sua membra convenienti divisione dirimitur, in quo Christus caput, Spiritus Sanctus cor, B. Virgo collum, Prælati humeri, martyres et doctores brachia, Prophetæ pectus, pænitentes renes, virgines viscera,

Monachi genua, conjugati pedes, et demum Ecclesiastici stomachus sunt. Subnectuntur præterea varia æque pulcherrima D. Virginis encomia; simul et causa redditur, cur illa castrorum acies ordinata dicatur. Duæ denique utilitates, paupertatis scilicet et laborum tolerantia; et adversitatum modesta sine querimoniis perpessio, nobis B. Virginis Deiparæ exemplo propositæ, juneta ejusdem invocatione concludunt.

Feminarum genus, auditores optimi, ineptum minimeque idoneum ad res magnas et præclaras gerendas, vel quod animi magnitudine, prudentia et consilio careant, vel quod ab ipsa natura insitam quamdam timiditatem, levitatem et tarditatem habeant, plerique omnes existimant. Verum si sacra volumina diligenter evolvere voluerimus, intelligemus profecto, feminas non paucas fortissimis etiam viris in sanctis litteris anteponi. Ac propterea non temere de omnibus pronunciandum, nec facile sententiam esse ferendam. Quid enim, obsecro excellentius, quid sublimius viri commemorare possunt, quam quod gravi et sapienti oratione mentes hominum flectant? quod prudentia, consilio, auctoritate Concilia cætusque hominum jure sociatos, qui civitates appellantur, moderentur ac regnant? quod urbes expugnent? quod exercitibus imparent? quod nec plagis, vulneribus nec mortibus terreantur? Istæ enim sunt laudes, in

quibus tamquam propriis viri se jactant, et quibus se superiores feminis esse, arbitrantur. Verum consulite sacram historiam : legite orationem quam habuit Abigail uxor Nabal ad David, et plane videbitis tantis eloquentiæ et prudentiæ opibus instructum animum mulieris, ut majores in viro jure desiderari non possint. Dum enim vir fortissimus David cum quadragentis militibus armatus descenderet, ut Nabal, et uxorem et liberos, et servos et pecora ejus interficeret, atque deleret, occurrit ei Abigail, et ubi Nabal ipse præ timore loqui non potuisset, ipsa imperterrita in medio armorum, coram hoste sibi irato, et furore justissimo succenso ita egit, ita crimen diluit, ita denique locuta est, ut non modo David placaretur, ut omnem injuriam condonaret; sed etiam ita ingenio et facundia ejus delectaretur, ut eam mortuo Nabal in uxorem ducere desideraverit. Quid Debora? Nonne et Prophetæ, et Judicis et imperatoris munere functa est? nonne exercitum ductavit? nonne populo præfuit? nonne principes et primores regni in officio continuit? Quid vidua illa honestissima, quid, inquam, Judith? Nonne ducem exercitus potentissimum Holofernem, qui orbem totum armis domare aggrediebatur, interemit? nonne patriam liberavit? Nonne auctor salutis suis civibus fuit? Esther autem pulcherrima et sanctissima nonne vastitatem et cædem ad omni gente Judæorum avertit? nonne gladius ab eorum omnium cervicibus amovit? nonne incendium ab Aman accensum prudentia, et consilio pene sola restinxit? Jam vero quid dicam de fortitudine animique magnitudine Theclæ, Agnetis, Cecilæ, Catharinæ, Barbaræ, aliarumque non quatuor aut quinque, sed pene innumerabilium castissimarum, fortissimarumque virginum, quæ et carnis propriæ cupiditates, et mundi blanditias et dæmonum machinamenta, et bestias, et cruces, et rotas, et ignes et gladios superaverunt? Si de iis dicere aggrediar, immensam orationem suscipiam. Verum enimvero, auditores, quando genus feminarum nihil horum, quæ diximus haberet, jure tamen ac merito propter eam solam, quæ hodierna die mundo veluti fulgor salutaris illuxit, vehementer lætari, gaudere et gloriari posset. Hæc enim una post Deum et Christum in tota rerum universitate parem omnino non habet; nec solum hominum sed etiam Angelorum splendori hujus unius gloria te-

nebras maximas offundit. Ac me quidem, ut nihil est, quod magis delectat, ita nihil est quod terreat magis, quam laudes et gloriam Virginis prædicare. Siquidam tam alte sentiunt omnes, ut par est, de excellentia Matris Dei, ut nihil dicit possit tam sublime, quod non-humile et abjectum, et inferius ejus laudibus videatur. Te igitur, Virgo beata, quæ nobis a Deo stella maris, et dux ac regina constituta es, te, inquam, appello, tuam opem imploro. Tu mihi vocem, et verba et vires suppedita, ut ea per te dicam, de te, quæ Deo et tibi honorem et gloriam, et nobis utilitatem aliquam ac emolumentum afferant.

Ut igitur non vagetur, sed certam sedem habeat oratio mea, illa verba explicanda suscepi, quæ in Canticis canticorum de hac Virgine scripta esse Ecclesia universa testatur, quæ talia sunt : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum actes ordinata?* Etenim hac sententia edocemur, Virginem nostram longe aliter natam esse, quam cæteri Adæ filii nasci soleant. Non enim tenebris circumdata peccatorum; sed gratiæ splendore illustris, quasi aurora valde rutilans orbi terrarum illuxit: nec originalis culpæ maculis fœdata, sed pulchra, ut luna: nec velut una de turba, sed instar solis electa: nec Diaboli imperio addicta, sed dæmonibus omnibus ut castrorum acies ordinata, formidabilis atque tremenda. Quid enim est aurora, nisi medium quoddam inter noctem et diem? Vere igitur Maria ut aurora consurgens apparuit, quæ mater Christi, justitiæ Solis, existens, et nostræ salutis exordium, et media inter legem et gratiam, hoc est, inter noctem et diem fuit. Cum noctis tenebræ, quæ mundum involverant, et loca omnia horrore et metu repleverant, aurora ex oriente fugere incipiunt, qua lætitia, quæso, mundus hic omnes afficitur? Aviculæ omnes quam lætis vocibus diem salutant? Nonne et cælum, et terra, et omnis natura gaudere ac probe gestire videtur? Quod si hæc fiunt, cum quotidie aurora ad nos revertatur, quid fieret, si forte aliquando contingeret, ut Deo sic providente, per unam aut alteram hebdomadam noctem perpetuam haberemus, et solis aspectu eo tempore privati essemus, neque sciremus extinctusne esset, an virtute aliqua superiore detentus, redire ad nos, et orbem nostrum illustrare non posset? Quid obsecro, agere-

mus? Qui gemitus, qui clamores exaudirentur? Quis enim lætitiæ in illis tenebris, in eo horrore locus esset? Quis edere, quis bibere, quis dormire, quis loqui auderet? Quam sæpe ad Orientem miseros et lacrymabundos oculos converteremus? At ubi auroræ tam diu et tam cupide expectatæ primus fulgor appareret, et solem ac diem certissime venturum prænuntiaret, quis præ lætitia capere seipsum posset? quis non exultaret? quis non clamaret? Quæ cum ita sint, quis explicare queat, auditores, quid senserint sancti Patres nostri, Patriarchæ, inquam, et Prophetæ et cæteri justî, qui per sæcula in tenebris fuerant, quando Mariam velut auroram ortam esse didicerunt? et choros Angelorum, quem plausum dedisse, quibus vocibus, qua lætitia, quo cantu hunc ortum excepisse existimatis? Ego sane mihi persuadeo, non modo Angelos et homines sed etiam solem et lunam, et cætera sidera, cælum quoque, et elementa et totam hanc rerum universitatem exultasse: quippe cum Christi Servatoris adventu, et divinæ atque humanæ naturæ conjunctione illustranda et exornanda esset. Sancti igitur Patres cum admiratione et gaudio hodie dicunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Dæmones quoque et omnis exercitus inferorum cum stupore simul et horrore exclamant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Angeli vero non semel, sed sæpe cantibus ingeminant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Nostrum, auditores, est tanta lætitia et gaudio respondere, ac dicere: *Maria est, quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Nec enim tam illustri die alia aurora digna erat, nec aliam auroram talis dies postulabat.

Sequitur, *pulchra ut luna.* Si quis est, auditores, qui plane cognoscere cupiat, cui similis sit nostra Virgo, attollat aliquando oculos in cælum, auratum illud gemmisque distinctum lacunar, quod Deus terræ pavimento floribus quasi depicto superimposuit intueatur, ubi viderit tot lumina, tam nitida et tam splendentia, quæ cælum, ut prata flores exornant, non existimet ea splendorem illum ex seipsis habere. Nam sol dux et princeps, et moderator luminum reliquorum, ipse est mundi oculus, et fons luminis, qui omnia sidera sua luce lustrat, et complet. Verum lunæ, tamquam sorori ac sponsæ longe majorem luminis copiam tribuit.

Ita cogitare debemus, auditores, sanctos omnes in cælis veluti stellas fulgere, Mariam ut lunam, Christum ut solem. Quamquam enim sanctorum alii magis, alii minus lucent, ut Apostolus ait; *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum;* tamen omnes, quicquid luminis habent, a sole habent, hoc est, quicquid gratiæ, quicquid gloriæ, quicquid potentiæ, quicquid sapientiæ, quicquid beatitudinis habent, a Christo habent, qui gratiæ, et gloriæ et omnium bonorum fons est. Et quemadmodum luna pene incredibiliter magnitudine, decore et claritate stellis cæteris antecellit, et ipsi soli quam simillima est: ita et Mariæ gloria pene incredibiliter major est sanctorum omnium gloria. Et sicut luna luce aliena, et radiis solis accensa convertitur, sic et Maria non secus ac alii cœlites, quicquid habet decoris et luminis id totum Christo soli acceptum refert.

Neque objeceris mihi astrologorum decreta, qui lunam pene minimam stellarum esse volunt. Primum enim neque ipsi id facile demonstrabunt, neque nos, si negare id vulerimus: propterea hæretici erimus, præsertim cum Moyses tam aperte dicat, fecisse Deum duo luminaria magna, luminare majus, videlicet solem, ut præset diei et luminare minus, hoc est, lunam, ut præset nocti. Deinde B. Augustinus cap. 16 lib. XXI super Genesim, nonne apertissime docet, multo esse melius Scripturæ divinæ et lunæ magnitudine, quam astrologis credere, cum ipsi non solum luna, sed etiam sole stellas aliquas majores esse contendunt. Quod, ut eo loco idem Augustinus ait, nisi absurdissime dici non potest. Quid Magnus Basilius Hom. 6 quæ est de opere quartæ diei, stellarum globos uno solis globo excepto, a lunæ magnitudine superari confirmat. Neque ab hac sententia B. Chrysostomus et B. Ambrosius absunt. Verum quicquid de hac controversia statuendum sit, neque enim astrologorum inimicitias gerendas mihi esse unquam putavi, illud certe asserimus, gloria Virginis nostræ tanto excellentiorem esse gloria cœlitum cæterorum, quanto lunæ decor et magnitudo, decorem et magnitudinem luminum reliquorum, vel vincit, vel vincere aspectibus nostris videtur.

Alia quæstio est, auditores, quam ego pluris facio, et ad quam profligandam mihi vocem, et latera, et impetum et ardorem ministrari vehementer cupio. Lutherus enim

luteus plane, et qui nihil, nisi in luto et cœno volutari desiderabat, in sermone, quem habuit aliquando de natali die B. Virginis, matris Dei in istam vocem blasphemio atque impuro ore prorupit: *Omnes Christiani æque magni sumus, sicut Mater Dei, et æque sancti, sicut ipsa.* O linguam præcidendam! O blasphemiam inauditam! Dignare me laudare te, virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos. Tunc Deiparæ Virgini æqualis, qui castitatem vovisti, et monachus moniallem, hoc est, sacrilegus sacrilegam uxorem duxisti? qui paupertatem voluntariam professus es, et templa, atque altaria spoliasti? qui obedientiæ jugo collum subjecisti, et jugum postmodum excussisti, et sacra vincula dirupisti, et majoribus tuis, et sanctis pontificibus, et Ecclesiæ matri, et Deo parenti obtemperare recusasti? Tu qui gloriam Deo, sanctis venerationem, templis ornatum vim sacramentis, cultum debitum imaginibus sacris, canonicis libris auctoritatem, majoribus obedientiam, et multis millibus miserorum, et per te deceptorum hominum vitam et salutem æternam eripuisti? Et quomodo tam excors, tam stultus est, ut tam aperte tecum ipse pugnes, ut cui te parem esse dicis, ejus diem festum celebres, et de laudibus ejus ad populum verba facias? Sed enim auditores, verum est proverbium græcum, *κακοῦ κόραχος κακὸν ὄν, mali corvi malum ovum*: quales parentes tales filii. Jovinianus enim, quem nostris temporibus Lutherus expressit, qui (ut B. Hieronymus testatur) virginitatem matrimonia æquabat, jejunia reprehendebat, ut Epicuri vel Aristippi discipulum diceres; item peccata paria et virtutes pares et præmia paria, juxta Stoicorum hæresim, asserebat; neque aliquid interesse volebat inter gloriam Virginis Deiparæ, et eorum infantium, qui mox suscepto baptismo moriuntur. Sanctus quoque martyr Irenæus, c. 24 lib. I contra Valentinum scribit, Carpocratis sectatores eo impudentiæ devenisse, ut non modo Virginis, sed ipsi etiam Christo se pares dicere auderent. Ecce quales magistros Lutherus imitatus est! Nam si non istos, sed eorum antagonistas, sanctos illos Patres, qui eorum hæreses refellerunt, illa, inquam, Ecclesiæ lumina, quæ horum tenebras dissiparunt, imitari voluisset, perfecto non tam absurdas opiniones neque errores tam crassos in Germaniam suam invexisset.

Audite enim quid B. Chrysostomus in Li-

turgia dicat: Ut vere dignum ac justum est, glorificare te Deiparam, et semper beatissimam, et penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, et gloriosiorum incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperisti, vere Deiparam te magnificamus. Quid est Luthere? Audis, quid hoc Dei oraculum, et vere aureum os, et Græciæ ornamentum dicat? Si Dei Mater honoratior Cherubim et gloriosior incomparabiliter Seraphim est, quomodo omnes Christiani æque magni sumus, sicut Mater Dei et æque sancti, sicut ipsa? Numquid omnes honoratiores Cherubim, et gloriosiores incomparabiliter Seraphim sumus? Quid de illo sancto sene Epiphanio dicam? Qui cap. LXXVIII libri tertii contra Hæreses, tantam videri hujus Virginis excellentiam confitetur, ut vehementer dubitet, an singulari privilegio ipsa una, quæ vitam ex se genuit, mortis imperio non subjacuerit.

Ac ut intelligatis, hæreticos semper extrema sectari, non medium, in quo virtus est posita, in capite sequenti idem Epiphanius refert, hæreticos quosdam eo usque Virginem nostram extulisse, ut ei, tamquam Deo, sacrificium immolarent. Ecce vias hæreticorum. Sabellius unam naturam in una dumtaxat persona in Deo constituit, et ad Judæismum defecit. Arius contra tres personas trium differentium naturarum asserit, et ad paganismum deficit. Pelagius naturam atque arbitrium nostrum liberum extollit, et etiam sine gratia posse nos non peccare confirmans, plusquam angelos facit. Lutherus ex adverso liberum arbitrium auferens, et semper peccare nos asserens, inferiores belluis facit. Denique ut cæteros omittamus, Collyridiani Virginem Dei Matrem, tamquam alterum Deum, colunt. Lutherani eidem optimæ et sanctissimæ Virgini impurissimos homines, vel dicam pecudes æquare contendunt. Illa igitur, illa via regia est, per quam Ecclesia Catholica mater nostra nos ducit, quæ et trinitatem personarum in naturæ unitate agnoscit, et cum arbitrato libero gratiam jungit, et Virginem nostram non tamquam Deum, sed tamquam Dei Matrem, et corporis Ecclesiæ nobilissimum et præstantissimum membrum veneratur et colit. Et quidem ex partibus orienti duos istos gravissimos testes produxisse sufficiat.

Veniamus ad meridiem, quæramus et ibi nostræ Virgini testimonium. Quomodo obsecro, testem magis idoneum Augustino repe-

riemus ? Dic igitur, Augustine sanctissime et eruditissime, dic Virgini Deiparæ testimonium. « Excepta sancta Virgine Maria : (loquitur de natura et gratia contra Pelagianos, estque cap. 36.) de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hæc ergo Virgine excepta si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare : Utrum essent sine peccato ? quid fuisse responsuros putamus ? Utrum hoc, quod iste dicet, an quod Joannes Apostolus ? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis si interrogari potuissent, una voce clamassent : Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » Hæc Augustinus. Qui, ut audivistis, tres gradus constituit. In primo Christum posuit, de quo ait : « Quem constat nullum habuisse peccatum, » nimirum, quia Dei Filius ac Dominus erat, et hoc habebat a natura, ut peccare non posset. In secundo B. Virginem collocavit, cui gratiam tributam asserit ad vincendum omni ex parte peccatum : ac si apertius dixisset, nec ipsam Virginem ullum habuisse peccatum verum id non naturæ ipsius, sed gratiæ Salvatoris fuisse. In tertio ac postremo sanctos cæteros constituit, quos omnes peccatum habuisse constanter asseruit. Sed cur obsecro, Augustine beatissime, sanctam Virginem excipis, cum de peccatis agitur ? Cur eam a cæteris separas ? An nescis omnes Christianos ita esse magnos et sanctos sicut Dei Matrem ? Ita est, inquit, nescio, et utinam nec Anglia unquam didicisset.

Pergamus ad aquilonem, et Mediolanensem Ambrosium ac Stridonensem Hieronymum interrogemus. Dic, antistes optime, dic, Italiæ decus, dic nostræ Virgini testimonium. Audite, quid libro secundo de Virginitate Ambrosius dicat. « Quid nobilior Dei Matre ? Quid splendidius ea, quam splendor elegit ? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit ? Talis fuit Maria ut ejus unius vita omnium sit disciplina. » Dic et tu, Hieronyme beatissime, dic testimonium Mariæ. Te enim, qui linguarum peritissimus et vas eruditionis es, latere nihil potest : nec decet, ut qui Ma-

riæ speluncam obtines, non dicas testimonium Mariæ. « Taceo, inquit in prologo super Sophoniam, de Anna et Elizabeth, et cæteris sanctis mulieribus, quarum velut siderum igniculos clarum Mariæ lumen abscondit. » O præclarum et luculentum testimonium. Ergo non omnes Christiani æque magni et sancti sunt sicut Mater Dei, si sanctissimæ femine et alioqui clarissima lumina cum Mariæ comparatæ parvi igniculi sunt ; imo nec ut igniculos clarum Mariæ lumen videri permittit.

Non gravemur, auditores, propter gloriam Mariæ occidentis etiam regiones perlustrare ; siquidem in ea plaga beatum Bernardum et beatum Anselmum reperiemus, in quorum voluminibus quot sunt literæ, tot fere sunt nostræ Virginis testimonia. Dic ergo, sancte senex, dic, Bernarde, castissimæ Virginis amator, dic testimonium Mariæ. « Non est equidem, inquit, quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritorum, ac prærogativam penitus singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, ut dignum est universi (Lutheranis videlicet exceptis), ut licet de eo loqui gestiant omnes, tamen quicquid dicitur, de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. » Sic ait sermone tertio de Assumptione. Jam vero, Anselme præsul ornatissime, et Occidentis lumen, ut ultimum, ita gravissimum, dic nostræ Virgini testimonium. Audite quid capite decimo octavo de conceptu virginali dicat. « Decuit, ut ea puritate Virgo niteret, qua major sub Deo nequit intelligi. » Itane, Anselme beatissime ? Quis ergo, nisi impudentissimus, et vanissimus et superbissimus sit, se tanta Virgini comparare audeat ? Quid, quod ipsa natura clamat et Anselmi testimonio testimonium dicat ? Nam quis ita stupidus est, ut non videat etiam in corporibus ea puriora et nobiliora esse quæ altiora et superiora sunt ? Nonne aqua purior est, quam terra ? et aer, quam aqua ? et ignis, quam aer ? et cælum, quam ignis ? Et mentes angelicæ numquid non pene in immensum puritate et excellentia vincunt globos cælorum ? Illa ergo Virgo Deipara, quæ terræ montes, et spatia elementorum, et cælorum regiones transcendens, et super omnes omnium angelorum choros, ut Ecclesia canit, exaltata

proxime ad Deum accessit, nonne ea puritate, et decore et gloria debuit enitere, qua major sub Deo nequit intelligi?

Hæc igitur testimonia tot sanctorum hominum, quis tam stultus et tam improbus erit, qui non unius apostatæ testimonio anteponat? Certe Deus ipse ita mihi de Lutheranorum, vel stupiditate vel improbitate conqueri videtur: quomodo fieri potuit ut credere aliquando possetis, me Deum ac Dominum vestrum, qui sapientissimus et optimus sum, tot sanctissimos, integerrimos, eruditissimos viros qui signis ac prodigiis claruerunt, qui vitæ sanctimonia et eruditione tamquam sidera in Ecclesiæ firmamento præfulserunt, quos columnas in domo mea, quos oculos in corpore meo esse volui, me, inquam, hos omnes abjecisse ac dereliquisse, et ad unum impurissimum Lutherum accessisse, et ipsi veritatem aperuisse, qui me tot injuriis affecit, per quem nomen meum in germania blasphematur, qui Ecclesiam domum meam perturbavit, concussit, fœdavit, qui mihi gratissima sacrificia, virgines, inquam, sacras eripuit et dæmonibus immolavit: qui denique tot animarum millia meo sanguine expiata, meoque caractere insignita, in gehennæ barathrum præcipitavit? Hæc ergo cum dicat Dominus noster, quis tam juxta querimonia non moveatur? Quis Lutheranorum nomen et mores, et facta et dicta non exhorreat? Nos ego, auditores, Deo parenti, et Ecclesiæ matri, et sanctis pastoribus, ac doctoribus nostris adhærentes lætis vocibus confiteamur, sanctam Virginem Deiparam tanto sanctis cæteris præstare, quanto luna cæteris sideribus antecellit.

Antequam ad cætera progrediamur, fortasse aliquis intelligere cupit, qua ratione adductus Lutherus in eam tam grandem blasphemiam eruperit? Dicam, auditores, et eo libentius, quod videam id utilissimum esse ad fontem et originem cæterorum errorum illius hominis cognoscendam. Illud igitur tanquam firmissimum principium sibi persuasit, justitiam, qua justi nominamur et sumus, non in nobis vere ac proprie; sed in solo Christo esse, ac propterea justos nos esse ac dici, quod Christi justitia nobis imputetur. Ex quo fit, ut eadem omnes justitia justi simus, quicumque eam, quæ in Christo est, justitiam fide quasi manu quadam apprehendimus. Hinc videlicet tamquam ex fonte rivuli illi errorum profluxerunt, sola fide

hominem justificari: si fides non amittatur, justitiam amitti non posse, peccata non deleri, sed abscondi et non imputari, hominem, modo credat, dubitare non posse nec debere de sua justitia, justas actiones omnes esse peccata, non esse justorum alium alio magis justum, ex quo tandem blasphemia illa manavit: « Omnes christiani æque magni sumus, sicut Mater Dei, et æque sancti, sicut ipsa. » Ita verum est, quod quodam loco Philosophus ait: Si semel aliquid absurdum admittatur, infinita postea sequi. Sed quanto, quæso, efficacius, et verius conclusisset, si argumentum invertere et contrario modo ratiocinari voluisset? Nimirum si hoc tamquam principium accepisset, non omnes justos æque justos esse sed alium alio justiore, quod tam verum tamque exploratum est, ut pene oculis ipsis perspicere et manibus tangi possit; præsertim cum Apostolus dicat: Aliam esse claritatem solis, aliam lunæ, aliam stellarum: et stellam a stella in claritate differre. Si hoc, inquam tamquam principium accepisset, nonne perspicue inde concluderet: Unumquemque nostrum suam habere justitiam? et quamquam justitia nostra a Christi justitia, tamquam a causa, sit, tamen nos justos non ab ea justitia dici, quæ in Christo est, sed ab ea, quæ in nobis a Christo est? Quemadmodum enim lux a sole in luna et astris, et in ipso aere diffunditur, ita etiam ut Apostolus ait, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Jam vero luna et stellæ, et ipse aer vere ac proprie in se lumen habent. Et quamquam non a se, non tamen ea, luce lucent, quæ est in sole, sed ea quam ipsa habent a sole. Sic igitur, ut sapienter in Synodo Tridentina definitum est, et nos, non quidem a nobis, sed in nobis tamen vere manentem justitiam habemus: nec ea justitia justi sumus, qua justus est Deus. Hinc B. Cyrillus c. 24. l. ix, in Joannem: « Impressa, inquit, in nobis charitas, qua invicem diligimus, sincerum atque integrum suæ conjunctionis vestigium est. » Quid clarius? Quibus verbis apertius significare potuit, charitatem, quæ ipsa justitia est, non imputari tantum; sed vere inhærentem esse, quam illis, « Impressa in nobis charitas est »? Beatus quoque Augustinus in Joannem, tractatu 26, apertissime rem istam demonstrat: « Quid est, inquit, justitia Dei, et justitia hominis? Justitia Dei dicitur non qua justus est Deus

sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum. » Quibus verbis ostendit sanctissimus Pater, eam justitiam quæ in nobis est, et Dei justitiam et hominis justitiam esse Dei, quia a Deo est; hominis, quia in homine est. Sed de iis fortasse nimis multa.

Ut igitur ad propositum argumentum revertamur : *Pulchra est Maria, ut luna* : nec id solum, sed pulchrior, quam luna. Luna siquidem numquam certis maculis caret; Maria vero *Tota pulchra est, et macula non est in ea*. Luna raro tota completur lumine, et modo magna, modo parva, modo nulla apparet : Maria autem semper gratia et gloria plena est nec ulla temporum permutatione mutatur. Denique propterea Maria pulchrior est, quam luna, quia simul *electa est, ut sol*. An non perspicitis, quam eleganter Scriptura divina omnem mundi pulchritudinem conferat in Mariam? Quid enim habemus nisi noctem et diem et medium inter noctem et diem? In nocte, quid pulchrius luna? In die quid clarius sole? Inter noctem et diem quid aurora splendidius? Omnem ergo pulchritudinem jure sibi vindicat Maria, *quæ progreditur ut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol*. O quam pulcher et decorus est ille fulgor salutaris quem solem nominamus, quod spectaculum jucundius esse potest, quam præclarum illud jubar intueri, cum post longas horrore plenissimas tenebras noctis, quas tot millia stellarum dissipare non poterant, super nostrum horizontem apparens, omnia sua luce perfundit? Quid porro esset vita nostra sine sole, cum ipse non solum lucem et calorem tam liberaliter largiatur; sed sit quasi communis quidam parens omnium viventium? nam sine ipso, nec arva fruges, nec prata flores, nec uvas vineæ, nec arbores poma, nec animantia vitam haberent. Jure igitur ac merito beneficiorum Dei sapientissimus æstimator Beatissimus Pater Franciscus, cum solem oriri videbat, incredibili mentis fervore ad Deum laudandum excitabatur, quod tam benigne tantum et tam salutare ac decorum jubar quotidie mortalibus indûlgeret. Magna igitur et præclara res est sol.

Sed vultis, dicam, auditores, quid longe majus, et melius et splendidius sit, quam sol? Ille, inquam, ille sol, qui fecit hunc solem Christus, sol justitiæ, splendor gloriæ, verbum Patris, lux hominum, decus Ange-

lorum. Corporeum hunc solem etiam belluæ cernere possunt, at illum solem sola munda corda conspiciunt. Quocirca sapienter idem B. Franciscus; cum ei suaderetur a medico, ut oculos a lacrymis abstineret, nisi vellet solis aspectu privari, respondisse fertur : « Non est, frater medice, ob amorem istius luminis, quod habemus commune cum muscis, visio sempiternæ atque internæ lucis repellenda vel modicum. » Neque sol est, auditores, qui fruges nobis, et flores et arborum fructus et animantium fœtus affert, sed Christus, rerum omnium opifex, ipse est, qui ista per solem, tamquam per famulum ad nos mittit. Rogo te, cum amici tui servus heri sui nomine tibi munusculum aliquod affert, utri gratias agis? Utri magis acceptum refers? Herone, qui misit, an servo, qui tulit? Non servo, qui tulit. Cum igitur id omne, quod per solem accipimus, a Christo donetur, licet a sole, tamquam famulo, adferatur; non soli, sed Christo habendæ sunt gratiæ. Atque hic est sol, cui similem esse Mariam divinæ litteræ prædicant, cum aiunt : *Electa, ut sol*. Ut enim Christus est *Electus ex millibus* virorum, (ut in Canticis dicitur) ita et Maria est electa in millibus feminarum. Et sicut inter natos mulierum non surrexit major homine Christo; ita inter natas mulierum non surrexit major Virgine Maria. Eminent Christus velut *Malus inter ligna*; floret Maria velut *lilium inter spinas*. Christus caput est Ecclesiam; et Maria collum est Ecclesiæ. Omnia munera, omnes gratiæ, omnes cœlestes influxus a Christo, tamquam a capite, et per Mariam, quasi per collum in Ecclesiæ corpus descendunt. Plures sunt in corpore manus, plura brachia, plures humeri, plures tibiæ, plures pedes: sed unum est caput et unum est collum. Ita et in Ecclesia plures sunt Apostoli, plures Martyres, plures Confessores, plures Virgines, plures viduæ; sed unus est Filius Dei, et una est Mater Dei.

Ac ut quod dicimus clarius et illustrius fiat, ad elegantissimam illam comparisonem Apostoli Pauli, qui Ecclesiam corpori humano similem facit, paulisper, si placet, animum convertamus et ad memoriam revocemus.

Ecclesia igitur integrum quoddam et pulcherrimum corpus est, cujus caput est Christus, Deus et homo. *Ipsam*, inquit Apostolus, *dedit caput super omnem Ecclesiam*. Quid est caput? Principium corporis. Caput igitur

Christus, qui ait : *Ego sum principium, qui et loquor vobis.* Quid habet caput præ cæteris membris? Hoc habet, quod cum reliquum corpus uno sensu dumtaxat, eoque omnium abjectissimo præditum sit, in capite omnes vigent. Ergo caput est Christus, in quo sunt oculi providentiæ, quibus semper nos respicit : aures clementiæ, quibus semper nos audit, nasus iudicii, quo bonos a malis secernit, et palatum experientiæ, quo de virtutibus electorum periculum facit. Quod est præterea capitis munus? Sensum et motum, omnibus membris suppeditare : Christus igitur caput, qui sensum et motum ; id est, fidem et charitatem et cæteras virtutes ac dona liberalissime fidelibus impertitur. Et quamquam interdum sensuum aliquorum functionem hominibus permittit, vel potius committit, ut doctoribus oculorum, prædicatoribus linguæ, et pastoribus oculorum, aurium, narium et cæterorum ; munus tamen tribuendi sensum et motum, quod capitis est maxime proprium sibi uni reservat.

Cor autem, quod in medio corpore invisum, atque non aspectabile residet, et per omnia membra vitam et calorem spargit, Spiritus sanctus est, qui non est humana carne vestitus, ut cerni possit, sicut caput nostrum Christus. Mentiuntur enim, mentiuntur qui vel Melchisedechum vel Manichæum Spiritum sanctum esse volebant. Non est aspectabilis, nec videtur Spiritus sanctus, et tamen occulto et admirabili quodam modo Ecclesiam regit ac fovet et ei vitam et calorem tribuit.

Jam vero collum, ut diximus, Virgo Mater est : ipsa est enim capiti proxima, ipsa corpus cum capite jungit, per ipsam cœlestes capitis influxus in membra descendunt.

Porro humeri Apostoli, et Episcopi ac pastores cæteri dici possunt. Ut enim super humeros onera imponuntur, ita super Apostolos ædificata Ecclesia est, et nunc quoque Episcoporum ac pastorum humeris sustentatur. Hinc episcopatus non honor, sed onus a sanctis Patribus dicebatur. Hinc etiam pontifex summus, cui gravissimum onus impositum est, se servum servorum appellat. Et sicut Aaron, figura Pontificum Ecclesiæ, in superhumerali nomina filiorum Israel scripta gerebat ; ita Pontifices nostri non nomina, sed animas Christianorum humeris suis impositas, tamquam boni pastores ad regnum cœlorum ferre debent.

Brachia vero qui, nisi Martyres fuerunt?

qui scuto, et gladio verbi Dei armati cruentum bellum cum hostibus Ecclesiæ commiserunt, et sanguinem proprium effundentes acies inferorum fuderunt, dissiparunt, profligarunt. Nec solum Martyres, sed etiam Doctores brachia fuerunt. Nam cum duo sint genera hostium Ecclesiæ unum Paganorum, alterum hæreticorum : contra primos martyres dimicarunt ; Doctores contra secundos. Illi cominus gladiis et pugionibus : isti eminus jaculis et sagittis. Et quidem Martyrum bellum atrocius, Doctorum periculosius : utrumque gloriosum est, et lauream ac triumphum suis bellatoribus utrumque parit.

Pectus autem qui, nisi Prophetæ dici debent? Ipsi enim secreta Spiritus sancti, qui cor est, noverunt, ipsi futura prædixerunt, quæ latebant in pectore Domini. Et sicut cor in pectore, ita spiritus sanctus in Prophetis potissimum habitabat : *Non enim humana voluntate, ut ait Apostolus Petrus, alata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc inter Apostolos solus Joannes propheta fuit, et Apocalypsim scripsit plenam mysteriorum, quia solus ipse supra pectus Domini recubuit.

Renes vero illi sunt, qui pœnitentiæ, jeuniis, vigiliis, aliisque id genus rebus incumbunt, et renes ac lumbos accincti contra libidines ac voluptates fortiter pugnant. Est enim et hoc grave et periculosum belli genus. Nam, ut ait Job, Diaboli potestas potissimum in lumbis dominatur.

Viscera virgines sunt. Non secus enim ac viscera cordi, ita ipsæ Dōmino adhærent, et ab eo foventur, diliguntur, custodiuntur. O si intelligerent pecudes istæ hæretici nostri temporis, Veneris cultores, animalia ventris, quanti meriti sint virgines apud Deum, quomodo sequantur *Agnum quocumque ierit*, et cantent *Canticum novum, quod nemo cantare potest, qui virgo non sit.* O si legissent apud Isaiam : *Non dicat eunuchus ; Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint, quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Itaque Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum Dei, locum et nomen melius habebunt a filiis et filiabus, nomen videlicet sponsi et sponsæ, et thalamum in palatio Omni-

potentis Regis. O si hoc facerent canes isti flores virginitatis. O si viderent quantum Ecclesia virginibus condecoratur. O si scirent lupi isti rapaces, se viscera Domini lacerare, et ab ejus corpore violenter abstrahere, dum sacras virgines nubere cogunt, fortasse non tam furiose et impie in sanctam et dulcem, et Domino dilectam virginitatem debaccharentur.

Genua, auditores, illi sunt, qui genibus flexis, fundendis precibus, vel in eremis vel in monasteriis reconditi semper incumbunt.

Denique pedes, qui duo sunt et terram perpetuo tangunt, matrimonio copulatos designant: qui licet divisi sint, ut Apostolus ait, et de rebus terrenis aliquando cogitare pene illis necessarium sit: tamen si permaneant in fide et charitate, et operibus bonis divites fieri satagant, bonum gradum sibi acquirunt. Ecce igitur quale sit corpus Ecclesiæ.

Sed ubi stomachum partem corporis tam necessariam reliquimus? Certe nisi hic tam multos clericos vidissem, fortasse stomachi oblitus fuisset. Stomachus igitur, auditores, qui latet in corpore, et cordi proximis est, et cibus coquit, et omnibus membris alimentum subministras, clerici sunt. Ipsi enim primum latere debent, nec implicari negotiis sæcularibus. Deinde cordi, hoc est, Spiritui sancto vicini esse debent, ut calorem ad cibos pro toto corpore coquendos habeant. Postremo ipsi solliciti esse debent, quomodo membris omnibus spiritualia alimenta præbeant. Locus hic admonebat, ut multa clericis dicerem; sed tempus admonet ut nihil dicam. Quid agemus, auditores? consilium reperi nec isti nec illi, sed dividatur: nec multa, nec nihil, sed pauca quædam dicantur. A stomacho bona valetudo corporis dependet. Medicus, cum ægrum visitat, primum de stomacho, quo pacto suo munere fungatur. Et Dominus, cum Jerosolymam intrabat, primum omnium ad templum se conferebat; et mentes et vendentes eiciebat. Et nunc, auditores, tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei. Quis non videt, quam graviter afflicteretur corpus Ecclesiæ? quam atroci et quam diuturno morbo laboret? quam debilitatem et lassitudinem membra omnia præ se ferant? Et hoc funde, nisi quia stomachus calorem ad cibos concoquendos non habet? Si clerici, qui duces aliorum, et matres et nutrices esse debent, lac non habent, perfectionem ignorant, quomodo cæteros alere, docere ac du-

cere possunt? Soror nostra parva est, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? Quid? quod Hæretici nihil habent in ore, quam corruptos mores clericorum? Qui igitur illis discedendi occasionem fortasse aliquando dedimus, obsecro, et redeundi occasionem demus. Conserve-mus, conservemus, auditores, ignem charitatis, muneribus nostris dilligenter incumbamus, et tum sine dubio sanitas sua et pristina vires Ecclesiæ corpori restituentur.

Ecce igitur quale corpus Ecclesiæ, in quo quis non videt, quam præclaram et quam insignem partem Virgo Mater obtineat? Nihil est enim in toto corpore, quod magis emineat, et magis ornari soleat, quam caput et collum. Caput ornatur diademate, collum aureo torque, et monilibus ex aureo et gemmis condecoratur. Sic igitur caput nostrum Christus est, omni gratia et gloria ornatum. Ad ipsum autem proxime Maria, quæ collum est, accedit, ut verissime dicatur: *Electa, ut sol*. Zeuxis excellentissimus pictor, cum formosissimam imaginem pingere vellet, fertur multas pulcherrimas virgines ante conspectum suum constituisse, ut unius frontem alterius oculos exprimeret, hujus imitaretur manus, illius pedes: denique illud a singulis accipies, in quo maxime enitebant, pulcherrimam imaginem efficeret. Sic etiam

« Si parva licet componere magnis. »

summus artifex Deus noster, cum collum istud Ecclesiæ ornatissimum esse vellet quicquid decoris et gratiæ in cæteris sanctis posuerat vel positurus erat, id totum translulit in Mariam, ut merito primis verbis Gabriel Archangelus diceret: *Ave gratia plena*. Etenim Maria est arca fœderis auro purissimo contacta: Maria est thronus Salomonis, de quo Scriptura dicit. *Non est factum tale opus in universis regnis*: Maria est templum Dei, civitas sancta, sedes sapientiæ, domicilium Spiritus sancti. Maria Rebecca est pulchrior, Anna religiosior, Abigail prudentior, Judith fortior, Debora sapientior. Maria patriarcharum et regum est filia, magistra Angelorum, Martyrum fortitudo, Confessorum solamen, et virginum decus. Maria ut luna lucet incipientibus, ut aurora proficientibus, ut sol perfectis: Dæmones autem, *Ut castrorum acies ordinata*, perterret. Nominatur Maria, et Tartara tremunt: nominatur Ma-

ria, et exultat cœlum : nominatur Maria, et corda sanctorum liquescunt. O illos miseros, auditores, qui tale collum non recognoscunt, non venerantur, non colunt! Ut enim membrum aliquod, sia capite influxum recipere velit, et per collum illum recipere dedignetur, arescet omnino et morietur : ita et Hæretici, qui vitam a Christo et gratiam cupiunt, et per Mariam habere recusant, jejuni et aridi manent, et perpetuo permanebunt. Non sic sancti Patres nostri, non sic : sed omnes cultores et amatores hujus sanctissimæ Virginis fuerunt. Quæ quidem in hoc etiam ostenditur electa esse ut sol, quod sicut Christus sol diligit misericordiam et iudicium, habetque cum lenitate conjunctam severitatem, et est pater et est iudex : ita Virgo sancta pulchra est ut luna, blanda ut aurora, ut sol aspectabilis et jucunda ; simulque *terribilis est, ut castrorum acies ordinata*. Illa priora mansuetam matrem, ista posteriora potentem reginam ostendunt.

Multa, hic dicenda essent, sed breviter pertransibo. Quotquot nascimur ex Adam, auditores, exercitum habemus, membrorum, sensuum, virium, facultatum sed dissipatum et sine ordine. Ratio enim, quæ imperatoris obtinet munus, imperat quidem, sed ei ab exercitu non obeditur. Atque hinc fit, ut hostis humani generis facillime exercitum istum fundat ac proflig. Non sic nostra Virgo, non sic : sed ita prodiit in lucem, *Ut castrorum acies ordinata*. Ratio imperabat, sensus parebat : nec sensus contra Deum unquam surgebat. Et propterea omni armorum et præsidiorum genere Mariæ exercitus instructus erat. Illi æquitas contra iniquitatem : temperantia contra luxuriam ; fortitudo contra ignaviam, prudentia contra temeritatem : honestas contra turpitudinem : fides contra incredulitatem : pietas contra scelus : omnes virtutes contra omnia vitia in illo exercitu stabant. Quocirca Diabolus magna dæmonum caterva comitante cum ad Mariam accessit, et ubi eam talem expertus est, fugere cœpit et clamare : *Castra Dei sunt hæc : fugiamus Israellem*. Non est ista sicut cætera : *Caput meum doleo, caput meum doleo* : numquid forte hæc est illa, de qua olim audiui : *Ipsa conteret caput tuum*? Vere ipsa est. Jam sentio, jam conteret caput meum. Atque hic esset finis orationis.

Sed nihil nos, auditores, utilitatis, nihil emolumenti domum referemus? Nimirum magnam utilitatem salutaria documenta,

optimum laboris nostri fructum capiemus, si istam tantam potentem, tam excelsam reginam qualis fuerit, dum hic viveret, consideremus. Vixit enim, auditores, Mater Dei et orbis Domina in extrema paupertate manibus victum quæritabat. Et quamquam pro peccatis satisfacere opus ei non erat ; tamen, ut beatus Ambrosius ait, in libro secundo de virginibus jejuniis, vigiliis et orationibus corpusculum affligebat. Labores autem et dolores, itinera et fugas, timores et vexationes, quas propter Dominum, sive dum ipse viveret mortalis, sive in morte, sive post mortem passa est, quis nu merare valeat? Et vim illius gladii, qui animam illius pertransiit, quis pro dignitate valeat explicare? Cur hoc, auditores, cur hoc? Num Dominus ista non videbat? num opem ferre non poterat? Num Virginem non dilligebat? Nihil horum dici potest. Quid igitur dicemus? O dives paupertas? O nobilis humilitas! O dulces tribulationes! Quam pauci thesaurum in vobis tanquam in agro reconditum, noverunt ; in magno errore versamur, auditores, laboremus ignorantia nimis crassa. Ab hac nos Deus Mariæ exemplo liberare voluit. Quotus quisque enim est, qui non magni faciat opes, honores, voluptates? et tamen si vere aliquid essent, credere posses tam exiguam eorum portionem Mariæ Deum daturum fuisse? Dicit igitur Deus : Ego justus ac sapiens sum, et tamen res istas æternas sæpe largior peccatoribus et non largior justis. Non igitur credas res pretiosas. Ego enim sum, qui dixi : *Nolite projicere margaritas ante porcos*, non ergo margaritæ, non aurum, non argentum sunt : sed mala putrida, et quisquiliæ, quas illis ut porcis projicio. Quare, auditores, discamus hic verâ a falsis bonis ; aurum a carbonibus internoscere. Noli divitiis te onerare, nisi velis esse, ut Arnobius ait, viator onustus in parvo itinere. Quid stultius eo qui usque Mechliniam profecturus, onerat se panibus et vestibis ac magna supellectile, quasi triennium in itinere esset futurus? Et tamen hoc stulto stultiores nos sumus, qui tres dies in hoc sæculo supervicturi, viaticum in mille annos comparare studemus. Numquid non utilius ac melius esset, pauperes advocare ac dicere : Eia ; fratres, levate me hoc onere, comedite cibos, induite vestes istas : nec enim in urbe, ad quam tendimus, hæc nobis usui erunt.

Deinde aliam adhuc utilitatem Mariæ exemplum nobis affert, nimirum ut cum in

varias tentationes inciderimus, non conqueramur. Numquid enim non præclare nobiscum agitur, similes Mariæ efficimur? Mater Dei sine peccato existens nihil in hac vita, nisi tribulationes invenit, et tu terræ vermiculus, in peccatis natus, in peccatis vivis, et tamen indignaris, si non omnia pro voto succedunt? Discamus ergo, discamus exemplo Mariæ, quod Christianorum est proprium,

bona agere et mala pati. Tu autem, Virgo beata, quæ quicquid velis impetrare potes, ut regina nos rege : ut mater fove, ut patrona tuere : ut stella maris in hoc Oceano profundo et tam æstuoso viam nobis ad portum ostende, ut aliquando tandem e vadis emergamus, ac scopulos omnes prætervecti ad portum æternæ salutis feliciter perveniamus. Amen.

CONCIO XLIII.

DE DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN

THEMA

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua : hoc est maximum et primum mandatum. *Matth.* xxii, v. 37, *Marc.* xii, v. 30.

SYNOPSIS

Quomodo prudentia et charitas, virtutum omnium reginæ, in Christi responsionibus ubique enituerint; et quomodo ille in triplici genere quæstionum, sibi proponi solitarum, videlicet utilium, curiosarum, recto fine carentium, se habuerit, aliquibus Evangeliorum locis manifestatur. Quam caute cum Hæreticis sit ineunda disputatio exemplis SS. Patrum præsertim sancti Antonii et Macarii abbatis ostenditur. Hinc ad legisperiti quæstionem hodierno in Evangelio propositam descenditur; illius difficultas proponitur, quanta prudentia in illa solvenda, simul et notanda, Phariseorum iniquitate, usus fuerit Christus declaratur. Quinque dein rationes assignantur, cur mandatum charitatis dicatur primum et maximum. Prima est, illius finis. Secunda, ejus amplitudo. Tertia, præmium. Quarta, id, quod præcipit, quod est charitas. Quinta, modus, quo diligere Deum præcipit; cujus etiam explicatio ex D. Gregorio Nysseno et Augustino affertur, et insuper auctoris ipsius subjungitur. Quomodo et cur Deus sine modo sit diligendus, docetur: et quomodo itidem ille nos sine modo diligat, ex innumeris in nos collatis beneficiis eleganter probatur. Gravis tandem in ingratos invectio priorem partem concionis concludit.

Unde fiat, quod tam paucos nos amemus, et tamen ipsi ab omnibus amari cupiamus, auctoris sententia affertur, et stabilitur. Cur non

etiam specialis lex de diligendo seipsum data sit, causa assignatur, et de frænanda philanthia, insignis doctrina subjungitur. Justa reprehensione describuntur nostra tempora, in quibus tam frigide salus proximorum, et pœnitentia in calamitatibus publicis, secus quam olim, tractatur. Propositis deinde pro exemplo dilectionis proximi duobus SS. Stephanis, disseritur, quænam sit maxima expedita et secura via ad charitatem; nempe cognitio rei amandæ; nec solum cognitio theoretica sed et practica. Deum in intimis cordis penetrabilibus quærendum esse; ad quæ per ferventes preces et per adversitates viam aperiri, pulchro discursu probatur; ad eamque quærendam, inventam, ingrediendam, brevi exhortatione finitur.

Si quantum hujusce Evangelii historia continet utilitatis, et doctrinæ, tantum esset in me ad eam enarrandam et explicandam facultatis, non dubito, auditores optimi quin longe majorem et uberiolem fructum ex hac una oratione, quam ex multis aliis caperemus. Et enim duæ sunt omnium duces, et tamquam reginæ virtutum, *Prudentia et charitas*: charitas movet, prudentia regit: sine prudentia cæcæ, sine charitate mortuæ sunt: itaque charitas vita, prudentia lumen virtutum est: porro Evangelium hodiernum utramque complectitur. Nam et exemplo Domini prudentiam, et præcepto Domini charitatem docet. Ut enim Dominicum pectus domicilium erat omnium virtutum, ita re-

sponsa ejus semper erant, et igne charitatis inflammata et prudentiæ sale condita.

Ut igitur prudentiæ documentum videamus, nota quod tria genera quæstionum Domino proponi solebant; unum utilium et salutarium, alterum curiosarum et inutilium tertium utilium quidem, non recto et bono, sed iniquo et perverso consilio ac voluntate. Ad primas quidem quæstiones, quod omnino bonæ essent, semper Dominus respondebat. Ad secundas, quod nihil boni haberent, nunquam respondebat. Ad tertias, quod partim essent bonæ, et partim, non bonæ interdum aperte, interdum obscure respondebat: vero tamquam responsione indignas contemnebat. Primo genere continentur quæstiones nonnullæ Apostolorum, ut illa: *Quare nos non potuimus ejicere illum?* Quibus Dominus ait: *Propter incredulitatem vestram. Hoc autem genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.* Ejusdem generis est illa quæstio Apostoli Petri: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* Cui Dominus: *Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies.* Secundi generis est illa quæstio discipulorum: *Si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Quibus Dominus: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Et illa B. Petri: *Hic autem quid?* Cui Dominus: *Quid ad te? Tu me sequere.* Videtis quo pacto curiosis quæstionibus prætermisissis solas utiles dissolvebat? Jam vero tertium genus totam est Scribarum, et Phariseorum qui utilia quidem et salutaria sæpe petebant, tamen quia non discendi voluntate, sed accusandi et reprehendendi cupiditate ad interrogandum Dominum incitabantur, propterea non semper apertum responsum accipiebant, sed tunc solum, cum Dominus ex responsione sua fructum aliquem redundaturum in auditores perspiciebat. Itaque cum scribæ et seniores aliquando dicerent: *Dic nobis, in qua potestate hæc facis; et quis tibi dedit hanc potestatem?* non inutile illis fuisset, si Dominus illis respondisset: Ego, qui Dei Filius naturalis sum, a quo potui, nisi a Patre Deo potestatem accipere? Sed non erant hujus veritatis capaces ita atque odio excæcatæ mentes Judæorum. Ideo prudentissime Dominus ait: *Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego dicam vobis, in qua potestate hæc facio. Baptismum Joannis unde erat, e cælo an ex hominibus? Dicunt ei: Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis,*

in qua potestate hæc facio. Rursum, cum Phariseorum discipuli cum Herodianis a Domino peterent: *Licetne census dare Cæsarian non?* Videns Dominus calliditatem et nequitiam eorum, caute et prudenter respondit, ut et veritatem aperiret, et tamen ab aliis reprehendi non posset. Ait enim: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: Et quæ sunt Dei, Deo.* Postremo quod habemus in Evangelio præ omnibus continetur, cum Pharisei Dominum convenissent, et interrogaret eum unus ex eis legisdoctor, tentans eum: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Apertissimis verbis Dominus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Tametsi enim illi iniqua intentione petebant, tamen bonum erat valde, quod petebant; et Dominus prævidebat eum legisperitum non clausurum oculos veritati. Itaque, ut Beatus Marcus refert, legisperitus veritati cedens responsum Domini comprobavit; et Dominus videns eum perversam voluntatem deposuisse, illum commendans, ait: *Non es longe a regno Dei.*

Hæc est igitur prudentia, quam sancti Patres nostri Dominum imitantes in suis sermonibus adhibebant, sive cum Ethnicis, sive cum Hæreticis disputarent. Quod si autem ullo unquam tempore hæc prudentia necessaria fuit, certe nunc est, quando tam multæ et tam perniciosæ hæreses cum a majoribus nostris sanctissimis viris confutatæ, damnatæ, sepultæ, nunc iterum ab impurissimis et sceleratissimis hominibus in lucem revocantur, et quasi ab inferis excitantur. Non igitur quilibet cum hæreticis disputare debet: et ii, qui debent, nec in omni tempore, nec cum quibusvis facere debent. Sed quid dicam, quid in plerisque locis pessima quædam consuetudo inolevit, ut inter patinas et pocula de fide et Sacramentis Catholici cum Hæreticis disputent, nec tam argumentis et rationibus, quam conviciis et clamoribus rem agant? Et quidem Catholici imperite, hæretici improbe, utriusque periculos faciunt. Istæ enim disputationes utilitatis nihil, incommodi plurimum habent. Nam nec propterea Catholici fidei suæ firmiter adhærebunt, et Hæreticis contentione illa exacerbatis et vino calefactis, immanissimas blasphemias in Deum, et in sanctos evomendi præbetur occasio. Certe magnus Antonius, ut sanctus Athanasius de eo refert, non solum non disputare, sed nec loqui cum

hæreticis dignabatur. Et B. Macarius, ut Cassianus in collatione 15 scriptum reliquit, cum Eunomianus quidam dialectis sophismatibus, et inani loquacitate Ægypti populos deciperet, noluit cum eo argumentis agere, quorum imperita illa multitudo jam pene decepta capax non erat : sed hæreticum hominem, et omnem illam multitudinem ad sepulcrum mortuorum deduxit, atque ibi non verbis, sed miraculis Hæreticum fugavit, et circumventum populum ad fidei integritatem revocavit. Ac de prudentia quidem hætenus.

Nunc si quis forte putet, levem esse quæstionem, quam Pharisei Domino proposuerunt, nec esse minus puerilem, quam si nunc doctissimus aliquis Theologus ab alio item doctissimo Theologo quæreret, quot sunt Ecclesiæ Sacramenta? vel quia sit potissimum Sacramentorum? is audiat non modo non levem, nec puerilem, sed gravissimam et difficillimam quæstionem fuisse. Siquidem præcepta legis Judæorum ab ipsis Judæis sexcenta et tredecim numerabantur et usque adeo admixta sunt magna cum parvis, ut Origenes super hunc locum dicat, Hebræorum doctores ab ipso tempore Moysis semper de hac re contendisse, ne unquam certi aliquid invenire potuissent. Præsertim cum hoc dilectionis præceptum non inter prima, sed inter postrema et in ultimo libro legis, hoc est, Deuteronomii c. vi. tandem conspiciatur. Augebant vero Pharisei difficultatem, quia non solum de maximo, sed et de primo mandato petebant. Cum enim dicat Matthæus, eos interrogasse de magno mandato, et Marcus eandem historiam texens dicat, eos interrogasse de primo, compertum omnino atque exploratum nobis esse debet, eos de primo et maximo quæsivisse. Quod quidem callidissime fecerunt. Arbitrabantur enim nullum esse fortasse primum simul et maximum, cum in Decalogo primum illud sit : *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Quo tamen primo mandato majus esse videtur dilectionis mandatum, sicut fide posterior quidem, sed major tamen est charitas. Aiunt igitur : Videamus an iste fabri filius, et qui litteras nunquam didicit, ab ista quæstione se expediet. Magister, quod est primum et maximum mandatum in lege? Sed quid ait Scriptura divina? *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Et : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Nam Dominus est

quidem fabri filius, sed ejus fabri, qui cœlum et terram fabricavit, et litteras nunquam didicit, quia in eo *Absconditi sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei.* Dominus igitur, qui auctor legis illius fuerat, quia plane intelligebat mandatum dilectionis non solum esse maximum et præstantissimum, sed etiam primum, non quod in libro legis primo loco scriptum sit, sed quod primum fuerit in intentione legislatoris, idcirco ait : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua : hoc est primum et maximum mandatum.* Et simul videte Domini sapientiam, non solum respondet, et nodum quæstionis dissolvit, sed una illis iniquitatem ipsorum, et mentis perversitatem ante oculos ponit. Occulto enim et tacito quodam more Dominus hoc illis dicit : Cognoscere vultis, quid sit primum et maximum mandatum? Illud est, quod vos vere ignorare, et minime omnium custodire videmini, dum ad me tentandum compositis verbis et simulata religione acceditis. Nam dilectionis mandatum summum et antiquissimum est, et tamen vos odii atque invidiæ stimulis ad me tentandum incitami.

Sed nos, auditores, Scribas et Phariseos relinquamus et Domini mandatum diligenter consideremus. Duo nobis de hoc primo et summo mandato dicenda esse videntur. Unum, quare primum et maximum mandatum appelletur : Alterum quid sibi velint illa verba : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Ut igitur ab eo, quod primo loco positum est, incipiamus, quinque sunt causæ, propter quos dilectionis mandatum est primum et summum.

Quænam est prima ratio? Nimirum ista ; quia dilectionis mandatum est finis omnium mandatorum : *Finis præcepti est charitas,* inquit Paulus : nec solum præcepti, sed et legis et Prophetarum, sed omnium virtutum, omnium donorum, omnium Sacramentorum, omnium denique quæ Dominus in terris egit, et quæ sancti postmodum egerunt, et quæ in posterum usque ad mundi consummationem agent. Hæc enim omnia eo tendunt, ut hominem cum Deo, fonte omnium bonorum, perfecte jungant, quod nisi per charitatem fieri non potest. Hæc est glutinum, hæc est vinculum, quod cum Deo nos unit. Hinc videlicet in cœlesti illa Jerusalem, ubi perfecta charitas in omnibus est, et ubi *Deus*

*est omnia in omnibus, nec fides, nec leges, nec Sacramenta locum habent. Ut enim cum domus ædificatur, multi pontes, multa instrumenta, multæ machinæ necessariæ sunt: at postquam tectum est superpositum, et domus perfectionem atque absolutionem accepit, tunc destruuntur pontes, instrumenta et machinæ removentur: ita dum in animis nostris Dei domus ædificatur, multarum virtutum, legum, Sacramentorum, aliarumque rerum adjunctis opus habemus: at ubi perfectæ charitatis tecto superposito domus hæc ad finem et consummationem suam pervenit, tunc sola charitas manet, *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Mandatum igitur dilectionis, quia finis mandatorum est, ideo primum et maximum est.*

Altera ratio ex eo sumitur, quod mandatum dilectionis ita mandata omnia comprehendit, ut latius pateat ipsum solum, quam alia simul omnia. Nam qui Deum ex toto corde diligit, certe omnia alia diligit, quæ Deus ipse diligit, et ea magis diligit, quæ a Deo magis diligi novit. Deus autem diligit omnia quæ sunt, et nihil odit eorum, quæ fecit: sed te tamen præcipuo amore complectitur quæ ad suam ipsius imaginem et similitudinem fecit. Quare nemo est, qui vere et ex corde Deum diligit, qui proximum simul non diligit: *Qui vero proximum diligit, legem implevit.* Dilige, inquit Augustinus, et fac quod vis. Nam *Jus' o non est lex posita: sine lege enim legem impletis.* Quid enim aliud leges volunt, quam ut malum non fiat? *At dilectio malum non operatur.* Nam quomodo fieri potest, ut qui proximum diligit, aut ei pecunias suffuretur, aut uxorem ejus adulteret, aut contra eum falsum testimonium dicat, aut ipsum occidere, vel vulnerare, vel percutere, vel etiam lædere inimicum possit? Deinde nonne hæc est Apostoli Pauli clarissima et efficacissima demonstratio? *Dilectio malum non operatur; ergo plenitudo legis est dilectio.* Vere igitur Propheta de charitate loquens ait: *Latum mandatum tuum nimis.* Et ipse Dominus: *Hoc est primum et maximum mandatum.*

Porro tertia hujus rei ratio est, quia primum, summum et maximum hoc mandatum implentibus Deus maxima quæque promisit. Audi enim quid Apostolus dicat: *Oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus.* Quibus? Creditibus solum? Non. Signa et prodigia eden-

tibus? Minime. Eruditis in lege? Magistris et Doctoribus? Nequaquam. Quibus igitur? *Iis qui diligunt illum.* O si verba illa cor nostrum penetrarent. *Nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* O quam cito puerilia negotia dimitteremus, pueriles cogitationes deponeremus, et Domini amorem omni animi provisione quæreremus, Quid enim est illud: *Nec in cor hominis ascendit.* Nimirum hoc multa vidisti, multa legisti, sed nihil ista sunt. Ascende altius: cogita, exopta voluptates, opes, honores, fastigia, regna, imperia. Ascende in cælum, super cælum, ultra cælum, ultra omnes terras, ultra omnia maria: quære, investiga, cogita et concupisce, si potes: et tamen habeas pro comperto ex ejus veritatis testimonio, quæ nec falli, nec fallere potest, cogitationem et desiderium tuum adhuc esse longe inferius eo bono, eaque gloria, quam Deus tibi, tibi, inquam, qui hic ades, et præparavit, et reipsa dabit, si dilexeris eum. Nonne igitur primum et summum mandatum est, cui summum et maximum præmium jure debetur?

Jam vero quarta ratio ex ipsa charitate sumitur quæ hoc mandato præcipitur. Charitate enim nihil prius, nec majus habemus, quod Deo dare possimus. Siquidem charitas radix, fons et origo est omnium bonorum. Si forte incipis aliquem diligere, et in eo amoris donum collocare, nihil est, quod ipsi postea non libentissime dones, nihil quod pro eo non facias. At contra, si non diligas, quam multæ machinæ adhibendæ erunt, ut ei vel minimum obolum largiaris? Et hoc unde? nisi quod aperto fonte charitatis fluunt rivuli donorum. At eo clauso, vix parvæ guttæ summo labore exprimi queunt. Qui turpi atque insano amore feminas prosequuntur, quicquid habent nonne illis tanta facilitate largiuntur, ut semper parum se dedisse putent, nisi ipsi ad extremam inopiam redigantur? At Christi pauperibus si forte nummum vilissimum casu aliquo dare debeant, quia nec Christum, nec ejus pauperes diligunt, quoties supirabunt, antequam marsupium aperiant? Itaque si diligis, nihil clausum, nihil obsignatum habes: si non diligis, ita sunt omnia clausa, ut nullis clavibus reserari possint. Quare videtur quidem Deus noster parum petere, dum pro tam multis et tam magnis beneficiis, quæ quotidie in nos confert, nihil nisi amorem nostrum petit. Nam si reges et principes nostri non alia vectigalia et tributa exigent, quam ut eos di-

ligeremus, certe nimium liberales judicarentur, et tamen, auditores, nullum poterat Deus majus tributum petere tributo charitatis. Est hoc exiguum quidem, et longe impar beneficiis ejus, tamen nihil majus nos habemus. Nec vero injuria rem tam grandem Deus petit: *Ipsa enim prior dilexit nos*, et sicut inter ea, quæ nos offerimus Deo, nihil est excellentius charitate; ita inter ea, quæ nobis largitur Deus, nihil est sublimius charitate. Nam vita, salus, incolumitas, gratia, virtutes, sacramenta, cælum, terra, animentia, plantæ et aliaquæcumque, quæ nobis dedit Deus, finita sunt; sola charitas, qua nos diligit, et qua ista dedit, et majora etiam dabit, sola, inquam, est infinita. Nos, auditores, si uberem messem, si sanitatem, si pacem habeamus, si lucra nostra crescant, si honores augeantur, si negotia prospere succedant, hæc consideramus: et quia hæc finita sunt, non nisi finitas et exiguas Deo gratias agimus. Sed si amorem illum cogitaremus, unde manant hæc omnia, o quam infinitas, et quam sine modo gratias ageremus. Certe si diceretur tibi, rex Philippus ita te diligit, ut de te cum primoribus regni loquatur, ac de te perpetuo pene cogitet, nonne hoc tibi tantum videretur, ut vix adduci posses, ut crederes esse verum? Quid ergo facere debes, cum verissime dicere possis, *Rex regum et Dominus dominantium*, Deus de me cogitat et ab æterno cogitavit. Ac de te Pater cum Filio et Spiritu sancto locutus est. Ipse mihi panem, quo vescor, indumenta, quibus operior, largitur: et hoc est parum ac pene nihil, si cum amore, quo me prosequitur, comparetur. Huic igitur tanto muneri, quod munus aliud debebatur, si munus charitatis non debebatur? Jure igitur Deus in lege carnem sacrificiorum Sacerdotibus concedebat: adipem autem, qui est circa cor, semper reservabat sibi: illud recte significans, affectum cordis et vectigal charitatis sibi uni deberi. Ac propterea dilectionis mandatum, quod rem primam, et maximam præcipit, primum et maximum esse constat.

Jam quinta ac postrema ratio ex modo charitatis quo Deum amare jubemur, accipitur. Modus enim quo Deus diligi debet, ut Bernardus ait, est sine modo et mensura sine mensura, et terminus sine termino.

Atque hoc est, quod ipse Dominus significare voluit, cum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et*

in tota mente tua. Quæ quidem verba (ut ea jam, sicut promisimus, explicemus) non uno atque eodem modo, sed diverso ac vario a sanctis Patribus exponi video. Verum quia res ista non est tanti ponderis, ut in ea multum temporis consumi debeat, duas referam dumtaxat, et quidem brevissime, sanctorum Patrum explicationes.

Gregorius igitur Nyssenus Magni Basiliæ frater, in libro de Creatione hominis, tribus illis vocabulis, corde, anima et mente, ita tres animæ nostræ partes comprehendit, ut cor ad partem vegetantem, animam ad sentientem, mentem ad intelligentem referat, et hujus mandati sensum esse velit, ut omnibus animæ nostræ partibus Domino, a quo illas habemus, serviamus. B. vero Augustinus libro altero Meditationum capite secundo, tribus illis nominibus, corde, anima, mente, tres intelligentis-animæ facultates significari existimat, ut cor intelligentiam, anima voluntatem, memoriam mens designet. Nec multo aliter mandatum hoc explicat in primo libro de doctrina Christiana cap. 22. At has duas expositiones, aliæ pene omnes mihi revocari posse videntur.

Et quidem horum Ecclesiæ luminum expositionem non rejicio, imo vero complector ac suscipio. Sed fortasse tamen dicere possemus, etiam sic istum locum intelligi posse, ut illa tria vocabula augendæ orationis gratia pro uno ponantur, et nihil aliud sibi velint, quam summo amore et sine ullo modo Deum esse diligendum. Nam si quis in sacris voluminibus vel mediocriter sit versatus, intelligit profecto unum pro alio non semel, sed sæpius in sacris litteris usurpari. Id vero ex eo etiam confirmantur, quod in capite sexto Deuteronomii, et capite duodecimo Evangelii secundum Marcum, additur, tamquam superiorum explicatio: *Ex tota virtute tua*. Vel ut beatus Lucas habet: *Et ex omnibus viribus tuis*. Ac ne quis existimet vires in eo loco, non vim ac vehementiam amoris, sed animi facultates significare, omnes codices Græci, tam B. Marci, quam B. Lucæ proprium vocabulum habent, ita ut sensus sit ex omni virtute et potentia, quantum potes et quantum vales. Cum igitur trium illorum vocabulorum veluti explicatio quædam sit id, quod additur, *Et ex tota virtute tua*, sensus præcepti, ni fallor hic erit: Diliges Dominum Deum tuum maximo ac sincerissimo affectu cordis tui, quantum potes, quantum vales, ita ut in nulla re alia majorem conatum adhibeas,

quam in hac, ut diligas Dominum Deum tuum sine modo et sine mensura.

Sed cur dicat aliquis, sine modo diligendus est Deus? Cur? Quia Deus bonum est sine modo, bonum est infinitum, bonum est immensum. An est quisquam, qui hoc ignoret, nihil nisi bonum posse diligi, et bonum mensuram dilectionis esse, ut majus bonum magis, et minus bonum diligatur minus? Cur igitur omne, quod Deus non est, bonum quidem sit, sed finitum ac terminatum, et solus Deus infinitus atque immensus sit: amor omnium rerum creaturarum statuendus est modus, solusque Dei amor esse debet sine modo. Deinde, nonne Philosophus libro de Republica primo et ipsa experientia docet, appetitionem finis esse sine modo cum eorum omnium, quæ propter finem expetuntur, sit aliquis modus? Nam cum morbo aliquo graviter afflictaris, et ad te medicum vocas, admones quidem, ut modum adhibeat medicamentis, ut in ediam cum modo jubeat; ut sanguinem si minuere velit, cum modo minuat; ut potionem nec nimis amarum nec nimis potentem nec nimis multam sumi præcipiat. At numquid mones, ut cum modo sanitatem in corpus affectum inducat, caveatque ne nimis sanum te faciat? Non plane, non id mones. Quamobrem? Quia sanitas finis est, et finis amor modum non habet. Cum igitur Deus verus et summus finis omnium nostrum sit, sine modo et sine mensura diligendus est.

Quid? quod ipse Deus sine modo nos diligit. Profecto, si quid est, quod nobis persuadere possit, Deum esse sine modo diligendum, hoc certe est. Nonne pauperes divitum amicitias expetere, et non divites pauperum solent? Deus noster, auditores, hoc est, æternitas, immensitas, omnipotentia, sapientia, bonitas, principium est et finis omnium rerum, qui bonis nostris non indiget, cujus est cælum et terra, et quicquid cæli ambitu continetur, sine modo nos diligit, nos terræ vermiculus humi jacentes, qui nihil sumus et nihil habemus ex nobis, nos, inquam, tantillos tantus Deus diligit sine modo, et ab æternitate dilexit, et nos modum quæremus in amore? Taceo, quod cum nondum essemus, a solo amore persuasus nos creavit. Omitto, quod ad suam ipsius imaginem et similitudinem nos fecit. Nihil dico, quod nos inter tot rerum genera ab ipso creata solos orbis dominos, et socios Angelorum esse voluit: quod corpus nostrum tot

membris, et animum tot viribus ornavit, quod armavit prudentia, instruxit eloquentia, sapientia et lumine illustravit. Hæc omnia et alia innumerabilia et maxima amoris illius argumenta prætermitto. Illud unum silere non possum, quod cum adhuc inimici essemus, quia pro illis beneficiis nos illum injuriis affeceramus, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, Filium suum quem infinito amore prosequeretur, ad nos misit. Hoc teneo, auditores, hic hæreo, hoc sum contentus uno. Omitto ac negligeo cætera: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Sic, inquam, sic sine modo, sic sine termino, sic sine mensura, sic supra omnem et hominum et Angelorum intelligentiam Deus dilexit mundum, hoc est, hominem, qui parvus est mundus, licet valde immundus, inquinatus, distortus, perversus, ut, Filium suum, non adoptione, sed natura primogenitum, unigenitum Deum, Deo æqualem, daret. Jam vero ipse Deus Dei Filius, quem modum adhibuit in amore? Moyses et Elias dum cum ipso loquerentur in monte, quid nisi excessum ejus dicebant, quem completurus erat in Jerusalem? Excessit ergo, excessit Dominus modum. At in qua re illum excessit, in cibo et potu? At jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. In cultu et numero vestimentorum. At nisi duas pauperes vestes habuisse legitur. In somno et quiete? At pernoctabat sæpe in oratione. In quærendis et cumulandis divitiis? At *vulpes foveas habent et volucres cæli nidus, Filius autem hominis non habebat ubi caput reclinaret. In nulla re igitur Dominus modum excessit, præterquam in amore. Nam cum non ille nobis, sed nos illi debitores essemus, ipse tamen prior ad nos venit, ut pacem offerret: et cum una sudoris vel sanguinis gutta orbem totum abluere posset, voluit tamen, ut tot spinæ capiti ejus infigerentur, tot clavi carnem ipsius transverberarent, tot verberibus terga lacerarentur, et tot tamque exquisitis doloribus ac suppliciis et corpus et animus cruciaretur. Non credis, frater, amorem in te Domini infinitum, ac sine modo fuisse? Aspice, quæso, signum illud, intuere simulacrum Domini tui, numerata plagas, si potes, numerata vulnera, numerata livores. Quot enim sunt in corpore Domini plagæ, quot livores, tot et multo plura sunt in ejus corde vulnera amoris, et tot sunt etiam ejus amoris testimonia. Inspice a planta pedis usque ad verticem capitis, ubi**

vides sanitatem? Quod membrum cernis non afflictum? Omnia igitur Domini membra, omnia supplicia, omnes pœnæ, voces quædam sunt, si aures surdas non habes, et ingenti clamore amoris excessum contestantur. Quis igitur tam multis et tam idoneis testibus non credat? Quis credat, et non confestim flammam amoris concipiat? Hoc est, hoc est, auditores, quod sanctos viros pene amentes efficiebat: propter hoc nihil esse putabant fortunis privari, ab honoribus dejici, suppliciis torqueri, ignominiiis, ærumnis, pœnis, exiliis, morte mulctari. Isti vero, ut ait Ecclesiastes, oculos habebant *in capite*, cum contra stulti eos habere in calcaneis videantur. Nihil enim stulti respiciunt, nisi terram; nihil cogitant, nisi terram; nihil nisi terram admirantur; nihil nisi terram concupiscunt. At sapientes oculos habent in capite, et quod est caput nostrum, nisi Christus? Christum igitur intuentur, amorem ejus taciti cogitant, et ex illo amore tanquam ex igne in suis pectoribus similem ignem accendunt. Et sicut serpens animalium prudentissimus, ita caput diligit et custodit, ut cæterum corpus verberibus et ictibus exponat, modo caput abscondere, tegere, salvum et incolume custodire possit: ita et ipsi caput nostrum Christum ita ex corde diligebant, ut facultates direptioni, corpus flagellis, seipsos ignominie ac dedecori libenter offerrent, modo Christi capitis honorem et gloriam integram et incolumem conservarent: *Non sic impii, non sic*: sed Domini amoris obliti, ut vel minimam consequantur voluptatem, vel aliquam honoris falsam umbram consecutentur, vel quinque miseros nummos suis pecuniis addant, usuris, mendaciis, assentationibus et sexcentis aliis turpissimis facinoribus sese dedunt, et contra Deum tam benignum amatorem suum bellum gerunt. *Hæccine reddis Domino, fili stulte et insipiens?* Ecquid unquam injurie tibi fecit Deus, ut tam atrociter in eum arma sumeres? Te nobilem creaturam ex nihilo fecit, te principem orbis terræ constituit, te unum mentis et rationis compotem esse voluit. Ecquid injurie tibi fecit Deus? Effecit terram propter te, aquam et aerem pro te, animantia et plantas, et flores, segetes et fructus et ipsum cœlum, et solem et sidera propter te. Ecquid injurie tibi fecit Deus? Misit Filium suum ad te, ut jejunaret, ut laboraret, ut tentaretur, ut affligeretur, ut colaphis cæderetur, ut spinis coronaretur, ut

vitam et sanguinem funderet propter te. Ecquid injurie tibi fecit Deus, Christus Dominus meus et Dominus tuus, in illo, inquam, die, quando propter nimiam charitatem suam, *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta?* Siccine reddis Domino vicem amoris? Ideone charitatis ille modum excessit, ut tu ingratitude modum excederes? Sed finis sit, auditores, et modicum quiescamus, ut ad ea, quæ sequuntur, vires aliquas habere possimus.

PARS POSTERIOR

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Duas arbores præ cæteris insignes Deus initio posuerat in paradiso voluptatis: unam scientiæ, alteram vitæ et quidem noster primus parens, arbore vitæ prætermissa, in arborem scientiæ oculos et manus conjecit. Inde videlicet, nisi fallor, insitam omnes habemus admirabilem quandam sciendi cupiditatem, ut Philosophus dicat: *Omnis homo naturaliter scire desiderat.* Inde etiam factum est fortasse, ut tam parum de arbore vitæ solliciti simus, quam quidem vitæ arborem non aliam quam charitatem esse Joannes Evangelista testatur, cum ait: *Qui non diligit, manet in morte.* Verum quam non modo inutiliter, sed etiam inscienter fecerit Adam, cum vitæ arbori scientiæ arborem anteposuit; hinc perspicuum esse potest, quod vitam, quam neglexerat, amisit; et scientiam, quam quærebat, non invenit: quin potius in crassissimas ignorantie tenebras posteritatem suam conjecit. Eæ vero tenebræ cum aliis rebus multis, tum maxime in amore se produnt. Nam quotusquisque est, qui non existimet melius esse diligi, quam diligere? Verbis quidem poterit aliquis id negare, sed certe reipsa et factis, quod nos dicimus, verum esse clamabit. Nam diligi ab universo orbe, et ab omnibus hominum ordinibus vellemus, et ab omnibus dona et beneficia libenter accipimus. At quam paucos nos diligimus? Quam ægre nostras facultates aliis elargimur? Quid dico elargimur? Vix adduci possumus, ut sine fœnore commodemus. Et tamen vere Dominus ait: *Beatius est magis dare, quam accipere.* Si beatius est, ergo utilius, ergo melius, ergo gloriosius. Nos ergo vehementer erramus, qui bonum, utilitatem et gloriam quærimus, et tamen accipimus libentius, quam damus.

Deinde charitas omnibus gemmis et margaritis est pretiosior. Quam quis, obsecro, possidet, qui diligitur, an qui diligit? Certe qui diligit, non qui diligitur. Denique quando magnus ille paterfamilias mercedem operariis reddet, quos putatis majori præmio afficiet, eosne, qui fuerint magis ab aliis dilecti, an eos, qui alios magis dilexerunt? Nimum stupidus est, qui hoc judicare non potest. Quid? quod ipse Philosophus in libro de Moribus octavo, eos irridet, qui amicitias expectant, non ut ament, sed ut amentur? Quare noster legislator Deus, ut ab hac ignorantia nos liberaret, et a scientiæ arbore ad vitæ arborem adduceret, in prima sua lege ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum.*

Sed dicet aliquis: Ecce audio legem ferri, ut diligam Deum, et rursus legem, ut diligam proximum: et ubinam est lex, ut diligam quoque meipsum? Ubinam est? Nusquam est. Lege, relege, volve, revolve sacram Scripturam, et de amore tui ipsius mirum, ubique silentium invenies. Cur ita? Nempe quia in hac arte diligendi seipsum omnes doctores, et plus etiam quam doctores sumus. Ubi enim invenies hominem tam rudem, tam agrestem, tam imperitum, qui sententiam illam non didicerit: *Charitas incipit a seipso*? Certe si petas aliquid ab aliquo, etiam rustico et illitterato, quod tamen sine aliquo ipsius incommodo fieri non possit, statim audias: *O amice, charitas incipit a seipso.* Itaque sicut timendum non est ne nimum diligamus Deum, ita timendum non est, ne parum diligamus nos ipsos. Imo sicut amor in Deum calcaribus indiget, ita amor in nos ipsos fræno, atque habenis indigere videtur. Quocirca legislator Deus non præcipit quidem ut nos diligamus, nec enim necesse erat: sed sciens nos id naturali lege facturos, hoc solum jubet, ut proximos sicut nos ipsos diligamus. Apostolus vero Paulus modum præscribens, quo nos erga Deum, proximos et nos ipsos gerere debeamus, ait: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo.* Ecce quo pacto vitæ ratio nobis instituenda est: in Deum pii, in proximum justii, in nos ipsos sobrii esse debemus. Quid est hominem esse pium in Deum? hoc est, ut eum toto corde, tota anima, tota mente et ex omnibus viribus suis diligat, colat, suscipiat, veneretur. Quo

pacto in proximum justii erimus? Si eum, ut nos ipsos diligamus; si quod nobis fieri non volumus, alteri non faciamus; si reddamus omnibus debita, cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem. Si denique cum plorantibus ploremus, cum gaudentibus gaudeamus, et invicem in hoc itinere dum a Domini peregrinamur, onera nostra portemus. Quid est postremo, ut sobrie in hoc sæculo vivamus? Nimirum hoc ut amor nostri mensuram non excedat, ut ab illicitis et supervacaneis voluptatibus corpus et animam absteineamus: licitas autem et necessarias, quales eæ sunt, quæ cibum, potum, quietem et indumenta consequuntur, sobrie, temperate et cum maximo modo capiamus, nisi ab illis capi, irretiri, suffocari et opprimi velimus. Verum his nostris miserrimis et calamitosissimis temporibus, amor sui ipsius vasa cordium humanorum ita replevit, ut charitati in Deum ac proximum nullus jam relictus esse locus videatur: ita lolium infelicissimum execrabilis philautiæ in horto pectoris humani succrescit, ut Deus, ubi serat bonum triticum charitatis non inveniat.

Dicet aliquis, ista tua nimia amplificatio est; non ita rem parvam exaggerare, et magnam facere debes. O utinam, auditores, ita se res haberet: utinam probare non possem, quod proposui, quam libenter jamjam orationem concluderem et descenderem. Sed non ita se res habet, non amplifico, non exaggero, extenuo potius ac diminuo, quia verba, quibus pro dignitate hoc dicam, non habeo. Nonne etiam silentibus nobis res ipsæ clamant, illustrantur, erumpunt? Quid enim est aliquem prosequi charitate? Nonne carum illum habere? Jam vero quis ille est, cui anima proximi sui æque sit cara ac prædia, vel pecuniæ? Amisisti nummum unum, et domum everris, ut illum invenias: nullus est in domo a quo non scisciteris, si vidit, si invenit. Cur, obsecro, ita turbaris? Cur tam sollicitus es in quærenda pecunia? Nonne, quia tibi cara erat? Ergo si anima proximi tui, non dico carior, ut deberet, sed saltem æque cara esset ac pecunia, quomodo tam dissolutus ac negligens esses in ea quærenda, quando eam periisse vides? Deinde equus e stabulo aufugit, quam multos mittis, qui quærant? Nonne totam commoves viciniam? Cur ita? Quia tibi equus tuus carus erat. At quam sæpe animam proximi

a Diabolo pertrahi ad interitum vidisti, sive hæresis, sive blasphemiae, sive flagitii aut facinoris alicujus laqueo implicatam, et numquid ingemuisti? Numquid vel minimum suspirium emisisti? Si vero audiat aliquis, merces suas in Oceanum decidisse, vel ab aliquo honoris gradu dejectum se esse, quot noctes insomnes ducet? per quot menses vel annos de ea re cogitabit, et consolationem nullam admittere volet? Et nunc audimus quotidie stragem et cædem animarum, quam Diabolus per Hæreticos ministros suos in tam multis locis exercet, et jacemus, et non movemur tamquam si fratres nostri et membra nostra non essent illi, qui pereunt, et tamquam de illis diligendis præceptum nullum haberemus.

Sed quid de calamitatibus et ærumnis, quæ Galliam apprehenderunt, dicam? Ecce enim quibus fluctibus hæresum et bellorum jactetur vetusta et nobilis Ecclesia Gallicana? quæ pericula immineant tam nobili membro Ecclesiae? quam miserabilem illius regni statum ac speciem cernimus? Et tamen nullum adhuc in his partibus doloris et mœstitiæ signum vidi. Si ejusdem corporis membra sumus, quomodo uno membro tam graviter affecto, non condolent cætera membra? Perpendite, quæso, quæ dicam et animis vestris mentibusque mandate. Legite Judicum et Regum historias, plane videbitis hoc in more positum apud Judæos fuisse, ut cum a Deo affligerentur, semper ad pœnitentiam, ad lacrymas, ad jejunia, ad cilicia confugerent: et numquam non placabatur Deus, et pacem illis ac serenitatem restituebat. Jam vero si certum et exploratum est, quod B. Paulus ait, quod quidem est certissimum et exploratissimum, et sacris litteris, rationibus et experientia confirmari posset: nimum Judæos cum Christianis comparatos non viros, sed pueros fuisse, et idcirco legem tamquam pædagogum accepisse, quis non miretur, quis non stupeat, quod cum opus esset, illi tam aspera pœnitentiæ genera susciperent, et publica jejunia tam magnis quam parvis indicerent, et clamarent *Ai Dominum in fortitudine*, et semper Dominum placarent, et hac ratione omnia Dei flagella deprecarentur; et nos qui cum illis comparati viri dicimur, in tam gravibus periculis, quæ non Galliae modo, sed universæ Ecclesiae imminet, non moveamur? Nam si forte aliquid instituat, erit supplicatio aliqua, quæ tamen tepidissime sine

ullo affectu, sine ullis lacrymis, sine jejuniis, sine ciliciis transigitur neque ullus fere erit, qui vel modicum a solitis deliciis, convivii, comotationibus, ludis et jocis absteineat. Ecquod signum hoc vobis esse videtur? Ego certe vereor, ne phrenetici signum sit, qui quanto magis obitui propinquat, tanto minus morbi gravitatem sentit. Hæc igitur non dialectica vel topica argumenta, sed plane demonstrationes evidentissimæ sunt, quæ nobis proximos nostros caros non esse convincunt, et convincent in judicio coram summo et æquissimo judice Deo.

Videre vultis, auditores, verum dilectorem proximorum? Veniat vobis in mentem beatissimus Stephanus protomartyr, qui cum lapidum imbrem sustineret, pro se quidem stans orabat, pro lapidatoribus autem in genua procumbebat: illi lapides in eum, ipse preces pro illis ingeminabat: quia plus de eorum facinore, quam de suis vulneribus sollicitus erat: et plus eorum animas, quam suum corpus diligebat. Et apud Beatum Gregorium in dialogis de altero Stephano non legistis, qui cum audiret omnes suas segetes a scelerato quodam igne immisso consumptas fuisse, pro se nihil doluit? Nam cum alii dicerent: Heu, heu, pater Stephane, quid contigit tibi? Ille respondebat, Heu, heu, quid contigit illi, qui hoc fecit? mihi enim nihil contigit. Isti igitur vere proximum sicut seipsos diligebant.

Cupio, auditores optimi, ut in judicium conveniamus. Rogo, multum comedere et ventrem cibis implere, et tamen eos non concoquere, et inde non nutriri, quid prodest? Quid juvat? Satius fuisset profecto jejunare. Ad eundem modum, audiri conciones multas et prolixas, et inde non fieri meliores, nec nutriri aut augeri, nullo modo utile est. Nam *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis*. Non dubito, quin de charitate multa in gymnasiis vestris audiatis: multum interest tamen in gymnasio aliquid, vel in concione audire. Nam in gymnasiis discimus, ut sciamus: in concione discere debemus, ut faciamus: ibi doctores theorici, hic practici fieri debemus. Cum igitur omnis perfectio Christiani hominis in eo posita sit, ut quam maximam charitatem adipiscatur, vultis, ut quæ vita maxima sit expedita, ut parvo cum labore, et nullo cum errore ad palatium charitatis ducat, breviter aperiamus?

Illud igitur primum tamquam fundamen-

tum jaciamus, amorem a cognitione pendere. Nihil enim, ut Augustinus et experientia docent, diligi potest non cognitum. Quam multa sunt apud Æthiopes, apud Arabes, apud Indos optima et pulcherrima, quæ nos non movent, quia non novimus et, et tamen si semel videremus, fortasse magnam et nobis cupiditatem excitarent. Ista igitur præsentia bona diligimus. Quamobrem? Quia semper nobis ante oculos observantur, et quousque non incipimus meliora gustare, eo usque non poterimus ab illis avelli. Pete ab avaris hominibus, num in pecuniis augendis non laborent? maxime laborare, et quietem nullam capere se dicent. Rursum pete, num eas, pecunias secum sint in infernum ablaturi? nisi plane desipiant, non se abluros, sed hic relicturos respondebunt. Cur ergo tantis et tam inutilibus laboribus se conficiunt? cur eis valedicunt? Quia talis est natura nostra, ut si meliora non videat, id quod possidet, numquam derelinquat. Idem de voluptariis, ambitiosis aliisque sceleratis hominibus dicere possemus. Hoc igitur firmum sit et ratum, ut mundum contemnere, et Deum vehementer diligere possimus, esse nobis cognoscenda et gustanda meliora, quam ea sint, quæ mundus habet.

Dicat quispiam: Nihil novi nobis dicis. Equis nescis Deum esse bonum longe melius, quam sint ulla bona creata? Quis nescit? Multi nesciunt, et nulli nesciunt; nulli nesciunt theorice, et multi nesciunt practice. Et hæc posterior cognitio necessaria est ad diligendum Deum. Fides Christianorum, fateor, tam sublimis est, ut vel unus articulus sufficere possit ad hominem probum et sanctum efficiendum, si diligenter consideretur, perpendatur animo et memoriæ infigatur. Qui enim attente cogitabit Deum immortalem mortalem fieri, et mori voluisse, ut peccatum extingueret atque deleret, et manum extendere poterit ad aliquod peccatum vel levissimum perpetrandum? Non igitur fide, et cognitio theorica deest, sed consideratio et practica deest. Habemus enim fidem tamquam gladium in vagina reconditum, et tamquam pharmacum in officina pharmacopolæ. Quid prodest gladium domi appensum habere et medicamentum reperiri apud pharmacopolam, si nec ense cum hostis adest, nec pharmaco, cum ægro-tas, utaris? Quicumque igitur et amicitiam Dei, et colloquia illa *super me let favum dulciora* pervenire volunt, ii debent non totum

tempus Aristoteli, vel Galeno, vel Justiniano, vel Ciceroni, vel Virgilio dare; sed aliquas horas pro animæ utilitate sancta quadam veretia sibi suffurari, ut alterius vitæ negotiis, et lectioni, quam Deus in corde legit, vacare possint.

Verum hoc opus, hic labor, auditores. Nam Deus est intimior intimis nostris: non in foro, non in plateis, non in campis invenitur Deus: sed sicut intra corpus est anima, cor seu mens; ita intra mentem et cor est Deus. Quocirca prius laborare debemus, ut ad cor nostrum viam inveniamus. Et quantum mea tenuitas sapit, hic est primus et maximus passus, quem homo superare debet, ut ex mundi amore ad Dei amorem transeat. Quo superato labore, facillimus et jucundissimus reliquus cursus ostenditur. Nam ubi quis cor suum intrare potuit, facillime inde transit ad Deum, et tunc illi Deus dulcescit, tunc mundus desipit, tunc corpori necessaria præbere onus maximum judicat, tunc Deo vacare atque assistere veras epulas putat; tunc denique homo spiritualis, homo interior, homo Dei dici potest et debet. Undenam esse putatis, ut Magnus Antonius et Beatus Franciscus tanta facilitate pernoctarent in oratione? ut Beatus Isaac (quod Gregorius in Dialogis refert) integrum triduum in oratione cum jucunditate consumeret; et nos fatigemur si minimam horulam in oratione esse contingat? Non alia causa est, nisi quia sancti illi Patres viam ad cor optime tenebant, et inde statim latissimas illas regiones intrabant, quæ sunt ultra cor: ubi tam multa et tam varia conspiciebant, ut satiari delectatione non possent. At nos ante ostium cordis erramus in tenebris, quas in eo loco, et eo potissimum tempore princeps tenebrarum effundit, ne cor nostrum ingredi possimus, et idcirco molestum et longum tempus nobis esse videtur.

Quid igitur agendum est nobis, auditores? precibus, et votis, et suspiriis clamandum ad Deum, ut *illuminet vultum suum super nos*, et tenebras nostras suo lumine dissipet, ut ipse ad corda nostra nos ducat, ipse portam aperiat, ipse introducat. Nec dubitandum de benignitate Domini: Nam si patres hominum norunt *Bona data dare filiis suis, quanto magis Pater noster Deus dabit spiritum bonum petentibus se?* Imo *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Nec aliam ob causam aliquando, ex divitibus inopes, ex claris obscuros, ex valentibus ægros, servos suos

solet efficere, nisi ut viam cordis inueniat. *Ducam eos, ait Dominus, in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Et quando ducit in solitudinem, nisi quando tribulationibus vexat? Cum enim Deus videt hominem propter nimiam prosperitatem, turbis adulatorum circumdari, negotiisque sæculi hujus ita implicari, ut sibi vacare non possit, tum ait: Iste Filius noster nimium amicis abundat, qui tamen non ipsum diligunt, sed sicut apes et muscæ advolant, ad mel divitiarum et honorum ejus, ergo onere illum sublevabo antequam succumbat: auferamus ei vas illud mellis, quod gestat in humeris, et apes ac muscæ confestim discedent. Efficit igitur, ut ille fortunatus homo fortunas suas amittat, e gratia principum excidat, in morbum incidat, in vincula conjiciatur, et tunc ab omnibus desertus, in solitudine incipit habitare: atque ibi Deus, qui eum ad solitudinem adduxit, statim occurrit et loquitur ad cor ejus, et dicit: Vides quomodo amici illi tui, in quibus confidebas, non te, sed mel honorum opumque tuarum diligebant? Et opes illæ tuæ, quas numquam te amissurum putabas, nonne vides quomodo ut tenues vapores evanuerint? Ubi est sanitas pristina? Quo robur corporis, quo principum gratia, quo adulationes hominum recesserunt? Non intelligis, nihil infra lunam esse, nisi caducum et fragile? et verum, et summum et solidum bonum tuum me esse solum qui solus amicus fidelis sum, et in tribulationibus non desero, et nec in morte, nec post mortem familiares et dilectos derelinquo? Tum ille hæc audiens, verissima esse experientia sua cognoscens, paradisum invenit in solitudine, agitque gratias Deo, quod dulci baculo suo

illum excitaverit, et pauca abstulerit, sed multa contulerit: et etiam optione data nullo modo ad statum pristinum rediret, nec micimam cordis voluptatem cum omnibus corporis deliciis cominutaret. Hæc eo spectant, auditores, ut intelligamus mundum contemni, et Deum diligere perfecte non posse, nisi quam suavis sit Dominus gustare incipiamus: quod numquam fiet, nisi in cor nostrum intrare, et ibi commorari discamus.

Quapropter auditores, quicumque salutis nostræ rationem aliquam habemus, quicumque videmus, quam fugacia, quam fallacia, quam brevia et instabilia sint vitæ præsentis gaudia; quicumque intelligimus, nos maximis itineribus ad mortem properare, et cras non esse, obsecro, ut alterius vitæ bonis, veris et sempiternis, mente, cogitatione, amore inhæreamus, de illis cogitemus, de illis loquamur, ad illa suspiremus: earum divitiarum avari, eorum honorum ambitiosi, illarum cupiditatum cupidi simus. Qui tempus habemus, tempus non expectemus, hic jam in terris vitam illam incipiamus. Si quis est, qui lectionem illam Dōmini in gymnasio cordis sui frequentare nondum cœpit, incipiat, obsecro, experiatur: et tum non mihi, sed sibi ipsi credet: hodie principium audiendi faciat, horam aliquam, ut dicebam, aliis negotiis suffuretur, ut sibi ac Domino vacet. Nam si amicus ab eo id peteret, certe faceret, quanto magis ergo id facere debet pro anima sua? Neque hoc dispendium temporis, sed lucrum æternitatis erit, et vitæ beatæ et sempiternæ, ad quam nos pervenire faciat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XLIV.

DE

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN

THEMA

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. Iterum misit alios servos, etc. Usque ad finem. *Matth.* xxii.

SYNOPSIS

Ubi in principio ostensum est, nos regnum Dei, et vicissim Deum nostrum regnum esse, ad explicandam parabolam præparatur oratio, et per regem Deus, per regis filium Verbum Dei, per sponsam humana natura, per nuptias incarnatio nuptis comparatur, septem rationes afferuntur, nempe sponsio, mutuus consensus, carnis unitas, indissolubilitas, honorum communio, nova cognatio et finis; quæ hic sextuplex recensetur, proles, remedium contra peccatum, pax, familiæ conservatio, opes et amor; quæ omnia ut in hominum nuptiis fiunt, ita in incarnatione facta esse ostenduntur. Affirmatur Patriarchas et Prophetas esse servos illos, quibus Deus ad futuras incarnationis nuptias gentem Hebræam invitabat, earumque quædam invitationum voces adducuntur! Ad præsentem vero convocarunt invitatos primo Joannes Baptistam et Apostoli: secundo iidem Apostoli, post acceptionem Spiritus sancti quasi alii cæcæ Judæorum invitatorum venire recusantium malitia ex divitiis et deliciis, depingitur, et quanto errore multi christiani, hoc imitentur, subjuncta seria reprehensione declaratur. Hujus convivii magna pars Christus ipse, tauri vero et altilia pro-

phetæ fuisse probantur, ejusque rei rationes allegantur.

In parte altera docetur ex D. Basilio, quomodo Deus irasci dicatur. Quomodo idem Deus de Judæis suarum nuptiarum contemptoribus vindictam sumpserit per Titum et Vespasianum, qui non modo successu felicissimo Hierosolymam irreparabili clade expugnarunt, sed et ab ipso Deo præmiis remunerati videntur. Quomodo gentes vocati; et cur in viis fuisse dicantur, explicatur. Quando rex convivias suos visurus intrabit, nempe in consummatione mundi, indicatur. Per unum malum hoc loco omnes malos designari declaratur. Cur idem amicus dicatur, triplex explicatio. Lutheranorum deinde duo errores refelluntur; primus, in Ecclesia non esse malos: alter, per vestem nuptialem fidem designari, cum tamen charitatem significet. Explicatur demum, quid sit manum et pedum ligatio; quid tenebræ exteriores; quid fletus et stridor dentium, et brevi narratiuncula pœnarum gehennæ concluditur.

Quam vere ac sapienter, auditores in psalmis Propheta cecinerit: Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. Et rursum: Misericordiam et judicium cantabo tibi Domini, ita plane ea, quæ in hodierno Evangelio continetur, similitudo declarat, ut vere sit

excors et stupidus, qui id non videt. Nihil enim aliud in ea parabola Domino propositum est, quam ut misericordiam et benignitatem, et item severitatem ac justitiam ostendat, quibus Deus in Judæos primum, deinde etiam in gentes et hactenus usus est, in posterum etiam utetur. Quæ omnia quoniam ex ipsius parabolæ explicatione intelligi poterunt, orationem non ponam in ejus argumento longiorem.

Principium igitur elegantissimæ et maxime appositæ illius similitudinis tale est. *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui facit nuptias filio suo.* Regnum cœlorum quam varias ac multiplices significationes in sanctis litteris habeat, nemo nostrum, nisi fallor, ignorat. Nunc enim Ecclesiam, nunc cœlestem beatitudinem, nunc ipsum Deum, nunc ejus gratiam, nunc divinam legem designat. Non desunt, qui hoc loco Deum ipsum regnum cœlorum appellatum esse velint. Et id quidem non sine causa! Nam et nos regnum Dei; et Deus regnum nostrum est. Nos regnum ejus sumus, quia regnat in nobis, dum ejus gubernationi sponte subijcitur, et voluntati ac præceptis ejus obtemperamus. Ipse regnum nostrum est, quia in eo omne bonum, omnis splendor, omnes opes, omnes delicie nostræ positæ sunt. Et qui Deum possidet, rem possidet omni regno atque imperio ampliorem, jucundiolem, illustriorem. Mihi tamen, auditores, Origenis expositio vehementer probatur, qui regnum cœlorum non cum homine rege, sed cum regno hominis regis comparari hoc loco existimavit: ita ut regem regi, filium regis filio regis, reginam reginæ, nuptias nuptiis, invitatos invitatis, ministros ministris, et exercitum exercitui per quamdam similitudinem conferamus. Rex igitur Deus est, regis filius Verbum Dei, nuptiæ incarnatio, sponsa humana natura.

Porro quam apte Dominus reconditum incarnationis mysterium nuptias appellaverit, planissime intelligemus, si ad ea, quæ in nuptiis hominum fiunt animum convertere, et ad memoriam paulisper revocare velimus. Initio igitur antequam nuptiæ celebrentur, sponsio fieri solet, et matrimonium contrahi, per verba ut loquuntur, de futuro. Id vero nonne Deus fecit, cum tam sæpe Patriarchis et Prophetis matrimonium hoc facturum etiam cum juramento promisit? Quam certus de hac sponsione sapientissimus Salomon fuit, qui tanto ante istarum nuptiarum tem-

pus jucundissimum cecinit epithalamium, Canticum Canticorum? Deinde ut matrimonium rite perficiatur utriusque partis consensus necessaria est. In hic autem sanctissimis nuptiis voluntatem Filii sui Deus per Gabrielem Archangelum Mariæ significavit. Maria vero, quæ mater sponsæ erat pro filia sua respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Et quemadmodum per matrimonium fit, ut vir et uxor duo sint in carne una, vel potius non sint duo, sed una caro, ita per hoc adorandum et sacrosanctum mysterium factum est, ut divina atque humana natura tam arctis atque insolubilibus nexibus conjungerentur, ut non duæ, sed una atque eadem esset ambarum hypostasis. Et cum omnis matrimonii vinculum tale sit, ut nisi per mortem solvi non possit: hoc unum, de quo loquimur, ita cæteris omnibus antecellit, ut nec in morte solvi potuerit. Cum enim assertor ac liberator noster cum morte singulari certamine dimicaret, potuit quidem Domini corpus ad tempus ab anima separari, Deus tamen ab eo corpore eaque anima, hoc est, sponsus a sponsa divelli nec ad momentum potuit. Matrimonium præterea apud homines facit, ut omnia insignia, omnes illustres tituli, omnes honorum appellationes quæ sponsi prius erant, sint deinceps ei cum sponsa communes, id quod omnino per incarnationem factum esse videmus. Nam et homo mundi opifex, effector prodigiorum, orbis liberator, Angelorum et hominum caput, ut rex et princeps nominatur, quæ tamen solius sponsi, antequam matrimonium fieret, appellationes erant. Et contra, Deus femine filius, eibi et potus indigens, morti obnoxius, imo et mortuus appellatus est, quæ omnia sponsæ ante illud tempus fuerant. Et quomodo per matrimonium nova quadam cognatione sponsi et sponsæ junguntur affines: et sponsi necessarii ac familiares, cum sponsæ necessariis ac familiaribus amicitias ineunt: ita per hoc mysterium quicumque homines sumus, quia humanitati illi, quæ cum verbo copulata est, naturæ affinitate conjungimur, ipsius verbi affines quodammodo effecti sumus, et angeli, qui Dei ministri et familiares semper fuerunt, jam cum hominibus ita versantur, ut eos non tamquam inferiores, sed tamquam socios et conservos habere velint.

Jam vero finis, propter quem matrimonia celebrantur, nuptiis Verbi et humanitatis minime deest: propagatio humanæ naturæ, et

remedium contra peccatum. Si vero non tam nuptiarum, quam ipsorum nubentium finem considerare volueris, eum quadripartitum esse videbis. Sunt enim, qui propterea jungunt matrimonia, ut pacem cum parentibus vel fratribus sponsi vel sponsæ componant. Sunt etiam, qui non alia de causa ad nuptias adducuntur, quam ne illustris aliqua domus sine hærede manens penitus extinguatur. Et sunt, qui nihil aliud in matrimonio spectant, quam ut hæreditatem sponsæ vel sponsi consequantur. Sunt postremo, qui solo sponsi et sponsæ amore incitati ad nuptias veniunt. Propter quem horum finium, auditores, nuptias Verbi et humanitatis esse celebratas existimatis? Si vere sapientes iudices estis, non propter unum aliquem horum finium, sed propter omnes simul respondebitis. Nam quod hujus matrimonii finis sit proles, Joannes evangelista testatur cum ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est.* Idem est enim ac si apertius dixisset, quotquot Dei filii et regni cœlestis hæredes sumus, omnes hujus sacrosancti matrimonii fructus sumus. Non enim ad tam sublimem honoris gradum evehimur, quia ex viro et femina generati, sed quia ex ipso Deo nati sumus. Et quonam tandem pacto ex ipso Deo? *Et Verbum, inquit, caro factum est*: tamquam si diceret, Deus Verbum humanæ carni tamquam sponsæ copulatum est, et nos omnes novo et inaudito quodam modo ad vitam æternam generavit. Hinc videlicet ipse Dominus de Apostolis suis dicebat: *Numquid possunt filii sponsi, filii nuptiarum quamdiu sponsus cum illis est, jejuna?* Et apertius alio loco eosdem filiolos appellabat: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Quòd autem remedium etiam contra peccatum finis hujus matrimonii fuerit, nemo Christianorum est qui nesciat, præsertim cum Apostolus dicat: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* De pace vero, quid dicam? Nam quis nescit atrocissimum illud bellum, quod humanum genus cum Deo gerebat hoc matrimonio salutari sublatum fuisse, et pacem tam firmam ac stabilem inter cœlum et terram esse compositam, ut ipsi cœlites in his nostris regionibus, quo tempore matrimonium hoc celebratur, cum

cantu et lætitia dicerent: *Gloria in altissimis Deo; et in terra pax hominibus bonæ voluntatis?* Num non est pacis evidentissimum argumentum, quod nobis ad cœlum semper aditus pateat: et angeli tam frequenter et tam familiariter hic in terris sanctorum hominum colloquiis misceantur? Porro si nuptiæ istæ non fuissent, quis non videt quam illustris familia funditus periisset? Nam genus humanum jam sterile et infœcundum effectum totum erat interiturum, nisi hoc sancto matrimonio reflorisset, et domui tam præclaræ jam inclinatæ et plane collabenti his sanctis nuptiis Dominus succurrisset. Nam cum aliis multis de causis, tum etiam propter hoc, cum angelis et homines perirent, Deus non cum Angelis, sed cum hominibus matrimonium jungere voluit, quia nimirum non omnis angelorum familia perierat, sed pauci de multis. At hominum domus tota ab inferis absorbenda erat, nisi hoc matrimonium intercederet. Quare *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti omnes nos. Nisi enim Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorrha similes essemus.* Postremo sicut humanam naturam ad has nuptias, sponsi hæreditas opes infinitæ incitare poterant, ita Deum ipsum nihil nisi vehementissimus amor ad hoc matrimonium provocavit. *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Cum igitur tam multiplicia sint harum nuptiarum bona, merito jureque optimo, ut in nuptiis hominum fieri solet, tunc Angeli tripudiis, choreis, cantibus et sonis diem festum egerunt et usque ad aerem nostrum descendentes, ut idem facerent hominibus persuaserunt. Habemus igitur quid illud sit, *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*

Sequitur: *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Non ignoro, auditores, de istis servis diversos diversa sentire, et eos ab aliis ad apostolos, ab aliis prophetas et patriarchas referri: nihilominus tamen sine dubitatione dicendum mihi esse videtur, non eosdem esse, qui ad futuras nuptias regis amicos invitarunt, et qui ipso tempore nuptiarum invitatis ut venirent significarunt. Non enim Evangelium dicit: *Misit servos suos invitare, sed Convocare jam invitatos, ut ad nuptias convenirent.* Constat autem, et omnium consensione perspicuum atque apertum est, eos, qui ad invitandum missi sunt, Patriarchas et Prophetas fuisse, qui quidem

hoc in mandatis habebant, ut Domum Israel et omnem populum Hebræorum (isti enim sunt, quos ad nuptias Dominus invitavit : nam et ex ea gente sponsa assumenda erat) hoc, inquam, in mandatis habebant, ut eum populum crudirent, ut Messiam venturum prædicarent, ut serio illis denunciarent tempus nuptiarum instare, ac propterea paratos illos esse debere, ut quocumque tempore ad nuptias advocentur, non tunc vestem nuptialem quærere incipiant, sed rebus omnibus multo ante comparatis, obviam sponso et sponsæ ad nuptias celebrandas cum alacritate et gaudio profisciscantur.

Vultis, auditores, invitantium voces audire? Patriarcha Jacob ait : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Salutare tuum expectabo, Domine.* Moyses ait : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies.* Propheta David ait : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus in justitia et abundantia pacis; donec auferatur luna, et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Salomon ait : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Isaias ait : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur, et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum. Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion : Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo.* Aggæus ait : *Nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam et movebo omnes gentes et veniet desideratus cunctis gentibus.* Zacharias ait : *Exulta satis filia Sion, jubila, filia Jerusalem : Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ. De-*

nique Habacuc, ut cæteros omittam, ait : *Adhuc visus procul et apparebit in finem, et non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum quia veniens veniet, et non tardabit.* Hoc est, sponsum advenientem video sed adhuc longe positum. Sed qui veritas est, non mentietur et in fine sæculorum apparebit; quare si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. Istæ ergo sunt voces, quibus Deus per servos suos, patriarchas et prophetas, gentem Hebræorum ad nuptias incarnationis invitabat, et ad Messiam recipiendum præparabat.

Cum autem tempus nuptiarum advenisset, hoc est Christus Deus et homo in terris apparuisset, ut ii, qui fuerunt a Prophetis et Patriarchis invitati, ad nuptias venirent, videlicet per fidem et charitatem Christo adhærerent, tunc misit Dominus servos suos vocare invitatos ad nuptias. Quinam igitur servi isti, nisi Joannes Baptista, Apostoli et discipuli Domini fuerunt? Isti enim sunt, qui omnium primi Dominum advenisse Judæorum populis nuntiarunt : et quanta maxima sollicitudine poterant invitatos ad nuptias convocabant. Sed quoniam ut Evangelium loquitur, Judæi semel vocati noluerunt venire, idcirco iterum misit alios servos. Qui sunt igitur servi, qui secundo ad invitatos Judæos mittuntur? Iidem Apostoli et discipuli sunt, qui etiam primo, hoc est, ante obitum Domini missi fuerant : sed tamen alii jure optimo nominantur, quia nunc Spiritum sanctum, qui homines alios facit, acceperunt, quem primo illo tempore non acceperant. Numquid verba Samuelis ad Saul non legistis, quibus ait : *Insiliet in te Spiritus Domini, et mutaberis in virum alium?* Apostoli igitur post adventum Spiritus sancti plane alii erant, quia alia facundia, alia eruditione, alia efficacia, aliis viribus, alio ardore, alio impetu prædicabant. Nam et ipsi auditores jam eos ut longe alios admirabantur.

Sequitur : *Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altolia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias.* Ideo enim fortasse, qui fuerant invitati, non venerunt, quia nihil de prandio audierunt. Dominus igitur prandium lautissimum et maxime opiparum instruxit. Ejus vero prandii magna pars Christus ipse fuit. Ipse enim est Agnus optimus et tenerrimus, ejus corpus est panis, ejus sanguis est vinum. Quæ omnia tempore passionis cocta, condita et parata fuerunt.

Et quoniam prandium circa meridiem sit, et meridies hora sexta apud Hebræos erat, idcirco Dominus sexta mundi ætate, et hora etiam diei sexta in crucem agi et immolari voluit. Porro tauri et altilia prophetæ Domini sunt, qui pene omnes propter Dominum necati fuerunt. Cur tauri Prophetæ dicantur perspicuum est: nam ut tauri valentissimi, Hebræorum idololatriæ impietati, et aliis flagitiis et facinoribus resistebant: *Dedi faciem tuam* (aloquitur Dominus Ezechielem) *valentiores faciebus eorum, et frontem tuam duriores frontibus eorum.* Deinde tauri vitulos gignunt, et Prophetæ Apostolos genuerunt. *Pro fratribus tuis*, inquit Prophetæ, *nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Nec sine causa iidem Prophetæ altilia nominantur. Nam illæ aves, altilia dici solent, quæ in hunc usum domi aluntur et pinguescunt, ut deliciæ convivarum sint: et prophetas, si contemplationis sublimitatem spectes, vere alis et pennis instructos dices: si devotionis pinguedinem respicias, vere altilia et saginata esse videbis. Nec mysterio vacat quod in codicibus græcis tauri et altilia non simpliciter occisa, sed *τεθυσμένα*, hoc est, immolata nominantur. Hoc enim in more positum apud veteres Hebræos erat, ut nuptiarum convivia ex immolatis animalibus fierent: et ipsius Domini ac Prophetarum mortes, nonne sacrificia quædam fuerunt? Vere igitur post passionem Domini Deus dicere potuit: *Prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa, et immolata sunt.*

Sed quid tum Hebræi fecerunt? Num tanto convivii apparatu allecti ad nuptias perrexerunt? Evangelium audiamus: *Illi autem*, inquit, *neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contineliis affectos occiderunt.* Quid est hoc, auditores? Quis unquam audivit talia? Quis tragœdiam tam funestam unquam vidit? Quæ est hæc ferocitas, ut prandium offerentes vulneribus conficiant? Et quonam vocabantur? Nonne ad nuptias? Quis non libenter ad nuptias venit? O perversitas filiorum Adæ. Ad nuptias maximas et celeberrimas vocantur et renuunt. Cur hoc, auditores? Et dixi sæpius, et adhuc dicam: deliciæ et divitiæ laquei Diaboli sunt, quibus stulti homines irretiti se ad gaudia trahi putant, et ad inferni supplicia pertrahuntur. Cur isti ad nuptias Domini non iverunt? Nonne quia vel deliciarum laqueo ad villam vel divitiarum nexibus ad negotia

et lucra trahebantur? Non enim in villam ibant, ut foderent, aut ararent, sed ut commodius et liberius piscationi, aucupio, venationi et aliis voluptatibus possent vacare. Nec enim credibile est, tantum regem agricolas et messorum ad nuptias invitasse. Illi igitur pigri, illi tardi ad fidem suscipiendam fuerunt, qui istis laqueis implicati erant. Numquid de Pharisæis non audistis, cum Dominus de contemptu divitiarum dissekeret: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum?* Et apud B. Martyrem Cyprianum in sermone de lapsis non legistis, illos in persecutionibus maxime defecisse, qui cum opibus abundabant, fugere de civitatibus ut facultates suas relinquere non audebant? Quod vero nonnulli Judæorum servos Domini tenuerint, injuriis affecerint, et occiderint, illustrius est quam ut sit a me necesse narrari. Petrum Apostolum catenis et vinculis onerarunt Apostolum Paulum quinquies quadragenis uno minus verberibus affecerunt, beatum protomartyrem Stephanum lapidarunt, et duos Jacobos alterum gladio extinxerunt, alterum præcipitio sustulerunt. Verum quid unquam potuerunt? Nec mirum, auditores, si hoc Judæis accidebat, ut nuptias Domini tamquam supplicium exhorrerent, cum idem pene nostris hominibus contingat. Quam multi enim reperiuntur, qui dum a nobis ad studium christianæ perfectionis invitantur, se ad vincula et carceres invitari putant? Quique dum eis sobrietatem, jejunia, morum compositionem, verborum gravitatem et quod caput est, rerum cœlestium ac divinarum contemplationem assiduam commendamus, sibi moestissimum et infelicissimum, et maxime horridum et perturbatum vitæ genus laudari existimant? Ne, quæso vos, ne ista cogitatis. Ad nuptias, ad gaudium, ad alacritatem, ad veram pacem et tranquillitatem invitamini. Quanto enim animus ac mens corporis sensibus præstant, tanto cordis gaudia et voluptates, quæ in contemplatione percipiuntur, omnibus corporis oblectamentis et gaudiis antecellunt. Certe majores nostri, viri sanctissimi, Antonii, Pauli, Hilariones, Macarii, Hieronymi, quorum alii nonaginta, alii centum, alii plures annos vixerunt, numquam ad tam propectas ætates pervenire potuissent nisi summa animi alacritate, pace, quiete, lætitia et gaudio vitam transegissent. Non fecte, non simulate, non fallaciter, sed vere ipsa veritas ait: *Venite*

*ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve. Quid asperi in his Domini verbis apparet? Num non ad nuptias et delicias nos invitat? Illi, illi sunt, auditores, qui verbis quidem ad nuptias, re autem vera ad summos labores vocantur, quos Pharaon crudelissimus in operibus duris luti et laterum occupatos tenet, quique, ut stulti venatores post parvum lepusculum totum diem consumunt, vestes lacerant, calceos frangunt, vires amittunt, et tandem aut nihil capiunt, aut prædam tam exiguam, ut nec minimam illius facturæ partem compensare possit. Isti sunt qui honoribus et lucris inserviunt, et tot suorum laborum mercedem nullam, nisi fortasse pœnas accipient, qui aliquando apud inferos dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis. Ambulavimus vias difficiles. Justitiæ lumen non luxit nobis.* O si nonnullis qui ut ista credant, adduci non possunt, vel ad momentum temporis experirentur, quam sincera, quam vera, quam sapida gaudia, probam, piam et sanctam vitam consequantur, intelligerent profecto plus mellis in via Domini reperiri, quam ipsi credere unquam potuerunt.*

PARS POSTERIOR.

Rex autem, cum hæc audisset, iratus est. Dominus noster, auditores, sapientissime, quem antea hominem regem, nunc solum regem appellat. Nam homo nomen humanitatis, rex nomen potestatis est. Et sicut ei, qui nuptias celebrat, nomen humanitatis, ita ei, qui iratus describitur, nomen convenit potestatis.

Sed quomodo, roget quispiam, Deus irascitur? Numquid in Deum affectus et perturbationes cadere possunt? Magnus Basilius Psalmum trigesimum septimum exponens ita respondet, ut dicat iram et alios motus non proprie, sed per quandam similitudinem Deo attribui. Tunc enim irasci dicitur Deus cum id facit sine perturbatione, quod cum perturbatione nos facimus. Quid illi faciunt, qui vehementer alicui irascuntur? Quid? In illum pugnis, morsibus, calcibus invehuntur quicquid ad manus venit pro telo ad eum vexandum et lacerandum assumunt. Tunc

igitur Deus irasci dicendus est, cum sine perturbatione talia agit, hoc est, cum fame, peste, bello, aliisque armorum generibus de sceleratis hominibus pœnas sumit. Quid igitur iste rex iratus effecit? *Missis*, inquit Evangelista, *exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.* Fecit enim Deus cum Hebræis, ne forte conquererentur, id quod lex ipsorum postulabat. Judæi enim legem habebant, ut cum ad aliquam urbem expugnandam proficiscerentur, primo hostibus suis pacem offerrent, si vero pacem hostes recusarent, eos ad unum usque occiderent, ut ex cap. x. Deuteronomii cognosci potest. Sic igitur Deus, et semel et iterum pacem et salutem populo Judæorum obtulit. Ubi autem illos non pacem, sed bellum concupiscere vidit: dilexistis maledictionem, et veniet vobis, nolulistis benedictionem, et elongabitur a vobis. Itaque misit Vespasianum et Titum cum maximis et instructissimis copiis, qui tali clade genus Judæorum affecerunt, ut curari adhuc ea vulnera non potuerint. Et id quidem nec Judæi inficiantur, nec etiam, si maxime vellent, ulla ratione possent. Nam præterquam quod Josephus et Hegesippus eam historiam literis mandaverunt, exstat adhuc Romæ arcus Vespasiani et Titi triumphalis, in quo arca testamenti, et candelabrum et alia Hebræorum ornamenta ad æternam posteritatis memoriam in marmore incisa conspiciuntur, et quod sine singulari Dei providentia factum esse non arbitror, in tot arcus romanorum imperatorum nullus fere est, qui ita integer et conspicuus, ut hic, de quo loquimur, perseveret. Quid vero Vespasiani et Titi exercitum, suum exercitum hoc loco Dominus vocet, sententia est B. Hieronymi et B. Chrysostomi, et aliorum nonnullorum Patrum. Deinde in eo bello ita prospere omnia Romanis, ita sinistre omnia Judæis succedebant, ut ipsimet hostes animadverterent, et palam affirmant, non tam se quam Deum Judæorum contra Judæos bellum gerere. Postremo et illud accedit, quod Deus Vespasianum et Titum, et totum Romanorum imperium amplissimo præmio remuneravit. Nam Vespasianus et Titus ex præfectis unius exercitus imperatores et principes orbis terrarum evaserunt et imperium Romanorum, quod eo tempore bellis civilibus ardebat, et turbulentissimis factionibus totum erat perturbatum; mox bello Judaico confecto multis annis singulari Dei beneficio pacatum et tranquil-

lum fuit. Neque est hoc novum aut inauditum, auditores. Nam ob similem causam dedit aliquando Deus Ægyptum diripiendam et spoliandam exercitui Nabuchodonosor regis Babylonis. Sic enim legimus in c. XXIX. Ezechielis : *Filii hominis Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum. Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est, et merces non reddita est, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus, et erit merces exercitus illius, et operi, quo servivit adversus eam. Dedi ei terram Ægypti, pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.*

Hactenus, auditores, misericordiam et iudicium in populum Israel audivimus, superest ut misericordiam pariter et iudicium in gentes audiamus. Ait igitur Dominus servis suis : *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Hoc autem tunc factum est, auditores, cum Apostoli videntes Judæos repellere a se verbum Dei, et Indignos se iudicare, ut Apostolus ait, *Æternæ vitæ, a Deo admoniti gentibus prædicare aggressi sunt.* Quæ quidem Gentes non in urbe, sed in viis esse dicuntur : quia non sub unam legem, nec sub unius veri Dei cultum et religionem vivebant, sed quisque suum idolum pro Deo venerabatur, ac pene plures dii, quam cultores erant. Sed quid ait Scriptura divina? Annuntiaverunt, et *Multiplicati sunt super numerum.* Statim enim ubi Apostolicæ tubæ insonuere ex omni plaga orbis terrarum, ab ultimis usque orientis et occidentis solis, aquilonis austrique partibus frequentissimi homines ad nuptias Agni convenire cœperunt.

Intravit autem rex, ut videret discumbentes. Quando futurum arbitramini, auditores, ut intret rex, et videat discumbentes? Et quando nuptiæ plenæ erunt? Nempe circa mundi consummationem. Quando enim, qui debent in Ecclesiam intrare, omnes intraverint, tunc et ipse Dominus intrabit, ut videam, qui nuptiis interesse digni sint, et qui vestem nu-

ptialem habeat, et qui non habeat. Ut enim Eusebius Emissenus docet, cum Deus malum fieri videt, et patitur, tolerat, dissimulat, non punit, sed ad pœnitentiam peccatores expectat, tunc quodammodo foris esse videtur; sicut cum pueri ludunt, clamant, perstrepunt, vociferantur, dicimus præceptorum non esse domi. Tunc igitur Deus intrabit quando non amplius peccata dissimulans, ad videndum et iudicandum veniet. O quam acutos oculos Dominus habet! Nec aquilæ, nec lyncis oculi cum Domini oculis comparari possunt. Nam propterea in Canticis Canticorum nomine capræ sponsus designatur, quia caprea oculos perspicissimos habet. Itaque nemo dicere poterit, abscondar in angulo, parvus sum, non me videbit. Quid? Quod non solum oculos optimos habet, sed etiam lucernas accensurus est? Nunquam verba illa Domini horroris et formidinis plena apud Sophoniam non legistis : *Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis?* Nihil ergo tam abditum, nihil tam reconditum, nihil tam exiguum erit, quod Deus non discutiat. Quid levius otioso verbo? Et tamen ipsa Veritas non joco, sed serio dicit : *Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* O quam multa nunc cæcæ nostræ prudentiæ bona et sancta videntur, quæ coram illis lucernis iniqua et mala esse omnes videbunt!

Sed quid sequitur in Evangelio? Quot iniquos homines Deus inveniet admistos cum bonis? *Et vidit, inquit, ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quod est hoc, auditores? Ergo unus tantum inter tot millia discumbentium sine veste nuptiali invenietur? Quid igitur nos doctores exterrant, cum dicunt multo plures esse, qui pereunt, quam qui salvi fiunt? Verum dicunt, ita est, plures omnino Dæmoniorum quam Angelorum socii erunt. Nam iste unus, magnus gigas est, et multam illia impiorum comprehendit. Siquidem omnes scelerati, de quibus paulo ante dixit, *Congregaverunt omnes, quos invenerunt, bonos et malos, omnes, inquam, isti mali hujus unius nomine designantur.* Cujus rei causa est, vel, ut Hieronymus dicit, quia omnes mali scelerum fœdere et nefaria societate conjuncti et copulati sunt. Sic adulteri et adulteræ in flagitio, sic fures et latrones in facinore, sic omnes in oppugnatione veritatis copulantur. Vel certe, quia peccatores etiam innumerabiles, ita contemnantur

a Deo, ut pluris apud eum fiat unus justus, quam mille impii. Nonne propter decem justos omni regioni Sodomorum et Gommorrhæorum Dominus pepercisset? Et tamen propter tot millia impiorum non pepercit. De beatissimo quoque Francisco mihi videor aliquando legisse, propter eum solum famem in orbem terræ immissam non esse. Ut igitur Deus ostendat, non se jacturam aliquam facere, si multa millia sceleratorum hominum pereant, illa omnia unius hominis nomine significavit.

Verum quid misero huic homini Dominus ait? *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Amicum appellat, vel propter fidem informem et characterem baptismi, quem in eo, ut signum suæ militiæ recognoscit; vel quia miser ille amicus videri voluit, cum ad nuptias intraverit: vel certe ironice.

Sed ubi nunc sunt Hæretici Lutherani, qui malos in Ecclesia non esse contendunt? Utrum tandem iste bonus erat, an malus? Si bonus, cur reprehenditur? Si malus quomodo intravit? Dicturi sunt fortasse, istum malum fuisse, quia veste nuptiali, hoc est, fide carebat. Sic enim audio apud eos locum istum exponi. Verum unquam rem involvendo se involvent. Nam qui fidem non habet illis ipsis testibus et malus est, et in Ecclesia non est. Iste autem vestem nuptialem, hoc est, fidem, ut ipsi exponunt, non habet, et tamen in Ecclesia est. Nam si negare voluerint, Domino contradicent, qui ait: *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Quæ cum ita sint, auditores, ex hoc uno loco duo Lutheranorum errores apertissime refelluntur? unus, solos esse bonos in Ecclesia: alter, veste nuptiali fidem esse significatam. Siquidem hinc plane perspicuum est, usque ad mundi consummationem malos esse cum bonis admistos, et nuptialem vestem non fidem, sed charitatem significare. Nam si iste fide caruisset, in Ecclesiam non intrasset. Ut enim D. Gregorius hoc loco ait: *Sine charitate ingrediuntur: sine fide ingreditur nemo.* Deinde charitas est, quæ nuptias maxime decet. *Charitas est, quæ ut vestis amplissima operit multitudinem peccatorum.* Charitas est, quæ bonos a malis distinguit. Nam fidem habere, sacramenta suscipere, signa et prodigia edere, montes transferre, facultates in sinu pauperum erogare, corpus suum tradere, ita ut ardeat, possunt etiam mali: charitatem malus, nullus non bonus, nullus

non Dei amicus habere potest. Quare B. Chrysostomus homilia nona in Joannem, quasi Lutheranorum perniciosissimam hæresim prævideret: Nolumus, inquit, nolumus, dilectissimi, fidem nobis ad salutem satis esse existimare: nam nisi vitam puram exhibuerimus, et hæc cœlesti vocatione digna nos induerimus charitatis vestimenta, cum illo misero excludemur.

Jam vero, auditores, postrema Evangelii verba audiamus, et finis orationis sit: *Tunc ait rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* O sententia formidabilis! O conditio peccatoris omni lacrymarum fonte lugenda! Manus primum ac pedes æternis vinculis colligantur, ut adulteria, ut latrocinia, ut commessiones et ebrietates, ut alia vitia in posterum exercere, etiamsi maxime velit, non possit: deinde ut qui bonum facere cum potuit noluit, jam ita vinculis obstinationis revinctus sit, ut bonum nec agere, nec cogitare, nec velle amplius queat.

Tenebræ vero exteriores jacturam summi boni, quod in aspectu increatæ lucis consistit, plane designant: nam ut idcirco tenebræ exteriores dicuntur. Non enim lumen intelligentiæ naturale, atque adeo internum tollunt, sed illud aliud lumen, quod in sanctis membris lux increata diffundit. Quod quidem gravissimum et beatissimum lumen externum dici potest, si cum naturali intelligentiæ lumine conferatur. Porro tenebræ istæ non tam externæ, quam exteriores a Domino nominantur, ut quia tam crassæ erunt, ut pene exterioribus sensibus percipi queant: vel ut D. Augustinus ad Honoratum scribens ait, quia peccatores dum vivunt in exteris tenebris sunt, post mortem autem in exteriores, hoc est, longe densiores projiciuntur. Nam nunc quidem iniqui omnes in tenebris sunt, sed exteris tantum, unde eripi possunt: tunc autem in exterioribus, hoc est, crassioribus erunt, unde eripi nullo unquam tempore poterunt. Denique exteriores dicuntur, quia, ut idem Augustinus docet, quanto lumen sanctorum interius et jucundius penetrabit, tanto tenebræ impiorum exterius et horribilius se diffundent.

Fletus autem ac stridor dentium quid nisi horribiles illos et sempiternos cruciatus corporis et animi declarant? Qui quidem, audi-

tores, quam atroces, quam inauditi, quam intolerabiles sint, neminem esse, arbitror, qui, non dico verbis, explicare, sed vel animo et cogitatione consequi valeat. Id enim vires humanæ mentis exuperat, et omnem mortalium intelligentiam vincit. Nam si quis hic in terris dentium dolore teneatur, gemit, rugit, ardorem intolerabilem in ore habere se dicit, ac pene inops mentis et rationis efficitur : non dormire, non quiescere, non voluptatem aliquam capere, sed solum dolorem suum cogitare, atque huc illuc se jactare, se miserum, se infelicem appellare potest : et tamen quantus est iste dolor? Si tempus consideres, numquam ad unum diem perseverat; si quam late pateat spectes, non totum corpus, sed exiguam omnino particulam occupat. Deinde ipse dolor quantusquantus sit, quot medicamentis leniri et mitigari solet? Hinc medicus consolatur, inde blandiuntur amici : æquo animo feras, celeriter pertransibit, visitatio Dei est, qui corripit quos diligit.

Si igitur dolor tam modicus, tam brevis, tot consolationibus admistus, intolerabilis videtur quid de illis cruciatibus cogitare debemus, qui erunt in immensum atrociores, qui totum corpus, omnia membra, omnia ossa, omnes nervos, omnes medullas occupabunt, qui non diem aut mensem, aut an-

num unum, sed in omnem æternitatem perdurabunt; quando tortores multi, consolator nullus invenietur? *Quis poterit habitare de vobis*, inquit Isaias, *cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus æternis?* Non putemus carnem æneam aut corpus marmoreum nos habituros. Nam caro caro erit, et nervi nervi erunt, et sensus sensus erunt. Certe his diebus homines supplicio affici vidistis, ferventibus aquis coqui vidistis, flammarum incendio cremari vidistis. Ego quidem spectacula ista non vidi, sed arbitror tamen neminem vestrum interfuisse, qui non sit vehementer commotus. Et si ad unam horam supplicia illa protacta fuissent, quis vestrum continere lacrymas potuisset? O cæcitas cordis humani! O dissolutio! O vecordia! O stupiditas! in alieno dolore, qui ad momentum durat, continere lacrymas non valemus : et interim quæ nobis ipsis imminent supplicia, sine ulla comparatione acerbiora, et quæ tam diu vivent, quam diu Deus ipse vivet, quomodo effugiamus non providemus. Discamus ergo, discamus, auditores, aliorum exemplo, quid nobis, dum per Dei misericordiam licet, faciendum sit : descendamus sæpe, dum vivimus, cogitatione in gehennam, ut ab ea in morte liberi esse per Christum mereamur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XLV.

DE DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN

THEMA

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, etc. *Usque ad finem. Matth. XVIII, v. 23.*

SYNOPSIS

Brevis commendatio gratitudinis, et detestatio ingrati- tudinis, hujus scilicet concionis materia, loco exordii præeunt. Quem scopum Christus in præsentī parabola sibi propositum habuerit; quare S. Petrus speciatim numerum septenarium commemoret; et num tamquam sacerdos, vel tamquam privatus potestatem acceperit peccata remittendi, breviter transcurrente explicatur. Per regnum cœlorum hoc loco Ecclesiam intelligi demonstratur; et quare ita dicatur, ostenditur. Quanta sit summa, decem millia talenta, ex Budæo, quidque eadem significant asseritur. Peccatores non esse solvendo debita affirmatur; et temeritas de gratia Dei præsumptum serio reprehenditur. Error Pelagii servitutem peccatoris sub Diabolo negantis refellitur; et quomodo servitus illa diverso respectu iusta et justitia fuerit declaratur. Quid per uxorem et filios intelligatur, Eusebii et Theophylacti sententia adducitur. Duplex enodatur quæstio, prima, cur servus iste tantopere horruerit servitutem, cum tamen jam cœperat peccando servus esse: altera, unde tantam spem ab ære alieno tam gravi se liberandi conceperit. Justificationem respectu Christi esse justitiam; respectu nostri vero misericordiam, probatur. Tandem pars prior in laudem humilitatis desinit.

Pars altera gravem in primis continet ingrati-

tudinis et vindictæ cupiditatis animadversio- dem. Deinde indicat angelos et sanctos, nos- tros esse conservos. Injurias non demittere debere, non item pecunias, nisi saltem spatium solutionis dando, affirmatur. Peccata semel dimissa secundum se numquam redire; sed iteratas pœnas augere, a simili docetur. Quam periculosa sit pœnitentiæ procrastinatio, itidem a simili mercatoris ad nundinas profecturi manifestatur. Hinc ut tempus acceptabilem in tempore amplectamur, epilogus admo- net.

Quemadmodum beneficiorum acceptorum recordatio, et accepta retinere et accipere nova meretur: non secus, ornatissimi audito- res, ingrati animi crimen, cum vetera be- neficia tollit, tum novis omnium aditum intercludit. Ut enim flumina ideo constantem perpetuo cursum tenent, quia *Ad locum, unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant*: et nisi hoc facerent, Oceano exhausto confestim a cursu cessarent: ita dona illa opti- ma, et data perfecta, quæ secundum beati Jacobi sententiam, *De sursum sunt, et a Pa- tre luminum* descendunt, nisi sursum ite- rum per grati animi significationem ascen- dant, veluti exhausto fonte cœlestium gra- tiarum plueri posse, ac descendere am- plius non videntur. Nam et terra ferrea, et cœlum æneum ingratis efficitur, ut nec illud plueri, nec illa parere flores ac fructus am- plius queant. Quæ omnia cum Dominus in ea parabola, quam inter sacrarum missarum

solemnia recitari audivistis, elegantissime comprehenderit, nostræ partes esse videntur, ut eam quanta maxime perspicuitate, brevitate et diligentia possumus, explicemus.

Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, etc. Duo nobis potissimum de proposita similitudine dicenda esse videntur: unum, quem sibi Dominus in hac parabola finem ac veluti scopum proposuerit: alterum, quid ipsa parabola, et quæ in ea continentur, sibi velint. Ac finis quidem et scopus parabolæ quis sit, ex iis verbis, quæ proxime similitudinem antecedunt intelligi potest. Ait enim Evangelista Matthæus: *Accedens Petrus ad Jesum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque septies? Quem numerum idcirco B. Petrus commemoravit, vel quia septies cadit justus: vel, quia septem sint veluti capita omnium peccatorum: vel certe, quia decem mandatorum septem omnino sunt, quæ de proximi charitate præcipiuntur, et ne injuriis ullis afficiantur cavetur. Ait illi Dominus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quibus verbis certum numerum ac definitum pro incerto et indefinito posuit. Illud sine dubio significare volens, quoties injuriam proximus fecerit, toties injuriam proximo esse condonandam. Et ne existimaret aliquis nimis grave ac molestum esse toties proximorum peccatis ignoscere: vel id facere ad consilium pertinere, non ad præceptum: liberalitate quadam ac benignitate, non etiam necessitate fieri: propterea Dominus addit: *Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, etc.* Hoc igitur domino in hac parabola propositum est, ut admoneat atque ostendat, cum a nobis a Deo debita remittuntur, atque condonantur, tum nobis imponi necessitatem, ut proximos nostros a similibus debitis relaxemus.

Non me fugit, auditores, hoc loco a theologis disputari doctoribus, utrum Beatus Petrus hic de remittendis peccatis mandatum receperit, ut privatus, an ut Sacerdos et Pontifex. Duplicem enim personam, ut optime nostis, D. Petrus gerebat. Verum ista quæstio cum facilem, tum etiam perspicuam habet dissolutionem. Siquidem omnino necesse habemus dicere, Apostolo Petro non ut sacerdoti, sed ut privato præceptum fuisse. ut septies, hoc est, semper peccata proxi-

mis condonaret. Primum enim Apostolus Petrus erat quidem eo tempore designatus Pontifex, ut ex c. xvi Matthæi intelligi potest: ait enim illi Dominus: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sed tamen nondum claves illas acceperat. nec magistratum inierat: ac tum demum summum pontificatum adeptus est, cum ei tertio Dominus diceret: *Pasce oves meas.* Deinde non semper debita sacerdos remittere debet, sed tunc solum, cum debitor vere et ex corde dolere se dicit, et cum si quid rapuit se restitutum pollicetur. Denique ipsa Apostoli Petri interrogatio satis perspicue, quod nos dicimus, verum esse declarat. Ait enim: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* Atqui, si non ut privatus, sed ut Sacerdos loqueretur, non diceret: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* Sed quoties, Domine, peccabit in te frater meus, et dimittam ei? Peccata enim, quæ ac sacerdotibus relaxantur, non in sacerdotem, sed in ipsum Deum sunt. Quemadmodum et ipsi Sacerdotes, dum hoc faciunt, non suam ipsorum, sed ipsius Dei personam gerunt. At de fine quidem et scopo similitudinis hactenus. Nunc verba ipsa evangelii et totam parabolæ seriem videamus.

Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Quid hoc loco regnum cælorum potissimum designet, non est omnino certum atque exploratum. Nam si verba respicias, ipse Deus regnum cælorum intelligitur: Deus enim est, qui homini regi comparari, et rationem ponere cum servis suis voluit: Si vero non tam quid verba videantur significare, quam quid Dominus velit, perpendere diligenter volueris, intelliges profecto per regnum cælorum nihil hoc loco aliud, quam Ecclesiam significari. Nec enim solum Dominus ait: *Assimilatum est regnum cælorum homini regi, sed Homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, et quæ sequuntur usque ad finem parabolæ.* Itaque similitudo non ad hominem regem tantummodo, sed ad ea omnia, quæ in parabola narrantur, referri debet: et non tam persona cum persona, quam negotium cum negotio referri, ut hanc verba Domini sententiam faciant. Quemadmodum in regnis hominum accidere solet, ut si rex magna debita suis servis remittat, velit etiam, ut idem faciant servi cum conservis suis, si eos forte debitores ha-

beant : et si secus faciant, eos ut ingratos et regiae liberalitatis immemores punit. Ita plane in regno cœlorum, quod ipsa Ecclesia est, contingit. Dominus enim, qui in hoc regno dominatur, quotidie debita ingentia ac pene infinita suis servis liberalissime condonat ; sed tamen ab eis hoc tributum exigit, ut eadem benignitate erga conservos debitores utantur. Et si non faciant, quantum in condonandis debitis benignus ac liberalis fuit, tantum in puniendo severus ac formidabilis erit.

Nec enim injuria regnum cœlorum Ecclesia nominatur : quamquam enim in terris commoratur, tamen cœlestem regem, cœlestes custodes, cœlestes leges, cœlestia Sacramenta, cœlestia arma, cœlestia præsidia, cœlestes denique pollicitationes habet. In terris versatur, verum sedes habet in cœlo. Nam qui in hujus regni negotiis, vel mediocriter sunt versati, ii sane intelligunt, nos hic advenas et inquilinos esse, et in tentoriis ac tabernaculis habitare, et aliquando tandem nos esse a nostro cœlesti rege in cœlestia domicilia transferendos. *Nec enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Itaque vix dici potest in quanto errore, in quantis tenebris, in quam cæca ignorantiae nocte versentur nonnulli, qui in Ecclesia quidem, hoc est, in regno cœlorum manere, et cœlestis reipublicæ partem se esse jactant : et interim tamen toti in terrenis palatiis erigendis, in terrenis possessionibus amplificandis, in terrenis divitiis augendis, in terrenis honoribus comparandis, in terrenis voluptatibus undique summo studio conquirendis occupantur. Nesciunt isti, mihi credite nesciunt quid sibi regnum cœlorum velit. Non ista Domini Jesu Christi regis nostri, non ista Apostolorum principum Ecclesiæ, non ista Martyrum, non ista procerum reliquorum fuerunt. Quicumque igitur in regno cœlorum terrenos animos gerunt, in Ecclesia quidem dum vivunt manent, et fidem licet mortuam, retinent. Sed tamen tunc non manebunt, cum ab exilio Ecclesia revocabitur, et in proprias, hoc est, cœlestes sedes : cum ingenti lætitia hominum et Angelorum commigrabit. Et quid miserius est, quam in Ecclesia esse dum exulat, non esse dum regnat?

Regnum igitur cœlorum Ecclesia est : in quo regno cum rex aliquando *rationem ponere* vellet *cum servis suis*, hoc est, intelligere ac videre, qui creditores ac debitores regio-

rum thesaurorum essent, *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta* : quæ quidem pecunia, si ad nostras pecunias, revocetur, efficit sexagies centena millia coronatorum, ut vir eruditissimus Budæus, et in iis rebus non mediocriter exercitatus annotavit. Verum ad rem nostram nihil aliud debitum decem millium talentorum significare videtur, quam crimen universæ legis violatæ. Deus enim admirabile quoddam negotiationis genus cum servis suis exercet. Proponit enim decem præcepta, omni studio, omni cura, omni diligentia et sollicitudine custodienda. Et quicumque totis viribus laboraverit, ut ea custodiat, ei Deus debitor esse dignatur decem millium talentorum, ita pro singulis præceptis mille talenta, hoc est gloriam infinitam ac sempiternam recipiet. Quicumque autem ea contempserit, fregerit, violaverit ; is contra Deo mille talenta, hoc est, pœnam ac supplicium sempiternum pro singulis præceptis violatis debet. Iste igitur qui decem talentorum debitor erat, homines impios ac sceleratos designat. Tunc vero ejusmodi homines Deo offerri dicuntur, cum conscientia stimulante et gratia Dei præveniente res suas gestas discutere apud seipsos incipiunt, et incredibilis summæ debitores se esse cognoscunt.

Sequitur enim in evangelio, *Cum autem non haberet unde redderet.* Cum omnes hominis vires, omnes opes, omnes facultates, nullo modo tam grandi debito pares esse possint : præterquam enim quod nihil nostrum habemus : *Quid enim habes, quod non accepisti?* illud ipsum, quod habemus, finitum et terminatum est atque exiguum : æris autem alieni magnitudo, et lethalium criminum gravitas finem ac terminum habet. Quocirca verissime peccator non habet, unde reddat. Et quemadmodum homo seipsum interficere potest : et ab inferis gradum revocare, et seipsum excitare nullo modo potest : ita plane peccare quidem, et æs alienum infinitum conflare unusquisque per se potest, redire autem cum Deo in gratiam, culpas expiare et eas alienum dissolvere, Dei gratia non præveniente, nemo potest. Respexit Dominus Petrum, et cœpit flere : et si nunquam Petrum Dominus respexisset, flere Petrus nunquam incepisset. Cur enim apud inferos perpetuæ tenebræ sunt, et damnatorum corda in glacie sunt durata ? Nonne, quia illorum sic exigentibus meritis divinæ misericordiæ radius in eum

locum numquam defigitur, neque in omni æternitate defigetur? Quis igitur stultitiam eorum, et cæcam temeritatem satis poterit admirari, qui aiunt: Peccata peccatis addamus, nam postea confitebimur, et omnia simul expiabimus. Heu miser, et unde tibi prævenientem Dei gratiam audes polliceri? Et si Deus non præveniat, quando tu ad pœnitentiam salutarem pervenies? Quod si hæc pericula, tam ingentia, tam evidentia aliquando homines cogitarent, fortasse non tam facile, ut faciunt, in peccata prolaberentur. Nunc enim tanta facilitate quidam ore impuro blasphemias evomunt, et in alia facinora se præcipitant, ut quasi in manibus suis Dei misericordiam habere videantur. Sed ad Evangelium redeamus.

Cum igitur ille debitor solvendo non esset, *Jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus, et filios et omnia, quæ habebat, et reddi.* Hæc est illa Evangelii pars, auditores, quam Pelagius, gratiæ Dei hostis acerrimus intelligere non potuit. Nam Filium Dei humana carne vestitum in terris apparuisse confitebatur ille, sed tantum propterea eum venisse dicebat, ut nos instrueret atque erudiret, non ut a servitute et captivitate, quam ille nullam esse putabat, nos liberaret. Verum si res ita se habet, cur hoc loco Dominus ait: *Jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus et filios et omnia quæ habebat, et reddi?* Cur Isaias ait: *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini?* Cur Apostolus ait: *Ut resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem?* Cur in Scripturis sacris, nunc *Princeps mundi*, nunc *Princeps tenebrarum* Diabolus appellatur? Cur tam sæpe Dominus in sacris voluminibus redemptor, servator, liberator humani generis vocatur? Catholica igitur mater nostra Ecclesia longe aliter sentit ac docet. Asserit enim hominem per peccatum in potestatem ac ditionem Diaboli devenire, et ab ea nisi per Christum vindicem nostræ libertatis eripi non posse, ipse enim est, qui fortem armatum alligavit, et omnia vasa ac spolia ejus diripuit. Deinde etiam illud catholici Patres confitentur, potestatem in genus humanum non a Deo traditam fuisse Diabolo, sed diabolum callide hominem decipisse, deceptum tyrannice oppressisse, homine tamen seipsum voluntarie subjiciente, et Deo non quidem jubente, sed tamen justissime permittente. Audite enim quid B. Augustinus libro tertio de Trinitate

dicta: Quadam justitia Dei in potestate Diaboli genus humanum traditum esse. Et infra: Modus autem ipse, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi tamquam hoc Deus fecerit aut fieri jusserit, sed quod tantum permisisset: juste tamen. B. quoque Cyrillus (ut ex duorum gravissimorum testium ore, unius latini, alterius græci, hæc veritas confirmetur) capite xi lib. x in Joannem, exponens illa verba Domini, *Venit enim princeps hujus mundi*, etc., sic loquitur: Quem, inquit, non ideo mundi principem appellat, quia ejus vere dominus sit: sed quod tyrannice decepit et rapuit eos; subjecit enim sibi delictis hominem, et ab ovili divino abstractum vi detinebat. Quare non injuria a tyrannide sua dejectus est. At si tyrannice nos Diabolus opprimebat, cur, quæso, roget quispiam, non vi illum Dominus ab hac tyrannide deturbavit? Cur secundum justitiæ leges cum eo agere voluit? Nimirum, auditores, quia tametsi Diabolus tyrannice opprimebat nos; tamen juste ab illo opprimebamur, et una atque eadem injustissimi tyranni justissima servitus erat. Si Diabolum opprimentem consideres, tyrannus erat: si hominem oppressum, justaservitus erat. Nam Diabolus decipere hominem et tyrannidem aucupari non debebat: homo tamen, quia sponte ac voluntate libera peccata consensit, merito Diaboli jugo oppressus fuit. Itaque ille injuste dominus: nos tamen jure servi eramus: ac propterea secundum æquitatis ac justitiæ leges ac jura liberandi. Neque vero incredibile nobi videri debet, unam atque eandem captivitatem justam et injustam, bonam et malam fuisse. Nam quid melius, et pejus Domini nece? Si ipsum qui patiebatur respicias, nonne dices, necem illam pretiosam et salutarem fuisse? Si contra impios homines, qui Dominum interficiebant, consideres, quid nece illa magis nefarium? quid execrabilius?

Dominus igitur ut ad rem redeamus, servum, qui solvendo non erat, jussit venundari: hoc est, peccato et inobedientia hominis exacerbatus, eum juste deseruit, et in potestatem Diaboli venire permisit. Sed quid uxorem, et filios significare dicemus? Eusebius Emissenus uxorem animam, et filios sensus interpretatur. Verum Theophylactus, ni fallor, magis accommodate, uxorem carnem, et filios opera significare voluit. Ut enim uxor imbecillior et insipientior viro est, et propterea viro subjecta esse debet:

ita caro menti atque animo, qui viri locum obtinet, subjici, et ab eo regi et gubernari debet. In animo enim, non in carne prudentia ac sapientia est. Deinde ut Eva virum ad peccandum adduxit, ita caro est, quæ animo turpes atque illicitas cogitationes suggerit, et eum sæpenumero ad peccandum inclinât. Porro istorum conjugum filii opera ipsa sunt : quæ opera, et qui actus, quoniam voluntarii, filii et vere liberi sunt : si viro similiores sunt, quam uxori, hoc est, si animo dominante et carne obtemperante gignuntur, boni ac religiosi filii sunt, et fructus spiritus ab Apostolo nominantur. Si vero uxori sunt similiores quam viro ; secundum carnis concupiscentiam procreantur, *opera carnis* ab Apostolo eodem dici solent, et nefarii et furciferi filii sunt. Hæc omnia, nempe vir, uxor et filii animus, caro et opera in diaboli ditionem veniunt, cum homines peccant.

Cæterum iste debitor quamquam summam integram se solvere posse non videbat, tamen triste nomen servitutis exhorrens, continuo abjecit se ad pedes domini sui, et ait : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*. Videtis quo pacto, sicut superbia peccatorum omnium origo fuit, ita humilitas initium justitiæ est. Verum hoc loco duas graves quæstiones oriri posse video. Quomodo iste oret, ne servituti addicatur, cum jam tamen cœperit esse servus, quando debitor esse cœpit ? Statim enim atque aliquis peccat, Diaboli servus efficitur. Vere, auditores, præclare omnino cum isto debitore agetur, si quam facile nos nodum istum solverimus, tam ipse facile æs alienum possit dissolvere ; nos enim mox omnem difficultatem profligabimus, si dicamus, duplicem esse venditionem ; unam absolutam, secundum quam id, quod venditur, sine ulla spe redemptionis venditur : alteram non absolutam, quæ tunc fit, cum venditor sibi retinet redimendi potestatem. Primo genere continetur venditio eorum omnium qui teterrimis gehennæ carceribus addicti sunt. Illi enim soli sunt, qui sine ulla spe redemptionis in potestatem Diaboli pervenerunt. Secundo genere venditionis venditi sunt omnes peccatores, qui hic in terris commorantur : nec enim spem redemptionis ante amittunt, quam vitæ curriculum sibi a Domino constitutum confecerunt.

Verum hic oritur alia quæstio : Undenam speraret se tantum æs alienum posse dis-

solvere ? Jam enim ostendimus, quodlibet lethale crimen tam grande debitum esse, ut omnium mortalium facultatem exuperet. Quo igitur iste spectabat ? Quodnam perfugium habebat ? Cur tam audacter adjecit : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* ? Dicam, auditores, magnum illum amicum totius generis nostri cogitabat : illum, inquam, primogenitum inter multos fratres, quem advocatum habemus apud Patrem, ille enim qui cum esset Dominus noster, frater noster fieri voluit, marsupium plenissimum habet, et nulli fratrum suorum ad æs alienum dissolvendum pecunias petentibus denegare solet. Nam et in hunc usum infinitas illas divitias comparavit, ut fratribus suis ipsius opem implorantibus adjumento esse possit. Ait igitur iste, Domini sui et fratris sui liberaliter fretus, *Patientiam habe in me, donec cum avvocato generis mei, filio tuo et fratre, et Domino meo in gratiam redeam, atque ab eo petam pecunias, et tunc omnia reddam tibi*. Nam si culpa mea offensio est infinita, et meritum Domini mei satisfactio est infinita.

Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. Quid est hoc, auditores, non poterimus hodie a quæstionibus liberari ? Ecce enim statim oborda est alia quæstio : Si Christus pro suo debitore æs alienum dissolvit, cur nunc Evangelista dicit, *Misertus ejus dimisit eum, et debitum dimisit ei* ? Quid, obsecro, dimisit ei, si pro eo Christus plenissime satisfecit ? Nimirum magnum in his verbis mysterium latet. Cum enim aliquis ex impio justus efficitur, semper Deus et justitiam et misericordiam suam ostendit. Justitiam erga Christum, qui gratiam, et pacem et salutem nobis proprii sanguinis effusione promeruit ; misericordiam erga homines, quibus non propter eorum præcedentia merita, quæ nulla erant ; sed propter suam maximam benignitatem ac liberalitatem merita Christi largitur, et per ea gratiam et justitiam donat. Quæ omnia Apostolus ad Romanos scribens paucissimis verbis ita complexus est : *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu*. Quid enim ista verba significant ? Ut quid gratiam Dei cum redemptione Christi Apostolus copulavit ? Nempe, ut ostenderet nostram reconciliationem Christo debitam, nobis indebitam : Christo justitiam, nobis gratiam esse. Vere igitur evangelista Matthæus dicit : *Misertus dominus*

servi illius dimisit eum, et debitum dimisit ei.

Verum quis hoc loco laudes humilitatis sine scelere tacitus præteriret. Nam quis non videt, quantum momenti in tam difficili causa, ad remissionem tanti debiti humilitas habuerit? *Ut leo fortissimus bestiarum, qui ad nullus expavescit occursum, solis exiguis et impotentibus animabus parcere solet: ita rex ac Dominus noster, qui Leo de tribu Juba nominari dignatus est, et in altis habitat, sed humilia respicit, et superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quæ virtus Domino virtutum humilitate familiarior fuit? Quæ sententia ex ore ejus sacrosancto frequentibus prodiit, quam illa: *Amen dico vobis, qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur.* De Achab quoque viro nefario, et sceleratissimo in libris Regum non legistis? *Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Surge, et descende in occursum regi Achab, regis Israel, qui est in Samaria. Ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam, etc. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: Si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli:* et tamen iste Achab sub alis humilitatis securus latuit, et Domini furor optime declinavit. Nam paulo post in iisdem sacris litteris ita legimus: *Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* O dulce nomen humilitatis. O virtus præclarissima, mundi sapientibus minime nota, sed ab ipsa Dei sapientia mirifice commendata. Tu furor justissimum Omnipotentis Dei placasti, tu manus ejus dulciter colligasti, te unam Dæmones reformidant, te cœlites omnes apertis brachiis complectuntur, tu custos omnium fundamentumque virtutum. Qui colligit sine te spargit, qui non ædificat super te, destruit, qui te repellit a se, etiam si sedem haberet in cœlo, a Domino repellitur et qui in sinu collocat te, etiamsi in cœno peccatorum jaceret, in sinu Domini collocabitur. Sine te virgines a cœli foribus excluduntur, et meretrices per te cum cantu et lætitia cœlum ingrediuntur. Biligamus itaque, suspiciamus, complectamur, auditores, parentem, nutricem, custodem omnium virtutum; ut qui cultui Dei et sacrosanctæ religioni mancipati sumus, fundamento religionis non careamus, et qui hisce sanctis nexibus revincti non sunt et mundi negotiis liberius implicantur,

sub alis humilitatis a dæmonis insidiis tuti sint.

PARS POSTEBIOR.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens: Redde, quod debes. Ecce nobis non adumbratum, sed expressum exemplar ingratitude. Habebat iste servus creditorem et debitorem: creditori debebat decem millia talenta, hoc est, sexagies centena millia coronatorum: a debitore autem centum denarii, hoc est circiter decem coronati sibi debebantur. Abjicit se ad pedes creditoris tempus et spatium rogaturus et debiti totius remissionem consequitur. Paulo post eadem die, fortassis eadem hora videt conservum suum debitorem suum pariter tempus et spatium rogaturum procidisse, et non modo debitum non relaxat, sed nec horæ unius dilationem concedit. Nonne hoc est ingratis animi signum? Quo pacto enim cum illa ipsa verba ex ore sui debitoris audiret quibus ipse gratia et remissionem adeptus erat, non erubuit? Quomodo cum ad suos pedes, non servum, sed conservum, jacentem vidit, furor non deposuit?

Quosnam igitur, auditores, tangit hæc parabola? Imo vero quos non tangit? Quotus enim quisque est, qui si vel minimam injuriam accipiat, eam curi fœnore hoc nostro infelicissimo tempore non reddat? Te torve aliquis intuitus est? tu non sibi satisfactum putas, si par pari referas et torve etiam illum aspicias, sed quiescere numquam potes, donec eum damno aliquo vel dedecore affectum videas. Age vero videamus; si quotiescumque tu Deum offendisti, ille confestim pœnas de te sumere voluisset, ubi, quæso, nunc esses? Quoties jam æternis suppliciis adjudicatus esses? Si igitur Deus tuus tam patienter sustinuit, imo debitum infinitum tam sæpe liberalissime condonavit, qua fronte tu de injuriis tuis levissimis ac pene nullis verbum facere audes? Equidem, auditores, duritiem cordis humani satis admirari non valeo, dum apud me mente pertracto, Deum ipsum, ut in libro de patientia Tertullianus demonstrat, Deum, inquam, ipsum exemplar patientiæ esse voluisse, dum tot tantaque beneficia in hostes suos quotidie confert; homines autem injurias sibi ab hominibus illatos tanti facere, ut sibi po-

tius moriendum putent, quam injurias non ulciscendas. Quid? Quod eadem abjectionis et humiliationis significatio Deum permovet et hominem non permovet? Certe patriarcha Jacob ab Angelo audivit: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Qui si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Et tamen, auditores, humilitas servi regem Deum placare valuit, et humilitas conservi conservum placare non valuit. Sed quid mirum, hominis humilitatem lapideum et plane adamantinum hominis cor non commovisse, cum nec ipsius Dei, quo nihil majus dici aut excogitari potest, humilitas ipsum commoverit. Venit enim Filius Dei, et se ut amentem, ut furem, ut legis violatorem teneri, vinciri, verberari permisit, nec non faciem suam conspui, manus colligari, membra omnia lacerari sinit, ut his duabus fortissimis machinis patientiæ et humilitatis, duas munitissimas et pene inexpugnabiles arces prosterneret atque deiceret iram videlicet Omnipotentis Dei et arrogantiam cordis humani. Et quidem priorem arcem continuo prostravit: nam ira atque indignatio Dei, justissimo furore in genus humanum succensa, Christi patientia et humilitate victa statim quievit et omnipotens illud pectus mutissimum et clementissimum est effectum. At arcem nostræ superbiæ minime prostravit. Adhuc regnat Amalec: adhuc superbimus, adhuc injuriarum recordamur: adhuc arrogantissimus ille vermiculus, si levissime pungatur, totum se concitat nec potest quiescere. Obstupescis tu, quia Deum usque adeo abjectum vides, ut tamquam latro scelestissimus pendeat in cruce? Ego autem obstupesco, quia post tantam Filii Dei humilitatem, adhuc te superbum, arrogantem, injuriarum memorem esse video. Quomodo pharmacum tam potens superbiæ tuæ vulnus non curavit? Qui fieri potuit, ut tanta vis humilitatis turrim arrogantiam tuæ non debellarit? Parum igitur, parum omnino propheta dixit, qui cor hominis, *Cor lapideum* nominavit: et jure ac merito Ecclesia canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, et miserando, hoc est, hominem ex injusto justum, et cor ipsum carneum ex lapideo faciendo, Manifestas.*

Verum quid sequitur in Evangelio? *Videntes, inquit, conservi ejus, quæ fiebant, contristati sunt valde.* Conservi isti, auditores, sancti Angeli et sancti homines sunt, qualis erat ille qui dicebat: *Vidi prævarican-*

tes, et tabescebam: qui non propterea de perversitate et ingratitude peccatorum conqueratur apud Dominum, quod illum latere aliquid existiment, sed ut ipse, qui solus potest, remedium aliquod tantis malis adhibeat.

Tunc igitur vocavit eum. Hæc posterior vocatio sine ulla dubitatio in obitu uniuscujusque erit. Tunc enim illa vox, tamquam tonitruum vehementissimum, hominem suæ conscientiae conscium perterrebit. Neque ibi finis erit. Sed horribile illud tonitruum a fulgure sempiternæ damnationis confestim excipietur. Tradetur enim tortoribus debitor et tamdiu cruciandus erit, quam debitum non dissolvatur, et sicut debitum, cum infinitum sit, dissolvi nunquam totum poterit: ita nec supplicia finem ullum unquam habebunt.

Sed fortasse movet aliquem argumentum, quod Dominus in persona regis facere videtur, quasi dicat: Ego tibi pecunias, quas mihi debebas condonavi, igitur et te fratri tuo pecunias, quas tibi debet, condonare oportet. Non enim æquum hoc esse videtur, si creditor meus liberalis esse voluit, quo jure, qua lege, qua æquitate ego quoque teneor esse liberalis? Primum, auditores, non hoc Dominus ait. Sed quid? *Nonne ergo, inquit, oportuit et te misereri conservi tui?* hoc est, si debitum relaxare non tibi placebat, noane saltem oportuit, ut miserus conservi tui dilationem aliquam concederes? Nam licet pecuniarum debitum condonare debitoribus non teneamur, quamquam simile debitum nobis creditor noster condonaverit, tamen misericordiam et humilitatem aliquam exhibere semper tenemur. Id enim quod nobis fieri cupimus et aliis facere nos debemus. Et præsertim debitor hic Evangelicus misericors esse debuit erga conservum, quia si secus faceret, id contemptum regis facere videretur. Et idcirco Dominus de industria personam non aliam quam regis introduxit. Neque vero a scopo aberrabimus si dicamus, aliud esse de pecuniis, aliud de injuriis loqui. Nam legem illam habemus in Evangelio frequentissime repetitam, ut qui facinorum suorum a Deo relaxationem cupit habere, ipse quoque injurias atque offensiones inimicis suis relaxet. *Date, inquit Dominus, et dabitur vobis. Dimittite, et dimittentur vobis.* Et rursum: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater*

vester dimittet vobis peccata vestra. Item; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Denique hinc est quod memores hujus præcepti in oratione Dominica dicere solemus: *Dimitte n. bis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Verum hinc, auditores, quæstio confestim alia exoritur. Siquidem ex hac Domini sententia omnino sequi videtur, quod peccata olim admissa, et per pœnitentiam expiata iterum redeant. Ait enim: *Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Quod si ita esset, quomodo, quæso, intelligere debemus, quod Apostolus ait: *Sine pœnitentia esse Dei dona?* Et quod Ezechiel; *quotiescumque ingemuerit peccator iniquitatem ejus, Deum non amplius recordaturum?* Ita igitur ad istam quæstionem respondebimus, ut dicamus peccata quidem ipsa secundum se nunquam redire; vere enim Apostolus ait: *Sine pœnitentia esse Dei dona;* neque mentitur Propheta, qui ait: *Quotiescumque ingemuerit peccator iniquitatem ejus non recordaturum Deum;* redire tamen eadem peccata per quemdum modum dicuntur, quia nimirum efficiunt, ut peccatum, quod post aliorum remissionem perpetratur, multo gravius sit, quam alioqui fuisset, et multo etiam gravius et severius puniatur. Id enim exigit peccantis ingratitude. Quemadmodum enim puerorum institutores (ut exemplo notissimo rem illustremus) ubi semel atque iterum discipulorum suorum erratis ignoverunt, cum tertio peccant, tunc illis dicunt: *Errasti semel, et pepercisti: iterasti, et iterum pepercisti: tu vero patientia mea abuteris, et quotidie evadis deterior: si igitur posthac, vel levisimum errorem commiseris, de omnibus simul tuis erratis, mihi crede, pœnas dabis.* Ita et Deus facit. Cum sæpius nostris erratis ignoverit, et tamen pergimus eum offendere, non pœnitet illum quidem benignitatis ac misericordiæ suæ, qua nobis toties debita condonavit: sed tamen id nostra exigente ingratitude pro ultimis et non expiatis delictis, maximis et atrocissimis suppliciis et cruciatibus nos addicit.

Sed cur, obsecro, iste, miserrimus atque infelicissimus, nunc secundo non se ad pedes sui regis abjecit? Cur non dixit: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi?* Fortasse enim et nunc, vel remissionem, vel certe dilationem promeruisset. Nimirum id non

fecit, quia divino sic agente judicio, qui peccata peccatis addunt, et pœnitentiam usque ad obitum differunt, donum fiducia et humilitatis sæpe non habent. Imo ipsi contra seipsos damnationis sententiam dicunt. Atque hæc est justissima pœna malæ fiducia. Qui enim dum viverent vias suas corrigere noluerunt, freti pœnitentia, quam sibi ipsis in ultima ætate promittebant, justissimo Dei judicio, hac pœna mulctantur, ut cum ad extremum spatium veniunt, tum se pœnitentiam agere fructuose non credant. Quibus idem plane contingit, quod imprudenti cuidam mercatori evenit: qui cum equos mercibus onustos ad nundinas duceret, et animadverteret eorum equorum tres juvenes et alacres esse, unum jam senem atque infirmum, dicere cœpit apud se. Quod si juvenes et optimi isti equi propter sarcinas læderentur, quam grandem jacturam ego facerem. Ita onus, quod equi quatuor ferre debebant, totum super senem et debilem illum equum imponit. Ferat, inquit, ut poterit: et si cum ad nundinas pervenero, moriatur, non magnam propterea jacturam faciam. Cœpit itaque imprudens mercator debilem equum supra vires onerare, et ecce statim cecidit sub onere, et non solum equum unum mercator amisit, sed etiam equorum onus, et adhuc etiam corium equi jam mortui super illos juvenes equos imponendum fuit. O quam multos hujus mereatoris similes inveniemus? Quis eos numerare poterit, auditores, qui cum quatuor ætates ad pœnitentiam agendam a Domino acceperint, adolescentiam, juventutem, virilem ætatem et senectutem, ita tamen apud se stultissime ratiocinantur, et dicunt: *Juvenes sumus, non est hoc tempus pœnitentiæ. Juventus flos ætatum: eam igitur prius colligamus quam marcescat, coronemur rosis, perfundamur unguentis, Nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ.* Veniet ad ultimum, sero, utimam post mille annos veniet, veniet, inquam, debilis et tristis senectus, tunc frui voluptatibus non poterimus, tum toti Deo, pœnitentiæ, religioni operam dabimus. O stulta ratiocinatio! O consilium perditissimum! non senectus, sed juventus tempus est pœnitentiæ, nec enim senes ciliciorum, jejuniorum, peregrinationum, humicubationum, et aliorum pœnitentiæ laborum patientes sunt. Quid? Quod sæpe homines hac nostra ætate ad senectutem non perveniunt;


et qui perveniunt non modo pœnitentiæ oneribus non gravari, sed ab omnibus curis et sollicitudinibus relaxari volunt. Igitur *Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis : quæramus Dominum, dum inveniri potest : invocemus Eum dum prope est.* Veniet tempus, veniet, mihi credite, cum unam horam desiderabimus hujus tam pretiosi et salutaris temporis, quod nunc tam inutiliter, tam inconsiderante in negotiis puerilibus plane, et in nugis et jocis consumimus, et non im-

petrabimus. Tunc enim clave æternitatis divinæ misericordiæ porta claudetur, et justitiæ et ultionis aperietur. Tunc deceptis istis hominibus continget, ut qui dum viverent pœnitentiam agere fructuose non voluerunt, apud inferos, in omni æternitate, sine ullo emolumento pœnitentiam agere, intolerabilibus illis suppliciis compellantur, quæ nos effugere Jesus Christus concedat qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIONES

DE

QUATUOR NOVISSIMIS



CONCIO PRIMA.

DE MORTE

SYNOPSIS

Mortis meditationem veram esse sapientiam, aliter quam pro mente Platonis, probatur et amplificatur; quam proinde Diabolus et mentibus humanis eripere conatur. Proposito deinde ordine dicendi, exaggeratur, quam improvisa et inopina sit mors, ut quæ omnia consilia humana turbat et evertit; et quam amara ejusdem cogitatio, præsertim autem animæ a corpore separatio, in qua cogitationi occurrunt tum animæ, tum corporis status, sepulchri squalor, sententiæ incertitudo, quod exemplo regis captivi illustratur, judicii rigor, peccatorum pungens conscientia, et interior pugna, dæmonum præsentia et tentatio, mortis denique certitudo; quæ singula elegantibus, ut solet, amplificationibus in prima concionis parte pertractantur.

Pars posterior commendatione animarum in purgatorio exorditur, et quantæ utilitatis et pietatis opus sit, illis subvenire ostendit. Deinde nos ipsi nobismet commendamur. Quam efficax medicamentum sit fortis meditatio, non tamen solum auditum, sed et intime receptum et probe digestum, declaratur, et exemplo monachi cujusdam redivivi ex Climaco confirmatur. Reditur postmodum ad institutum sermonem et graviter ea proponuntur, quæ post mortem homini eveniunt,

ut sunt circa corpus, fœtor et horror; circa exequias, fovea paucorum pedum et linteam, quod etiam, potentissimis regibus non aliter evenit. Repræsentantur præterea animis ea quæ circa Dei tribunal sunt futura, et parte judicis severi et æqui, judicii strictissimi, inquisitionis exactissimæ: accusatorum dæmonum, quæ omnia suis coloribus depinguntur. Tandem ad præparationem mortis invitamur, et sub nomine Belgii et Brabanticæ omnes a crapula abstrahimur.

Etsi princeps ingenii et doctrinæ Plato, cum sapientiam mortis meditationem esse definivit, non eo spectavit, ut frequenter de obitu cogitandum esse hominibus persuaderet: tamen in hanc quoque sententiam mihi verissime videor affirmare posse, veram mortalium sapientiam, esse mortis meditationem. Nam ea demum vera sapientia est, omnes actiones suas ipso fine, ad quem referuntur, tamquam regula quadam ita metiri, ut nec ab eo unquam dissentiant, nec jure reprehendi ab aliquo possint. Jam vero cum humanæ vitæ fines plurimi sint, eorum unum obitum ipsum esse, quis, quæso, inficiabitur? Huc igitur omnia studia, huc omnes curæ, huc omnes cogitationes dirigi debent, ut vivendi curriculum a Deo nobis concessum, ita conficiamus, ut cum voluptate et lætitia ad exitum perveniamus. Equidem, auditores, sic statuo, hinc omnes hominum

errores principium ducere, quod vitæ finem, quem perpetuo ob oculos habere debent, obliviscuntur. Hinc enim superbia, hinc ambitio, hinc immoderata corporis cura : hinc ille tures, quas super arenam fabricamus, initium sumunt. Etenim si quales post paucissimos dies futuri simus, aliquando cogitaremus, ratio nostra vivendi humilior fortasse, et moderatior esset. Quis animos elatos haberet, si in sepulcris aliquando humanum pulverem intueretur? Quis ventrem pro Deo coleret, si eum vermium escam paulo post esse futurum serio cogitaret? Quis amore divitiarum incitatus, per omnes terras et omnia maria velut insanus curreret, si se præter illud vilissimum indumentum, quo cadaver est involvendum, omnia relicturum intelligeret? Omnes denique nostri errores corrigerentur, si mortem tamquam scopum præ oculis haberemus. Hinc videlicet illi philosophi, qui Brachmanes sunt appellati, ante ipsarum suarum ædium fores, aperta sepulcra habere volebant, ut sive ingrederentur, sive egrederentur, mortis memoriam præsentem haberent, et ea tamquam fræno, libidines omnes cohiberent. Et Jeremiæ prophetæ aliquando Deus ait : *Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea.* Certe poterat etiam Deus alibi, quam ubi circa lutum homines occupantur, alloqui sanctum prophetam; sed tamen non sine sapientissimo consilio ita constituit. Si quidem nos omnes admonere volebat, sepulcra, in quibus universum humanum lutum tamquam in domo figuli congregatur, gymnasium esse veræ sapientiæ. Ibi enim loquitur Deus, et profundissima, maximeque recondita suæ sapientiæ arcana, auditoribus suis exponit. Ibi non dialecticis sophismatibus; sed evidentissimis demonstrationibus ante oculos ponit vitæ brevitatem, carnis miseriam, mundi deceptiones, rerum præsentium vanitatem, et quo tandem recidat omnis humana pulchritudo, et universa mundi gloria.

Quæ cum ita sint, dubitare nec possumus, nec debemus, quin dæmon atrocissimus humani generis hostis, contendat quantum potest, ut mortis saluberrimam memoriam de nostris mentibus auferat. Alioquin enim quomodo fieri posset, ut rei tam formidabilis, et quam fugere aut declinare nullo modo possumus, unquam oblivisceremur? Si levis suspicio jacturæ alicujus, vel facultatum vel honoris tantum apud nos valet, ut somnum

sæpenumero nobis auferat, quid mortis certissimæ cogitatio facere deberet, quæ omnibus terribilibus terribilior est? Quare sicut ii, qui in publicis ludis ad scopum tela dirigere debent, multo ante diem illum meditantur, et plurima tela, manus et arcum exercentes consumant, ut in die ludorum præmii scopum attingant: et quemadmodum ii, qui singulari certamine dimicaturi sunt, quotidie de suis viribus, de armis, de peritia præliandi periculum faciunt, vigilantissimeque provident, qua ratione variis ictibus occurrere possint, ut in ipso vero certamine ex tanto honoris ac vitæ discrimine feliciter possint evadere: ita non, auditores, quibus præmium sine ulla comparatione majus propositum est, si bene nos mori contingat; et qui si secus eveniat, damno ac dedecore inexplicabili mulctandi sumus, dum per Dei misericordiam licet cogitatione frequenter moriamur, ut cum vere moriendum erit, bene beateque mortem excipiamus.

Ordinem vero oratio nostra non alium habebit quam illum, quem ipse obitus secum afferre solet. Etenim illi qui ad bravium aspirant, quod cursui equorum propositum est, equos suos frequenter per stadium ducunt, ut omnia loca, omnes angulos, omnes lapides, omnia impedimenta, quæ in eo sunt, videant, ut cum dies certaminis aderit, stadium recognoscant, et a nullis impedimentis occurrentibus in cursu retardentur; ita et nos, qui (velimus nolimus) stadium morti, metiri debemus, optimum erit, si jam cogitatione et memoria cursum istum aspiciamus, et omnia, quæ in eo sunt, diligenter consideremus: præsertim cum iter obscurissimum, anfractibus et impedimentis variis refertissimum, et usque adeo periculosum sit, ut pauci omnino sint, qui feliciter illud emittantur. Qui vere in eo labuntur, nullam amplius in omnem æternitatem spem salutis inventuri sunt.

Ut igitur inde incipiamus, unde hoc atrocissimum prælium exordium sumit, illud primum considerare, ac perpendere debemus, tum maxime mortem advenire solere, cum minus homines de ea cogitant. Hinc est illa vox apostoli Pauli : *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* : Et ipsius Domini in Apocalypsi : *Ecce venio sicut fur.* Siquidem fures hoc proprium habent, ut tunc domos ad furtum faciendum ingrediantur, cum homines altius dormiunt, et cum minus tale aliquid suspicantur. Idem etiam per

Amos prophetam Dominus ait : *In die illa (dicit Dominus Deus) occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis?* Quam formidabilia sunt hæc verba, si diligenter considerentur, auditores? Quid enim est, *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis?* Nimirum hoc, cum homines meridiem suæ ætatis esse putant, cum plurimos annos se victuros adhuc arbitrantur, cum de lucris, de negotiis, de ædificiis, de honoribus, de nuptiis, de voluptatibus cogitant, cum dicunt animæ suæ : *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, lætare* : tunc illis repente dicitur : *Ecce mors est in foribus, stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt?* Tunc inopinata mors omnia nostra consilia eludit, omnes cogitationum telas præcidit, et omnes illas turres in aere fabricatas unico ictu dejicit atque prosternit. O quam amarum est hoc nuntium ! O quale vulnus recipit cor peccatoris et præsentem vitam vehementer diligentis, cum ei medicus dicit, non amplius de vita, sed de morte cogitandum esse. Vir fortis ac strenuus erat rex Hebræorum Saul, multis præliis interfuerat, multos homines interfecerat, multas etiam præclaras res gesserat, tamen ubi a Samuele, qui jam obierat, audivit : *Cras tu et filii tui mecum eritis*, hoc est, cras in bello tu cum filiis tuis certissime morietis ; continuo vehementissimo timore percussus cecidit semivivus in terram. Quid ergo sentiet tunc unusquisque nostrum, cum tale nuntium accipiet? Hic enim primum sese offerent cogitationi omnia quæ diligebat, a quibus omnino velit nolit avellendus per mortem, ac separandus erit. Corpus quidem morietur semel, sed cor toties morietur, quot ea sunt, quæ diligebat. Tunc vere in tenebras lux clarissima convertetur, quia tunc quæ ante majorem lætitiâ afferebant, horribiles carnifices erunt, vehementiusque cruciabunt. Jucundissima res est iis, qui vivunt, dulces filios, dilectam conjugem videre, opes intueri, honorum recordari, de futuris et præteritis voluptatibus cogitare : at hæc omnia, quales cruces, quam amaræ potiones in obitu erunt ! Solent eo tempore prudentes conjuges abscedere, et dulces filii ante conspectum patris venire non permittuntur : ne præsentia sua, et inferre, et suscipere tam acerbos dolores compellantur. Nam quia tunc, qui moritur, in tam distan-

tem et ignotam regionem proficiscitur, et iter est tam longum, quod tunc moriens ingreditur, dolor non pateretur, ut regulas bonorum morum in ea separatione servaret. Sed si ab istis rebus, quæ hominem non contingunt, et externæ, sicut appellantur, ita sunt, tam durum est avelli quam, quæso, amarum erit corpus ab anima separari? Si duo peregrini, qui unum aut alterum diem simul iter fecerunt, non sine dolore ab invicem separantur, quid fiet cum disjungentur duo tam intime familiares, et tam vehementi amore se invicem prosequentes, quales sunt corpus et anima quæ ab ipso utero matris semper jucundissime vixerunt, et tot beneficiis se invicem obstrinxerunt? Si bos mugire solet, cum ab eo bove abstrahitur, cum quo aratrum trahere consuevit, qualem mugitum unusquisque nostrum dabit, cum a corpore animus abstrahetur? Quid erit, cum corpori dicet : *Jam in postemum iter sine te facere debeo?* Quid cum corpus animæ respondebit : *Et ego quo pacto esse potero sine te, a quo et vitam, et motum et sensum habebam?* Tunc igitur et animus flebiliter iterum, et iterum repetet : *Siccine separas amara mors? Siccine separas amara mors.*

Verum cum hujus tam acerbæ separationis cogitatio altissimas in animo radices flexerit, tunc doloribus dolores succedent. Occurret enim confestim animo, quam mirabilis conditio, et corpus et animum post separationem expectet. Ac primum cum apud se revolvere incipiet, corpus post paucissimas horas in obscurissimo tumultu claudendum esse, tam abjectæ et miseræ conditionis ab admiratione cessare non poterit. Quid? Corpus quod nunc vivit, quod spirat, quod videt, quod loquitur, quod audit, quod in lectulo requiescit, post unam horam in momento cæcum, surdum, mutum, sine sensu, sine spiritu, sine vita efficietur? Corpus tam multiplicibus deliciis enutritum, cujus ventri ac gulæ terræ ac maria serviebant, cujus indumenta erant byssus ac sericum, cui dum viveret lectulus mollissimus parabatur, propter quod ut a frigore et calore et ab ipso aere defenderetur, mille artes excogitabantur, quod nisi in amplis domibus habitare non poterat ; nunc in domo tam tetra, tam graviter olente, ossibus et vermibus plena, cum cadaveribus mortuis in posterum habitabit? Ergo ne amplo palatio humile sepulcrum ; molli lectulo humus horrida ; vestibis pre-

tiosis vilissimum linteum, deliciis putredo, odoribus fœtor; et famulis vermes succedent? Et ista quidem sepulcri cogitatio vehementissime hominem in illis augustiis constitutum perterrebit: sed tamen multo vehementius perhorrescet unusquisque nostrum, cum quæ sors animam maneat, cogitare incipiet. Tunc enim cum in illam æternitatem oculos infiget, ei novam illam regionem, et viventibus omnibus incognitam intuebitur, quam ipse tunc solus et nudus ingredi debet: et rursum intelliget in ea, et gloriam, et miseriam sempiternam inveniri, et nescit utra sors sibi continget, dici non potest, quo metu, qua sollicitudine, qua anxietate torquebitur. Quid? Pro comperto habere post duas horas vel in æternis gaudiis vel in æternis suppliciis se futurum, nonne est crux omni cruce atrocior? (Nam de purgatorio nihil dicimus, non quod locum illum non esse credamus, sed quod qui in eo degunt, cum certi de sua salute sint, inter beatos, ac felices numerentur.) Quamquam enim spes erigit animum; tamen recordatio peccatorum et cogitatio divinæ justitiæ timorem expelli non sinunt; præsertim dum ad mentem veniet, judicia Dei esse abyssum multam. Et sicut Jacob cum filiis Joseph benedicere vellet, manus commutavit, et dexteram super minorem, sinistram super majorem natu posuit; ita et Deus interdum facere solet. Nam quis nescit latronem ex patibulo in cœlum ascendisse, Judam ex culmine apostolatus in gehennæ incendia descendisse? Hac igitur incertitudo sententiæ, vel æternæ beatitudinis vel cruciatuum sempiternorum, quam post duas horas audire debet, explicabile non est quam, vehementer in illo statu positum affligat.

Ac ut exemplo aliquo rem istam illustremus, attendite. Si christianus aliquis rex in manus barbarorum devenisset, et legatis christianorum regis liberationem a barbaris petentibus, et munera ac pecuniarum magnam summam afferentibus, princeps ille barbarus constitueret, ut regis vitæ et mors sortibus committeretur, et si quidem sors illi faveret, in suum regnum cum honore restitueretur; si vero sors illi contraria esset, in ardentem fornacem vivus projiceretur: rogo vos, cum jam dies sortis adesset, et rex ille infelix hanc ardentem fornacem, et vivos illos flammarum globos intueretur, inde suos legatos mœstos conspiceret, et in conspectu maximæ multitudinis, quæ ad spectaculum

illud concurrisset, omnibus silentibus, et rei exitum expectantibus nec non pro salute regis trepidantibus, jam prætor manum ad urnam mitteret, ut scriptam regis sententiam educeret: vos, inquam rogo, quo animo rex ille esset, quam turbato vultu, quam pavidus, quam territus? Quid Deo non offerret, ut ex tanto periculo eum eriperet? Jam vero quid hoc est, auditores, si cum eo periculo, de quo loquimur, et quod omnibus nobis, qui hic adsumus, imminet, et in quo unusquisque nostrum brevi se videbit, quid, inquam, est si cum hoc periculo conferatur, nisi tenuis umbra vel somnium? Quanto regnum, ad quod aspiras, est amplius! quanto fornax, quam times, formidabilior! Hinc enim aderunt angeli ut in cœlum nos evehant: inde dæmones ut in gehennæ incendia nos præcipitent; et nemo nostrum certo scire poterit, utrum horum duorum, tam dissimilium, tam disparium, tam diversorum exituum post unam horam sortiri debeat. Cogita igitur quale tum cor tuum in illo periculo erit, quam pavidum, quam humile, quam dejectum ante oculos ejus, qui solus ex tanto discrimine eruere potest. Equidem arbitror, nullum omnino reperiri posse, qui rem tantam, ita ut est, exprimere vel explicare possit.

Verum huic perturbationi alia longe major succedet, cum in mentem veniet ratio, quam de omnibus verbis, actionibus et cogitationibus Deo reddere debemus. Nam et per se horrendum est cum Deo in iudicium intrare? et hunc ipsum horrorem dæmones mirum in modum augebunt. Ut enim ipsi dum vivimus Dei misericordiam nobis prædicant et amplificant, et quantum possunt contendunt efficere, ut de justitia ac judiciis Deo non cogitemus; ita tunc ex adverso misericordiam extenuant, et magnitudinem ac severitatem divinæ justitiæ ante oculos ponunt. Ibi igitur peccator totus tremere, ac in desperationem declinare incipiet: nec non ita apud se ratiocinabitur: Si Deus proprio Filio suo propter aliena peccata non pepercit, unde parcat mihi qui tam multorum mihi conscius delictorum sum? *Si in ligno viridi hæc faciunt in arido quid fiet?* Si prophetæ, si martyres posteaquam tot annos incoentissime vixerant, non nisi per supplicia regnum cœlorum ingressi sunt, quis locus me, nisi gehenna suscipiet, qui nullius boni mihi conscius sum? Si non mentitur Scriptura, quæ dicit: *Reddet unicuique secundum opera*

ejus, ego qui res tam nefarias gessi, quid nisi æternos cruciatus expecto? Si verum quod Apostolus ait: *Quæ semina verit homo, hæc metet*, quid nisi mortem æternam metet, qui tam execrabilem sementem fecit? Si nihil inquinatum in Dei regnum intrabit, quomodo ego, qui totus sordidus sum, sperare possum ingressum tam beatum? Tunc igitur omnia peccata, quæ dum viveret tanta facilitate perpetravit, velut agmen hostium irruent in hominem peccatorem. Tunc oculos pœnarum timor aperiret, quot clauserat sopor culpæ. Tunc ambitio, tunc furta, tunc adulteria, tunc fornicationes, tunc commessiones, tunc ebrietates, tunc verba et cogitationes impuræ, tunc dissolutio ac socordia in bonis operibus, tunc demum et ipsa otiosa verba ad mentem venient, et o quam gravia videbuntur, quæ nunc tam levia videntur, et quæ cum tanta jucunditate perpetrantur, quam atrociter tunc animum peccatoris torquebunt.

Post hæc omnia cum jam anima festinat ad exitum, tunc pia mater Ecclesia cœlestibus Sacramentis filios suos communit, et omnium sanctorum in tam ingenti periculo opem implorat. Quid enim illæ voces significant quæ circa morientem sæpius repetuntur, sancte Petre, ora pro eo, sancte Paule ora pro eo; nisi tantum morituro tunc periculum imminere, ut ad omnia cœlorum tabernacula pulsandum, et omnes sanctos implorandos esse, ut animæ in tantis angustiis constitutæ adjumento sint. Nam quis explicet postremum illum agonem, in quo anima, et cum gravissima valetudine, et cum dæmonum insidiis, et cum timore futuri judicii, uno tempore bellum gerit? Primum enim illa ultima perturbatio, et omnium sensuum titubatio, velut vicinæ mortis prænuncia quam vehementer exterret? cum intumescit pectus, vox raucescit, oculi excavantur, pedes moriuntur, genua frigeant, vultus pallescit, et omnes artus frigidum sudorem emittunt?

Et hæc quidem gravia et horrore plena, quæ extrinsecus apparent; sed ea sine comparatione graviora et horribiliora, quæ intus geruntur. De Beato Hilarione sanctus Hieronymus scriptum reliquit, eum dum viveret nihil magis optasse, quam dissolvi, et esse cum Christo, et tamen in extremo agone constitutus, ita perterritus est, ut exitum anima ejus quodammodo recusaret, et his verbis eam vir sanctus alloqueretur: *Egredere anima, egredere, septuaginta annis servivisti*

Deo et mori times? Si igitur in obitu timuit ille, qui tot annis servierat Domino, quid facient illi, qui totidem annis Diabolo servierunt, et nefariis suis sceleribus Deum ad iracundiam provocaverunt? quo ibunt? quem implorabunt? quid consilii capient? Si sursum aspicient, districtum gladium divinæ justitiæ videbunt: si deorsum, hinc tumulum apertum inde gehennæ barathrum intuebantur. Si tempus præteritum, omnia tamquam umbram præteriisse conspicient, si futurum, sæculorum æternitatem sine fine duraturam cernent.

Dæmonum vero impetus, qui tum omnes nervos suos contendunt, quonam pacto, quæso, sustinebunt? B. Gregorius quemdam fuisse refert, qui cum in extremo illo tempore cum Dæmonibus disputare cogebatur, victus fortasse Dæmonum argumentis tremere, pallere, sudare vehementer cœpit, oculos ad parietem convertibat, et in eo loco continuo Dæmones apparebant. Denique horribilli voce clamabant: Inducias vel usque mane, inducias vel usque mane, sed quia dum potuit, bene agere voluit, tunc cum voluit, minime potuit. Nam induciæ concessæ non sunt, sed in ea voce non Deo, sed Diabolo spiritum reddidit. Quid igitur, auditores, quid homines peccatores in simili statu positi facturi sunt? Egredi non volent, retrocedere non poterunt, et in eo statu permanere diutius eis non permittetur. O si intelligere possemus, quale sit hoc prælium, quanti ponderis in illa hora negotio transigantur profecto alii, alii omnino, quam ante hac fuimus, deinceps essemus. Et tamen quid prohibet, quin hæc intelligamus? Quis enim aliquid horum negare aut inficiari potest? Numquid non sunt omnia solis luce clariora? Numquid aliquis nostrum dubitare potest, se in statu, quem descripsimus, aliquando futurum? Nonne et fides docet, et natura testatur et ipsa experientia clamat nullum nasci non moriturum? Quis nostrum majorum suorum catalogum usque ad Adam proferre non potest? et tamen ex tam multis majoribus, qui aliquando vixerunt, quam multos? solum duos; quam multos? unum tantum; quam multos? nullum numerare possunt, qui vivat aut vivere aliquando non desinat. Deinde quis nescit illud *fortasse*, ut sapienter Augustinus in omnibus ferme rebus humanis locum habere præter quam in morte. Nasceturne puer? fortasse. Natus vero putas adolebit? fortasse. Litteras discet? fortasse. Uxorem

ducet? fortasse. Liberos gignet? fortasse. An morietur? omnino, plane, sine dubitatione morietur: Hic solum *fortasse* locum habere non potest.

Cum igitur, auditores, nobis omnibus, qui hic adsumus, compertissimum et exploratissimum sit, nos paulo post ad eum statum deventuros, in quo toto corde desiderabimus ab omni scelere nos continuisse, omnium virtutum opera exercuisse, in omni sanctitate vixisse, et nec momentum unum sine spirituali lucro nobis præterisse, stultos homines non imitemur, qui solum præsentia intuentur. Provideamus prudenter futura, et ita divina aspirante gratia nos comparemus, ut illa hora, quæ cæteris principium dolorum est, nobis gaudiorum et felicitas esse possit. Sed jam paululum quiescamus, et paucis, quod restat, absolvamus.

PARS SECUNDA.

Duo genera pauperum vobis commendare debeo, antequam ad alteram partem orationis accedam. Primum enim tempus me monet, ut vobis sanctos illos pauperes commendem, qui in purgatorio degunt. Et certe si quantum ipsi vestra liberalitate indigent, tantum esset in me ad hoc vobis persuadendum facultatis, non dubito, quin hodie multum vestris eleemosynis recrearentur. Nam sive commodum eorum, sive fructum vestrum, sive jus ipsum postulet respiciatis, ipsa luce clarius esse videbitis, optimum atque utilissimum esse, mortuorum animis opem facere. Ac primum quidem vix dici potest, quam parvo labore possimus efficere ut ab intolerabilibus cruciatibus anima una, vel plures, aut omnino liberentur aut saltem ad tempus releventur. Qui vero animam unam eripit a cruciatibus purgatorii, non solum ei minuit tempus poenæ, sed etiam auget tempus gloriæ. Quod beneficium tantum est, ut vix æstimari possit. Itaque majus beneficium in mortuum hominem conferre te puto, si pro liberatione ejus aliquid facis, quam si conferres in aliquem viventem pauperem, et ei omnes tuas facultates largireris. Jam si fructum etiam tantum spectare volueris nullo modo dubitare debes, quin fructuosius omnino sit mortuis, quam viventibus opem ferre. Eleemosyna quidem semper fructuosa est, si propter Deum fiat, sed tamen non parum inter-

est in bonumne, an in malum hominem conferatur. Bonus enim beneficii memor erit, et pro te Deum exorabit, ut tibi pro parvis magna, pro terrenis cœlestia largiatur. At improbus, vel non orabit vel orans non audietur: *Scimus enim quia peccatores Deus non exaudit.* De justitia vero et probitate sanctarum illarum mentium, quæ in purgatorio degunt, quis jure ambigere potest? Quamobrem pro illarum liberatione satagere, vere nihil est aliud, quam amicos multos nobis conciliare, qui cum defecerimus, in æterna tabernacula nos recipiant. Nec enim periculum est ne cum in gloria et gaudio Domini sui erunt, more illius pincernæ apud Pharaonem, nostrorum beneficiorum obliviscantur. Jus vero quid, obsecro, postulat? Nonne ut cum de eleemosyna elargienda cogitas, minus egenti magis egentem anteponas? Quis vero illo calamitosior est, qui et in maximis ærumnis versatur, et nec seipsum juvare, nec aliorum opem implorare potest? Quare quam maxime possum vobis animas defunctorum commendatas esse cupio.

Neque vero viventes pauperes de nobis conqueri potuerunt, quasi eleemosynas vestras ab illis ad mortuos transferamus. Nam si vultis potestis utrique uno tempore satisfacere: *Qui enim miseretur pauperis, fœneratur Domino,* ut Scriptura testatur. Quare si de facultatibus vestris viventibus pauperibus aliquid tribuatis, et deinceps fœnus, quod pro illis a Deo accepturi, et vestris spiritualibus oculis addituri eratis, in animarum fidelium liberationem transferre volueritis, et viventibus simul et mortuis pauperibus adjumento esse poteritis. Ac de commendatione quidem pauperum mortuorum hactenus.

Nunc vos ipsos vobis commendare cupio. Siquidem animæ vestræ sunt illud alterum genus inopum de quo agerebam. Quemadmodum igitur, auditores, inter medicamenta illa potentius et efficacius operantur, quæ usque ad ipsa viscera penetrant, quam quæ solum extrinsecus corpori adhibentur: sic inter monita ac documenta salutaria, illa quæ ab ore concionatoris ad aures usque auditorum perveniunt, et ibi quiescunt parum omnino aut nihil efficiunt: at illa multum prosunt, quæ in animo reconduntur, ac diligenter considerantur ac perpenduntur. Quocirca si cupitis magnam eleemosynam animis vestris elargiri, accipite consilium meum. Hodie vel cras unusquisque sibi unam horam eligat, et

ingressus cubiculum suum tacite et quiete apud se ea, quæ de morte diximus, et dicturum revolvat, et ipsemet potentiam hujus pharmaci sine dubio admirabitur. Nam mortis meditatio incredibilem vim habet ad hominem a mundi nugis abstrahendum, et ad seria revocandum. Nec enim mentiri potest, qui ait : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

B. Joannes Climacus refert, monachum quemdam sui temporis fuisse, qui cum negligentius vixisset, quam monachum vivere par est, et jam ad exitum pervenisset, raptus de hac vita, et ad tribunal æterni judicis adductus fuit : tamen divina providentia, tum propter illum, tum propter nos, ita jubente, ad vitam iterum revocatus est. Quid in eo judicio expertus fuerat, verbis quidem referre vel non potuit vel non voluit ; sed tamen factis apertissime demonstravit. Nam primum cellæ suæ aditu lapidibus obstructo, ita in suo angustissimo cubiculo se conclusit, ut se commovere vix posset. Deinde pane solum et aqua usque ad vitæ finem vesci voluit. Tum per duodecim annos, hoc est, toto reliquo tempore, quo hic in terris supervixit, e cubiculo nunquam egressus est, nec cum aliquo est collocutus. Imo quod magis est admirandum nec oculos ab eo loco unquam removit, in quem primo conjecti fuerant ; sed omnino attonitus et stupefactus, ea semper animo ac mente agitabat ac revolvebat, quæ in alio sæculo vidisset, nec unquam ferventes lacrymæ in ejus oculis quoad vixit defecerunt. Cum vero obitus illius iterum immineret, obsecratus a fratribus, ut eis de ratione sancte ac religiose vivendi aliquid diceret, hoc solum ait : *Nemo qui vere mortis memoriam agnoverit, unquam peccabit.* Quæ sententia incredibilis nobis videri posset, nisi etiam divinæ litteræ nobis prædicarent : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Hæc igitur vir sanctus scribit, et de eo scribit, quem ipsemet suis oculis vidit, et cui semel, et iterum morienti cum aliis multis astitit. Ex quo perspicuum fit, quæ dicebamus, nimirum mortis memoriam pharmacum esse utilissimum, ac saluberrimum, cujus si singulis hebdomadis semel potionem unam sumeremus, vel raro vel nunquam in lethalem morbum incideremus.

Sed tamen, auditores, servanda est regula medicorum, qui aiunt, post sumptam medicam potionem aliquantulum esse quiescendum, et si fieri posset etiam dormiendum.

Qui concionem audit, vel per se aliquid legit, pharmacum quodammodo sumit ; sed nisi postea in quiete ac somno meditationis de illis apud se in silentio cogitet, parum omnino proficit. Quocirca, ut initio dicebam, optarem, quin etiam vos, oro atque obsecro, ut sumpto hoc pharmaco, quod nunc animis vestris per aures vestras infundo, sanctæ meditationis somnum aliquem capiatis. Et si adhuc magis fructuosam hanc medicinam vobis esse desideratis, non debetis mortem, tamquam rem alienam, et post centum annos futuram cogitare ; sed existimet unusquisque cum ad meditationem accedit, se jam in lecto decumbere, et ad caput accensam candelam habere, ad latus vero Sacerdotem adesse, qui animam ipsius solitis precibus Deo commendet. Atque ita compositus cogitare incipiat corporis dolores, animi formidines, sensuum titubationes, et quomodo paulo post erunt omnia, quæ diligebat, relinquenda : corpus vermium escam futurum, et animum ad severissimum Dei judicium rapiendum.

Ut igitur ad nostræ narrationis seriem revertamur, hactenus quid morienti usque ad ipsum exitum accidat explicuimus. Nunc quid post illam tristem et horrore plenam corporis ab animo separationem, cum corpore et animo fiat considerare debemus. Ac primum quidem corpus ad sepulcrum deducamus, deinde animum quoque ad Dei tribunal prosequemur.

Animo igitur e corpore, tamquam ex antiquo carcere, egresso, jacet ibi non amplius corpus humanum, sed vilissimum atque abjectissimum cadaver, sine vita, sine sensu, sine viribus, et tam fœdum ac horribile, ut vix ejus aspectus tolerari possit, denique tale est corpus equi aut canis, quod in campis mortuum jacet, et omnes qui transeunt, nares ocludunt et gressum accelerant, ne conspectum ejus ferre, et fœtorem illum teterrimum haurire diutius compellantur. Tale, inquam, remanet corpus humanum, etiamsi pontificis aut imperatoris cadaver sit. Quid, obsecro, apud homines plaris sit, quam principis corpus ? Quid contra magis abjectum et vile esse potest, quam idem corpus jam defunctum ? Ubi enim nunc est alia antiqua majestas, illa amplitudo, illa auctoritas, quam tremebant, qui intuebantur, et non nisi apertis capitibus, et genibus flexis coram illa esse permittebantur ? Quo abiit omnis illa tam bene instructa pompa ?

Verum aliquid erat, an somnium et umbra erat? Post hæc funus paratur, quod quidem est solum munus, quod ex omnibus divitiis et regnis secum homines auferre possunt et hoc ipsum adhuc non auferrent, nisi viventes hac ratione suæ dignitati ac existimationi consultum esse putarent. Vere enim Propheta David ait: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Hic jam fovea septem aut octo pedum excavatur, etiamsi Alexandro Magno pararetur, quem totus orbi capere non poterat, atque in eo loco æternam domum et solium perpetuum cadaver acquirit: cui quidem adveniendi vermes occurrunt et aliorum mortuorum ossa loco cedere coguntur. In hac domo perpetuæ oblivionis et silentii linteo obvolutum, ac manibus et pedibus colligatis cadaver includitur, quamquam et ille supervacaneus labor est: non enim ex illo carcere effugeret, etiamsi manus et pedes solutos haberet. Ii, qui Jezabelem reginam viderunt, cum pulchritudine singulari prædita esset, et amplissimi regni splendore fulgeret et post eandem viderunt, quando Dei providentia sic volente, eam canes laceraverant, et nihil nisi capitis ossa, et extremos pedes ac summas manus reliquerant, stupefacti dicebant: *Hæccine est illa Jezabel?* Et omnes qui per ea loca transibant, iterum atque iterum repetebant: *Hæccine est illa Jezabel? hæccine est illa Jezabel?* Hæccine est illa tam excellens regina, tam potens, tam illustris, quam omnes metuebant, quæ regnum universum administrabat, in cujus manus vita et mors omnium regi subjectorum posita erat? Jam vero si nos quoque saltem cogitatione descendamus ad sepulcra principum et regum eorum, quorum gloriam et majestatem vidimus, dum hic in terris nobiscum versarentur, et horribiles illas figuras, quas nunc præse ferunt intueamur, numquid non stupefacti exclamabimur: *Hæccine est illa Jezabel?* Hæc est illa facies, quam ego tam vivam, tam hilarem aliquando conspexi? Hi sunt illi oculi, quorum nutus homines perterrebat? Hoc est illud corpus tam tenerum, tam elegans, tam adornatum? Et ubi est lingua, quæ tam diserta, tam erudita, tam volubilis erat, et cujus præcepto regna atque imperia movebantur? Ubi sunt crines aurei? Ubi aureum diadema? Ubi sceptrum? Ubi purpura? Quonam, obsecro, ordines obse-

quentium famulorum, quo lautissima illa convivium, quo aucupia, venationes, symphoniarum, facetiarum, assentationes, aliaque innumerabiles delictiarum recesserunt? Ergone illa omnia, ut fumus, continuo evanuerunt, et nihil jam præter cinerem, horrorem et fœtorem relictum est? Intelligebat plane, intelligebat Deus, quam grave jugum super filios Adæ imponebat, cum diceret: *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Sed jam corpore in tumulo derelicto, quo pacto animus novum illum orbem ingrediatur consideremus.

Continuo igitur animus carne solutus incognitam regionem peragrare aggreditur, ubi est cælum novum et terra nova, novum genus incolarum, nova jura, novi mores, novæ consuetudines et nova forma judiciorum et nova omnino ratio vivendi. Quid igitur tunc miser peregrinus faciet, cum in tam insolita regione, horrore et umbra mortis plena se solum videbit? Quo pacto se a ferocissimis illis latronibus et horribilibus monstris defendet, qui in illis vastissimis solitudinibus viatores aggrediuntur, nisi dum viveret angelorum præsidia promeruerit? Formidabile profecto est hoc iter, sed tamen longe formidabilius est judicium, quod in eo loco exercetur. Quis, obsecro, explicare queat, quam æquus judex, quam severum judicium, quam diligens inquisitio, quam multi et quam solliciti accusatores? Judex quidem æquissimus erit, et nihil plane sine præmio aut pœna dimittet. Et apud eum tunc nec lacrymæ valebunt, nec preces audientur, nec promissiones admittentur, nec poenitentia fructuosa erit, opes autem et illustres tituli et generis nobilitas et doctoratus, et pontificatus et sceptrum ac diademata multo minus proderunt, imo *Durissimum judicium his, qui præsumunt fieri et potentes potentius tormenta patientur.* Judicium vero secundum eam legem fiet, quæ ait: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Porro inquisitio tam exacta, tam diligens, tam accurata erit, ut, nec unum otiosum verbum, nec una levis cogitatio prætereunda sit. Non enim joco, sed serio Veritas ait: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Et si otiosa verba tam severe judicabuntur; quid de adulteriis, furtis, rapinis, fornicationibus, ambitionibus, comessationibus, ebrietatibus et

blasphemiis fiet? *Et si tunc justus vix salvabitur, ut Petrus ait Apostolus, Impius et peccator ubi parebunt?* Quid, obsecro, respondebimus, cum de vita, de fortunis, de honoribus, de ingenio, de eruditione, de inspirationibus, de occasionibus bene vivendi et de ipso tempore a nobis ratio postulabitur? O quam multi, qui nunc cum tanta facilitate peccant, quasi Deum ligneum et lapideum haberemus, qui nihil videret et nihil posset, tunc attoniti et infinita confusione ac rubore perfusi illic obmutescunt. Jam vero quid de accusatoribus nostris dicemus, quando solus eorum conspectus nos perterrebit? Procedent ergo Dæmones, et ante tribunal judicis constituti dicere incipient: Non potes, o rectissime atque æquissime judex, non istos reos condemnare, siquidem ipsi nostri hactenus semper fuerunt. Tui erant, quia ad imaginem tuam eos creasti; sed nostri facti sunt, quia tuam imaginem spreverunt, et nostram dilexerunt. Jugum tuum abjecerunt, et nostrum libenter susceperunt. Legem tuam, præcepta tua, consilia tua, admonitiones tuas contempserunt, et nostris libentissime paruerunt. Spiritum nostrum et non tuum, mores nostros et non tuos, vestigia nostra et non tua sequi voluerunt. Denique vide quam omnino semper nostri fuerunt. Tu naturam illis dedisti, gloriam promisisti, pro illis in cruce pependisti; nos contra nihil illis dedimus, nihil promisimus, nihil pro illis passus sumus, et tamen obedientiam denegaverunt tibi, præstiterunt nobis. Tu si quid jubebas, si jejunare, si orare, si pecunias pauperibus elargiri, si injurias inimicis condonare, si sobrios esse, si ebrietatem eos fugere volebas, vel non faciebant vel inviti et cum lacrymis faciebant; at nos commessiones et ebrietates, et alia vitia non tam imperabamus, quam suadebamus, et continuo obtemperabant et adhuc amplius quam præcipiebamus faciebant, Hortabamur ut jurarent, et ipsi pejerabant: ut injurias suas ulciscerentur, et ipsi pro quadam falsi honoris umbra vitam ponebant: ut paulo amplius biberent, quam par sit, et ipsi quotidie ebrii usque ad

vomitum efficiebantur. Numquid ergo nostri non fuerunt? Quare si verum est aliquando dixisti: *Reddite quæ sunt Cæsari Cæsaris, et quæ sunt Dei Deo*; non potes nunc istos nobis non reddere qui nostri sunt, et nobis debentur. Quod si tunc his auditis sententia judicis erit, ut sempiternis incendiis addicaris, quales augustiæ animum tuum apprehendent? Quid ages? Quid loqueris? quem appellabis? ad quem confugies? O qualis lætitia? O quam grandis exultatio, tunc propter te in tabernaculis hostium tuorum erit. Exultabunt enim tamquam victores capta præda. Tunc implebitur quod Jeremias ait: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt et fremuerunt dentibus, et dixerunt: devorabimus, en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus.* Tunc cithara tua vertetur in luctum et cantus tuus in vocem flentium. Tunc dies lætitiae tuæ finietur, et sempiternis tenebris involveris. Tunc æternitatis clave porta voluptatibus omnibus claudetur, et doloribus, ac suspiriis aperietur.

Quæ cum ita sint, auditores, rebus nostris sapienter prospiciamus, consiliumque capiamus ab eo, qui ante advocatus, quam judex esse voluit. Nemo est enim, qui ita noverit, quid nobis ad illum diem necessarium sit, ut is, qui causam nostram judicare debet. Is igitur clamat: *Attendite vobis ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa.* O Lovanium! O Brabantia! O Belgium! vide ne crapula, vide ne ebrietas, quæ tibi tam familiaris esse solet, vide ne curæ et sollicitudines hujus mundi, te mortis et judicii oblivisci faciant. Non possum tibi non vehementer timere, cum illud ipsum vitium tibi familiarissimum esse cognoscam, quod maxime omnium fugiendum esse, tam sollicite Dominus admonere voluit. Vigilemus, fratres, sobrii simus, orationi vacemus, caute ambulemus, mortem frequenter cogitemus, ut nobis non ad gehennam janua, sed aditus ad vitam et gloriam per Christum sit, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO II.

DE EXTREMO JUDICIO

Habita Lovanii Dominica prima Adventus.

SYNOPSIS

Utilitas timoris judiciorum Dei contra Lutheranos variis sacre Scripturæ et Patrum testimoniis asseritur. Hac quasi via strata oratio de Judicio extremo habenda promittitur, quæ in duo capita dividitur; unum de magnitudine illius et signis formidabilibus præcedentibus agit, alterum de mortuorum resurrectione, et Judicis adventu tractabit. Diem judicii fore horrendam vel ex eo ostenditur, quod ea dies Domini in sacris litteris revocetur; et in ea generalis erit conflictus, cujus magnitudo sacre Scripturæ auctoritate probatur. Signa prævia describuntur, et rerum tremenda facies graphice ob oculos ponitur: quam in immensum metus futurorum ex præsentibus conceptus augebit. Quomodo hæc eadem bonis gaudio, malis terrori sint futura diserte explicatur.

Pars posterior exorditur ab utilitate et opportunitate sermonis de extremo judicio habendi. Deinde ad alterum orationis caput descenditur, ad resurrectionem scilicet mortuorum. Ac in primis de disparitate corporum resurrectorum agitur. Beatorum corporum cum anima læta et festiva conjunctio; et impiorum e contratrio querelæ, suis coloribus depinguntur. Repræsentatur deinde judicis adventus, damnatorum ploratus ejusque varicæ causæ adducuntur. Operum tam bonorum, quam malorum, imo et cogitationum libros aperiendos esse declaratur. Bonos judicium futurum magis hic timere quam malos, exemplo David, Pauli et Job, ostenditur. Affertur exemplum ex Joanne Climaco de Stephano Monacho quodam in dubio salutis aut perditionis

mortuo. Prædicta terribilia omnia longe superabit, tremendi judicis damnatos in abyssum ablegantis sententiæ promulgatio. Epilogus denique nobis seriam et severam ad judicium extremum præparationem per similitudinem laurea doctorali insigniendorum inculcat.

Cum omnes Lutheranorum errores mihi et absurdi et perniciosi videantur, auditores optimi, tum illum absurdissimum et perniciosissimum semper judicavi, quem in hominum pectoribus inserere conantur, cum aiunt: timorem illum, qui ex cogitatione judiciorum Dei et cruciatuum gehennæ oriri solet, hominem hypocritam et magis reum efficere. Primum enim hæc sententia auctoribus suis viam ad salutem præcludit: Nam cum *Timor Domini initium sapientiæ* sit, et plerique omnes metu pœnarum et suppliciorum a flagitiis et sceleribus abstrahantur, et ad bonam ac sanam mentem revocentur, qui timorem istum a pectoribus suis excludunt, ipsi sibi januam pœnitentiæ salutaris ocludunt. Ut enim Scriptura divina testatur: *Timor Domini expellit peccatum*; et: *Qui sine timore est, non poterit justificari*. Quod eleganti similitudine B. Augustinus ostendit: « Si nullus, inquit, est timor, non est qua intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi seta exeat, non succedit linum. Sic timor primo occupat mentem: non autem ibi remanet timor quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. » Deinde blasphemam in Deum et contumeliosam esse illam vocem Lutheri quis non videt? Nec enim Deus hypocritas homines et peccatores facere potest, et tamen ipse est, qui sæpe nos

in peccatis dormientes excitat, et timorem illum salutarem in animis nostris ingenerat. Quorsum enim Dominus tam frequenter tenebras exteriores, dentium cruciatum, incendia sempiterna et alia gehennæ supplicia in Evangelio comminatur, nisi ut metu saltem pœnarum a flagitiis et facinoribus mentem, oculos, manus abstineamus? In quem, obsecro, sensum Lutherani verba illa torquebunt? *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, post hæc autem non habent amplius quid faciant. Ostendam vobis, quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit corpus, potestatem habet corpus et animam perdendi in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate.* Et mater nostra Ecclesia Catholica, num hypocritas filios suos efficere contendit? Et tamen ut ad natalem Domini celebrandum nos præpareret, judicium horroris et formidinis plenum hodierna die nobis proponit. Neque Magnus Basilius hypocritas homines facere nititur, cum dicit: « Timor salutaris, qui ad sanctitatem deducit, et animæ divinitus insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende. Quando forte ad aliquod peccatum te videris paratum, illud horribile mandatum et Christi judicium cogita, in quo judex in alto sedens tribunali, circumfusos undique populos coram habebit, astititque omnis creatura, ejus adventum gloriosum exhorrens, rationem gestorum redditura. Hæc tu timebis. Hoc demum timore institutus, quodam quasi fræno a pravis concupiscentiis animam tuam cohibebis. » Neque D. Ambrosius virginem illam corruptam hypocritam studebat efficere, cum et persuaderet, ut sibi gehennæ incendia et tenebras exteriores ante oculos poneret. Sanctus quoque Hieronymus hypocrita non erat, cum de seipso confiteretur, et ad Eustochium scribens diceret: Ille ego, sum, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaveram. Quid Augustinus? Nonne initium conversionis suæ attribuit timori, quem de futuro judicio semel conceptum, et in medio æstu libidinum semper retinuit? Denique tantum abest ut metus iste malus aut periculosus sit, ut non modo utilis, sed plane necessarius censi debeat. Nam, ut sapienter Tertullianus ratiocinatur, cum via, quæ ducit ad inferos, latissima et facillima sit, nonne omnes per eam incederent, si nihil in ea timeretur? Horremus nunc terribiles minas creatoris, et vix ab ea via declinamus: quid fieret, si nihil Deus comminaretur, et omnibus impune in cœno vitiorum sese vo-

lutare liceret? Hoc igitur firmum sit et ratum, auditores, quasi parentem et custodem justitiæ, temperantiæ, charitatis et omnium virtutum esse Domini timorem. Quem quidem in nobis cum alia multa gignere solent, tum potissimum recordatio magnæ illius diei, in qua omnes omnium hominum causæ judicandæ, et omnia negotia finienda sunt. Quodcirca rem vobis non ingratham me facturum esse censeo, si de futuro judicio quod Ecclesia in hodierno Evangelio nobis proponit, hodie verba facerem.

Ac ut dispositionem nostræ orationis intelligatis, ea, quæ de divino judicio dicturi sumus, ad duo capita revocabimus. Primum enim de magnitudine ac horrore illius diei, et signis formidabilibus, quæ illam præcedent, deinde de mortuorum excitatione et judicis adventu, breviter et perspicue, quantum in nobis erit, disseremus.

Etenim usque adeo formidabilia et horrore plena sunt, quæ de illa die nobis sacræ litteræ prædicant, ut nisi eorum auctor esset Deus, omnino incredibilia videri possent. Quocirca liberator et assertor noster Christus, cum aliquando de hac die coram discipulis suis disseruisset, intelligeretque ea, quæ dixerat, pene vincere hominum fidem, quasi jusjurandum interponens ait: *Amen dico vobis, quia non præterebit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Cum aliquando divinus Apostolus (ut in Actis Lucas Evangelista scriptum reliquit) de judicio extremo coram præfecto Palæstinæ verba faceret, ita vehementer homo romanus et idolorum cultor perterritus est, ut pavere ac trepidare inciperet. Ex quo perspicuum sit, magna omnino et horribilia fuisse, quæ de futuro judicio Apostolus disserebat, quando solus eorum sonitus satis fuit ad hominem Ethnicum, et qui ea fortasse non credebat, perterrendum. Quod si hæc futuri judicii commemoratio tantum valuit apud Ethnicum, quantum apud nos valere deberet, qui usque adeo, quæ de hoc judicio in sacris litteris continentur, vera esse credimus, ut ad ea confirmanda et defendenda mortem etiam oppetere parati simus?

Ac magnitudo quidem et horror illius ultimæ diei, vel ex eo cognosci potest, quod *dies magna et dies Domini* in sacris litteris appellatur. An non vere magna erit dies, quæ omnes omnium sæculorum tam præteritas, quam futuras dies comprehendet? in

illa enim die omnium præteritarum dierum rationem homines reddent: in illa die thesaurum illum infinitum iræ atque indignationis suæ Deus effundet, quem omnium præteritorum sæculorum spatio congregavit: in illa die cessabunt motus cœlorum, siderum conversiones, ortus atque obitus rerum mortalium, dierum ac mensium vicissitudines, et omnes hominum cogitationes, omnia studia, omnes artes, omnes disciplinæ, omnia negotia et omnia consilia æterno silentio conquiescent. Denique in illa die irrevocabili summi atque æterni judicis sententia ac definitione constituetur, quem statum unusquisque nostrum sortiri, et in omni sæculorum æternitatem retinere debeat. Tunc enim *Ubi-cumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit* in æternum. Itaque non sine causa dies magna appellatur, quæ omnium dierum magnitudinem in se complectitur.

Neque vero immerito etiam diem Domini sacræ litteræ vocaverunt: ut enim omnes præcedentes dies, hominum dies appellantur, quod in illis vigilant homines, ut efficiant, quicquid velint, et Deus ferat, patiat, tolet, expectet, dormiat quodammodo, et quiescat: sic tunc dies Domini illucescet, in qua vigilabit ipse, et efficiet quicquid volet, et nostrum erit, velimus nolimus pati ac tolerare. Tu nunc blasphemias, pejeras, ebrietati studes, tuas libidines explas, et Deus ad omnia tacet. Cur ita? Quia dies iste, dies tuus est. Sed veniet, mihi crede, veniet dies Domini, qui eam diuturno silentio finem imponet, ut omnes suas injurias ulciscetur. Itaque dies duas dumtaxat omnis æternitas comprehendit, unum hominis, alterum Dei. In illo vigilant homines et Deus dormit; in isto dormient homines et vigilabit Deus.

Porro hujus rei figura illustrissima præcessisse nihil videtur in eversione Jerusalem. Aliquando enim populus Judæorum prophetas interficiebat, sacerdotia vendebat, avaritiæ studebat, denique Deum ipsum hominem factum in crucem agebat: et ad hæc omnia Deus dormiebat. Quamobrem, auditores? Nempe quia dies illorum nondum tota præterierat. Quod apertissime Domini illis verbis significavit: *O si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, et quæ sequuntur.* Illuxit autem post paululum dies Domini et ecce evertitur Jerusalem, et omnis populus partim servituti miserrimæ mancipatur, partim gladio cadit, partim fame

extinguitur, incendio concrematur. Sic igitur nunc nostra dies agitur, confestim autem Domini dies consequetur, quam horribilis futura sit, non quidem plane intelligere, sed tamen quasi subolfacere ex præsentibus calamitatibus possumus. Nam ut B. Clemens in Recognitionibus se a B. Petro didicisse commemorat, diem quamdam Deus jam ab æternitate designavit, in qua exercitus omnium pœnarum, cum exercitu omnium culparum toto impetu confligat, et eam diem, diem Domini Scripturæ nominare solent. Verum quemadmodum in præliis hominum ante ultimum et generalem conflictum, multæ excursionses et brevia certamina fieri solent: sic ante magnum et maxime formidabile illud certamen, quod in die Domini futurum est, consuevit Deus cum agminibus suis excursionses quasdam facere et nunc famem, nunc pestem, nunc bellum, nunc motusterrarum, nunc aquarum illuviones, nunc terræ siccitatem, quasi equites armatos ad nos mittit: qui cum aliquo damno nos affecerint, retrocedant, et in sua castra se recipiant. Si igitur pestem, et bellum, et famem, et terræmotus et alia id genus tantopere formidamus, cum initia dolorum et breves excursionses sint, quid obsecro fiet, cum ultimus ac generalis conflictus agetur? Audite enim quibus verbis conflictum istum Sapiaentia nobis describit. *Accipiet, inquit, armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquiatem, acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient, et a petrosa ira plena mittentur grandines. Excandescet in illos aqua maris et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet illos.* Propheta autem Sophonias verbis adhuc magis formidabilibus rem eandem nobis proponit: *Juxta est, inquit, dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini amara. Tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies tribulationis et angustiarum, dies calamitatis et miseriarum, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas et super angulos excelso. Et tribulabo homines, et ambulabunt, ut cæci: quia Domino peccaverunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus, et cor-*

pora eorum sicut stercora. Sed et argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

Quod si adhuc plânus cognoscere cupimus magnitudinem horroremque illius ultimæ diei, ad ea signa, quæ diem illum præcedent, paulisper animum convertamus, et in memoriam revocemus. Ante igitur quam magna illa dies illucescat, cœli et terra et omnia elementa signa dabunt: *Erunt enim signa in sole et luna et stellis: et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore ex expectatione, quæ supervenient universo orbi.* Ut enim cum homo, qui parvus est mundus, ad exitum appropinquat, humores in eo velut elementa quadam conturbantur, et oculi qui instar solis et lunæ sunt, obscurantur, et reliqui sensus quasi stellæ minores paulatim decidunt ac deficiunt, et mens ac ratio velut virtus cœli a sua sede movetur, vagatur et errat: sic in obitu atque occasu totius hujus machinæ, quæ magnus mundus appellatur, sol vertetur in tenebras, et luna in sanguinem, et stellæ cadent de cœlo, ac demum orbis totus finem suum adesse præsentiet, et prius horrendo sonitu contremiscet, ac mutabitur, quam penitus ruat et collabatur. Verum, auditores, si cœlum et sol deficiet, et sidera corruent, quid, quæso, in terra et mari et ære fiet? Si mundus hic inferior (quod etiam ethnici Philosophi cognoverunt) a cœlestibus globis regitur, et gubernatur, in quo statu elementa erunt, cum virtutes cœlorum movebuntur, et motus extraordinarios sidera peragent, et ad naturalem ordinem sese revocare non poterunt? Qualis aer tunc erit? Nonne turbinibus, nimbis, coruscationibus, tonitruis et crinitis sideribus plenus? Qualis terra? Nonne horrendis tremoribus et vastis hiatibus plena erit? Tales tunc terræmotus futuri perhibentur, ut non modo turre et ædificia privata prosternant; sed integras ac totas urbes evertant et hiatus ejusmodi, ut maximos montes et totas civitates absorbent. Sed mare præ cæteris elementis, nunc ferox et sævium existet, et usque adeo fluctus ejus intumescent, ut omnem orbem terrarum obruere velle videantur. Mugitus autem et fremitus ferocium undarum, et resonantium fluctuum, etiam procul positos perterrebunt vehementissime. Quid, obsecro,

tunc homines facient? quid loquentur? quam pavidi, quam attoniti, et quam inopes virium et consilii erunt? Quod ipsa Veritas de hominibus in illo statu positus loquitur ejusmodi est, ut amplificationibus nostris locum nullum reliquerit. Ait enim: *Arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi.* Quantam, quantam emphasis habent hæc verba? Arescent igitur præ timore, et pallescent, et dicent: Quid sibi hæc prodigia volunt? Quid putas hæc monstra tam insueta portendunt? Quid mundus ita parturiens comminatur? Quem finem hæc tam novæ, et tam insolitæ rerum omnium conversiones habebunt? Cum autem se mutuo homines intuebuntur, et facies illas pallentes et mortis figuram præ se ferentes videbunt, dici non potest, quantum in eis metus et horror augebuntur. Itaque tunc munera omnia publica, et etiam privata cessabunt. Nemo forum, nemo gymnasium, nemo curiam frequentabit. Nemo tunc honorum ambitiosus, nemo pecuniarum cupidus, nemo voluptatum insectator invenietur. Nam usque adeo pavor et trepidatio corda humana replebit, ut nec parentum, nec amicorum, nec magistratum, nec principum, imo nec cibi, nec potus homines recordentur, sed in id solum omnes incumbunt, ut loca tuta ab aquarum illuvionibus et terræ hiatibus et tremoribus nanciscantur.

Et præsentia quidem mala ac molesta erunt, sed sine comparatione graviora et molestiora, quæ timebuntur futura. Nam cum ingenti pavore ac trepidatione expectabunt, quid tandem pariant monstra tam nova, et quem exitum habebunt, tam horrenda principia: et interim mala futura præsentia sua formidine metientur. Hic verba desunt, auditores, nec inveniri oratio potest, qua res tanta ita ut est, et pro dignitate declaretur. Qui per mare aliquando iter fecerunt, et vim nimborum, ac procellæ experti sunt, intelligent ac probabunt profecto quæ dicam. Cum in mari aliqua tempestas exoritur, et navem insani fluctus jactare incipiunt, simul atque homines, qui in ea sunt, caput attollunt, et cœlum crebris ignibus micare, et horrendis fragoribus concuti, nec non ventorum furentium impetu mare totum a suis sedibus commoveri, et se nunc in summis fluctibus pendere, nunc ad abyssum descendere animadvertunt, confestim plorare, pavere, trepidare, misericordiam implorare, vota multiplicare, tempus

pœnitentiæ postulare, omnibus sanctis salutem suam commendare, denique de morum correctione cogitare ac proponere meliora incipiunt. Cogita igitur, quo animo tunc homines erunt, cum et cœlum, et terra et omnia elementa suam ac propriam tempestatem excitabunt : cum sol horrendis tenebris horrorem incutiet, et luna in sanguinem conversa, juxta prophetæ vaticinium, intuentes perterrebit : et stellæ suis casibus minabuntur; cadent enim creberrimæ, ut cœlum omne cæcum sine ullis luminibus appareat, et aer assiduis coruscationibus micabit, et frequentibus fragoribus immugiet, et mare ferociens, atque insaniens in immensum excrescet, et montes altissimi, terræmotibus concussi cum ingenti sonitu concidant. Quis tunc edere, quis bibere, quis dormire, quis vel minimam quietem capere, inter tot procellas et tempestates, audebit? O miseros atque infortunatos homines peccatores, quorum capitibus hæc omnia signa mortem et extremam calamitatem portendunt! O illos felices, et ter et quater et decies ac millies beatos, quos conscientia recte sanctorum lætos ac securos efficiet? Eadem enim prodigia, et malis hiemem ac procellas, et bonis æstatem ac serenitatem adesse significabunt. Illis initia dolorum; istis principia gaudiorum erunt. O quam lætis vocibus cum Propheta cantabunt: *Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris?* Hos enim dulcissimis illis verbis Dominus consolabitur: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.* O qualem voluptatem percipient ex omnibus operibus bonis, quorum sibi conscii erunt! O quam jucunde jejunia, eleemosynæ, orationes et alia id genus opera, ad mentem venient! et fructus pœnitentiæ, qui nunc tam amari videntur, o quam suaves tunc et amœni videbuntur! Contra vero, iniquos et sceleratos homines omnium operum suorum pœnitebit, et gaudium eorum in luctum, et risus in fletum, et mellis dulcedo in fellis amaritudinem, et omnis voluptas præterita in dolorem ac tristitiam convertetur.

PARS SECUNDA.

Nonnulli quibus ea oratio, quam de morte habuimus, aliquid emolumenti attulisse visa est, mihi significarunt, rem me cum Deo gratam, tunc auditoribus utilem facturum, si de aliis quoque novissimis verba facerem. Quatuor ea sunt, ut nostis, mors, judicium, cruciatus gehennæ et gloria beatorum. Ego vero horum consilio libentissime acquievi, quod viderem non solum utile, sed etiam tempori accommodum esse de novissimis disputare. Est enim hoc tempus Parasceve ad Natalem Domini celebrandum; qua re autem melius præparari poterimus, quam memoriæ et cogitatione novissimorum? Novissima enim attente et diligenter cogitata timorem sanctum in animis inferunt, a peccatis avocant, in officio continent, torporem expellunt, diligentiam excitant, vigilantem denique et solertem suum contemplatorem efficiunt. Utilitas vero, quæ ex cogitatione ac memoria extremi judicii capi potest, tanta est, auditores, ut non alia de causa Ecclesia mater nostra Evangelium, in quo de judicio disputatur, non semel aut bis sicut cæteras historias Evangelicas, sed sæpius nobis proponat. Nam et hac die dominica et præcedente et feria secunda post primam dominicam quadragesimæ, et rursus cum parabolam zizaniorum vel sagenæ missæ in mare, vel alias nonnullas in sacris missarum solemniis legendas assumit, semper nobis judicii diem in memoriam revocat. Vere enim B. Ambrosius ad virginem lapsam scribens ait, si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate gravaretur. Et B. Augustinus affirmat, si nullum aliud Evangelium Christiani homines audirent, quam illud, in quo judicii prædicatio continetur, illud unum satis posse, et perversos a sceleribus abstrahere et abstractos in officios continere. Sed tamen, sicut cum de morte agerem, admonuisse me memini, in audiendo parum, in meditando multum fructus atque emolumentum positum est. Ut igitur nostræ narrationis seriem prosequamur, hactenus et magnitudinem ultimæ illius diei, et signa præcedentia explicuimus, nunc de mortuorum resurrectione et judicis adventu, quod unum superest, breviter dicamus.

Post illæ igitur signa et prodigia, quæ diem

Domini præcedent, archangelus de cœlo descendet ut apostolus Paulus ad Thessalonicenses scribens testatur, et horrendo sonitu tubæ signum dabit mortuis omnibus, ut resurgant, et ad iudicium Dei convenient. Hæc est illa tuba, quam beatus pater Hieronymus sive comederet, sive biberet, semper se audire putabat. Et merito. Quis enim ab hac citatione appellare, quis hoc iudicium recusare, quis morbum aut negotium aut aliam causam prætexere poterit? Tunc igitur mors omnia spolia, quæ mundo abstulerat, in momento reddere compelletur, et ipsa ultra omnes terras, et omnia maria, ultra mundum et fines omnium viventium in æternum exilium relegabitur. Nam ut beatus Joannes in Apocalypsi refert, tunc mare mortuos, quos absorberat reddet, et mors atque infernus similiter facient. Quale igitur spectaculum erit, cum terra, et mare tot corpora, tam dissimilia, tam differentia, tam disparia ubique parturient et cum ad unum atque eundem locum, tot exercitus ex omni orbe terrarum concurrent? Siquidem in eo loco parens omnium gentium Adam omnem suam posteritatem in unum convenisse mirabitur. Ibi Xerxes, Darios, Alexandros, Cæsares et alios orbis monarchas intuebimur; sed tamen alium habitum, alios mores et aliam omnino mentem, quam cum hic viverent, præ se ferentes. Ut enim Beatus Hieronymus ait: « Tunc ad vocem tubæ pavebit terra, cum populis lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole sua Venus: Tunc ignitus Jupiter adducetur; et cum suis stultus Plato discipulis, Aristoteli argumenta non proderunt. »

Cæterum quamquam omnes homines ad vitam revocabuntur, multum tamen intererit inter corpora, quæ sanctis hominibus restituentur, et quæ improbi ac scelerati recipient. Illa enim sole clariora et pulchriora incredibili luce fulgebunt; ista autem fœdissima, teterrima, et ipsa morte horribiliora erunt. Qua, quæso, voluptate beatæ mentes afficientur, cum suis corporibus, quasi dulcissimis fratribus, post exilium tam longum iterum conjungentur, separationis metum nullum amplius in omnem æternitatem habituræ. Quid, obsecro, sentiet caro, cum ex pulvere excitabitur, et insolitam lucem accipiet? Ei animus occurret ac dicet: Soror et sponsa jucundissima

salve: *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, surge, amica mea, et veni*, implevit Deus desiderium nostrum. Tu comes itinerum et laborum meorum fuisti: tu mecum persecutiones et injurias propter Deum pertulisti: tu jejuniorum et vigiliarum laborem, tu crucem pœnitentiæ, tu victus difficultatem, tu rerum omnium inopiam mecum superasti. Quam sæpe tibi cibum ac potum ut Dominum in pauperibus aleres, eripuisti? quam sæpe vestes, ut nudum Dominum vestires, tibi ipsi detraxisti? Æquitas igitur ac ratio postulat, ut quæ mecum in lacrymis seminasti, mecum etiam in exultatione metas. Et quæ in laboribus comes fuisti, in voluptatibus etiam comes efficiaris, et partem harum divitiarum, et gloriæ modo recipias, quæ mihi, ut eas lucrarer, adjumento fuisti. Tunc igitur animus carnem, et caro animum dulciter complectetur, et felicissimis atque indissolubilibus nexibus simul colligabuntur. Et o quam lætis vocibus cantabunt: *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum*. Et vere in unum; nec enim deinceps appetitio cum voluntate, nec sensus cum ratione pugnabit; sed pacis ac consensionis perpetuæ fœdere copulati cœlestibus deliciis et gaudiis æternis perfruentur. At contra qua cruce torquebitur animus peccatoris, cum ei corpus illud obscurum, grave, deforme, squalidum atque horridum offerretur? Quibus verbis existimatis se mutuo salutabunt? O corpus infelix, animus dicet, tu initium ac finis calamitatis meæ: tu me ad hæc supplicia tuis lenociniis pertraxisti et modo non quasi in domum, in qua quiescam, sed velut in carcerem, in quo torquear, in te iterum vel invitus ingredi cogor. Hæccine est illa caro, propter quam tam sæpe comessionibus et ebrietatibus operam dedi? Propter quam tot fornicationes, tot sacrilegia, tot adulteria perpetravi? Hæccine est illa facies, quam tanto studio a sole ne nigresceret defendebam? O palatum infelicissimum! propter te ego terras ac maria fatigabam. O venter infortunate! et quomodo tam stultus fui, ut te pro Deo venerarer, et colerem. Ergone propter istum abjectissimum truncum, propter hanc omnium sordium et immunditiarum fœdissimam sentinam, regnum cœlorum amisi et supplicia sempiterna mihi ipsi comparavi? O furia! O spiritus Tartarei, quid moramini? cur me non discerpitis? cur ad nihilum me non redigitis? Hæc igitur atque alia generis ejus:

dem, tunc animus in carnem suam cum ingenti rabie atque odio dicturus est : quam tamen dum hic in terris in illa moraretur, usque adeo diligebat, ut illam tamquam deam ac dominam suam coleret, atque ut ejus libidinibus satisfaceret, Dei legem ac præcepta frangere et violare non vereretur.

Postea vero quam omnes resurrexerint, et in loco, quem Dominus ad hanc judicii celebritatem designaverit, congregati fuerint tunc apparebit in nubibus cœli cum potestate magna et majestate is quem Deus judicem vivorum ac mortuorum constituit. Neque solus veniet, sed innumerabili multitudine cœlestium principum undique stipatus. Metus vero, qui ab ea majestate proficiscetur, tantus erit, ut Isaias Propheta dicat : *Ingradientur scissuras petrarum et in cavernas saxorum, et in voragine terræ a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Apostolus autem Joannes addit et dicit : *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit cœlum et terra, et locus non est inventus eis.* Quamobrem, obsecro, fugitis, o cœlum et terra ? cur abscondimini ? cur formidatis ? Quid in Deum atque effectorem vestrum peccastis ? Tu terra nonne semper herbas virentes ut tibi fuerat imperatum protulisti ? Et tu cœlum, nonne in orbem agi jussum, nec ad momentum unquam quievisti ? Sed fortasse nomine cœli ac terræ Angelos atque homines sanctos divinæ litteræ intelligi voluerunt. Quid igitur vos, o divini spiritus, et mentes beatissimæ trepidatis ? quid egistis ? quid peccastis ? cur fugitis ? cur timetis ? Nimirum, auditores, non ideo formidabunt, quod sibi ab aliqua pœna aut supplicio pertimescant ; sed quemadmodum, cum Oceani fluctus intumescunt, atque insaniunt, etiam ii trepidare solent, qui in littore constituti nihil detrimenti pati possunt, sic cum Deus iram atque indignationem suam in homines impios effundere cœperit, sancti quoque, quibus nihil periculi imminebit, quodammodo trepidabunt. Sed si sancti pavebunt, quomodo impii non pavebunt ? *Si cœli columnæ contremiscent, quid ligna putrefacta atque arida factura sunt ?*

Equidem, auditores, simul atque Deus apparuerit, et fronte, oculis, superciliis, vultu denique toto iram atque indignationem suam ostenderit, continuo fragor et ululatus magnus in populis excitabitur. Tunc enim, ut ipse Dominus ait, *Plangent omnes tribus ter-*

ræ. Aspicient enim in eum quem confixerunt, et plangent cum planctu quasi super unigenitum et dolebunt super eum sicut doleri solei in morte primogeniti. Et o quam multas causas plorandi, et ejulandi miseri atque infelices habebunt. Plorabunt, quia remedium nullum suis malis inveniri posse videbunt. Plorabunt quia pœnitentiam jam nimis seram, et infructuosam esse cognoscent. Plorabunt, quia nec a sententia Dei appellare, nec judicium imminens fugere poterunt. Et tamen judicio interesse, et sententiam æternæ damnationis audire, intolerabile illis videbitur. Plorabunt, quia dum hic in terris viverent, bene monentes contempserunt. Plorabunt, quia voluptates, quæ velut umbra transierunt, immortales dolores, et nunquam finiendos cruciatus illis pepererunt. Denique ut ab omnibus partibus obsessi, et in angustias inexplicabiles redacti, omnis consilii et auxilii inopes, plorabunt quia nec plorando et petus ac faciem lacerando se quicquam proficere animadvertent. Nec tamen his gemitibus et clamoribus judex ullo modo commovebitur ; sed potius plorantes a gaudentibus hoc est, impios a piis *Separabit, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet pios quidem a dextris suis, impios autem a sinistris.*

Continuo autem singulorum causæ discuti incipient, neque periculum erit, ne alicujus delicti Deus non recordetur. Si quidem omnia in libros relata videbimus, et ex libris illis omnes homines judicabuntur. Et *vidi* (inquit Evangelista Joannes) *mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erunt in libris, secundum opera ipsorum.* Itaque, auditores, omnia opera nostra in libros referuntur. Vixdum fornicationem animo perpetrasti, cum in libro Dei scriptum id flagitium invenitur. Et quidnam, obsecro, in libris istis scribi existimatis ? Numquid sola sacrilegia et parricidia et perjuria et cætera crimina ejusdem generis ? Decipitur, qui sibi hoc persuadet. Nam et cogitationes impuræ et verba otiosa et risus immoderatus : nec ista solum, sed etiam opera bona ommissa, vel non ad finem bonum relata, in judicium adducentur. Tu fortasse dicturus es, non pejeravi, neque ebrius fui. Respondit vero judex, ac dicet : At filius tuus pejeravit, famulus tuus ebrius fuit, cur id fieri non prohibuisti ? Cur remedium nullum adhibuisti ? Atque idem de cæteris vitiis intelligi

volo. Tanta est enim sublimitas Christianæ integritatis ac puritatis, ut nullum nec minimum vitium Christianis hominibus permittatur.

Sed si hæc ita se habent, undenam, obsecro, in nobis, qui ista verissima et certissima esse non dubitamus, tanta dissolutio, tanta incuria, tantus torpor existit? Unde securitatem concipimus? Unde nobis blandimur, tam severo judicio nostris capitibus imminente? Quid, quæso, in causa est, ut quibus timendum est, non timeant, et qui vix rationem ullam timendi habent, ii maxime timent? Sanctus erat Propheta David, et tamen ita hoc judicium formidabat, ut diceret: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Sanctus erat Apostolus Paulus, et tamen ait: *Nihil mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Idem enim est, ac si apertius dixisset: Ideo me justum pronuntiare non audeo, quia qui judicat me Dominus est. Siquidem oculi Domini ejusmodi sunt, ut stellæ non sint mundæ coram eis: et ibi sæpe reperiant pravitatem ubi nos nihil nisi sanctitatem videbamus. Denique sanctus erat, ut cæteros omittamus et Dei amicus Job, et tamen dicebat: *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit quid respondebo illi?* Quæ verba, auditores, quam pavidum cor, et metu plenum nobis demonstrant? *Quid, inquit, faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* Una me cogitatio me affligit, clavus unus infixus inhæret cordi meo, qui mihi minimam quietem capere non permittit. Quid agam? quid loquar? Quo ibo? Quid consilii capiam? cum mecum in judicio Deus contendere voluerit? Cur, quæso, vir iste Dei ore laudatus, et tam justus ac simplex, ut dicere sine mendacio posset: *Oculus fui cæco et pes claudus, et item: Non me reprehendit cor meum in omni vita mea;* cur, inquam tam singularis innocentiae vir, ita Dei judicium reformidat? Nempe, quia novit Deum non oculos carneos habere, et longe aliter judicare, quam homines judicant. Quod ut adhuc planius fiat, historiam non minus veram, quam formidabilem narrabo.

Beatus pater Joannes Climacus monachum quemdam nomine Stephanum virum fuisse refert tantæ sanctitatis atque innocentiae, ut leopardum ferocem alioqui et immitem feram, quasi catellum mitissimum aleret. Is

igitur cum annos circiter quadraginta in eremo vixisset, jejuniis, lacrymis, orationibus aliisque virtutum operibus ornatus, cordis puritati assidue studuisset, ad exitum pervenit; cum autem in extremo illo agone constitutus a Dæmonibus multorum criminum reus fieret, repente obstupuit animo, et apertis oculis nunc ad dexteram, nunc ad sinistram lectuli partem se convertebat, et quasi ab eo vitæ præteritæ ratio exigeretur, clara voce respondebat, aliquando quidem: Ita sane, revera ita est; sed pœnitentia et lacrymis crimen dilui; aliquando vero: non est ita, mentimini, hoc ego non feci. Deinde rursum: verum loquimini, sed fleui, sed ministravi. In quibusdam tamen aliquando aiebat, vere me accusatis, et quid respondeam non habeo. Atque ita obiit, ambiguum omnino relinquens, salvusne an reprobus esset. Jam igitur si vir tantus, qui annos circiter quadraginta in eremo vixit, et sibimet omnibus deliciis interdictis soli Deo vacavit, et adhuc signis et prodigiis claruit, aliquid tamen sibi a dæmonibus objici audivit, de quo rationem reddere non posset, quid nobis accidet, in illo severo judicio, ubi Deus scrutabitur *Jerusalem in lucernis?* Equidem, auditores, qui rem istam attente et serio cogitaret, non dubito quin eo admirationis ac stuporis deveniret, ut somnum omitteret, et cibi ac potus oblivisceretur.

Cæterum omnium hominum causis diligentissime et accuratissime discussis, proferet judex in impios æternæ damnationis irrevocabilem sententiam. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* O verbum asperum, quod qui audierit, tinnient ambæ aures ejus. O sententia intolerabilis, quæ omni bono spoliatis, et omne malum adducis. Maledixit aliquando ficulneæ Dominus, et continuo non modo folia, sed et truncus et radices penitus aruerunt. Nec minus efficax erit illa ultimæ diei formidabilis maledictio. Nam super quos ceciderit, eos velut grando quædam aduret, et usque adeo humore gratiæ divinæ destitutos relinquet, ut nunquam amplius boni aliquid, vel agere, vel loqui vel cogitare vel sperare possint. Tunc igitur impii sententiæ hujusmodi fulmine percussi montibus dicent, *Cadite super nos; et collibus, operite nos.* Tunc ponent in cælum os suum, et immanes blasphemias in Deum judicem evoment. Tunc maledicent diei, et horæ, in qua nati sunt, et parentibus qui

eos genuerunt, et uberibus quæ eos aluerunt, et aeri, quem spiraverunt, et terræ quam calcaverunt. Sed non diutius in præsentem judicem hæc dicere eis licebit : Repente enim spiritus Domini involvet eos, et in abyssum magno impetu præcipitabit, id quod his verbis in Apocalypsi refert Evangelista Joannes : *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens, hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non inveniatur : et claudetur abyssus portis æris et repagulis ferreis, quæ nulla vi perrumpi et nulla arte reserari poterunt. Ibi autem bibent de calice iræ Domini, et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum : nec habebunt requiem die ac nocte.* Justi ex adverso plenæ beatitudinis et gloriæ sempiternæ compotes effecti, in laudes Domini et gratiarum actiones ora reserabunt, et cum cantu et lætitia Dominum atque imperatorem suum ad cœli gaudia revertentem prosequuntur, et comitabuntur et cum eo sine fine regnabunt, et bonis cœlestibus ac sempiternis perfruentur. Et quinam erunt, Domine Deus, quibus sors tam beata continget? si tribulationes pati necesse est, hic tunde verberibus, hic flagellis afflige, hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.

Verum nos, auditores, usquequo hæc de judicio litteræ sacræ nos docent, tamquam aniles fabulas vel historias nihil ad nos pertinentes, audiemus? Si vera sunt, si negari non possunt, si nostra res agitur, si periculum magnum omnibus imminet, ne in æternum pereamus, cur non excitamur, antequam mortis nocte ac tenebris obruamur? Cur, qui tempus habemus, tempus expectamus? Percipite, quæso, quæ dico, et animus vestris mentibusque mandate. Solent in quibusdam regionibus iis, qui doctoratus laurea donandi sunt quæstiones quædam explicandæ assignari, et spatium temporis, horis quatuor et viginti definiri. Quæ cum ita sint, nonne stultissimi essent, si suis quæstionibus prætermisissis, aliis studiis et negotiis illo ipso tempore operam darent? Essent plane : et idcirco hoc illi intelligentes, sese in cubiculis claudunt, et parum, aut nihil cibi

et somni capientes illis suis quæstionibus totos se dedunt. Et si forte ad eos familiares accedant, et ad convivium, ad venationem, ad piscationem, ad alia oblectamenta invitent, cum stomacho illis respondent, cras lauream doctoratus capere vel infamia insigni notari necesse est, et quæstiones mihi difficilimæ propositæ sunt et spatium temporis brevissimum conceditur et audetis me a studio et meditatione avocare? Sic illi respondentis : quia *Prudentiores sunt filii hujus sæculi filiis lucis in generatione sua.* Discamus igitur vel saltem ab illis, tametsi potius illi a nobis discere prudentiam debuerunt. Cogitemus diem illum, in quo coram Deo et angelis et omni orbe terrarum ad quæstiones difficillimas respondendum erit, et vel corona gloriæ decorandi vel ignominia infinita afficiendi erimus. Cogitemus nobis temporis spatium omnino breve præscriptum et definitum esse, quod cur, quæso, totum in Cicerone et Aristotele evolvendo terimus? O insipientia! O tenebræ filiorum Adam! Omne studium, omnem curam, omnem ætatem ponimus in rerum natura perscrutanda et cursu siderum investigando, de quibus in judicio non interrogabimur, et virtutum atque operum bonorum rationem nullam habemus : a quibus tamen gloria, vel ignominia sempiterna dependet. Non reprehendo rerum cognitionem et studia litterarum : sed nimiam in iis sollicitudinem et nimium in virtutibus et operibus bonis torporem vitupero. Claudamus igitur nos in cubiculis cordium nostrorum, atque ibi serio aliquando statuamus, inanes nugas omittendas esse, et in ea totis viribus incumbendum, de quibus judici nostro rationem reddere nos oportebit ; carni autem et mundo ad inania lucra et falsos honores et fallaces delicias nos invitantibus, libere respondeamus, ad ea nobis tempus non suppetere, judicium nimirum severum imminere, non esse pro brevibus et caducis æternorum jacturam faciendam. Quod si fecerimus, et in morte securi et judicio parati inveniatur ut respondeamus ei, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO III.

DE CRUCIATIBUS GEHENNÆ

SYNOPSIS

Loco exordii duorum magnorum malorum tres assignantur causæ : primum malum, quod tam multi inveniantur infideles : alterum quod fideles ipsi tam libere peccent. Causæ hujus rei sunt, prima inconsideratio, secunda ignorantia gravitatis peccati (quam ex offensi dignitate, remedii præsentia et proposita pœna meliendam esse docetur) tertia phantasia, quæ plurimos in errores induxit; cui tamen occurritur, considerando, quam severe Deus in Angelos, imo in ipsum Filium aliorum peccata animadverterit. Obviatur stupidæ quarundam interrogationi de pœnarum gehennæ certitudine, per rationem et apologum vulpis vestigia non redeuntia considerantis. Deinde ad pœnam gehennæ descenditur, quæ duplex a theologis statuitur : pœna damni et pœna sensus ; atque in primis de pœna damni agitur, quæ sine comparatione major exili pœna apud Romanos. Quanta præterea pœna sit summi boni amisso, testimonio S. Chrysostomo ac similitudine pueri plebeicæ sortis in regnum substituendi, sed pædagogii monita negligentis, dilucida amplificatione accommodata, demonstratur. Graphice insuper depingitur pœna sensuum, et primo quidem internorum, uti sunt phantasia, memoria, intelligentia et voluntas, quomodo nimirum singuli sint excruciantur; damnatorum etiam miser discursus et horrenda blasphemia finem primæ parti addunt.

Præmissa in secunda parte visione Jeremiæ, eaque breviter explicata, ostenditur a contrario generalem omnium membrorum cruciatum futurum; ac deinde singillatim de sensibus

externis agitur. Atque in primis quomodo oculi terribili dæmonum aspectu et personarum præsentia, quæ quoquo modo causa peccati fuerunt, affligentur, exemplis declaratur; ubi serio juventulis seductores taxantur. Aurium tormentis adducuntur, et Syllæ dictatoris crudeli facto exaggerantur. Modus pœnarum sensus olfactus per historiam 4996 Martyrum in uno carcere inclusorum atque auctoritate Virgilii adumbratur, Cruciatu gustus ex divite epulone guttam aquæ flagrantis probatur. Sensum tactus intolerabili frigori et calore esse cruciandum. Pœna, eaque perpetua, qua membra singula sunt affligenda, particulatim explicatur: et quomodo æternitas altius consideranda sit, epilogus brevi dictorum anacephalæosi comprehendit.

Duo sunt, auditores optimi, quæ mihi de initiis et progressu Christianæ religionis cogitanti, et memoria signa et prodigia nostri liberatoris repetenti, maxime admiranda ac pene incredibilia videri solent. Unum, inveniri aliquos, qui nostram sanctissimam fidem amplecti recusent: alterum eos peccare audere, qui eam fidem susceperunt. Nam quis non miretur, post fidei nostræ prædicationem, et prophetarum vaticiniis promissam, tanta populorum consensione susceptam, tanto miraculorum numero fundatam, spe nutritam, charitate auctam, antiquitate roboratam, Episcoporum successione confirmatam, ipsa denique Romanæ Ecclesiæ auctoritate munitam, adhuc aliquos reperiri quibus Catholica Christi doctrina minus probetur, et novarum sectarum auctoribus magistrique errorum nomina dare non verentur? Quis item audiens, credidisse nonnullos, iis, qui Dei legem violaverint, æterna

supplicia esse proposita, et tamen eos ipsos, qui id crediderunt, summa facilitate atque audacia in Deum peccare, non obstupescat? Etenim si edicto regis cautum esset, ne quis certa hora portas civitatis egrederetur, suspendio proposito, quis ita stultus et suæ salutis negligens inveniretur, qui ea ipsa hora coram multis testibus pedem extra portam efferre tentaret? Et si forte causa aliqua id faceret, nonne postea non solum testes, sed portam etiam ipsam tamquam patrati criminis consciam pertimesceret? Unde igitur fieri dicemus, ut cum Christianis omnibus jam persuasum sit, Deum Optimum Maximum irrevocabili sententia statuisset, ut qui legis ipsius violatæ reus diem extremum clausisset, æternis vinculis reus alligetur, et suppliciis inexplicabilibus sine ullo fine torquetur; nihilominus tam multos quotidie videamus, qui nec compulsus, nec rogatus sæpe etiam nec invitati, sponte sua et libera voluntate, ac libenti animo Deum offendant; quin etiam occasiones quærant peccandi, et inventis gaudeant, doleant non inventis?

Mihi quidem, auditores, hujus rei tres præcipuæ causæ esse videntur, inconsideratio, ignorantia, et amor suiipsius, quem Græci φιλαυτίαν commodius, et significantius dicunt. Etenim inconsideratio non minima causa, imo fortasse præcipua ratio est, cur nos a peccando non revocet periculum, quod nobis omnibus impendit, cruciatuum sempiternorum. Nec enim permultis fides deest; sed attenta diligensque consideratio eorum, quæ fides proponit ac docet, maxime deest. Quocirca rem Deo gratissimam et vobis utilissimam me facturum existimaui si quemadmodum concione superiori promisi, hodie vobis ad memoriam revocem et in ipsis prope oculis ponam quam horribilia, quam atrociora, quam diuturna supplicia impiis sceleratisque hominibus Deus paraverit. Sed antea tamen, quam de gehennæ cruciatibus dicere incipiam, duæ illæ reliquæ causæ, quas paulo ante commemoravi refellendæ sunt.

Initio igitur quia peccati gravitatem et magnitudinem ignoramus, propterea vix adduci possumus, ut credamus, cruciatus gehennæ tales esse, quales sacræ litteræ nefariis hominibus comminantur. Quod his verbis D. Augustinus affirmat: « Sed ideo, inquit, pœna æterna dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate

moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ purissimæque sapientiæ, quo possit sentiri, quantum nefas in illa prima prævaricatione commissum sit ». Profecto enim si culpæ gravitatem intelligeremus, de pœnarum acerbitate minime dubitaremus. Vultis autem ut uno verbo dicam quanta sit gravitas peccati? Tanta est, auditores, quantam animus noster complecti nullo modo potest. Nam vires humanæ mentis exuperat, et omnem mortalium intelligentiam vincit: si enim offensionis magnitudinem ipsius offensi dignitate ac nobilitate metiri oportet, certe peccatum, quod infinitam dignitatem nobilitatemque lædit, malum infinitum atque immensum erit. Denique quam periculosus, et quam gravis sit morbus peccati, ex ipsius medici, et medicamentorum, quæ ad ipsum curandum necessaria sunt, præstantia ac dignitate cognosces. Cum enim aliquem ita ægrotare audimus, ut iis medicis, qui in urbe sunt, non contentus, undique peritissimos medicos, et ex distantissimis locis accersat, et medicamentis exquisitissimis, et maximis sumptibus comparatis opus habeat, nos quoque, qui medici non sumus, gravissimo aliquo morbi genere hominem illum laborare asserimus. Quid igitur de peccati morbo cogitare debemus, quem omnium angelorum atque hominum sapientia, ingenium, potentia, vires, curare nunquam potuissent? Et plane genus humanum totum morbus ille ad interitum perduxisset, nisi ex ipso sinu Patris Dei sapientia descendisset, et medicinam exquisitissimam ex ipso sui corporis dignissimi sanguine confecisset. Certe, auditores, quando nullum aliud argumentum ad gravitatem peccati demonstrandam haberemus, hoc unum tale est, ut plane omnibus persuadere possit, quamlibet culpam in Deum admissam scelus esse tam immane, ut de pœna ei culpæ debita jure optimo dicere possimus: Oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt supplicia, ac tormenta, quæ præparavit Deus offendentibus se. Cur enim Deus, cui ipsa sapientia est, et homo fieri, et in crucem agi, et mori voluisset, ut regnum peccati destrueret, nisi res magnas, et creatas vires exuperans exterminatio peccati fuisset? Hæc igitur si aliquando cogitarem non ita faciles ad peccandum essemus, et de gehennæ cruciatibus multo aliter sentiremus. Sed jam ad alteram causam nostri torporis veniamus.

Amor suiipsius, execrabilisque philautia, mirum est, auditores, quamdam vim habeat ad persuadendum. Est enim tam blanda conciliatrix, et quasi suadela potens natura, ut ejus suasu plerique omnes facile credant quamquam improbe et scelerate vivant, tamen aut nullas, aut breves et exiguas pœnas se duros. Hinc enim primum orta est illa sententia quorundam Philosophorum, qui ut Aristoteles scriptum reliquit, res præclare gestas sibi ipsis tribuebant, et earum auctores se credi, atque haberi cupiebant: flagitiorum autem et scelerum, quæ interdum committebant, omnem culpam in externam quamdam causam rejiciebant. Itaque si bene aliquid egissent, præmiis affici; si male, pœnam luere nullam volebant. Porro ex eadem radice Christianorum etiam scriptorum illi errores pullularunt, quos lib. XII de Civit. Dei D. Augustinus et commemorat et refellit. Alii enim nullas esse pœnas æternas Christianis Catholicis, licet corrupte viventibus, paratas, crediderunt: alii non solum catholicos, sed Hæreticos etiam, qui cum catholici aliquando fuissent, a pœnis æternis suis sententiis liberaverunt, alii nullum Sacramento baptismatis initiatum, sive Catholicum sive Hæreticum, æternis suppliciis adduci posse asseruerunt. Alii progressi longius, homines omnes sive Christiani, sive Judæi, sive Ethnici sint, extremo judicio salvandos esse, vel suis ipsorum meritis et aliorum patrocínio et suffragiis putaverunt. Alii denique non hominibus solum, sed dæmonibus quoque spem veniæ et salutis æternæ adeptionem promiserunt. Quos omnes quid nisi execrabilis philautia, ita male misericordes, et tam abjecte de cruciatibus gehennæ sentientes effecit? Quæ cum ita sint, mirum profecto nobis non debet esse, si hæc eadem philautia, his etiam nostris temporibus in nonnullis efficiat, ut difficile atque ægre in animos suos inducant, æternorum intolerabiliumque suppliciorum sibi periculum imminere, nec non ut stulte apud se ratiocinentur, ac dicant: Certe nunquam me Deus tam grandi pretio redemisset, et tanta propter me hic in terris pertulisset, si propter blasphemiam unam vel aliud aliquod crimen, æternis me carceribus mancipare in animo habuisset.

Verum occurrendum est, auditores, huic falsæ et perniciosæ opinioni, et quam debili fundamento innitatur demonstrandum. Quæro igitur a vobis si rex noster obscurum

aliquem hominem adamare incipiat, ad honores evehat, publicis muneribus ornet, denique arci totius imperii sui instructissimæ, ac pulcherrimæ illum præficiat; si is cum hostibus in regem suum conspiret, atque arcem suæ curæ commissam, in manus illorum venire patiatur: postea vero casu aliquo capi eum et ad suum regem adduci contingat quid regem facturum existimatis, num quia proditorem istum vehementer aliquando dilexit, de eo pœnas proditoribus debitas non sumet? Certe sumet et eo atrociores quo majora beneficia in illum ante contulerat. Sic igitur, tametsi Deus nos vehementer dilexit, cum Filium suum ad nos misit, et eum pro liberatione nostra tam multa pati ac tolerare voluit, tamen nihilo secius nos æternis cruciatibus puniet, si ad castra hostium transfugerimus, et arcem animæ nostræ dæmonibus prodiderimus. An est quisquam qui patriarchæ Joseph historiam vel non audierit vel non legerit? Is enim cum venditus a fratribus suis, atque in Ægyptum adductus fuisset emit eum princeps exercitus Pharaonis, et ita vehementer eum dilexit, ut omni domui illum præficeret, et omnium fortunarum suarum administrationem illi commiserit. Et tamen simul atque suspicari cœpit, ab eo conjugem suam sollicitatam de stupro fuisse, vehementissime commotus, non modo eum a præfectura domus deturbavit, sed etiam in teterrimum carcerem conjecit. Quid de damnatis Angelis dicemus? Nonne dæmonum princeps princeps angelorum fuit? Ita sane. Nam ut B. Gregorius, et eo multo antiquior Tertullianus, et alii permulti Ecclesiastici scriptores docent, primus et nobilissimus omnium Angelorum, atque adeo totius opificii divini præstantissima pars ille fuit, qui nunc humillimus, miserrimus et abjectissimus est. Hinc in sacris litteris nunc *Lucifer*, nunc *principium viarum Dei*, nunc *signaculum similitudinis*, *plenus sapientia et perfectus decore* nominatur. Atque de eo Ezechiel Propheta dicit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*. Et rursus: *Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus*. Et item: *Et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis quæ erant in paradiso Dei*. Jam igitur si præstantissimus, sapientissimus et maximus omnium Angelorum propter peccatum unum e cœlo exturbatus, et in abyssum præcipitatus fuit; unde nos cum in cœno innumerabilium pec-

catorum hæremus, de Dei nobis benevolentia et charitate blandimur? Quid? quod non Angelos modo, sed ipsum etiam Filium propter peccata Deus afflixit. Nihil est, auditores, quod Deus diligat vehementius, quam ipsum verum et naturalem Filium, et tamen cum is peccata nostra in humeros suos sustulit, et pro eis satisfacere se velle professus est, percussit eum Deus, et contrivit *In infirmitate*, ut Isaias Propheta loquitur, et eos dolores ac supplicia perferre eum voluit, quæ nemo unquam hominum hic in terris toleravit. Magnum ergo et implacabile Dei odium contra peccatum est, quando in ipso Filio, ita severe alienum scelus ulciscitur. Sed *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si Dominum ipsum omnium floribus ornatum, et omni gratia et decore spiritali virentem passionis flamma ex alienis sceleribus excitata, ita vehementer exussit, ut *Novissimum virorum et virum dolorum* illum efficeret; quid in lignis aridis, hoc est, in hominibus humore gratiæ et virtutum destitutis gehennæ fornax efficiet, quem tot flagitia, tot facinora, tot scelera succenderunt? Hæc igitur cum ita se habeant, dubitare, auditores, nullo modo debemus quin gehennæ supplicio inexplicabilia atque intolerabilia sint.

Sed adhuc tamen mihi videor audire nescio quem obstrepentem, ac dicentem: Equis unquam ex gehenna rediit, qui hæc vera esse renuntiaret? O stultam interrogationem. Imo propterea vehementius carcer ille est timendus, quod ex eo nullus unquam reverti potuerit. Si enim aliqui redirent, omnes sperare possent, se aliquando redituros. Nunc autem cum nullus unquam revertatur argumentum est, puteum illum tam profundum esse, ut nemo inde emergere possit. Quam prudentiam, si non aliunde, vel ab ipsis fabulis discamus. Eæ siquidem tradunt, vulpem cum multa ad leonem introeuntia, et nulla exeuntia vestigia cerneret, non dixisse apud se: Nemo redit, qui periculum aliquod apud leonem esse renunciet, nihil igitur apud eum periculi erit. Hoc, inquam, eam dixisse non tradunt; sed contra, propterea vehementer ad leonem accedere timuisse, quod multa animantia ad ipsum proficisci, et nulla inde reverti cernebat. Quid? quod multi ad vitam divina ope revocati sunt, qui et verbis et factis magnitudinem earum poenarum non modo non explicari, sed neque cogitari a

nobis posse testati sunt? De quibus multa Beatus Gregorius, Joannes Climacus et alii nonnulli sancti et eruditi homines retulerunt.

Venio nunc ad illud quod est proprium orationis nostræ. Quemadmodum in peccato quolibet duæ perversitates reperiuntur, aversio a summo et increato bono, et conversio ad bonum exiguum et creatum; sic in pœna, quæ ei culpæ respondet, duo dolores reperiuntur. Unus, qui ex amissione sempiternæ beatitudinis, alter, qui ex suppliciis et tormentis, quæ corpori et animo inferentur, oritur. Quos duos cruciatus, pœnam damni et pœnam sensus theologi vocant.

Ac ut de amissione felicitatis, quæ pœna gravior, prius dicamus: Nulla potest, auditores, pœna tam immanis, aut fingi aut cogitari, quæ a jactura summi boni non vincatur. Etenim si ignis ardor corpori admotus ita cruciat, ut tolerari non possit, cum tamen solum auferat bonam corporis constitutionem et naturale temperamentum, quod bonum omnino modicum et exiguum est, quam vehementer torquebit illa avulsio ac separatio a Deo, cujus solus conspectus tantum est bonum, ut repente beatum ac felicem hominem efficiat? Supplicium ingens ac pene omnium gravissimum, Romanis civibus videbatur, cum propter maxima aliqua crimina ab urbe abesse et civium conspectu privari, et in insulis quibusdam semidesertis inter barbaros habitare cogebantur. Quocirca Marcus Tullius, cum ab exilio revocatus quasi novum orbem ingressus esset, et cœlum cum terra commutasset, stupefactus aiebat: Quæ species Italiæ? quæ celebritas oppidorum? quæ forma regionum? qui agri? quæ fruges? quæ pulchritudo urbis? quæ humanitas civium! quæ reipublicæ dignitas? quæ vestra majestas? Quantum igitur doloris percipiant ii, qui a cœli palatiis, a republica sanctorum, ab illis felicissimis regionibus, ubi regnat pax, charitas, tranquillitas, gaudium, ubi resonat vox laudis et exultationis, et perpetuam alleluia cantatur, ab illa denique purissima luce, quæ lætos ac beatos efficit intuentes abesse, et in teterrimis carceribus, et omnium sordium fœdissima sentina, *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, ubi nulla vox, nisi gementium et blasphemantium, ubi nullus sonus, nisi percutientium malleorum, et flagellorum audietur, cum dæmo-

nibus omnibus barbaris immanioribus, et cum omni scelestissimorum hominum coluvie perpetuo versari cogentur?

Sed video, quod nonnulli vitæ præsentis amatores dicturi sunt : Numquid in præsentiarum istis omnibus rebus, quas commemorasti, non caremus? Quis nostrum in cæli palatiis versatur? Quis illa luce purissima fruitur? Et numquid propter ea tristamur? numquid torquemur? Imo vero si nobis in corpore isto semper esse, et bonis præsentibus frui liceret numquid de bonis illis cœlestibus cogitaremus? Hæc est, auditores, communis imperitorum hominum deceptio, qui nesciunt nos post mortem alios oculos, et aliam rerum cogitationem atque intelligentiam habituros, quam nunc habemus. Quod B. Chrysostomus pulchre his verbis expressit : « Qui in gehenna uritur, et cœlorum regnum prorsus amittit. Quæ certe pœna major est, quam cruciatus ille flammaram. Novi autem, quia plerumque pertimescunt gehennam, ego tamen illius gloriæ amissionem multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium. Si vero id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim novimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discernimus, cum experimento cœperimus edoceri. Itaque tunc operientur oculi, tunc velamen auferretur, tunc cum ingenti dolore impii videbunt, quid inter bonum æternum et summum, et hæc fragilia et caduca discriminis sit. »

Ac ut rem istam quantum possumus illustremus, hanc, si placet, comparisonem accipite. Rex quidam potentissimus, cum filium nullum haberet, qui in regni administratione succederet, puerumque nescio quem elegantem et forma liberali, sed obscurum et tenuem, conspicatus aliquando fuisset, eum ad se vocari, et pædagogis instituendum tradi jussit : deinde in testamento scriptum reliquit, ut si puer ille, cum adoleverit, eruditus, sapiens, gravis, omni genere virtutum ornatus, et denique ad clavum reipublicæ regendum idoneus inveniatur, rex et princeps legitimus habeatur, atque in solio regum collocatus, diademate et sceptro insignitus, totius regni gubernacula suscipiat. Si secus eveniat tamquam omnium ignavissimus, catenis onustus ad triremes cum ignominia et dedecore, quo dignus est, eji-

ciatur. Continuo principis imperio ministri ejus obtemperant. Adducitur puer, pædagogis traditur, ut litteris et moribus imbuatur, diligentia adhibetur. Sed ille ab aliis puerulis illectus, nec quid secum ageretur intelligens, simul atque magister domo pedem extulerat, librum in inum angulum projiciebat, et diem totum in quibusdam domunculis ex fragmentis vasorum erigendis, et aliis puerilibus ludis conterebat. Circa vesperam pædagogus redibat, rationem lectionis exigebat, puerulus vix ubi librum reliquisset recordari poterat. Commotus pædagogus verberibus puerum efficiebat, pede domunculas ab illo fabricatas evertibat, eique dicebat : O si intelligere posses, quid istis tuis puerilibus oblectamentis amittas, et quantum tibi detrimenti negligentia in ediscendis litteris adferat ! Sed intelliges paulo post, quando istud intelligere nil proderit. Ille quod vere puer esset, propter verbera et objurgationem pædagogi flebat ; sed multo magis propter domunculæ eversionem. De verbis autem magistri, et regis testamento nihil cogitabat, quin etiam die sequenti verberum et objurgationis oblitus, iterum domunculam extruebat, et in suis consuetis ludis puerilibus occupabatur. Tandem cum adolevisset, et eum rudem atque imperitum, et omino ineptum ad regnum gubernandum regis voluntatis executores vidissent, coram eo primum regis testamentum legerunt, deinde vinculis alligatum ad triremes cum ignominia maxima expulerunt. Quid, obsecro, illum magis flevisse, quid acerbius tulisse existimatis, remigandi laborem an regni amissionem? Ego certe sic statuo, illum quod triremibus manciparetur, vehementissime doluisse : nec enim statum infeliciorem hinc in terris inveniri posse arbitror : siquidem nullius rei, qui sunt triremibus addicti, præterquam verberum copiam habent : tamen sine ulla dubitatione, multo gravius atque iniquius accepisse illum censeo, quod regni amplissimi et maximi honore spoliaretur. Quid enim miserius, quid infelicius dici aut cogitari potest, quam propter nugis pueriles regni pulcherrimi et nobilissimi jacturam fecisse? Hæc igitur parabola quem nostrum non tangit, auditores? Nos enim omnes dum hic in terris vivimus, pueri sumus : nihil altum sapimus, nihil sublime cogitamus : toti sumus in rebus ludicris et nugis puerilibus occupati. Quanta sollicitudine domos luteas extruimus? quæ nisi paulo

majores essent, in quo ab illis puerorum domunculis differrent? Sic etiam studia mercatorum, ambitiones clericorum et aulicorum, molitiones artificum, regum ac principum contentiones de civitatibus, de provinciis, de regnis: nec non lites privatorum de possessionibus, de stillicidiis, de limitibus nugæ sunt, sed paulo majores, quam illæ puerorum, et ideo, ut Augustinus ait, negotia nominantur. Sed tametsi hæc omnia, quæ commemoravi nugæ sint, si cum alterius vitæ negotiis comparentur; tamen ita plerosque occupatos tenent, ut de negotio regni cœlestis, quod unum, verum ac serium negotium est, cogitare non possint. Videt hæc pædagogus cœlestis, qui nos instituendos suscepit, ut ad regnum cœlorum capescendum idonei inveniamur, et nostras vices dolens clamare non cessat: *Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Deinde pede evertit domunculas. Sæpe enim consilia nostra eludit. Expectabat mercator navem onustam mercibus ex Oriente, et ecce audit naufragio facto merces omnes in Oceanum decidisse. Alius nescio quis, omnem spem suam in filio collocaverat, cum doctorem, canonicum, Pontificem brevi futurum confidebat: denique super ipsum altissimas cogitationum turres fabricabat, et ecce audit illum febriacula quadam correptum decubuisse, et post paucos dies extremum diem clausisse. Alius invitatus ad nuptias, ad optimum prandium, ad egregiam potationem se comparabat; et ecce in morbum incidit, et a vino abstinere, et inedia morbum curare cogitur. Quis, obsecro, nobis ista facit? Quis ita hominum consilia, et cogitationes eludit? Pædagogus noster, auditores, qui non quod nos oderit, sed quod vehementer diligit, hæc facit. Impedimenta enim abscindere cupit, quæ nos ad cœlum currentes retardant, et ne lectione cœlesti operam demus efficiunt. Verum nos puerorum vere iusipientium more eversionem domuncularum, facultatum terrenarum jacturam et cætera Domini verbera iniquo animo ferimus, et iterum ad easdem domunculas construendas aggredimur, et de regno cœlorum, ad quod per ista flagella vocamur, non cogitamus. Sed veniet, mihi credite, veniet tempus, quando per januam mortis alium orbem ingrediemur, et ibi statim viros atque adultos nos esse videbimus, nemo enim in illa nova regione puer inveniri po-

test. Nam omnes, cum hinc egrediuntur, in ipso itinere in viros commutantur. Ibi dicitur nobis: vobis quidem regnum cœlorum et pulcherima illa domicilia parata erant, si veræ sapientiæ dare operum voluissetis: sed quia pueri stulti esse voluistis, et pædagogi vocem atque admonitiones contempsistis, cum ignominia ac dedecore in tenebras exteriores projiciemini, ubi *Erit fletus et stridor dentium*, et alii crucialus ac supplicia sempiterna. Quid tunc dicturi sumus, auditores? Quid nobis tunc de istis domunculis, de istis ludicris honoribus, de istis puerilibus negotiis videbitur, quando solis luce clarius intuebimur bonorum inexplicabilium vere permanentium, et nunquam periturorum, propter umbras et somnia quædam jacturam nos fecisse? O cum quanto animi dolore tunc dicent homines peccatores: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Quid profuit per omnes terras et omnia maria discurrere, ut opes congregaremus? quid profuit in palatiis principum cum tanto labore versari, et tanta arte magnis honoribus, hoc est, terræ ac cineri adulari, ut honores aliquos assequeremur? Quid profuit ingenium torquere, et noctes integras vigilare, ut obscurissimos scriptores intelligere, et inde nescio quam auram captare possemus? Ecce enim hæc omnia tanquam umbra transierunt, et veros honores, veras divitias, veras voluptates, veram sapientiam, verum et summum et æternum bonum ignoravimus, et sine ulla spe recuperationis amisimus. Tantus erit hic dolor, auditores, ut quamquam certo sciant damnati omnes, sibi omnes aditus ad æterram beatitudinem interclusos, et chaos maximum inter ipsos et locum beatorum interpositum, tamen naturali desiderio impellente, ab illis vocibus cessare non poterunt: *Domine, Domine, aperi nobis: Domine, Domine, aperi nobis.* Noster igitur sapientissimus doctor Joannes Chrisostomus ait: intolerabilis quidem res est etiam gehenna: quis nesciat et supplicium illud esse horribile? Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beata illius gloriæ honore depelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo *Non novi vos*: atque argui, quod esurienti et sitiendi negaverimus cibum et potum. Est enim satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis pietatisque, nos tum aversantem videre, et illos totius tranquillitatis oculos ne-

quaquam nos aspicere sustinentes. Quid? quod summi boni jactura omnium aliorum bonorum jacturam secum adfert? Nec enim oculi damnatorum speciem ullam pulchram, nec aures eorum ullos dulces concentus, nec sensus olfaciendi odorem suavem, nec sensus gustandi saporem ullum jucundum, nec sensum tangendi quicquam amplius molle percipiet. Qui enim a Dei consortio semel excludetur, in Oceanum omnium calamitatum et ærumnarum sine ulla spe evasionis uno tempore demergetur. Atque hæc quidam de jactura summi boni habui quæ dicerem.

Nunc ad eum cruciatum veniamus, quem ideo pœnam sensum Theologi vocaverunt, quod sensibus et viribus, tam externis corporis, quam internis animæ admovendus sit. Ac ut de sensuum internorum supplicio prius dicamus: quatuor sunt, quæ ad rem propositam pertinent, animæ facultates, quæ miris in gehenna supplicii torquebuntur. Prima enim ea, quam Græci phantasiam, nos cogitationem dicere possumus. Secunda memoria. Tertia intelligentia. Postrema voluntas.

Cogitatio igitur cruciabitur vehementissima quadam comprehensione eorum tormentorum, in quibus tunc et corpus et animus versabuntur. Nam si nunc gravis aliquis dolor ita sibi cogitationem vindicat, ut homo non possit, etiam si maxime velit, de eo dolore non cogitare, quid gehennæ supplicia, quæ sine comparatione majora erunt, in animis damnatorum efficiunt? Et cogitatio igitur dolores acuet et dolores cogitationem excitabunt; et se mutuo ita fovebunt, ut nullum locum in animo, et corpore damnatorum quieti permittant. Istæ igitur erunt perpetuæ contemplationes eorum qui dum hic fructuose possent hæc meditari non voluerunt, et qui hic utilissimis cogitationibus tamquam fræno libidinum uti dedignantur, eas tunc ut crudelissimos carnifices patientur.

Deinde memoria non exigua etiam crux animis damnatorum erit, cum antiquæ felicitatis, et præteritarum voluptatum recordari incipiet, propter quas ad ea tormenta devenerunt. Tunc enim tandem intelligent, quanto sale aspersæ, et quam acri pipere conditæ illæ epulæ fuerint, quæ olim tam dulces illis videbantur. Sed multo etiam vehementius torquebuntur, cum voluptatum præteritarum brevitatem, cum præsentium dolorum æternitate comparabunt. Nam quis tam eruditus mathematicus inveniri posset,

qui nobis explicaret, quanto spatio tempus ab æternitate superetur? Quales igitur mugitus dabunt, et qualia suspiria ex imis præcordiis trahent, cum diligenter subductis rationibus, invenient, voluptates vix ad punctum temporis durasse, et velut umbram ac somnium præterisse: dolores autem finem et terminum nullum habituros?

Verum intelligentia, sicut facultas præstantior et perspicacior est, ita cruce intolerabiliore torquebitur. In hac facultate ille vermis existet, quem tam sæpe divinæ litteræ peccatoribus comminantur, cum aiunt: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Nam ut vermis ex ligno oritur, et ipsum lignum unde est ortus perpetuo rodit; sic iste vermis nascitur ex peccato, et cum peccato perpetuum bellum gerit. Nihil enim est aliud, quam perpetua quædam, et rabie ac desperatione plena pœnitentia, ac dolor, quem ex peccatis capiunt, cum intelligunt propter ea se regnum cœlorum amisisse, et illos inexplicabiles cruciatus incurrisse. In Genesi legimus, habuisse quondam Ægyptios septem annos tantæ fertilitatis atque abundantiae, ut loca, in quibus frumenta recondere, non haberent, deinde septem annos alios tantæ sterilitatis ac penuriæ, ut pecunias, agros, jumenta et seipsum pro frumento tradere cogerebantur. Quo tempore posteriore, quid explicare posset, quam vehementer eos pœnitebat, quod tam negligentes in conservando frumento fuissent, quando ejus copia eorum horrea redundabant? Et quod tempus futuræ penuriæ non providissent, quando frumentum diligenter servatum eos non modo ab inopia et fame liberasset, sed etiam ditissimos effecisset? Talis est vermis damnatorum, auditores, qui nec noctes nec dies quiescit, sed perpetuo mordet, rodit, consumit, depascit viscera miserorum; nec umquam oblivisci possunt tam præclaræ opportunitatis, quam hic in terris habuerunt, non solum pœnas eas parvo negotio evadendi; sed etiam regnum cœlorum vilissimo pretio comparandi. Itaque perpetuo ipsi secum altercantur, et dicunt: Nos miseros, quibus regnum cœlorum offerebatur et gratis donabatur: quin etiam obsecratum est, ut illud acciperemus, et renuimus. Si vel peccatorum nos pœnituisset, et ea ipsimet confessi fuisset, omnia condonabantur. Quid magnum erat pœnitere? quid magnum confiteri? Si misericordiam implorabamus, facillime concedeba-

tur: si Dei opem postulabamus, præsto erat: si vel poculum aquæ frigidæ propter Deum dedissemus, vitam æternam consequeremur, et nunc perpetuo jejunabimur, affligemur, et fructum nullum reportabimus. O tempus illud aureum, et quod jam præteriit, nec in æternum revertetur! Et quidnam mundus offerebat, ut tam terribilem Deum provocare ad iracundiam auderemus? Etiam si omnia regna et omnia imperia totius orbis obtulisset, et illis multis annorum millibus tranquille frui nobis licuisset, quid erat illud tamen, si cum levissima harum pœnarum sempiternarum compararetur? Cum igitur non regna, neque imperia, neque sæculorum diuturnitatem, sed umbram quamdam amarissimæ voluptatis obtulerit, propter hanc nos pondus ferre debemus cruciatuum sempiternorum? O cur tam cæci, cur tam stulti fuimus? Quis nobis mentem abstulit, quis oculos clausit, quis aures obstruxit? Quis nos ita fascinoavit, ut hæc supplicia nunquam cogitarem: ut in hæc tempora nunquam respiceremus; ut hanc inopiam nunquam prævideremus; et bene monentes non audiremus? Et si hæc intelligentia patietur, quid tandem de voluntate dicemus quæ præcipua causa peccatorum est?

Voluntas igitur rabida quadam invidia perpetuo cruciabitur, quam de ipsius Dei, et omnium sanctorum gloria et honore concipiet. Ut enim Psalmographus ait: *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: nec enim quod cupit consequetur, nam Desiderium peccatorum peribit.* Hinc autem odium implacabile contra Deum in iisdem peccatorum voluntatibus oriatur: ex odio vero horrenda illa maledicta et blasphemiam inauditam nascentur, quæ in eorum linguis ore nunquam deficiunt. Quoniam enim tunc hinc spem recuperandæ salutis nulla habebunt, certoque scient se nunquam amplius cum Deo in gratiam redituros, neque cruciatus unquam finiendos, aut muniendos, et illinc Deum esse videbunt, qui eos tamquam catena quadam alligatos in illis perpetuis suppliciis tenet, et ipsum esse qui in eos ab alto fulmina jaculatur, et suo omnipotenti flatu fornaces illas gehennæ succendit, tamquam rabidi canes ferocient, et nunquam a latratu, blasphemis et contumeliis cessabunt. Maledicent Deo, quod eos creaverit, et morti addixerit, et tamen eos semper interficiendo, nunquam penitus interficiat. Maledicent ejus tunc potentiæ, quod tam vehementer

illos torqueat. Maledicent ejus sapientiæ, quod eam nullum ipsorum flagitium fugere valeat. Maledicent ejus benignitati, quod pro illis versa sit in sententiam et asperitatem. Maledicent ejus cruci et sanguini super eam effuso, quod tam multis profuerit. Maledicent Reginæ cœlorum, quod tam multis peccatoribus janua vitæ et misericordiæ fuit, et illis noverca crudelis fuisse videbitur. Denique sanctis omnibus maledicent, quod eos lætari et gaudere de ipsorum tormentis intelligent. Ista erit illorum perpetua symphonia. Istæ horæ matutinæ et vespertinæ. Isti Psalmi atque Hymni, qui in istis funestissimis templis Dæmonum cantabuntur. Ubi sulphur pro thure, pro cereis fumus ex pice et igne egrediens, et pro citharis atque organis stridor catenarum, sonitus verberum et malleorum erunt.

Jam vero si sola rerum tam horrendarum commemoratio, terrorem iacutit, honorem generat, quid erit in eo ipso loco perpetuo commorari ubi hæc dicuntur et audiuntur? Et quid ergo nos facere par est, ne tam funestis celebritatibus interesse cogamur? Sed modicum quiescamus.

PARS SECUNDA

Propheta Jeremias duos calathos plenos ficibus sibi a Domino ostensos fuisse commemorat: quorum unus ficus bonas continebat et bonas valde, alter ficus malas et malas valde, ut comedi nullaratione possent. Quibus duobus ficuum generibus duos hominum status post hanc vitam, nisi fallor, designavit. Omnes enim vel statum bonum, bonum valde, vel malum, malum valde obtinebimus. Nec enim est aliquis medius status inter statum beatorum, qui est bonus, bonus valde et statum perditorum, qui est malus, malus valde. Nam ignis purgatorius, qui medius esse videtur, usque ad certum quoddam et finitum tempus manebit, et demum omnes, qui in eo sunt vel erunt, sempiternæ felicitatis et gloriæ compotes efficientur, et ad statum bonum, bonum valde pertinebunt. Et quidem quod status beatorum sit bonus et bonus valde, proxima concione Dei aspirante demonstrabimus. Quod vero status damnatorum sit malus, et malus valde, partim ex iis, quæ diximus, partim ex iis, quæ jam dicemus, intelligi poterit. Hactenus enim eum dolorem, qui ex amissione summi boni

oritur, et quem internæ animæ vires patiuntur, maximum atque inexplicabilem esse, quoad potuimus, ostendimus. Nunc eum etiam dolorem atrocissimum esse demonstrabimus, quem in externis sensibus hominum damnatorum ipsa supplicia et cruciatus efficiunt.

Initio igitur, quemadmodum præmium beatorum non est unum aliquod certum bonum se junctum ac separatum ab aliis, sed quoddam commune ac generale bonum, quo omnia bona et omnes delectationes ac deliciae continentur, atque ita a Boetio definitur, «Status omnium honorum aggregatione perfectus.» Sic pœna damnatorum non est unum aliquod genus doloris, ut capitis, ut renum, ut dentium, ut oculorum, sed est pœna quædam generalis, quæ omnes omnium membrorum et compagum et sensuum dolores comprehendit. Hic in terris, sicut bonum illud generale beatorum, ita malum istud generale damnatorum, numquam experimur. Nam qui oculis dolet, non simul dentibus dolet, et qui dentibus, non simul oculis, et sic de cæteris ad eundem modum. At apud inferos atrocissimi dolores, et in capite et in oculis et in pectore et in renibus, denique in omnibus compagibus, omnibus nervis, omnibus medullis, omnibus viribus et sensibus uno tempore perferentur: uti enim peccator omnibus membris contra Deum usus est, sic etiam in omnibus membris patietur, et nulla nec minima pars erit, quæ suum ac proprium tortorem et carnificem non habeat. Rogo vos, si unus aliquis nostrum spatio unius diei, generali ista pœna torqueretur, quid sentiret? quam longam diem illam esse judicaret? Nonne singula momenta mensibus longiora, et horæ singulæ annis diuturniores illi viderentur? Equidem, auditores, si canem unum in plateis tot dolorum generibus simul torqueri videremus, non dubito quid vehementissime commoveremur. Hæc igitur pœna, hic dolor est, si tamen ulla ratione explicari potest, quo damnati homines non unius diei spatio, sed in omni sæculorum æternitate apud inferos cruciabuntur. Sed jam hæc omnia pœnarum genera paulo diligentius atque occurrentius consideremus.

Oculi, quia omnia inspiciunt, merito primo loco inspiciendos se offerunt. Isti igitur oculi, qui nunc satiari delectatione non possunt, qui pulchras formas tanta aviditate conspiciunt, qui ad ludicra nugatorum spectacula intuenda tamquam principes curiositatis con-

festim advolant, qui ut impurissimi lenones, tam frequenter meretricias imagines in cordis cubiculum introducunt, qui solas inopum et miserorum calamitates et ærumnas videre non queunt, qua cruce putatis apud inferos torquebuntur? Sane horrendas primum dæmonum figuras videbunt. Est vero tam horribile diabolium intueri, ut nonnulli sensum, nonnulli vitam amisisse in ipso aspectu Dæmonis referantur. D. Bernardus nonagesimum psalmum exponens, quemdam ex suis Monachis refert fuisse, qui cum ei nocte quædam horribilis quædam figura se ostendisset, tota illa die vix rationis compos fuit, nunquam se securum esse putabat. Denique in tam horribilem vocem prorupit, ut omnes monachos, qui tum forte dormiebant, excitaverit, vehementissimeque perterruerit. Cassianus quoque in Collationibus refert, tantum exitisse aliquando apud veteres Anachoretas Dæmonis terrorem, qui eis variis, sed horrendis semper figuris se prodebat, ut nec soli habitare, nec ii, qui in eadem cella morabantur, simul omnes dormire auderent. Itaque aliis dormientibus, alii in excubiis vigilabant, et nunquam Psalmos et Hymnos canere intermittebant. Jam igitur si Dæmones hic in nostris regionibus tantum in nos imperii sibi assumunt et tam vehementer eos formidamus, quid, quæso, in suis regionibus facturi sunt, ubi neque timebunt exorcismos, neque aquam lustralem, neque merita et orationes sanctorum? Si hic ita grassantur, unde tam potenter expelluntur, quid ibi facient, ubi dominantur et regnant? Si homini cœmeterium aliquod ingredienti sola suspicio præsentia illorum, et erigi capillos, et vocem faucibus hædere facit, qualis motus peccatores invadet, cum in illo communi damnatorum cœmeterio horrore et umbra mortis pleno, obviam tot monstra, tot phantasmata, tot chimæras habebunt? Deinde quam crucem patientur oculi damnatorum, cum uxores et parentes et filios in iisdem suppliciis intuebuntur? Egesippus de excidio Jerusalem scriptum reliquit, Alexandrum Hyrcani filium et ducem Hebræorum, cum atrocissimas pœnas de certis hominibus sumere vellet, jussisse, ut octingenti simul in media urbe in cruces tollerentur, et cum adhuc viverent, ante eorum conspectus uxores et liberi singulorum crudelissime trucidarentur, ut hac ratione non una, sed multis mortibus miseri interirent. Neque vero hoc supplicii genus apud inferos deest. Ibi igitur

cum ingenti dolore, et filii parentes et parentes filios, et viri uxores et uxores viros et omnes qui aliis causa peccandi fuerunt, se cum illis in cruciatibus gehennæ videbunt. Ego quidem, auditores, in hac florenti academia tantam, tam modestam, tam quietam, tam studiosam, et vere religiosam juventutem ali atque institui, partim ex aliis audiens, partim etiam ipsemet videns, vehementer gaudeo, et communi omnium nostrum Domino gratias ago; sed tamen molestissime fero, quod inter tot probos adolescentes, nescio quos corruptos et corruptores versari intelligo, qui simplices circumveniunt, et nunc ad computationes, nunc ad choreas, nunc ad alia libidinum incitamenta suis verbis alliciunt. Sed vae tibi, vir nequam, dæmonis imitator, pestis adolescentiæ. Siccine tantum bonum invidere et eripere audes reipublicæ? Et quid ages, cum te una cum illis, quos decepisti, in illis vivis flammis incendiis videbis? O quam sæpe tunc dices: Pereat illa dies, qua te primum vidi, qua alloqui ac decipere aggressus sum: te enim in vitium ebrietatis, et alia scelera ac flagitia, et me in hæc supplicia uno tempore præcipitavi. Tibi vero ille respondebit, pereat illa dies, quæ te latronem ac carnificem animæ meæ obtulit, et qua tuis venenatis sermonibus aures præbui. Hæc carminum alternatione, hæc symphonia illorum miserorum erit. Sed hæc symphonia nos monet, ut jam ab oculis ad aures transeamus.

Aures igitur, quæ usque adeo lascivis cantibus delectabantur, et ad proximorum distractiones atque infaniam gaudebant, quæque in foro circulatorum per multas horas sine labore audivissent, in templo autem concione unius horulæ defatigabantur, nihil apud inferos, nisi gemitus, rugitus, ululatus, contumelias, blasphemias et maledicta audituræ sunt. Nam quemadmodum in regno beatorum semper laudes divinæ, et dulcissimum alleluia cantatur; sic in carceribus damnatorum perpetuo clamores et blasphemiarum resonabunt. Isti erunt hymni, qui ad sonitum malleorum et verberum cantabuntur. Memini me apud Plutarchum in Sylla aliquando legisse, severum illum dictatorem quadam die sex hominum millia in parvo circo congregari mandasse, et simul in templo, quod non procul ab eo circo aberat, senatum coegisse; deinde militibus imperasse, ut cum ipse in senatu orationem haberet, tum ipsi sex illa hominum millia, quam ce-

lerrime possent, trucidarent. Itaque ubi Sylla dictator verba facere ad senatores aggreditur, continuo exaudiuntur innumerabiles crepitus atque ictus ferientium gladiatorum, eorum clamoribus, et gemitibus admixti, qui trucidabantur, et quamquam dictator senatores admonebat, ut iis, quæ dicebantur attendere, non curiose, quæ foris agerentur, considerarent; tamen attoniti omnes et pavidi effecti vix in ea concione contineri poterant. Hinc igitur cogitare possumus, qualem symphoniam, qualia organa, quales citharas audiremus, si semel nobis ad fores gehennæ aures admovere liceret, ubi non sex millia, sed multo sine comparatione plura, perpetuo cæduntur, verberantur, percutiuntur, ululant, rugiunt, exclamant.

Quid vero de sensu olfaciendi dicemus? Nulla reperiri sentina tam immunda, nulla tam graviter olens cloaca inveniri potest, quæ cum gehennæ lacu comparari possit, in quem omnes totius orbis sordes projiciendæ sunt. D. Victor Africanus describens supplicia, quæ Wandali ariani sanctis martyribus inferebant, unam ex atrocissimis pœnis eorum, carceris fœtorem fuisse confirmat. Sic enim loquitur de quatuor millibus nongentis nonaginta sex Martyribus, qui simul in eodem carcere torquebantur. Jactabantur, inquit, confessores Christi super invicem, angustia coarctante unus super alium, ut agmina locustarum, et ut proprie dicatur, ut grana pretiosissima frumentorum. In qua constipatione secedenti ad naturale officium nulla ratio sinebat loci, sed stercora et urinam urgente necessitate ibidem faciebant, ut ille tunc fœtor et horror universa pœnarum genera superaret. Ad quas aliquando dantes ingentia munera Mauri, dormientibus Wandalis, vix clam admissi sumus intrare, qui introeuntes velut in gurgite luti usque ad genua cœpimus mergi: Illud tunc Jeremiæ videntes fuisse completum: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Conferte nunc, auditores, hanc Martyrum pœnam cum suppliciis damnatorum. In carcere confessorum Christi pauci quidam erant, in carcere gehennæ innumerabiles homines erunt. In illo solæ aliquot hominum sordes fœtorem excitabant, in isto omnes totius mundi sordes, omnes fæces, omnis coluvio, omnis denique teter et gravis odor congregabitur. Si igitur illius carceris fœtor omnia pœnarum genera superabat, quis gehennæ fœtorem sine ulla comparatione gra-

viorem et horribiliorem tolerare poterit? Quis item sine horrore legere potest, novum illud tormenti genus, sive id verum, sive falsum sit, quod latinus poeta describit, cum ait :

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora.
Tormenti genus : et sanie taboque fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

Quid? Nonne hoc est horrendum, non solum aspectu, sed etiam auditu, ut homo vivus ac sanus cum mortuo cadavere colligetur, ut os vivi cum ore mortui jungatur, ut inspiratione teterrimi illius fœteris, et corruptione ac vermibus a cadavere egredientibus homo miserimus contabescat, et a mortuo vivus extingatur? Sed si hoc genus supplicii durum atque inmane, sicut est, ita nobis videtur, quid de gehennæ fœtore dicemus, qui ex tot spurcissimis corporibus orietur?

Sed si hæc odoratus patitur, gustanti sensus, qui multo plurimum et graviorum criminum causa esse solet, numquid immunis a supplicio erit? Non sane, auditores, verum tunc primum intelligent homines ebriosi atque impurissimi belluones, quanti exquisitas epulas et potationes illas emerint quas hic tam vili pretio se enisse arbitrabuntur. Iste igitur sensus incredibili fame et siti torquetur, et qui nunc duorum dierum jejunium ferre non possunt, et nisi usque ad ebrietatem et vomitum biberint, se naturæ satisfecisse non putant, tali tunc inedia, et siti cruciabuntur, ut major neque cogitari, neque fingi possit. Quem non moveat illa vox divitis Evangelici : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma?* Quæ major inopia cogitari potest? Quid minus petere, poterat iste dives, qui quondam *epulabatur quotidie splendide*? Non audet plenum aqua poculum petere, cui olim exquisitissima vina non sufficiebant, sed neque postulat ut manum totam, imo quod magis admirandum est, nec ut totum digitum Lazarus in aquam intingat, sed extremam dumtaxat digiti partem, et hoc ipsum impetrare non valuit. Quæ propterea nobis narrantur, ut intelligamus, ita generalem fuisse illam interdicti et excommunicationis sententiam, quam Dominus protulit in damnatos, ut nemo sit, qui eis vel mini-

mum consilium aut auxilium præbere possit. Itaque quocumque oculos vertent, quocumque manus extendent, ad omne consilium atque auxilium sibi aditum interclusum cognoscent. Et quemadmodum ii, qui in medium Oceanum ceciderunt, dum suffocantur, et cum morte luctantur, frequenter manus ac pedes extendunt; sed nihil nisi liquidam aquam inveniunt, quæ omnes illorum conatus et contentiones eludit; sic ii, qui in illud altissimum miseriarum pelagus lapsi sunt, et in eo perpetuo suffocantur, omnium rerum opem, etiam mortis ipsius implorant sed frustra. Nemo est enim, qui minimam opem illis adferre ulla ratione possit. Utrum tandem hæc vera sunt, auditores? Unde didicimus? Quis ista narravit? Num Homerus, num Plato, num Virgilius? Ipsa veritas, ipsa Dei sapientia, is qui mentiri non potest, hæc locutus est. Est igitur fides in orbe? Utuntur homines ratione? Judicare aliquid possunt? Unde in illis, qui ista credunt, tantus torquor existit? Qui in aliis minoribus malis arcendis tam diligentes sumus, cur ista, quomodo evadamus, non providemus?

Neque tamen sunt hæc omnium pœnarum gravissimæ, adhuc aliæ multo graviores supersunt. Siquidem sensus tangendi, propter quem tot flagitia, tot scelera, tot sacrilegia, tot stupra, tot adulteria perpetrantur, divinæ justitiæ ratio postulat, ut multo atrocius, quam cæteri sensus torqueatur. Itaque tortor hujus sensus ignis erit, tam potens, tam vivus, tam efficax, ut noster ignis cum eo comparatus non verus, sed pictus esse videatur. Nam cum in hunc usum dumtaxat a Deo creatus sit, ut justitiæ ipsius instrumentum existat, dubitare non possumus quin vehementissime afflictorum et cruciaturus sit. Siquidem, auditores, si quis attente cogitaret, quid doloris perciperet, si in ardentem aliquam fornacem vivus injiceretur, et ore fornacis diligenter ocluso ad unam horam ibi relinqueretur, non quidem plane intelligeret; sed tamen aliquo modo subolfaceret, quid sit apud inferos vivere. Quæso vos, qui humeri vivas illas flammas tolerare poterunt? Quod pectus illa suppliciorum æternitate non frangeretur? *Quis de vobis, inquit Isaias, habitare poterit cum ardoribus sempiternis?* Quid? quod cum hac pœna alia non minor conjungatur? Nec enim ignis ardore solum, sed intolerabili etiam frigore cruciabuntur. Nam si B. Basilio

fidem adhibemus, nullus pene cruciatus est, qui cum eo comparari possit, quem vehementissimi frigoris asperitas infert. Ut enim ipse oratione in quadraginta Martyres declarat, cum sævissimus ac truculentissimus quidam tyrannus inexplicabili supplicio sanctos illos Martyres torquere vellet, considerare cœpit asperrimam hiemen tunc vigere, et regionem, in qua erant, natura frigidissimam esse, ita ut super maximum quemdam lacum in glaciem conversum, homines cum jumentis et plaustris iter facerent et maxima flumina a cursu cessassent, et non tam flumina quam viæ stratæ marmoribus viderentur. Itaque nocte quadam observata, in qua vehementissime boreas flaret, sanctos Martyres nudos sub dio esse præcepit et diuturnis explicabilibusque cruciatibus interire.

Hic igitur, auditores, ludus est damnatorum, hæc alternatio delectationum, a calore nimio ad aquas nivium, et ab aquis nivium ad calorem nimium, ut Job loquitur, transferentur. Neque hæc figmenta, nec fabulæ poetarum sunt. Audite enim quid ipse Dominus Jobum alloquens dicit : *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis in diem pugnæ et belli?* Audite Psalmo-graphum : *Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et si hæc pars tam est amara quid erit totum calicem exhaurire? O homines infelices, quanto melius vobis fuisset, si nunquam nati fuissetis? O miserabiles oculi, quos horrendæ dæmonum figuræ terrebunt, quos fumus densissimus cruciabit, qui semper aperti ad vestras intendas miseras eritis! O miserabiles aures, quæ sonitum flagellorum et blasphemias ac gemitum miserorum semper audietis. O miserabiles nares, quæ foetorem loci spurcissimi, et corporum spurcissimorum semper haurietis! O miserabiles ventres et ora miserabilia, quæ inedia sempiterna et fame ac siti intolerabili torquebimini! O membra miserabilia, quæ puteum illum sulphureas flammæ evomentem incoletis! Num annos decem aut viginti aut centum aut mille? Non sane. Nam et hoc aliquod genus consolationis esset. Verum in æternum et ultra, si ultra inveniri potest. O verbum breve, rem nobis tam diuturnam significans!

Hæc æternitas, auditores, res est ejusmodi, ut sine ea nullum supplicium grave, cum ea nullum leve judicari possit, et tamen hoc

sale pœnæ damnatorum condiendæ sunt. Primum enim tot sæculis torquebuntur, quot stellæ lucent in cœlo, deinde quot arenas grana jacent in littore, tum quot guttæ aquarum inveniuntur in mari. Et his evolutis iterum dolores incipient, et sine ullo fine rota ista versabitur. *Sicut oves, inquit, in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ut enim oves summa folia herbarum depascunt et radices non evellunt, ut iterum herbæ nascantur, et iterum tonderi ab ovibus possint; sic in pascuis gehennæ, ubi oves damnati, pascua tormenta, et pastor ovium mors est, damnati ad pascua a morte deducti tormenta semper depascunt, nec pabula ista unquam finientur, neque Domini calix, quem bibent, unquam exhaurietur. Tamdiu carcer gehennæ manebit, quamdiu regnum cœlorum manebit. Tamdiu torquebuntur damnati, quamdiu lætabuntur beati. Denique tamdiu reprobimorientur, quamdiu Deus ipse vivet. Et nisi desinat esse Deus, quod est, non desinent ipsi esse, quod sunt. O vita mortifera. O mors immortalis, et quomodo tandem te appellabimus? Vitam an mortem? Si vita es, quomodo occidis? Si mors es, quomodo duras? Neque igitur vita, neque mors dicenda es. Nam utrumque horum boni aliquid habet. Vita quietem et mors finem. Tu vero neque quietem neque finem habes. Quid igitur te esse dicemur, nisi ut totum mali, quod et vita et mors habet? A morte enim cruciatus, a vita durationem accepisti. Et vitam igitur, et mortem eo bono, quod in illis erat, spoliavit Deus, et in te posuit reliquum. O venenata compositio! O pharmacum amarum! quo ex calice Domini omnes peccatores potabuntur.

Magna profecto res esset, auditores, si vel mediocriter intelligere possemus, quid sit æternitas pœnarum. Hæc enim sola cogitatio, tamquam frænum quoddam, omnes nostras libidines coerceret, et ita nostræ vitæ moderaretur, ut non Christiani modo, sed etiam Monachi vel Anachoretæ sanctissimi omnes videremur. Cogita enim crucem, quam patitur spatio unius noctis is, qui gravi aliquo morbo afficitur, quam frequenter se nunc ad istam, nunc ad illam partem convertit, quam longa illa nox esse videtur, quomodo numerat omnes horas, et quam diuturnam unamquamque earum esse judicat, quo desiderio auroræ ac lucis tenetur, quam sæpe rogat quantum adhuc noctis supersit, et num lucis radii apparere incipient.

Jam vero si tam ingens iste dolor nobis esse videtur, qualis erit eorum, qui non lectulo molli, sed in vivis atque ardentissimis flammis jacebunt, toto spatio illius noctis, quæ auroram non habet nec diei lucem expectat? O profundissima obscuritas! O nox æterna! O nox! O nox ipsius Dei ore maledicta, quæ lucem diei et auroræ splendorem non videbis. Verum, auditores, si sola hujus æternitatis cogitatio nos perterret, quid erit non cogitare, sed reipsa in æternis suppliciis versari? Tam horrenda profecto res est sine fine torqueri, ut quando unus dumtaxat ex Adæ filiis tali supplicio mulctandus esset, merito omnibus pavendum ac trepidandum esset. Unde igitur sit, ut nunc non movea-

mur, cum certissime sciamus infinitum esse numerum stultorum et viam, quæ ducit ad vitam, angustam, et paucos qui inveniunt eam, et viam perditionis latissimam et innumerabiles, qui per eam incedunt? Si ista non credimus, ubi est fides nostra? Si credimus, ubi judicium? Si sanæ mentis sumus, si fidem Scripturis adhibemus, quo pacto nobis tam horrendo periculo imminente adhuc dormimus? Qui fieri potest, ut crapula et ebrietas adhuc placeant? Adhuc otiose vivere delectet? Excitemur igitur, aliquando torporem excutiamus, ut in terris gratiam, deinde post obitum gloriam Dominus largiatur, qui est in sæcula benedictus. Amen.

CONCIO IV.

DE

BEATITUDINE CŒLESTI ET GLORIA BEATORUM

SYNOPSIS

A figura Abrahami terram promissam lustrare jussi, beatitudinem a nobis in terris cogitatione esse peragrandam, exordium docet. Eandem beatitudinem esse maxime notam et minime notam probatur: illud, quia innata est cuique ejus aliqua cognitio; hoc, quia de nulla re tam diversæ fuerunt Philosophorum veterum opiniones, cujus rei duplex assignatur ratio. Quod felicitas non in sapientia humana, neque in divitiis, nec in potentia, nec in honoribus neque demum in voluptatibus consistere possit, ostenditur. Veram tamen felicitatem in se continere infinitas divitias, immensam potentiam, incomparabiles dignitates (ubi vanitas honorum mundanorum ob oculos ponitur), et incomprehensibilem voluptatem, quæ omnia fusa et eleganter priori parte pertractantur.

Cur proxime sequens concio de humana miseria instituat, causa redditur. Dona, quibus beatorum corpora sunt donanda, enumerantur, ut sunt, præter alia pulchritudo, impassibilitas, agilitas et subtilitas, claritas, sensuum denique omnium delectatio, atque in primis oculorum ex intuitu beatorum, præsertim multorum et variorum Martyrum, B. Virginis, imo ipsius Dei Filii: aurium ex suavissima symphonia omnigenarum vocum et instrumentorum, siquidem æquum esse videntur ut corpus, quod miseriæ fuit participes, etiam præmiorum æqualitate congaudeat. Locus deinde cælestis beatitudinis describitur, ejusque sublimitas, amplitudo, pulchritudo et ve-

nustas multis commendatur præcipue vero a multitudine, nobilitate, pace et concordia inhabitantium. Præterea quasi per antithesim proponitur ingressus cælestis gloriæ, occursum sanctorum, et de superatis mundi miseriis victoria et triumphus. Tandem conclusione ad cælestem patriam exhortatoria finitur.

Cum Deus Optimus Maximus Abrahamæ Patriarchæ regiones Palæstinæ se daturum polliceretur, id ei simul præcepit, ut omnia illa loca diligenter circuaret ac peragraret: *Omnes terram, inquit, quam conspicias tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum. Surge ergo, et perambula terram in longitudine sua: quia tibi daturus sum eam.* Quæ verba, optimi auditores, nobis etiam, quibus regnum cælorum promissum est a Domino, dicta esse merito, jureque optimo existimare debemus. Nec enim aliquis in illa felicissima loca ingredi permittitur, neque ad ea alicui aditus unquam patebit, qui ea non diu, multumque desideraverit, et ad ea vehementissime non aspiraverit. Quis vero tanta cupiditate ejus pulcherrimæ regionis videndæ flagrabit, quanta nos flagrare par est, si nihil de ejus excellentia et pulchritudine noverit? Quare surgendum nobis paulisper est, et terræ cogitationes et negotia relinquenda sunt, ut alis spiritus in sublimes illas ac illustres regiones delati, longitudinem æternitatis et latitudinem felicitatis earum inspicere et contemplari attente ac diligenter valeamus. Et quamquam multa ac varia sunt, quæ de sempiterna felicitate regnoque cælorum dici possunt, nobis tamen duo potissimum hoc tempore, et his auditoribus dicenda esse vi-

dentur. Primum enim de ipsa beatitudine ac felicitate; deinde de regionibus ac domiciliis beatorum, quoad angustiae temporis patientur, disserendum erit.

Principio igitur beatitudo propter sui eximiam atque excellentem naturam id ferre proprium habet, ut maxime nota et minime nota esse videatur. Eam enim rem quamdam optimam, et præclarissimam esse, ac ut Boetius ait, statum omnium bonorum aggregatione perfectum, quem adeptus qui sit, nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius, nemo fere est qui nesciat cum enim omnibus hominibus amor quidam beatitudinis a natura insitus sit, et quod penitus ignoratur, amari non possit: cognitionem quoque beatitudinis aliquam omnibus hominibus ab ipsa natura insitam esse necesse est. Quid tamen illud sit, in cuius possessione beatitudo consistat, et quod hominem collocet in eo statu, quem esse diximus, omnium bonorum aggregatione perfectum, id vero usque adeo priscis sæculis obscurum fuit, ut nulla quæstio sit, cuius major discrepantium opinionum perplexitas olim inter Philosophos fuerit. Hinc enim alii in rerum scientia et contemplatione: alii in virtute, quam noverant, hominis beatitudinem posuerunt: alii voluptate metiri cuncta voluerunt: alii ad ea, quæ prima secundum naturam nominabant, omnia retulerunt: alii nescio quam indolentiam, seu vacuitatem expetendorum extremum et ultimum statuerunt: alii virtutis usum cum vitæ perfectæ prosperitate copulaverunt: fuerunt etiam alii, qui honestatem vel voluptatem addiderunt, vel vacuitatem doloris adjunxerunt. Denique ut ex Varrone D. Augustinus ostendit, usque ad ducentas octoginta sex opiniones de summo bono discrepantes pervenerunt.

Et quamquam veteres Philosophi maximo ab ore, perpetuo studio et summa contentione animi summum illud bonum investigare conati sint, tamen duplici, potissimum de causa a veritate longissime aberraverunt. Primum, quod id, quod unum et simplicissimum est, in multas ipsi partes ac veluti membra secuerunt. Cum enim probe intelligerent, qui vere felix ac beatus appellandus sit, affluentem divitiis, præditum potestate, clarum atque illustrem esse oportere, neque ei honestas, licitasque voluptates ac delicias deesse debere: et rursum cum hæc omnia et alia permulta, quæ status hominis beati prope suo jure postulare videtur, non posse

in una aliqua re inveniri arbitrarentur, ad multarum rerum adjumenta confugerunt et multorum diversorumque honorum aggregationem, beatitudinem definierunt.

Deinde altera illius errandi causa fuit, quod infra lunam, ubi nihil est, nisi mortale et caducum, præter animos generi hominum Dei munere datos, beatitudinem quæsierunt. Ex quo errore ille antea commemoratus error dimanavit. Nam idcirco nihil unum invenire poterunt, cui omnes beatitudinis partes convenirent, quod non æternitate, ubi erat, sed in tempore, ubi non erat, illud investigare voluerunt. Etenim si veri iudices atque aestimatores rerum præsentium sumus, non dubito, quin et divitias tam animi, quam corporis, et potestatem, et honores, et voluptates, et alia, quæ hic in terris inveniri possunt, non modo, non partes ac membra, sed vix umbras quasdam veræ beatitudinis esse judicabimus. Quales enim hic animi divitias habere possumus, ubi ille omnium iudicio sapientissimus existimatur, qui hoc unum se scire, quod nihil sciret, constantissime prædicabat? et ubi alius quidam ex sapientioribus asserebat, maximam partem eorum, quæ scimus, minimam partem esse eorum quæ ignoramus. Deinde si de divitiis corporis agatur, quæ sitim excitare et non sedare possunt? Quæ corpori somnum et et animo quietem auferunt? Quæ unum divitem non faciunt, nisi faciant alterum pauperem? Quæ quo sunt ampliores, eo pluribus custodibus indigent? Quæ denique ab ipsa Veritate spinis comparatæ sunt: Et potestas qualis tandem hic in terris invenitur, quando reges ac principes, qui omnium hominum potentissimi esse videntur, sic infirmi ac debiles sunt, ut sine multis militibus, sine multis bellicis tormentis, sine multis machinis ac præsidiis, sine multis et magnis sumptibus, tuti esse non possint? At ii, qui vere felices ac beati sunt, nullius opem desiderant, neque adjumenta rebus aliis petunt; sed in seipsis inveniunt, unde sufficiant ad omnium hostium impetus propulsandos. Honores vero ac dignitates, quas hic in terris invenimus, nonne fortunæ ludibrio expositæ sunt? Nonne odium, invidiam, suspiciones vix aut ne vix quidem effugiunt? nonne homines quales sint ostendunt, ac sæpe ridiculos faciunt? Quemadmodum enim qui edito loco collocatur, non propterea pulchrior est, quod plures in eum intuantur; sed qualis sit pluribus innotescit: sic magistratus

et gradus et sedes locorum, non homines sapientes reddunt, sed quales sunt, omnibus manifestum faciunt. Et sæpe fit, ut qui privatus cum esset prudens, et gravis existimabatur, ad magistratum evectus, levem et stultum adeo ridiculum omnibus se prodatur. Denique quales nostræ voluptates sunt, quæ usum rationis impediunt, intelligentiæ lumen obscurant, mentis aciem hebetant, et pœnitentiam ac dolorem secum ferunt? Quando vero nihil horum, quæ diximus, esset, et nec pauperes divitiæ, nec imbecilles potestas, nec obscuri honores, nec amara voluptas? sed omnia præclara, omnia excelsa, omnia angusta hic infra lunam invenirentur, nonne vel propterea hominem beatum non facerent, quod non modo non æterna, sed ne diuturna quidem esse possint? Nam cum his demum dicendus sit (ut D. Augustinus ait) qui habet in omne quod vult, et nihil mali vult, cum tandem is, qui beatus dicitur, moriatur, vel ipso nolente, vel ipso volente fit: si ipso nolente, jam non habet omne quod vult, cogitur enim mori, cum maxime cupit vivere, adeoque beatus non est: si ipso volente, neque tunc beatus erit, quia male aliquid vult, mortem videlicet ipsam: quæ tantum est malum, ut Deus quasi calumniam, de tam venenati germinis procreatione a se repellens scribi voluerit se mortem non fecisse, sed invidia Diaboli eam in orbem terrarum aditum habuisse.

Quæ cum ita sint dubitare, auditores, nulla ratione debemus, quin vera beatitudo supra lunam, et solem, et supra temporum vicissitudines quærenda sit. Mundi vero sapientes beatitudinem veram investigasse quidem, non ideo invenisse quod eam ubi non erat quærere, atque investigare voluerint. Ubinam igitur beatitudinem invenimus? Nempe, auditores, non alibi, quam in Deo. Tunc enim demum beati erimus, cum Deo (qui natura beatus est) similes erimus. Erimus autem similes Deo, cum eum videbimus sicuti est. Sic enim magnus ille Theologus Joannes Evangelista nos docuit, cum ait: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus, scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Sed mihi videor logicum nescio quem audire, qui vehementer miratur, quomodo ista cohæreant: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est?* Quam multos enim sicuti sunt videmus, et non continuo similes illorum efficimur? Sed ta-

men, auditores, et vere et sapienter et plane Theologice S. Joannes ait: *Similes erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Id enim, unde beatus est, quicumque beatus est, sive is Deus, sive Angelus, sive homo sit, nihil est aliud, quam primæ ac summæ veritatis, quæ Deus ipse est, non qualiscumque cognitio, sed clarissima et apertissima visio. Quare sicut ex eo beatus Deus quod seipsum, optimam videlicet ac summam veritatem sicuti est, intuetur; ita nos quoque pro modulo nostro beati et Deo similes erimus, cum eum, nempe primam ac summam veritatem sicuti est, intuebimur. Deinde si luna ac stellæ lumen concipiunt, et similes solis efficiuntur, cum ei oppositæ in eum quodammodo intuentur; quanto magis mentes purgatissimæ beatorum divinum lumen concipient, et Deo similes erunt, cum non amplius per speculum neque in ænigmate; sed facie ad faciem justitiæ Solem, et lucem increatam aspicient? Vera igitur ac sola nostra beatitudo in Dei visione consistit, quod illis verbis Dominus affirmavit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et illis: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Quæ quidem beatitudo, tametsi una ac simplicissima res est: tamen et divitias, potestatem et honores, et voluptatem et alia bona, quæ mens humana desiderare potest, et multo etiam plura, ad quæ nos humi strati, nec desiderio quidem pertingere possumus comprehendit. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Ac ut a divitiis ordinamur, quales, obsecro divitiæ beatorum erunt, quando Deus ipse, et cibus et potus et vestis et domus et possessio et pecunia illorum erit? Quando ita rebus omnibus abundabunt, ut nihil sibi deesse putent, nihil curent amplius, contenti denique ac satiati facultatibus atque opibus conquiescent. *Nec enim arca, ut sapienter Tullius ait, sed animus dives appellandus est.* Hic quidem in terris nemo dives est (nec enim fieri potest, ut animus noster expleatur) et merito nominari possit. Major enim est cordis humani capacitas, quam ut eam orbis etiam totus possit replere. Si quis globum quantumvis magnum super immensum triangulum poneret, nonne stultus esset, si eo globo immensam illam trium angulorum capacitatem conaretur explere? Sane esset.

Nec enim fieri potest, ut triangulus globum comprehendat, et extremi anguli vacui atque inanes non relinquuntur. Quare cum res omnes creatæ globum quemdam, magnum illum quidem, sed tamen certis terminis ac limitibus comprehensum efficiant, et animus noster tribus immensæ capacitatis facultatibus, intelligentia, memoria et voluntate præditus quasi quidem infinitus triangulus sit; nullo modo fieri potest, ut res creatæ, etiamsi omnes uni concederentur, amplitudinem et vastitatem animi humani penitus impleant. Tunc igitur tandem iste triangulus humanus explebitur, et dives erit, et penitus conquiescet, cum Deum ipsum possidebit, qui in Trinitate personarum subsistens, quidam triangulus immensus, ac nullis spatiis ac regionibus definitus est. Vere enim Psalmographus ait : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Porro hanc abundantiam rerum omnium Dominus promittebat, cum diceret : *Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Et rursus : *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.* Quæ ubertas sermonis illarum divitiarum ubertatem atque affluentiam explicare poterit, quam his verbis veracissimis Dominus sanctis hominibus pollicetur? Sane is solus bona beatorum numerabit, qui Dei ipsius bona numerare potest. Vere enim ipsa Veritas ait : *Amen dico vobis, super omnia bona constituet eum.* Atque hæc quidem de divitiis.

Quid vero de potestate beatorum dicemus? quando non modo nihil eis nocere poterit, quippe qui in arce altissima ac munitissima constituti, et lorica immortalitatis induti erunt : sed etiam omnipotentem quodammodo voluntatem atque animum gerent? Is enim omnipotens vere nominatur, et est, qui id totum, quod voluerit, efficere potest, et nihil plane reperitur, quod ejus voluntati resistat. Talis autem natura ipsa solus Deus noster est, qui *quæcumque voluit fecit in cælo et in terra; et non est qui possit resistere voluntati ejus?* Jam vero beatorum voluntates, quis ignorat, ita cum Dei voluntate conjunctas esse et copulatas, ut pene una atque eadem esse videatur, nihil enim ipsi volunt, quod Deus non velit : nihil Deo placet, quod ipsis non placeat; et id maxime fieri cupiunt, quod Deo potissimum placere intelligunt. Hac igitur ratione quicquid sancti volunt efficitur, et nihil efficitur, quod ipsi non velint. Proinde non modo potentes,

sed plane omnipotentes illos esse, quis jure inficari potest? De qua potestate illa divini Psaltis verba sunt : *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exultationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum; ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

Neque vero hac potestate minores honores, dignitates, nomen, splendor et gloria sanctorum erunt. Nam si principes, si reges, si Dei familiares, si filii, si dii quodammodo erunt, et in ipsa Dei throno sedebunt, quomodo non illustrissimi et clarissimi et gloriosissimi erunt? Audite enim quid ipse Dominus dicat : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum patre meo, in throno ejus.* O gloria incredibilis! et quorum laborum, quorum certaminum, quorum dolorum obliviscentur ii, qui victoriæ palma, diademate, ac sceptro insignes coram omnibus cæli principibus ipsius Dei manibus in throno altissimo et illustrissimo collocabuntur? Merito exclamas, Apostole Paule : *Non sunt condignæ passionnes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et rursus : *Id enim, quod in præsentibus est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Merito, David Sancte, gloria ista oculos tuos perstringit, cum ait : *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quare contemnite, auditores, et deridete eos, qui vel in bellis administrandis vel in gerendis rebus publicis : vel in libris conscribendis, vel in statuis et columnis et ædificiis extruendis omne suum tempus et corporis atque animi vires consumunt, ut gloriam aliquam et celebritatem sermonis hominum consequantur. Primum enim quid illis proderit hic, ubi non erunt laudari, cum in gehenna, ubi erunt, torquebuntur? Deinde, quam multos istorum spes ista nova fefellit? Et ecce D. Antonius, D. Benedictus, D. Franciscus, homines simplices, et expertes litterarum gloriam fugitant, honores contemnunt, aurum tanquam lutum conculcant, et tamen brevissimo spatio splendorem illum apud mortales etiam consequuntur, ad quem nemo mundi sapientum et potentum maximis laboribus, incredibili

studio et summa animi contentione pervenire potuit. Quam multos in orbe Christiano reperietis, qui nomen Julii vel Alexandri vel Aristotelis vel Ciceronis numquam audierunt? At qui de Beato Francisco, Beato Antonio, Beato Benedicto, et aliis permultis vitæ sanctitate et signis et prodigiis claris, nihil audierit, nescio si vel unum invenire poterimus. Et nos, qui ista nomina in veterum libris invenimus, cum Alexandri vel Aristotelis recordamur, quantum tandem reverentiæ significationem illorum nomini exhibemus? Plane modicam omnino vel nullam. At sanctorum memoriam nonne statuis, templis, altaribus, diebus festis, hymnis, cantibus et omni lætitia ac celebritate prosequimur? Quid? Nonne Christiani Pontifices, reges, imperatores, Sanctorum statuis caput aperiunt, et eos apud Deum patronos et advocatos habere cupiunt? Et hoc unde, auditores, nisi quia mundi sapientes gloriæ fundamenta super arenam vel super aerem potius jacere voluerunt. Alii ex libris, quos summo labore conscribunt, nomen et gloriam aucupantur. Quid facilius, quam si liber comburatur? Alii in statuis et monumentis gloriæ fundamentum ponunt. Quid facilius, quam si simulacrum frangatur? Alii magnificum ædificium testem ac præconem suæ nobilitatis habere volunt. Quid facilius, quam si ædificium ruat? At nostri Francisci, et Antonii et alii viri sanctissimi supra firmissimam petram fundamentum jecerunt. Nempe enim in fide, in charitate, in patientia, in castitate, in temperantia, in sobrietate, in contemptu rerum præsentium, et desiderio æternarum excellere et enitere, vere magni et præstantis animi esse putaverunt.

Voluptas superest ex iis rebus, quas ad felicitatem necessarias esse dicebamus. Verum nullum, auditores, tantum flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis tantaque copia reperitur, quæ vel minimam partem ejus voluptatis explicare possit, quæ ex ipsius Dei visione percipitur. Tria enim sunt quæ ad voluptatem excitandam requiruntur: primo, vis animæ capax voluptatis, quales sunt in homine sensus et intelligentia: deinde ipsa, quæ ad eam animæ vim adnotata gignit voluptatem, quales in rebus corporatis colores, odores, sapes et alia id genus sunt: postremo utriusque conjunctio et copulatio. Et quanto vis animæ præstantior, et res objecta excellentior et conjunctio arctior

et major existit, tanto voluptas, quæ ex illis principiis oritur, vehementior majorque percipitur. Quæcum ita se habeant, quis vel oratione vel cogitatione consequi valeat, quem sensum voluptatis sancti percipiunt, cum ipsorum intelligentia, vis animæ præstantissima, cum Deo summo et infinito bono ita conjungitur, ut unus spiritus sit cum eo? O quale est illud osculum! O quales illi amplexus! O quale connubium, auditores! Quid, obsecro, erit, vultum illum, illam lucem, illam speciem intueri, quam laudant astra matutina, et cujus pulchritudinem sol et luna mirantur? Quid erit bonum illud generale, in quo omnia bona continentur; et mundum illum vere magnum, qui omnes alios mundos comprehendit, possidere? Si regina Saba, cum Salomonem vidisset, et audivisset, stupefacta dicebat: *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam*: quid erit summum illum Salomonem, æternam illam sapientiam, primam atque increatam illam veritatem semper audire? O quale illud gaudium erit cum uno aspectu altissimum, et maxime reconditum adorandæ Trinitatis arcanum intuebitur, et cum simul Deum et res omnes in Deo videbitur? Quid enim non videbit, qui videntem omnia videbit? Tunc igitur tandem mens humana quiescet, neque intelligentiam uberiores desiderabit, cum ante oculos id totum, quod intelligi potest, habebit. Tunc et voluntas humana quiescet, cum eo bono fueretur, in quo cætera bona, tamquam in fonte et oceano bonorum omnium continentur. Tunc illæ tres virtutes, quibus Deum modo veneramus et colimus, præmium suum accipient, cum visio fidei, possessio spei, et charitati imperfectæ charitas perfecta succedet. Tunc demum cantabitur canticum illud quod licet semper cantetur, semper tamen est novum: Sicut enim corpora beatorum nunquam senescunt, sic lætitia, gloria et voluptas eorum viridis semper et florida permanebit.

PARS SECUNDA.

Concione proxima, quæ die Dominico sequenti habebitur, constitui, Domino bene juvante, de miseria humanæ vitæ, verba facere, ut intelligamus, non modo futura, qualia sunt novissima, de quibus hactenus egimus; sed etiam præsentia nos ad mundi contemptum et Dei amorem incitare. Spero

autem considerationem humanæ miseriæ, vel æque utilem ac novissimorum considerationem futuram vel etiam utiliore. Novissima enim, ut mors, iudicium, gehennæ et gloria beatorum clamant quidem, et maxima voce clamant, ut mundi blanditiis non acquiescamus, et cantum sirenarum non audiamus, et aliquando voluptati, quæ simul blanditur, et decipit, valedicamus; sed tamen quia procul posita vel sunt, vel esse, licet falso putantur, propterea eorum vocem non exaudimus, nisi mentem et aures erigamus, et in magno silentio constituti, diligentissime voces illas attendamus. At præsentis humanæ vitæ calamitates nobiscum versantur, nobiscum vivunt, nobiscum iter faciunt denique nunquam nos deserunt, et earum clamores non possumus non exaudire, nisi forte aures nostræ hoc sonitu oppletæ obsurdierint; sicut quibusdam Nili accolis aures ob continuum sonum occalluerunt. Hoc igitur argumentum proximæ concionis erit.

Liberalissimus ac beneficentissimus Deus noster, sicut non solum Isaac patriarchæ, quem elegerat, sed etiam Ismaeli propter Isaac et propter Abraham benedixit; sic non solum animos beatorum gloriosos et illustres efficiet; sed etiam corpora, propter affinitatem et cognationem, quæ illis cum animis intercedit, beneficiis multis et magnis afficiet. Primum enim si animis scientiæ et sapientiæ divitiis affluat, corpori quoque suæ ac propriæ opes non deerunt, quæ sunt robur, sanitas, pulchritudo, possessio regionis amplissimæ et pulcherrimæ, de qua paulo post dicturi sumus. Deinde si animus potens, et modo quodam omnipotens erit, et corpus immortalitatis veste contextum atque armatum ejusmodi erit, ut nunquam fame, neque siti cruciari, neque morbis frangi, neque igne torreri, neque ferro aperiri aut sauciari ulla ratione possit. Tanta præterea agilitate præditum, et usque adeo mentis, ac rationis imperio obtemperabit, ut sine labore, nullo negotio, summa facilitate super omnes cælos ascendet. Quam jucundum spectaculum erit, auditores, cum terram super cælum videbimus et cum hæc corpora, quæ nunc parvum collem sine labore superare non possunt, tunc instar fulminum velocissime ubique discurrent. Si rursum animus gloria et honore insignis, illustrissimus et clarissimus erit, corpus quoque tanta luce micabit, ut Dominus dicat: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Si

vero sol unus dumtaxat orbem totum illustrare et sua luce complere potest; si tanta est jubaris illius majestas, ut a nonnullis tanquam numen divinum coli potuerit: si denique parens lætitiæ, mundi oculus et fons luminis a veteribus est appellatus, quid erit, cum tot corpora beatorum, hoc est tot soles, tot lampades, tot luminaria clarissima cœlestem Jerusalem illustrabunt? Postremo si animus atque mens deliciis inexplicabilibus perfructur, suæ quoque non deerunt corpori honestissimæ et maximæ voluptates. Siquidem omnes sensus res sibi maxime congruentes percipient, et sine fastidio incredibili delectatione satiabuntur.

Oculos primum loci amœnitas, et corporum beatorum species et gloria delectabit. Ibi enim patriarcharum cœtum, ibi agmina prophetarum, ibi senatum apostolorum, ibi martyrum palmas, ibi virginum coronas, ibi confessorum et monachorum diademata intuebitur. Si verum est, quod sapientissimus Augustinus verum esse putavit, nempe martyres beatissimos in ea corporis parte, in qua potissimum supplicia propter Deum pertulerunt, signa quædam virtutis, splendorem videlicet, et decorem eximium habituros, quale spectaculum erit, omnem illam tot signorum veræ fortitudinis venustissimam diversitatem unico intuitu cernere, quæ in corporibus tanti et tam invicti exercitus apparebit? Stephanus protomartyr, velut signifer quidam agminis gloriosi tot pretiosis lapidibus gemmisque micantibus insignis erit, quot ejus corpus a lapidatoribus plagas accepit. Ibi Stephani beatissimi comes, et collega Laurentius toto corpore multo splendidior et clarior erit, quam eæ flammæ fuerint, quæ ipsum tyranni jussu concremaverunt. Ibi corpus apostoli Bartholomæi omnem purpuram quantumvis pretiosam splendore ac lumine superabit. Ibi colla Baptistæ et Pauli velut quadam torque ex auro purissimo incredibili decore fulgebunt. Quale convivium corpus intercesi Jacobi, quale Agnetis, et Theclæ, Cæciliæ, et Catharinæ, quale tot aliorum præclarissimorum atque invictissimorum martyrum, quorum vix nomina scimus, quale, inquam, convivium, quales epulas oculis nostris præbebunt? Quis vero deliciis putatis oculi nostri fruatur, cum supra omnes angelorum choros, reginam illam Deique matrem videbunt, cujus tanta est gloria atque majestas, ut ipsa sola chorum unum, decimum videlicet et postremum

efficiat, cujus pulchritudinem Angeli suspiciunt, et de cujus magnitudine homines gloriantur? Et ad hæc omnia quid erit ipsum Dei Filium Christum in solio gloriæ suæ collocatum intueri? Si mortales homines hic in terris gaudere et diem festum agere soleant, cum affinem aliquem suum Cardinalem aut Pontificem renuntiatum esse intelligunt, quam voluptatem, obsecro, capiemus cum Dominum illum, qui frater noster, os nostrum et caro nostra est, regem, imperatorem, et monarcham orbis esse videbimus? Quam jucunda res erit cernere hominem, creatorem hominum? Quam libenter homines inter Angelos erunt, cum totius familiæ patrem et Dominum, non angelum, sed hominem esse conspicient? Atque hæc quidem delectatio oculorum erit.

Porro aures perpetuo psalteria, organa, citharas vocesque illas purissimas et jucundissimas audient quæ omnem tristitiam pellere et omnia humana corda quantumvis ferocia et exacerbata mansuefacere possent. De Beatissimo Patre Francisco beatus Bonaventura scribit, cum aliquando cithara quædam Angeli opera in ejus auribus insonisset, tanta eum voluptate affectum fuisse, ut hoc sæculum cum alio se crederet commutasse. Quid igitur sentiet unusquisque, cum choris Angelorum interesse et hymnos illos de canticis Sion, et audire et cantare nobis licebit?

Neque vero olfaciendi, et gustandi sensus voluptatibus suis carebunt: sed plane reficientur et recreabuntur odoribus fragrantissimis et saporibus jucundissimis, non quales hic in terris habemus, sed quales status illius præstantiam et sublimitatem decebunt. Neque enim ad naturæ defectum, sed ad gloriæ et felicitatis incrementum erunt.

Hæc igitur ratione justissimus Deus efficiet, ut ea corpora, quæ cum animis suis laboraverunt, cum iisdem in cœli palatiis semper exultent. Æquum est enim, ut qui pauperes propter Christum libenter fuerunt, ii regni cœlestis opes amplissimas recipiant. Æquum est, ut qui debiles atque infirmi hominibus visi sunt, et propter Deum catenis onerabantur, virgis cædebantur, bestiis obiciebantur, in cruces tollebantur, igne et ferro crudelissime necabantur, vim vi non repulerunt, neque hostibus suis penitus restiterunt, ii potentissimi fiant, et non improbis hominibus modo, sed omnibus etiam Dæmonibus formidabiles sint atque tremendi.

Æquum est, ut qui propter Deum humiles atque abjecti esse voluerunt, et se contemni, conculcari, nihili fieri, patienter atque libenter passi sunt; ii clarissimi atque illustrissimi in regno cœlorum efficiantur. Æquum est postremo, ut qui consolationem ex rebus creatis non quæsierunt, imo deliciis omnibus sibiipsis interdixerunt, et in fame et siti, in jejuniis et vigiliis Domino servierunt et carnis libidines fortiter compresserunt; ii deliciis et voluptatibus maximis et sempiternis in cœlestibus domiciliis perfruantur.

Habetis hæctenus, auditores, non expressum quidem, sed tamen leviter adumbratum præmium ac stipendium, quod animis et corporibus beatorum Deus paravit. Nunc de ipso loco, in quo tam præclarum stipendium persolvitur, quanta maxima possumus brevitate dicamus.

Illam igitur felicissimam regionem beatorum, quæ cœlestis Jerusalem merito nominatur, tantum sublimitate, amplitudine et pulchritudine reliquas omnes regiones exsuperat, quantum ejus habitatores sapientia, nobilitate et prolixitate reliquarum omnium regionum habitatoribus præstant. Si de sublimitate illius urbis certior fieri cupis, solem et lunam et stellas cæteras intueri. Unde est enim, ut aliquæ stellæ tam exiguæ nobis esse videantur, cum tamen earum globi terræ magnitudinem facile vincant, nisi ex eo quod inter eas, et nos pene immensa spatia intercedunt? Quantam igitur sublimitatem urbem illam obtinere dicemus, quæ super omnes montes, super omnia elementa, super omnes cœlos supra mutationum et temporum omnium vicissitudines posita est? Porro amplitudinem non minorem esse, quam sublimitas ipsa sit, ex eodem siderum aspectu cognoscere facile possumus. Si enim eæ sunt magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati sumus, sique principes orbis terræ tantum spatium omnes simul in potestate non habent, quanta est unius exigui sideris magnitudo; et si stellæ innumerabiles lucent in cœlo, et multo etiam plures in eo esse et lucere possent, quanta tandem cœli ipsius amplitudo et capacitas erit? Vere igitur Propheta Baruch exclamavit: *O Israel, quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus.* Jam vero quid de pulchritudine, elegantia atque amœnitate paradisi deliciarum dicemus? Noster hic orbis terrarum, qui stabulum pecudum et locus exilii et valis miseriæ et lacrymarum est, tanto artificio

ab illo summo architecto fabricatus est, ut non domus belluarum sed hortus deliciarum esse videatur. Obsecro, quæ species hujus amplissimi theatri? Quæ pulchritudo hujus maximæ domus, quæ cœlum ut tectum aureum, et terram ut pavementum floridum habet? Et in ipso solo terrarum, quæ celebritas oppidorum? quæ majestas urbium? quæ maria? qui lacus? quæ flumina? quam venustas silvarum? quæ species collium? quæ amœnitas vallium? Vere potissimum incunte, cum cœlum serenum et aer tepidior esse solet: terra vero ubique parturit herbescentem viriditatem, et prata floribus vestita et quasi coloribus variis depicta cernuntur, et omnes arbores folia, omnes vineæ pampinos, omnia arva fruges proferunt. Et si hæc ita se habent, quantum artificii eundem illum mundi conditorem et parentem Deum in illo cœlesti domicilio ædificando posuisse par est, quod prætorium imperatoris, paradus voluptatum, et vere hortus deliciarum regum et principum est? Si ejus domicilii partem exteriorem, quam hinc spectare nobis etiam licet, tam illustrem et tot luminibus quasi tot lapidibus pretiosis gemisque clarissimis ornatum esse Deus voluit: quid de parte interiore, quam soli beatorum oculi cernere possunt, suspicari et cogitare debemus. Sane Apostolus et Evangelista Joannes in Apocalypsi, verbis forte se non quibus voluit, sed quibus potuit, urbis illius pulchritudinem et majestatem expressit, cum ait: *Erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo: et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis, et platea civitatis aurum mundum tamquam vitrum pellucidum. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus Omnipotens templum illius est et agnus. Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* Hæc est descriptio civitatis cujus pulchritudinem usque adeo regius Proheta miratur, ut dicat: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria*

Domini: beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quia melior est dies una in atris tuis super millia. Et si in atris tanta venustas, quanta in domo interiori, in aulis, in cubiculis erit?

Verum enimvero, auditores, præcipua laus civitatis est, si multos sives, si nobiles, si quietos, et tranquillos habeat, quæ omnia in hac nostra, de qua loquimur urbe, singulariter eximia et præstantia sunt. Numerus enim cœlestium civium plane innumerabilis est. Nam si de Angelis sanctis loquamur, nonne Job sanctissimus ait: *Numquid est numerus millium ejus?* Et David Propheta: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantur.* Et S. Daniel: *Millia millium ministrabant ei, et decies mille centena millia assistebant ei.* Et ipse Dominus: *Putas quia non possum rogare Patrem meum; et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Denique magnus ille Areopagita Dionysius nonne ait, multi sunt beati exercitus supernarum nientium infirmam et constrictam excedentes posteriorum materialium numerorum commensurationem? A qua sententia, neque D. Athanasius, neque D. Hieronymus, neque B. Gregorius neque alii nonnulli sancti et eruditi Patres abesse videntur.

Si vero de sanctis hominibus, qui illam urbem habitabunt, sermo sit, audite quid in Apocalypsi B. Joannes se vidisse commemorat: *Vidi, inquit, turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Neque vero multitudo tanta confusionem, sed potius summus ipsius ordo pulchritudinem et decorem maximum pariet.

Jam vero, quid de nobilitate cœlestium civium dicemus, quando triumphatores, reges, principes, Dei filii et Dii quodammodo, quod nomen longe clarissimum est omnes cœli habitatores erunt? Siquidem ex omnibus gentibus et tribubus et linguis et populis, ex omnibus regnis et provinciis orbis terræ, et ex omnibus horum inibus, qui sunt, erunt et fuerunt, summa tantum nobilitas et ipse flos eligetur. Cum summus Pontifex in supplicationibus procedit, toto senatu Patrum purpuratorum eum prosequente, mirum est profecto studia et concursus hominum cernere, qui ad illum intuendum conflunt. Quale igitur spectaculum erit, omnem illam

innumerabilem multitudinem beatissimarum mentium et illustrissimorum hominum unico intuitu spectare? Res ista sane ejusmodi est, ut si attente, diligenterque cogitetur, attonitum hominem et stupefactum reddere possit. Quid? unus angelus dumtaxat etiamsi infimi ordinis sit, multo pulchrior est, quam id omne, quod oculis corporeis conspici potest. Quid igitur erit, non Angelum unum, sed omnem exercitum angelorum spectare, et omnium munera ac functiones et gloriam ac beatitudinem intelligere?

Porro tranquillitas et pax et animorum consensio quanta sit in eo loco, ipsum nomen civitatis declarat. Non enim sine causa Jerusalem, hoc est, visio pacis, appellata est. Itaque nec superbia in ea locum habet, quæ efficere solet, ut inferiores a superioribus contemnantur: nec invidentia, quæ inferiores contra superiores accendit; sed amor et caritas ubique dominatur et regnat, quæ bonum singulorum facit bonum omnium et bonum omnium efficit bonum singulorum. Ibi vere est corpus unum, cor unum et anima una, ibi Deus unus est omnia in omnibus. Unde, obsecro, fit, ut civis civem magis diligat, quam externum, et frater fratrem magis, quam alium hominem et caput pedem sui corporis magis, quam oculum alterius corporis? Nempe ex eo, quod cives urbem communem, et fratres domum communem, et membra ejusdem corporis vitam, victum et vestes communes habent. Quanta igitur conjunctio, quantus amor inter omnes beatos erit, quibus unus atque idem Deus, patria, palatium, vita, cibus, potus, indumentum ac demum omnia omnibus erit? Lætitia plane, quæ ex hac conjunctione nascetur, et quam singuli de beatitudine omnium capient, tanta erit, ut eam nulla oratio explicare possit. Si duorum sapientum et proborum hominum amicitia tam est dulcis, ut ille dixerit, solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e mundo tollunt, quam jucundum erit cum tot sapientissimis et optimis viris perpetuo conversari? Cum Apostolis loqui? cum Prophetis conferre? agere cum martyribus? cum Doctoribus et Episcopis sanctissimis vivere?

Cogita igitur qualis tibi dies illucescet, si probe ac religiose viveris? quando emenso vitæ hujus brevissimo curriculo a morte ad immortalitatem transibis, et in portis felicissimæ illius urbis primum vestigium pones, ubi perpetuo festi dies aguntur in eorum gra-

tiam, qui ex hoc prælio hostibus devictis, et spoliis inimicorum onusti, locum illum triumphis sanctorum consecratum, ingrediuntur. O quale gaudium animus tuus percipiet, cum tot principes nobilissimi tibi adveniendi occurrent, in amplexus et oscula ruent, de adventu novi fratris inter se cum ingenti lætitia colloquentur, ac demum tibi undique circumfusi ad thronum summi imperatoris cum tympanis et organis te deducant, ibique victorias tuas prædicare incipient, atque recensebunt eleemosynas, jejunia, orationes, integritatem atque innocentiam vitæ, patientiam in adversis, moderationem in prosperis. denique justitiam, temperantiam, castitatem, sobrietatem. O qualem voluptatem ex singulis tuis bonis operibus capies. O quomodo tunc pretium ac dignitatem virtutis intelliges.

At ubi in portu tranquillissimo et tutissimo te positum cogitabis, et oculos paulisper convertes ad oceani fluctus, super quos transivisti, et scopulos, vada, procellas, vim ventorum, æstum aquarum et prædonum ac piratarum multitudinem intueberis, o quam vehementer evasisse te gaudebis? O quibus verbis liberatori ac Deo tuo gratias ages? O quam sæpe repetes: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus inferno habitasset anima mea*, et tum potissimum, cum numerum illum infinitum pereuntium videbis, et te unum ex numero liberatorum et felicitium esse cognosces. O regnum beatissimum! O incolæ beatissimi! quibus jam tentationes et insidiæ longissime recesserunt, jam gladiis et loriceis, palmæ et diademata successerunt: jam tuto somnum et quietem capere possunt oculi, quos assiduæ vigiliæ atque excubiæ apertos tenuerunt. Jam Sanctus Hieronymus a jejuniis et lacrymis, et pectoris tensione cessare potest. Jam Beatus Paulus et Beatus Antonius qui solitudines desertissimas sectabantur, ut occasiones peccatorum fugerent, sine periculo versari in medio foro cœlestis Jerusalem possunt. O lætissima patria! O dulci gloria! O societas fortunata! O mater nostra Jerusalem! cujus fundamenta in montibus sanctis, ad quos nec jacula hostium cruentorum, nec sibilus antiqui serpentis, nec turbines aut nimbi, aut procellæ pervenient: Temeritas videtur concupiscere te, sed quisnam vivere sine tui desiderio potest? *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.*

Filii Adam, hæc patria vestra : oves Christi, hoc vestrum ovile, hæc pascua vestra : columbæ seductæ non habentes cor, hic vester nidus, hæc requies vestra. Quid agitis? Quo curritis? Quid persequimini? Cur tantum bonum, tam leviter vobis eripi sinitis? Cur non fortiter tanto stipendio proposito dimicatis? Hic tempus certaminis, illic triumphii. Hic sementem facere, ibi metere oportet. Cur uvas colligitis antequam maturescant? Cur otio et voluptatibus ante tempus vacamus? An nescitis quid Jeremias Propheta clamet? *Omnis homo, qui comederit uvas acerbæ, obstupescant dentes ejus.* Nunc æstus viget, nunc uvæ acerbæ sunt : nunc æstus ferendus et tolerandus est. In cælo autumnii jucunditate, et uvis maturis frui licebit. Qui vero hæc non intelligens uvis

acerbis hic vesci voluerit, maturas certe nunquam habebit. Et non miretur, si dentes ejus apud inferos obstupescant. *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Lux nostra Dominus Christus, hic sedit, hic jacuit, honores fugit, despici voluit : at post obitum tandem surrexit, gloria et honore coronatus in cælum ascendit. *Vanum igitur vobis ante lucem istam surgere, sed Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doleris.* Nunc sedeamus, fratres, nunc humiles simus, nunc laboremus, nunc nesciri cupiamus. Tunc autem *Cum dederit dilectis suis somnum,* plane somnum, mortem placidam et jucundam : *Ecce hæreditas Domini :* tunc surgemus, et honoribus, ac voluptatibus per Christum perfruemur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO V.

DE MISERIA HUMANÆ VITÆ

SYNOPSIS

Prælibata utilitate, ex jugi miseriæ humanæ et vitæ fragilitate consideratione, resultante, thema concionis ex cap. XIV Jobi desumitur. Ubi primum adducitur, ex quam vili materia homo compositus sit, nempe ex terra, eaque abjectissima: cujus memoriam vel ipsum nomen homo, ab humo deductum, refricat. Hominis conceptionem omnium etiam plantarum productione fœdiore non esse, uti ote a qua Christus ipse abhorruit, et a virgine, non a femina corrupta, concipi voluit. Status miser fœtus in utero materno inclusi describitur. Miseria parientis, infantis nuditas et indigentia explicatur; et quantum a superbi abstractere debeat hominem ortus innotescit. Humanæ vitæ brevis pingitur, et quam variis rebus ea a variis comparetur, narratur. Quam mirum sit, hominem mori, cum tamen ex forma constet immortalis. Quamvis sit miseriarum humanarum magnus Oceanus, tamen paucarum hominem esse capacem, vel ex historia Amanis vel experientia probatur. Deinde particulatim miseriæ singulorum sensuum, imaginativæ, intellectus tam speculativi, quam practici, et voluntatis pulcherrime, ut omnia, declarantur; atque ætatum singularum calamitates breviter perstringuntur.

Alterâ pars producit miserias, quæ homini a rebus circumstantibus evenire consueverunt, nimirum a cælo et elementis, a brutis, ab hominibus, a Dæmonibus, ab Angelis, a Deo ipso, imo a se ipsô. Fragilitas humanæ vitæ, ejusque causæ, ostenditur; fallacia et instabilitas ejusdem rationibus et similitudinibus demonstratur. Inter tot miserias hinc non esse postremam, quod Deus omnia mala præ-

sens observet. Miseriarum vero ultimam esse mortem; cujus cogitationem superbiam domare, pavonis exemplo docetur. Et quia nec brevissima vita certa est, idcirco epilogus nos ad vigilantiam duabus similitudinibus viam munit, convivæ scilicet de venenato aliquo cibo inter cæteros admoniti, et militum in præsidiis excubitorum, ut hoc modo expediti Christo occurrere possimus.

Nihil est, auditores optimi, quod ita mundi deceptiones et rerum præsentium vanitatem ante oculos hominum ponat, ut incertitudinis, brevitatis, fragilitatis et aliarum æruinarum et calamitatum humanæ vitæ quam attenta diligensque consideratio. Omnis enim humana superbia et universa mundi gloria, cum vitam ipsam humanam tamquam sedem et fundamentum habeat, certe non potest diutius permanere, quam vita ipsa permanet. Itaque divitiæ, dignitates, honores, magistratus, et alia, quæ homines hic in terra suscipiunt, sæpe quidem adhuc viventem deserunt: numquam tamen longius, quam usque ad sepulcrum hominem persequuntur. Tunc enim cum fundamentum ædificii ruit, totum ædificium ruere necesse est. Quare si verum est, quod ille gravis poeta dicere solebat, vitam præsentem nihil aliud, quam umbræ somnium esse, quid tandem humanæ gloriæ pompa erit, quæ brevior adhuc et fragilior, quam ipsa vita est? Hæc sane consideratio oculos multorum aperuit, in illisque effecit, ut omnem hominum cæcitatem demirari inciperent. Quod ut in nobis quoque efficere possit, de miseriis humanæ vitæ, et perspicue et accurate, quantum in nobis erit, et temporis præscripti brevis patietur, hodie, sicut polliciti sumus, disseremus. Ac ut facilius, quæ dicentur a nobis, memoria custodiri possint,

notissima illa verba Job explicabimus : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.*

Statuæ atque ædificia, et alia id genus opera, non parum ex materia, ex qua fiunt commendari vel vituperari solent. Quare S. Job, doctor sapientissimus, quippe qui eam ab ipsa experientia, optima rerum magistra, didicerat, ne aliquid in hac descriptione humanarum calamitatum desideraremus, ab ipsa materia, ex qua homo compositus fuit, exordiri voluisse videtur, cum ait : *Homo natus de muliere.* Homo enim quemadmodum ex duabus partibus maxime differentibus constat, quarum una nobilissima, altera abjectissima est, sic etiam duo nomina habet, unum summæ nobilitatis, alterum extremæ abjectionis et humilitatis. Nunc enim vir quod nobilitatis ; nunc homo, quod abjectionis nomen est appellatur. Et viri quidem appellatio formam, hominis vero materiam, ex quibus hoc animal compositum est, designare videntur. Job igitur non viri, sed hominis nomine uti voluit, ut materiæ ignobilitatem ostenderet, ex qua hoc animal supersuberbissimum constat. Homo enim ideo ab humo dictus est, quod ex humo effectus et procreatus sit. Quocirca primus homo Adam ab ipso Deo nominatus est. Nihil enim aliud Adam significat, si Magno Gregorio fidem adhibeamus, quam rubram terram. Quod etiam ad augendam hominis ignobilitatem facit. Nam cum terra multis generibus contineatur, nulla tamen rubra pejor ac sterilior invenitur. Neque vero terra quælibet, sed limus, quæ pars sordidissima est, ut Scriptura divina testatur materia humanæ constitutionis fuit. Inter omnia elementa, terra ultimum locum tenet, inter omnes terræ partes nulla est limo vilior atque abjectior. Quare ex ea materia conditus homo est, qua nulla vilior atque abjectior invenitur. Quod sane Ægyptii veteres intelligebant. Qui cum annis singulis diem suum natalem celebrarent, illas herbas in manibus suis gestare solebant, quæ in cœnosis paludibus oriuntur. Hæc enim ceremonia significare volebant, naturæ cognitionem atque affinitatem, quæ nobis hominibus cum juncis, et paleis intercedit, cum utrique quasi communem parentem, limum ac cœnum agnoscamus.

Sed tamen hoc ab illis nos differimus, quod nostra in uteris matrum conformatio

atque ortus, multo fœdior ac sordidior, quam herbarum illarum est : id quod noster doctor expressit, cum ait : *Natus de muliere.* His enim paucissimis verbis, non paucas humanæ conditionis miseras complexus est. Primum enim ipse modus, quo in uteris feminarum homines conformantur, non est res digna, quæ narretur aut conspiciatur ; sed clausis oculis transeundum est, ne rem tam fœdam atque horribilem intueri necesse sit. Sed unum dicam, usque adeo fœdam hominum conceptionem esse, ut ille clementissimus Dominus, qui omnes nostras ærumnas et calamitates perpeti decreverat, ut ab eis nos liberaret ; tamen hanc unam ferre nullo modo voluit. Et qui sibi turpe non esse judicavit, conspui, vinciri, verberari atque in crucem agi, tamen indignum omnino sua majestate censuit, ut ad eum modum conciperetur, ad quem reliqui homines concipi solent. Itaque non ex muliere femina vitiata, sed ex virgine castissima atque integerrima ; neque viri alicujus, sed Spiritus sancti opera nasci voluit.

Deinde cum homo jam conceptus est, nonne maximæ calamitates sunt, spatio tot mensium in utero matris tamquam in carcere vitam degere ? angustissime et in tenebris habere ? fœdissimi domicilii odorem teterrimum haurire ? stercoribus atque urina involutum esse ? ad matris terga vultum conversum habere ? per umbilicum alimenta sumere ? per os matris reddere aerem et accipere ? in momentis singulis de vita periclitari ? Atque hæc omnia verissima sunt, et illis duobus verbis exprimuntur : *Natus de muliere.*

Jam vero cum in lucem prodeundum est, nonne miseria inexplicabilis vobis esse videtur, ut plerumque puer nondum natus parricida sit, et ei vitam auferat, a qua vitæ beneficium recepit ? Et quamquam hoc non semper accidat, semper tamen eos dolores mulier in pariendo tolerat, quos nunquam suspicata esset. Qui quidem dolores, quam vehementes atque atroces sint, vel ex eo intelligi potest, quod sacræ litteræ cum magnum aliquem cruciatum significare volunt, dolorem paturientis dicunt.

Sed aliam adhuc miseriam, id illis verbis : *Natus de muliere,* latere video. Nam cum mulier res mollis, infirma, debilis, inops consilii et virium sit, qui nascitur ex muliere, quomodo fortis esse poterit ? Atque rem ita se habere experientia ipsa clamat. Nascitur

enim homo nudus, inermis, infirmus, ignorans, omni consilio et auxilio destitutus. Ambulare non potest, loqui nescit, neque seipsum juvare, neque aliorum opem implorare novit. Denique nihil ei aliud libet quam plorare, nimirum ut nobis suas miseras explicet. Nascitur enim ad laborem, exul a patria, inimicus Dei, paucos dies victurus, et illis ipsis diebus quietem nullam habiturus. Animantia cætera cum vestibis suis nascuntur, quæ a frigore et calore ea defendunt. Alia enim squamis, alia plumis, alia pilis, alia tæstis operta, in lucem procedunt. Arbores etiam suos cortices, eosque interdum non simplices, sed duplices et triplices habent. Solus homo sine ullo genere vestium et omnibus cœli injuriis expositus nascitur. Rursus animantia cætera illa ipsa hora, qua ex uteris matrum procedunt, victum sibi quærere incipiunt. Alia natant, alia volant, alia repunt, alia gradiuntur, et sine ulla duce ad ubera matrum occurrunt. Solus homo nihil horum efficere potest, ne comedere quidem, nisi ab alio doceatur. Unum est dumtaxat, ut dicebamus, quod per seipsum novit, nempe flere. Id unum a magistro non accipimus, neque didicimus, sed ab ipsa natura arripimus, hausimus, expressimus. Quocirca omnes cum in hunc orbem ingredimur, ut artis, quam novimus speciem aliquod ostendamus, gemere ac plorare incipimus. Solum enim Zoroastrem ea die, qua natus est, risisse antiquitas tradidit. Neque enim boni aliquid monstrosus ille risus portendit, ut Augustinus Doctor sapientissimus annotavit: siquidem magicarum artium primus auctor atque inventor fuit.

Ecce igitur ex quibus principiis illud animal oriatur, quo tamen ad superbiam se natum existimat, et omnia miscet, invertit, perturbat, subigit terras, fatigat maria. Neque ipsum orbis totum capere posse videtur. Et cum hæc omnia facit, adhuc tamen neque iram compescere, neque libidines frænare, neque reliquos animæ motus coercere, neque seipsum vincere, neque Diaboli tentationibus resistere potest, ut se natum muliere, hoc est, ex infirmitate et mollitie semper recordetur.

Sequitur, *Brevi vivens tempore*. Ecce vobis aliam et non exiguam calamitatem. Tota natura vehementissime ac diutissime in hac humani corporis fabricatione laboravit, et vix ædificium ac exitum est perductum, cum vitium facere et ruinam minari, quin etiam

certissime ruiturum et casurum dicitur. Vix homo in orbem est ingressus, cum de egressione, ut cogitet, admonetur, et qui cum labore intravit, cum dolore exire compellitur. Ne vero nostra vita diuturna alicui videatur, audite sanctum Job, qui post illas multiplices tentationes adhuc centum quadraginta annos supervixit: et tamen de vitæ brevitate conqueritur: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore*. Et rursus: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est*. Jacob Patriarcha a Pharaone interrogatus, quot annos jam egisset, respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt; pauci et mali*. Ecce iste magnus Patriarcha centum triginta annos, paucos dies appellat, et vitam tot annorum brevissimam peregrinationem esse dicit, et nos pisces ephemerivi vix unum diem supervivimus, et nobis de vitæ diuturnitate blandimur? Quid S. David? nonne ait: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni? Si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor?* Itaque summa annorum nostrorum ad quam tamen non omnes perveniunt, septuaginta annorum est, in robustioribus autem octoginta. A quibus si primum eos annos detrahamus, quos infantia et pueritia absorbet: nec enim toto illo tempore vitam hominis vivimus, nec ratione et consilio gubernamur: sed impetu quodam et motu ferimur, non secus ac si pecudes quædam mentis atque intelligentiæ expertes essemus, si rursus illud etiam tempus auferamus, quod nobis dormientibus præterit: nam cum dormimus, non modo non hominis, sed ne bruti quidem vitam agimus. Itaque tempus illud non vitæ sed mortis potius cujusdam esse videtur. Quocirca eleganter latinus poeta consanguineum lethi soporem esse dixit. Si, inquam, omne istud pueritiæ et somni tempus auferamus, quod superest, vix spatium quadraginta annorum erit. Quod si cum æternitate conferatur, quid brevius, quid vilius, quid abjectius hac nostra vita cogitari potest? Fingite animo vos in clauso atque obscuro aliquo cubiculo scintillam unam videre, quæ paulisper discurrat et confestim postea extinguatur, et ei vitam humanam simillimam esse minime dubitetis. Ut enim ea scintilla, et ante et retro tenebras habet; ipsa vero lucet quidem, sed ubi modicum volitavit, extinguatur: sic humana vita tempus præteritum et præsens et futurum habere dici-

tur; sed tamen et præteritum nihil est, et futurum nihil est; utrumque enim obscurum et mortis tenebris involutum atque obrutum est. Solum præsens aliquid vitæ et luminis habet, et hoc ipsum vix esse cœpit, cum extinguitur. Hinc videlicet quidam Philosophus, cum interrogaretur, quid de vita humana sentiret, in orbem semel se convertit, et abiit, illud sine dubio significare velens, nihil aliud esse vitam nostram, quam incitatissimam conversionem. Hinc etiam Apostolus Jacobus vaporī vitam humanam comparavit. Et veterum sapientum alii pisci ephemero, qui eodem die, qua nascitur, moritur: alii palmo: alii puncto: alii flammæ, quæ ex stuppa vel paleis excitatur: alii bullis, quæ ex guttis pluviarum in aquas decidentibus oriuntur: alii fœno: alii flori: alii herbæ: alii umbræ, alii somno, vitam humanam similem esse dixerunt. Pindarus nec umbram nec somnium; sed umbræ scmnium appellavit. Quid somnio vanius? Quid nihilo vicinius quam umbra? Quid igitur humana vita erit, si non umbra, sed umbræ somnium est. Neque hæc rethorica amplificatio vobis videri debet, auditores: nam si tanta moles, quanta hic est totus orbis terrarum, vix punctum unum esse videtur, si cum cœli amplitudine conferatur, quid erit brevitās vitæ nostræ, si cum illa infinita sæculorum æternitate comparetur?

Rem plane admirabilem ac monstruosam contingere in vita humana videmus, ut homo vix natus moriatur, cum tamen formam habeat immortalem. Res cæteræ quamdiu forma ipsorum manet, tamdiu etiam ipsæ manent. Non corrui domus, si non ejus forma ac figura dissolvitur. Non moritur brutum, nisi ejus anima, quæ forma ipsius est, esse desinat. At homo formam habet, quæ numquam dissolvitur, videlicet animum compotem rationis; et tamen ipse vix ad brevissimum tempus vivit. Sed alia res longe adhuc monstruosior in hoc animali conspicitur, quod cum ratione et consilio præsit, et vitam præsentem umbræ somnium esse sciat, futuram autem finem ac terminum nullum habituram, vigilantissime tamen vitam præsentem, quæ hodie est, et cras non est prospiciat; de futura autem, quæ est æterna, ne cogitet quidem. Nescio quod monstrum aut portentum unquam inveniri poterit, si hoc monstrum aut portentum non est.

Sed jam cætera videamus. Vitam humanam brevissimam esse doctor noster sanctus

Job hactenus docuit. Audite nunc, quo pacto nos consoletur, ut æquo animo hanc brevitatē toleremus: *Homo, inquit, natus de muliere, brevi vivens tempore.* Quid dicturum illum putatis? jucunde, quiete ac tranquille vivit? Audite: *Repletur multis miseriis.* Singula verba emphasim habent. *Repletur,* inquit, usque ad summum, ita ut locus nullus vacuus relinquatur. Et quo liquore impletur? *Miseriis.* Et quot nam? Tribus aut quatuor? Non est ausus eas numerare, quia numquam sinivisset. Idcirco breviter ait: *Repletur multis miseriis.* Ac primum quidem, auditores, etiamsi miseriæ nostræ paucissimæ essent, adhuc tamen homo facillime repletur. Siquidem angusta vasa facile complentur. Humanum autem cor, sicut ad bona recipienda capacissimum atque amplissimum est, ita ut res omnes creatæ ipsum explere non possint; sic ad mala toleranda angustissimum esse videtur, ita ut vel minima calamitate possit repleri. Exempla sunt ad manum. Cum noctu in tuo lectulo te ad dormiendum composuisti, si pulex unus in aurem ingrediatur, nonne ita te torquet ac vexat, ut noctem totam insomnem ducas? Ita sane. Cur ita? Nempe quia homo calamitatibus facile repletur. In libro Esther nunquam legistis, quid principi cuidam illustrissimo, nomine Aman, aliquando contigerit? Erat is nobilissimus omnium principum, qui in aula Assueri regis versabantur, divitiis, honoribus, potestate, splendore et rebus omnibus affluebat, quas mens humana desiderare potest; tamen quia Mardochæus Judæus quadam die caput sibi non aperuit, ita commotus ac dolore atque ira repletus est, ut Scriptura divina de eo testetur, ac dicat: *Reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos et Zares uxorem suam, et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.* Quin etiam de omni gente Judæorum delenda propter hanc unam causam cogitare cœpit. Sed Deus in caput ipsius omne malum, quod Judæis paraverat, convertit. Num intelligitis, quam levis miseria hominem tam fortunatum plane miserum et infelicem red-

dere potuit? et quam exigua gutta fellis quam copiam mellis amaram efficit? Hodie quoque si mercator aliquis, qui multa millia coronatorum aureorum singulis annis lucratur, jacturam semel faciat quindecim obolorum, numquid non se mercatorem infortunatum, et cui nihil pro voto succedat, appellabit? Atque idem de ambitiosis et voluptuariis hominibus dicere possemus si per tempus liceret: facile ergo miseriis homo repletur, quia exiguum atque angustum vasculum est.

Sed numquid propterea solum? Non sane. Vere enim humanæ miseriæ multæ et magnæ sunt. Et cum vita nostra omnium aliarum rerum penuriam patiatur, solarum calamitatum maximam copiam habet; et cum ad reliqua brevissima sit, ad hoc solum sæpenumero valde diuturna est, ut multis ac variis miseriis homo miserrimus repleatur. Ac ut de peccatorum ac scelerum miseria nihil dicam, quæ tamen maxima est, et magnam partem occupat cordis humani, non est membrum, non est sensus, non est facultas in homine, quæ hic in terris suam gehennam non patiatur. Deinde omnia elementa, omnia animantia, omnes Dæmones, Angeli quoque, et ipse Deus contra hunc unum Adæ filium conspiciasse atque arma sumpsisse videntur.

Sensus tangendi, ut hinc potissimum ordiamur, quot generibus febrium, apostematum, ulcerum, plagarum et aliorum morborum affligitur? Plena sunt volumina medicorum ægritudinibus et remediis contra ipsas ægritudines; et tamen quotidie novæ species morborum, et nova contra ipsos remedia inveniuntur, et inter ipsa remedia utinam vel unum reperiretur, quod non vehementius, quam ipse morbus hominem ægrotum vexaret. Inediæ longissimæ, pharmaca amarissima, venarum incisiones, membrorum adustiones, dentium evulsiones, remedia morborum sunt, ut jam ego non mirer, si plerique hominum magis laborare et mori, quam remediis istis uti velint. Deinde eundem ipsum sensum tangendi, nunc immoderatus calor, nunc immoderatum frigus, nunc immoderata siccitas, nunc immoderatus humor lædit. Sensum autem gustandi modo fames, modo sitis, modo cibaria incondita, amara, acida, falsa discernant. Sensus olfaciendi, quot foetores, quot graves anhelitus, quot res male olentes ferre cogitur? Sensus audiendi, quot inju-

rias, quot maledicta, quot mala nuntia audit, qui veluti acutissimi mucrones cor ipsius transverberant? Et sensus videndi, quam multa non cernit, quæ vellet; et quam multa cernit, quæ non vellet?

Deinde cogitatio quam frequenter spectris, somniis, phantasmatibus deluditur? Si quem in loco obscuro ac deserto solum esse casu aliquo necesse sit, is quam vehementer laborat, ut cogitationem continere possit, ne monstra horrenda ac formidabilia sibi fingat? Tanta vero vis est cogitationis, ut nullo periculo imminente, erigi capillos, et frigidum sudorem erumpere, et nullo persequente hominem fugere et exclamare compellat.

Quid jam de intelligentia ac mente dicemus? Quæ ludibrio errorum exposita, sæpe falsitatem recipit pro veritate. Mihi sane de sectis innumerabilibus Philosophorum cogitanti, qui etiam de rebus levissimis altercantur, mens humana similis videri solet parvulo puerulo, cui nodus inextricabilis oblatu est, et ipse contendit quantum potest, ut eum solvat, et cum ex una parte nodus incipit aperiri, ille gestit, exultat, exclamat, et interim non videt ex altera parte nodum magis claudi. Sic enim Deus hanc rerum universitatem condidit, deinde menti humanæ illam inspiciendam objicit, atque ait: Rationes et causas harum omnium rerum scrutare, atque investiga, si potes; et simul mirabilem in ea sciendi cupiditatem insevit. Hinc hominum ingenia exerceri in rerum natura cœperunt. Sed quia rei veritas profundior atque obscurior est, quam ut ab humana intelligentia in corporis carcere constituta, erui possit; propterea in tot tamque varias sectas philosophi abierunt, et tot inter ipsos natæ sunt de rebus omnibus, etiam minutissimis, dissensiones. Ex quare mundus est ortus? Ex igne, inquit Heraclitus. Non est ita, inquit Anaximenes; sed ex aere. Erratis ambo, inquit Thales; nam ex aqua mundus constat. O quam egregie fallimini, clamat Democritus; cum ex atomis corpusculis principium mundus habeat: atque ita inter se altercantur, dum falsitas vestem veritatis induta omnes deludit. Hoc est enim quod Sapiens ait: *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio, usque ad finem.* Et rursus: *Hanc occupationem pessimam, id est, laboris et afflictionis plenam, dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.*

Sed major adhuc miseria practicam intelligentiam occupatam tenet. Nam quot modos, quot rationes, quot vias excogitat, ut ad gradus altiores ascendere, et in opinione atque existimatione hominum crescere possit? Quocirca vere Psalmographus ait: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Ut enim aranea toto vitæ suæ tempore in telis texendis occupatur, et ex suis ipsius visceribus extrahit ea fila, quibus retia ad muscas capiendas efficiat, et sæpe fit, ut cum aranea nihil mali suspicatur, famulus aliquis domum purgaturus accedat, et telam cum aranea scopis abreptam in ignem projiciat. Sic etiam magna pars hominum, omne suum ingenium, omnes suas vires consumit, vehementissimeque laborat, ut retia parata habeat, quibus muscas honorum et divitiarum aucupetur. Et cum multas muscas cepisse se gloriantur, et sibi quietem in posterum pollicentur, ecce mors, Dei administra, cum scopis diversarum ægritudinum adest, et homines istos in utramque aurem dormientes arripit, et in gehennæ incendium projicit, atque ita opus cum architecto simul in momento temporis perit.

Neque vero immunis a miseriis voluntas existit; imo vero quis numeret appetitus, amores, odia, suspiciones, zelotypias, spes vanas, invidias, timores et molestias voluntatis humanæ? Nihil sine formidine aggredi audeat. Si male agit, timet iudices, exilium, verbera, ignominiam, cruciatus. Si bene agit, linguas timet obtrectatorum, quid iste dicet, quid ille cogitabit? Iste nimis sanctum, ille hypocritam suspicabitur. Si dives est, timet latrones; si pauper, metuit creditores. Si amat, zelotypia illum consumit; si odit, odium illum excruciat. Deinde quis explicet, quanta cupiditate omnes flagrent statum suum cum statu alterius commutare. Omnes enim aliorum statum meliorem, quietiorem et beatiorem esse existimant, quam suum. Agricola mercatores, mercatores agricolas beatos appellant. Privati magistratibus invident potestatem et tribunalia; magistratus privatorum hortum, et tranquillitatem laudant. Clerici statum laicorum, laici statum clericorum tranquilliores esse contendunt: et hoc est argumentum, nullum plane non miserum atque infelicem esse. Cum nemo sua sorte contentus vivat, et *Laudent omnes* (ut ille ait) *diversa sequentes*, et ægros homines imitentur, qui nunc ad istam, nunc ad

illam lectuli partem se convertunt, et nusquam tamen quietem invenire possunt.

Intuere post hæc omnes ætates, quam imbecillis, quam ignorans pueritia, quam levis adolescentia, quam rapida juvenus, quam gravis et molesta senectus? Quid est puer, nisi brutum hominis figuram præ se ferens? Quid adolescens, nisi equus indomitus? Quid senex, nisi domicilium omnium ægritudinum et dolorum? Et in omnibus istis ætatibus quanta multitudine miserrimarum necessitatum obruimur? quotidie comedere, quotidie bibere, quotidie dormire, quotidie spoliari, quotidie vestiri, quotidie aliis innumerabilibus necessitatibus servire cogimur, et, quod multo miserioris atque infelicis est, tot laboribus et sudoribus occupationes istas nobis emere necesse est, ut jam mirum non esse videatur, si Democrito et Heraclito in mentem venit, ut eorum alter fletet semper, alter semper rideret: nempe ille miserias, iste vanitates humanæ vitæ sapientissime considerabat.

PARS SECUNDA.

Humanæ vitæ calamitates ita graves et multiplices sunt, ut Ecclesiasticus dicat: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium*. Beatus quoque Bernardus scribere ausus est, vitam præsentem paulo minus infelicem sibi videri ea, quam damnati in inferis gehennæ carceribus trahunt. Quis enim, obsecro, non obstupeat, si cogitare incipiat omnia quæ nos circumstant, in unum genus humanum sævire, atque impetum facere, quasi ea, quæ hactenus commemoravimus, ad sinum humani cordis miseriis replendum non sufficerent? Ille clarissimus fulgor quem solem nominamus, qui quasi quidam communis pater omnium viventium est, aliquando radiis suis ita sævit, ut omnia comburat; aliquando tam longe recedit, ut omnia frigore moriantur. Terra vero, quæ nostra communis mater esse dicitur, quot homines quotidie suis præcipitiis, voraginibus, tremoribus absorbet? Et si parentes nostri sic agunt nobiscum, quid de stellis et elementis cæteris expectabimus? Quid effundent in nos Luna, Saturnus, Mercurius, Mars? Quid facient maria? Quam

multos quotidie devorabunt? Et vere tot scopuli, tot vada, tot syrtes, tot Charybdes, tot loca periculosa inveniuntur in mari, ut difficillimum omnino sit evadere naufragium. Mors autem ab iis, qui vehuntur in mari, nunquam longius abest, quam sit asserum illorum crassitudo, ex quibus navis composita est. Quid jam de nostro aere dicemus? Nonne frequentissime levi de causa corrumpitur, et nebulas, caligines, pestes et ægritudines generat?

Neque vero animantia bruta principem suum hominem reverentur, et non solum leones, ursi, tigres, dracones et aliæ feræ majores, sed ipsæ etiam muscæ, culices, pulices et alia minutissima animalcula, mirum est, quam vehementer hominem torqueant, vexent, affligant, discrucient.

Atque utinam sola bruta nobiscum bella gererent et nihil ab ipsis hominibus timeremus. Verum non ita se res habet. Quid enim tot gladii, tot sagittæ, tot bombardæ, tanta copia pulveris tormentarii, tot mœles, tot machinæ, quas homines invenerunt, sibi volunt? Nonne plures gladius, quam morbus absumit? Ab uno Julio Cæsare, qui clementissimus fuisse dicitur, historiæ tradunt, undecies centena millia hominum in diversis præliis necata fuisse. Et si vir clementissimus id fecit, quid tot crudelissimos tyrannos fecisse suspicari et cogitare debemus? Quid? quod nec terræ, nec maria, nec loca deserta, nec publicæ plateæ, nec privatæ domus a furibus, latronibus, piratis, tuta sunt? Nonne ægrorum vastationes, urbium populationes, fortunarum direptiones, incendia domorum, vincula, verbera, ignominiam, plagas et ipsam mortem quotidie homines ab hominibus patiuntur? Et hoc est illud animal, quod politicum, quod sociale, quod humanum, et quod sine cornibus et unguibus nascitur, ut pacem et charitatem colat. Quid? quod non solum hostes, sed et amici, et pacis ac justitiæ defensores in homines sæviunt? Neque aliter fieri potest. Interrogate prætores et præsides urbium quot carceres, quot genera compedium ac vinculorum, quot supplicia, quot patibula, quot rotas paratas habeant; et in quos tandem? Nonne in homines? O homo, domus calamitatum, et adhuc domari non potes? Adhuc superbis? Adhuc erigeris? Et quot præterea sollicitudinibus et curis propter uxorem, filios, fratres aliosque conjunctos et neces-

sarios angitur? Si eos odit, odium illum excruciat; si diligit, amor illum consumat; si filiis caret, torquetur habendi desiderio; si eos habet, angitur amittendi metu.

Neque solum corporeos hostes, quos videre et evitare nobis licet; sed, quod multo est infelicius, etiam incorporeos, a quibus ipsi videmur, et quos videre non possumus, habemus. Dæmones enim qui callidissimi, sævissimi et potentissimi numero et viribus sunt, nihil agunt, nihil moliuntur, nihil cogitant aliud, quam quomodo tentare, decipere, lædere, ac in gehennam præcipitare homines possint.

Sancti etiam Angeli nonnunquam in homines arma capiunt. Qui enim Sodomam et Gomorrhæam cum habitatoribus igni et sulphure cremaverunt? Angeli. Qui centum octoginta quinque hominum millia in castris Sennacherib trucidarunt? Angeli. Qui tot plagis et mortibus Ægyptum affecerunt? Angeli. Qui cum Josue contra Chanaanæos et Jebusæos; cum Macchabæis contra Lyssiam et exercitum ejus pugnaverunt? Angeli. Qui denique cum, Theodosius imperator contra Persas et Sarracenos dimicaret, circiter centum millia Sarracenos in fluvium Euphratem præcipitaverunt? Angeli.

Neque Angeli solum, sed ipse etiam Deus interdum cum homine, tamquam cum hoste, se gerit: *Cur faciem tuam abscondis*, inquit Job, *et arbitraris me inimicum tuum?* Quid hoc est, Domine Deus? etiam tu qui parens et custos meus esse solebas, jam mihi bellum indixisti, et mecum, ut cum hoste, te geris!

Atque ad hæc omnia accedit bellum intestinum, quod homo secum perpetuo gerit. Quis enim non experitur inimicitias et contentiones appetitus et voluntatis, sensus et rationis? Quis non aliquando contrarias appetitiones, et contraria judicia simul habet, ut ipsemet homo seipsum non intelligat, ut nesciat ipse quid velit? Quis igitur jam non videt, quam vere Job dixerit: *Repletur mul is miseris?* Quis non cernit nunc vilissimum vermem, quem hominem nominamus, quasi in centro sphaeræ constitutum, ut ad eum omni ex parte miseriæ pluant, et omnia tela ac spicula dirigantur?

Sed jam quod sequitur videmus. *Qui quasi flos egreditur et conteritur.* Pergit enumerare præclaras conditiones humanæ vitæ. Eam enim brevem et miseram esse hactenus

docuit; nunc addit fragilem quoque et fallacem esse. *Qui quasi flos egreditur et conteritur.* Res sane pulcherrima et venustissima est flos; sed tamen idcirco nihil fit, quod nihil magis fragile et caducum inveniatur. Sic etiam homo, cum adhuc puer vel adolescens est, admirabili specie ac venustate præditus esse videtur: sed cur id magni fieri debet, cum omni vitro fragilius sit? Certe vitrum in multa sæcula integrum servari posset, si clausum in arca diligentissime custodiretur: at homo sive custodiatur, sive non custodiatur, diu servari non potest: siquidem mortis causam in venis et visceribus inclusam habet. Deinde quid hac nostra carnea domo fragilius, quæ unico aspectu dejici prosternique potest? Bullæ, quæ fiunt in aquis, tenui flatu dissolvuntur quædam sed non intuitu. At homo si ab aliquo venenato oculo conspiciatur, continuo languere incipit, et sæpe etiam moritur. O arx munitissima, quæ sine tonitruis bombardarum solo intuitu dejici potest! Neque vero mirandum est, si hoc pueris contingat, quorum adhuc est recens ædificium, sed quod viri jam maturi, levioribus aliquando de causis repente intereant, id vero aliquid justæ admirationis habet. Nam quis nescit, modicum frigoris, modicum caloris, aciculam unam, morsum unius exigui anguis, denique sexcentas res alias minutissimas hominem vita spoliare posse? Si quæras, quid Lucium Crassum, summum illum suæ ætatis oratorem, interfecerit, tibi Marcus Tullius respondebit, eum quadam die paulo vehementius dum oraret, incaluisse, inde septimo die lateris dolore consumptum. Quid? quod plerumque nulla ratio obitus hominum reddi potest? In Synodo Florentina litteris proditum est, Constantinopolitanum Patriarcham, nomine Josephum, vesperi sanum ac valentem in cubiculum se recepisse, et mortuum mane inventum fuisse. Neque id singulis centum annis semel contingere existimare debemus, ego enim senex certe non sum, tam multos tamen repente obiisse cognovi, ut longissimum catalogum nominibus repente sublatorum hominum possim implere. Verum enim vero, auditores, si sapienter rem totam consideremus, non mirabimur, hominis vitam plane fragilem, et caducam, et flori simillimam esse; sed contra jure mirari deberemus, si paulo firmior ac robustior esset. Si domum luteam plenam rimis videretis, miraremini, si levis impulsus eam dejiceret?

Non sane. Jam igitur quid miramur, si corpus humanum quod nihil est aliud, quam ex luto recenti compositum ædificium, levi flatu ventorum facile corrumpitur? Et cur, obsecro, tam facile cursus horologiorum impeditur? cur tam crebro sunt falsa? Cur aliquando penitus a suo cursu cessant? Nonne quia tot rotas, et tanto artificio constitutas habent, ut si vel una impediatur, omnes impediuntur? Quod si hoc in horologiis ferreis contingit, quanto facilius in humano horologio contingere poterit, quod majori artificio, et non ex ferro, sed ex luto fabricatum est? Non igitur nobis corporis humani fragilitas, sed animi humani stultitia admirationi sit, quæ super tam fragile fundamentum, tam altas turres erigere consuevit.

Porro altera miseria, quæ floris comparatione nobis significatur, deceptio est humanæ vitæ, quæ quidem maxima miseria est. Nam sicut virtus simulata duplex vitium est; sic ficta felicitas, duplex est calamitas. Si vita præsens talem se ostenderet, qualis est non multum ejus miseria nobis obsesset. Sed nunc ideo mirum in modum nos lædit, quæ falsissima est. Et cum sit fœda, pro pulchra se venditat: cum semper mutetur, stabilis et constans vult videri, cum sit brevissima, tam diuturnam se simulat, ut homines decepti ad omnes suas libidines explendas se tempus habituros credent, et adhuc ad pœnitentiam agendam satis multum spatii superfuturum. Flos cum mane colligitur, rubet, nitet, colorem denique maxime vivum et permanentem habere videtur, tamen paulo post marcescit, et omnem speciem ac decorem amittit. Sæpe etiam venustus ille color suavem odorem pollicetur et nihilominus si propius accesseris teterrimum odorem percipies. Talis est humana pulchritudo. Hodie adolescentem formosissimum videbis; cras, si levi febricula forte corripatur, pallentem, squalidum et mortis figuram præ se ferentem cernes. Cur ita? Nempe, quia *Homo quasi flos egreditur et conteritur.* Et illo ipso tempore, quo floret, tametsi oculis nostris, qui solam extremam superficiem intuentur, pulcher esse videatur, tamen si quod intrinsecus in ipsis viscerum recessibus lateat, cernere aliquo modo possemus, plane sepulcrum dealbatum hominem esse judicarem. Quid enim homo, nisi vasculum corruptum, in quo quicquid ponitur, statim corrumpitur; et quæ tam immunda cloaca reperitur, unde tot sordes et tam

graviter olentes et ex tot partibus egrediuntur? Multæ herbæ, nonnullæ arbores, aliquot etiam animantia odorem suavissimum spirant, cum homine vero satis præclare ageretur, si non foeteret. Ecce igitur quid sit, *Quasi flos egreditur et conteritur.*

Sequitur : *Et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Quarum duarum sententiarum posterior prioris explicatio est. Utraque autem magnam quamdam humanæ vitæ calamitatem declarat. Non enim solum brevis, misera, fragilis et fallax est, sed etiam instabilis atque inconstans. Est vero ab iis horologiis sumpta similitudo, in quibus umbra numerum horarum designat. Ut enim umbra ulla semper movetur, et spatium in horologio mutat, et horas diversas ostendit, tametsi stare oculis nostris videatur : sic etiam vita nostra semper est alia, et nec ad momentum temporis quidem quiescit. Ii qui navi vehuntur, licet jaceant, sedeant, dormiant, semper tamen iter faciunt, et spatio aliqua transmittunt. Sic et nos, auditores, laboremus, quiescamus, vigilemus, dormiamus, scribamus, legamus, quidquid voluerimus, faciamus, semper tamen magis ac magis ad portum nostrum, qui est mors, appropinquamus. Hinc videlicet, S. Job. dies suos velociores cursore fuisse conqueritur. Nam cursorem etiamsi magna negotia festinare cogunt, aliquando tamen etiam quiescere necessitas naturæ compellit. At anni nostri, nec ad punctum temporis propter ullam necessitatem quiescere permittuntur. *Fugit igitur homo velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.*

Aspicite nunc, auditores, atque intuemini homines ætates, et apertissime humanæ vitæ mutationes cognoscetis. Pueritia tam animo, quam corpore est imbecilla : Inventus animo imbecilla, corpore robusta ; ætas matura, et animo et corpore robusta ; senectus animo robusta, corpore imbecilla : ætas decrepita rursum, tam animo quam corpore imbecilla : *Fugit ergo velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.* Quid quod nunc sapiens, nunc insipiens, nunc letus, nunc mæstus, nunc sanus, nunc æger, nunc robustus, nunc imbecillus, nunc amat, nunc odit, nunc timet, nunc sperat, nunc ridet, nunc plorat, nunc vult, nunc non vult. Denique nec luna nobis tot facies ostendit, neque Protheus in tot formas se convertebat, chamæleon tot colores permutabat, quot sunt hominum quotidianæ ac pene repenti-

næ mutationes. *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?* O clementissime Pater noster Deus, non est satis, quod iste vermiculus, qui nominatur homo, vitam vivit brevissimam, miserrimam, caducam, fallacem et inconstantem? Cur etiam hoc ad cumulum calamitatum addis, ut tu Deus oculos ab eo nunquam removeas, et passus ejus numeres, et verba et cogitationes consideres, et tamquam severus magister nullum erratum impunitum dimittas? *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?* Quam crucem, quas molestias patit parvus puer, quam nec unam lineam recte ducere novit, cum magistrum sibi astare, et manum; et virgam attollere, et omnes erratus observare videt? Non minor formido nos occupatos teneret, auditores, si Deum a nobis nunquam oculos remove, et omnia opera nostra considerare, ut secundum ea nos judicet, aliquando cogitaremus. O nos miseros, auditores, si hæc intelligimus; miseres, si non intelligimus! Quod quidem maximæ parti hominum accidere, quis non videt? Quam multi enim reperiuntur, qui quasi illis reliquæ calamitates non sufficerent, etiam istam patiuntur, ut tamquam phrenetici vivant, et suas miseras non cognoscant? Jam intelligo quam sapienter B. Gregorius dixerit solos primos parentes nostros, qui beatitudinem status illius gustaverant, in quo illos initio Deus posuerat, miseras, in quibus versamur, plane intelligere potuisse. At nos eorum filii, qui in exilio nati, et in valle miseriarum educati sumus, sicut nihil de felicitate status illius novimus; ita parum omnino de nostri status miseriis intelligimus. Imo vero ita plerisque natale suum placet ut liceret, de exilio patriam, de carcere domum propriam facerent.

Verum neque hoc hactenus licuit, neque unquam licebit. Nam mors tamquam epilogus omnium calamitatum, omnium hominum vitam concludit. Hæc est illa ultima et maxima calamitas, quam fugere aut declinare nullus unquam potuit. Qui enim cum labore vivimus, cum dolore mori debemus. Nonnulli quidem fuerunt, qui se remedia contra mortem habere jactarent, sed et ii, quibus remedia ista promittebant, et ipsi, qui promittebant, perierunt, et se mendaces suos ipsorum exitu demonstraverunt. Quid? Patriarchæ mortui sunt, Prophetæ mortui

sunt, Apostoli mortui sunt, virgo Deipara mortua est, ipse Dominus Christus mortuus est : reges moriuntur, imperatores moriuntur, Pontifices moriuntur, et audebit aliquis sperare se non moriturum? Imo vero, auditores, vix homo conceptus in utero est, et jam ad mortem condemnatus est. Cum vero ex utero egreditur, ex carcere egreditur, non ut sit liber, sed ut ad patibulum deducatur. Itaque omnes idcirco fugimus velut unbra, et nunquam in eodem statu permanemus, qui perpetuo tendimus ad patibulum, sed alii ad unum miliare, alii ad duo, alii ad tria, alii ad plura progrediuntur atque hinc fit ut alii maturius, alii tardius moriantur.

Quæ cum ita sint, quis nostram stupiditatem et insaniam interpretetur? At patibulum pergimus et in itinere saltamus, ridemus, jucundi sumus, tamquam si ad nuptias pergeremus? Sed in hoc errore ideo versamur, quia nunquam de morte, ad quam maximis itineribus currimus, cogitamus. Pavo gloriosum animal, cum venustissimam illam rotam quam ex pulcherrimis suis pennis efficere solet intuetur, gaudet, lætatur, gestit, nunc istam, nunc illam partem suæ rotæ circumspicit. At cum in pedes, quos nigerrimos et turpissimos habet, oculos conjicit, continuo cum stridore et gemitu alas demittit, rotamque dissolvit. Ad eundem modum, auditores, non pauci reperiuntur, qui cum se divitiis atque honoribus afflixere vident, gloriantur, et sui ipsorum amore capti suam fortunam suspiciunt, se ipsos admiranter, nec non in multos annos, quid sibi sit faciendum, proponunt. Hoc anno, inquiunt, magistratum illum, anno sequente illum geremus; deinde provinciam illam administrabimus, tum palatium in ea urbe ædificabimus, cui hortos illos et illam vineam adjungemus. Atque hac ratione telas cogitationum in immensum extendunt, qui si aliquando pedes ipsi suos intuerentur? si extremum, si finem, si exitum suum mortem esse cogitarent, si dicerent aliquando: magistratus geremus, provincias administrabimus, palatia erigemus, et post hæc omnia quid erit? Certe moriemur, et hæc omnia deseremus. O quam celeriter alas dmitterent, superbiam exuerent, mentem, consilia, vitam et mores commutarent!

Sed age videamus, num hoc vitæ spatium saltem, etiamsi brevissimum sit, nobis tuto polliceri possimus; ita ut certo sciamus, nos usque ad annum quinquagesimum vel sexa-

gesimum sine dubitatione victuros? Non multum, auditores, laborandum est, ut hoc investigemus. Nam excepto rege Ezechia, cui Dominus annos quindecim donavit, experientia ipsa clamat, nec punctum temporis ita esse in nostra potestate, ut certe affirmare possimus, in illo nos non morituros. Sive enim comedimus, sive dormimus, sive iter facimus sive quiescimus, in periculis semper versamur. Quocirca non sine causa tam frequenter in evangelio Dominus clamat: *Vigilate, quia nescitis qua hora filius hominis veniet.* O si vim rationis hujus intelligere omnino possemus, quantum utilitatis atque emolumenti hodie ex hac una concione referremus! *Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora Filius hominis veniet.* Quod est idem, ac si apertius dixisset: Quia horam illam nescitis, horis omnibus vigilate. Et quia diem illum nescitis, diebus omnibus vigilate. Et quia mensem atque annum illum nescitis, omnibus annis et mensibus vigilate.

At ut rem istam similitudine aliqua illustremus: Si ad convivium aliquod invitatus fuisses, et cum jam mensæ accumberes, et multa ac varia ciborum genera ante te posita cerneres, si familiaris aliquis tuus secreto te admoneret, ac diceret, in tanta copia ciborum unum quemdam esse, in quo venenum lateat: quid ageres? quid acciperes? quem cibum attingere auderes? Nonne omnes tibi suspecti essent? Ego sane sic arbitrator, etiamsi vehementissime esurires, tamen ne in illum incideres, in quo venenum latet, ab omnibus manum abstineres. Quæro nunc abste, quot annos adhuc te vivere posse putas? Dicturus es, fortasse circiter triginta aut quadraginta. Liberaliter tecum agam. Do tibi ut vivere possis etiam sexaginta. Jam igitur pro comperto habes, et hoc minime negabis, in aliquo horum sexaginta annorum mortem tuam latere, et penitus te ignorare, quis ille annus sit. Quæ cum ita sint, quomodo non omnes tuos dies suspectos habes? quomodo non omnes reformidas? quomodo non in omnibus vigilas? Non audes e tot cibus vel unum contingere, quia familiaris tuus, qui mentiri et te decipere potest, te admonuit de veneno; et non timebis neque vigilabis omnibus diebus vitæ tuæ, cum Deus, qui mentiri non potest, te admonere dignatus sit, in uno illorum dierum mortem tuam latitare? Quid, obsecro, responderi ad hoc argumentum potest?

Sed adhuc aliud argumentum audite. Cur

in aciebus et præsiidiis perpetuo milites excubare et vigilare solent? Nonne ex eo, quod nesciunt qua hora venturi sint hostes? Profecto enim si hoc scirent, multis vigiliis, et laboribus parcerent. Sed idcirco semper in armis, semper parati, semper vigilantes sunt, ne tunc forte dormiant, et inermes atque imparati inveniantur, cum hostes arcem oppugnare incipient. Cum igitur unusquisque nostram arcem unam, nempe animam suam, custodiendam acceperit, et quam arcem, auditores? nempe eam, quam ipse Dei Filius proprii sanguinis effusione a Dæmonum tyrannide liberavit: eam vero perpetuo hostes obsideant, qui nunquam dormiunt, et semper insidias et molitiones et machinamenta contra eam excogitent, et nos incauti, dissoluti, inconsiderati erimus? Hostis semper vigilat; nos semper dormiemus? Hostis non comedit, non bibit, non mercaturam exercet, non ambit honores, denique nihil penitus agit, ut totum se in expugnatione animarum nostrarum occupet, et nos omnia alia agemus, de omnibus aliis rebus cogitabimus, in omnibus solliciti ac diligentes erimus, et solum arcis nostræ propugnationem

negligemus? vigilemus ergo, vigilemus, quia nescimus diem neque horam.

Cum igitur, auditores, vita præsens talis sit, qualem audivistis, neque remedium ullum contra mortis venenum reperiatur, per Jesum Christum Dominum nostrum, et per salutem vestram vos oro atque obtestor, ut rebus vestris mature et sapienter consulatis. Et quoniam, nisi nos ipsos periculosissime fallere volumus, in rebus præsentibus spem nullam ponere possumus, obsecro, ut ad bona futura, animum, vota, cogitationes et contentiones nostras transferamus. Ibi, ibi, auditores, nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia: et tamquam ii, qui de rebus præsentibus desperabimus, regnum cælorum violenter ingredi statuamus. Neque nobis imperator deerit, quem sequamur, post octo dies dux Israel Jesus adveniet. Et quoniam sine sarcinis, sine impedimentis nudus et expeditus veniet, nos quoque sarcinas relinquamus, impedimenta abjiciamus, nudi et expediti Domino occurramus, ut hac ratione commodius et celerius in terram promissionis, cum ipso et per ipsum ingrediamur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIONES

SUPER

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL

ETC.

CONCIO PRIMA.

SUPER

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN NAZARETH, ETC. *Lucæ* I, v. 26.

Habita Lovanii Dominica prima Adventus.

SYNOPSIS

Significato instituto, de dominicæ scilicet incarnationis mysterio agendi, in primis breviter solemnitas Angelicæ legationis ostenditur, quam commendat mittentis dignitas, ejus ad quam mittitur præstantia, internuncii eminentia et negotii magnitudo. Occasio verborum, quibus utitur evangelista, indicatur *Cur* Christus æquinoctio verno conceptus, solstitio, hiberno natus; *Jouannes* vero *Baptista* æquinoctio autumnali conceptus et solstitio æstivo natus fuerit, duplex assignatur hujus rei misterium. Dignitas Angelorum excolitur; et *cur* Angelus ad *B. Virginem* missus sit, quatuor redduntur causæ. *Cur Gabriel*, upote summus aliquis Angelorum huic legationi sit destinatus, et quam bene nomen Gabriel, huic legationi conveniat demonstratur. Nominis Dei triplex etymologia, ejusque occurratio consideratio affertur, ex qua triplex nobis haberienda proponitur utilitas: nam fiduciam excidat, torporem expellit, ad vigilandum excitat. Quantopere deinde præsentia Dei consideratio nos a peccato abstrahere debeat, rationibus, et exemplo *Eremitæ scortum convertentis*, docetur.

Pars posterior de legationis loco et persona, ad quam directa fuit, agit. *Cur* Christus in Nazareth concipi voluerit tres causæ cum rationibus adferuntur; et quantopere Christus delectetur flore virginitatis et ætatis, ex occasione ostenditur. *Cur* *B. Virginis* consensum Deus

requisiverit. Cur itidem *Matrem Dei Virginem* esse oportuerit, rationibus quinque allatis declaratur. *Judæorum error* et *Basilio Magno* et *D. Hieronymo* refutatur. Quare *Maria* fuerit desponsata, ex *SS. Patribus* sex enumerantur causæ. Quali viro fuerit desponsata, ubi ejus cum *Josepho* comparatio instituitur. Tandem nomen *Mariæ* miris ut, par est, extollitur encomiis, et ut illud veneremur, gravis admoneat conclusio.

Dominici adventus sacrum tempus et sua celebritate et nostra consuetudine nos monet optimi atque ornatissimi auditores, ut conciones variis de causis hactenus intermissas nunc demum, Deo auctore, repetamus. Quia vero superioribus annis de Evangeliiis et epistolis, quæ hoc tempore inter sacrorum solemnium in Ecclesia recitantur, locuti sumus, iis in præsentiarum omissis, historiam dominicæ incarnationis, quam *B. Lucas Evangelista* conscripsit, quæque pulcherrima et suavissima, et tempori magis consentanea, Domino adjuvante, exponendam suscipiemus. Sed necesse est, antequam ad ipsa *B. Evangelistæ* verba explicanda veniamus, pauca dicere de magnitudine atque excellentia totius legationis, quam idem *B. Lucas* divinitus admonitus atque edoctus scribere instituit. Sic enim fiet, ut opus non sit a vobis petere, ut diligenter attentèque audiatis. Neque enim hoc argumentum nostra commendatione indiget, sed ipsum per se non attentionem ac

diligentiam modo impetrabit, sed etiam admirationem ac stuporem incredibilem excitabit.

Quatuor omnino res sunt, quæ legationem aliquam illustrare solent: auctoritas ejus ad quem legatio mittitur, dignitas mittentis, præstantia legati, pondus ac magnitudo negotii. Quæ quidem in hac una legatione, ita sunt omnia magna atque eximia ut talem alteram orbis terrarum nullo unquam tempore viderit. Is enim, qui legatum mittit, Deus est. Quid vero est Deus? *Magnus Dominus et rex magnus super omnes deos: qui solo nutu aufert spiritum principum, terribilis apud omnes reges terræ; rex regum et Dominus dominantium: cujus potentia, sapientia, bonitas, majestas, ita nullis terminis coercetur, ita nullo fine concluditur, ita modum et mensuram omnem excedit, ut ne suspicari quidem tantam magnitudinem cogitando possimus.* Ea vero, ad quam legatio mittitur virgo quædam est, quæ suam quidem a clarissimis viris, Patriarchis, Prophetis, ducibus, regibus originem trahit; sed eos omnes veræ nobilitatis splendore longo intervallo post se relinquit. Neque enim fuit unquam, neque deinceps est futura talis altera virgo, quam solam optimo jure lumen ac decus orbis terræ, domicilium virtutum, aciem sanctitatis, florem ipsum generis humani nominare possumus. Atque is, qui tanta legatione fungitur est Angelus Gabriel, virgine quidem, ad quam mittitur, divinæ gratiæ muneribus et charismatibus minor, sed certe naturæ præstantia et dotibus major. Unus enim est de magnis illis principibus ac senatoribus, qui in aula cœlestis regni divinorum Sacramentorum et mysteriorum consciis et participes astant perpetuo coram Deo. Jam vero de negotii magnitudine ac pondere, quod hac legatione peragitur, quid dicemus? Est enim ejusmodi, ut ab ea salus totius humani generis dependeat. Neque negotium majus aut admirabilius, aut nobis omnibus utilius, salutarius, suavius ulla unquam legatione confectum est. Hoc enim agitur, ut humana natura Dei Filio stabili matrimonio jungatur, atque hujus affinitatis gratia genus humanum æternæ morti adjudicatum de ipsis faucibus mortis eripiat et ad imperium cœleste ac sempiternum evehatur.

Quæ cum ita sint, necesse non erit a vobis attentionem aut diligentiam auscultandi petere: sed potius omnes simul, cum Apo-

stolo Paulo, a Deo nostro flagitemus, *Ut det nobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis nostri: ut cognoscamus magnum illud pietatis Sacramentum, quod ab Angelo nuntiatum, ab Evangelista conscriptum, ab Apostolis prædicatum, a mundo creditum, universa hoc tempore colit ac veneratur Ecclesia.* Veniamus nunc, si placet, ad initium hujus divinæ historiæ breviter explicandum.

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen virginis Maria, etc.

Exordium est hoc historiæ accurratissimum et pulcherrimum, quo tempus et locus rei gestæ, nec non personarum, quæ rem tantam peregerunt, nomina et conditiones brevissime describuntur. Exposuerat enim paulo ante B. Lucas Præcursoris Domini conceptionem, admirabilem illam quidem et miraculis prodigiisque plenam; sed nullo modo cum novitate et miraculo conceptionis dominicæ comparandam. Propterea cum dixisset: *Concepit Elizabeth, et occultabat se mensibus quinque, dicens: Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines: statim subjecit: In mense autem sexto, a conceptione videlicet Præcursoris, Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, etc.* Quasi dicere vellet, rem magnam exposui, mulierem videlicet anum et sterilem, præter omnem naturæ ordinem concepisse: nunc vero multo majorem et difficiliorem, nempe conceptionem, et partum virginis enarrare aggredior. Illud enim quamquam raro, aliquando tamen factum esse meminimus, et exemplum Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Anæ et aliarum nonnullarum steriliarum feminarum in ipsis divinis voluminibus legimus. Hoc vero, neque factum est unquam, neque fiet, ut merito de hac virgine ille Christianus poeta cecinerit:

Nec primam similem visa est, nec habere sequen-
[tem.]

Sed mysterium ejus temporis, quod sapientia Dei tam ad præcursoris sui conceptionem et nativitatem elegit, silentio præteriri non debet. Quis enim casu factum sibi

persuadere poterit, ut præcursor et Dominus quatuor præcipuos dies totius anni, duo æquinoctia et duo solstitia inter se quodammodo diviserint? Ut præcursor in æquinoctio autumnii conciperetur, in solstitio æstivo nasceretur, Dominus vero æquinoctium veris eligeret ad conceptionem, et solstitium hibernum ad nativitatem? Quid igitur hæc sibi volunt? si casu facta non sunt, ergo mysterio non vacant. Joannes (auditores) legem, Christus Evangelium significabat: propterea non immerito Joannes in æquinoctio autumnii? Christus in æquinoctio veris concipitur. Quemadmodum enim tempore autumnalis æquinoctii collectioni frugum et fructuum finis imponitur, cadunt folia de arboribus, omniaque, quæ in agris sunt arescere et interire incipiunt: Ita Joanne adveniente lex Moysis interitui appropinquabat, omnesque cæremoniæ illæ legales, et sabbata et neomeniæ et sacrificia, quasi arentia folia decidebant: *Lex enim et Propheta usque ad Joannem*: Et sicut, ineunte vere, novus annus inchoatur, et omnia virere ac florere incipiunt, erumpunt de vitibus et arboribus gemmæ, ac omnis ubique terra herbescente viriditate quasi vestitur; ita Christo ad terras descendente, novus populus, novæ leges, nova sacrificia, nova Sacramenta, novæ cæremoniæ inchoabantur. Et hæc deinceps sola virere ac florere, et per omnem terram disseminari ac propagari, augeri et confirmari oportebat. Joannes præterea hominis veteris; Christus hominis novi figuram gerebat. Proinde optimo jure nascitur Joannes in æstivo solstitio et Christus in hiberno. Quemadmodum enim in æstivo solstitio sole recedente dies minuuntur; in hiberno vero sole redeunte crescunt: ita Joannes adventu suo veterem hominem paulatim minui debere significabat; Christus autem novum hominem crescere jam oportere demonstrabat. Hinc est illa vox ejusdem Beatissimi Joannis: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Hinc etiam quod majus admirabilius est, scimus Joannem, quem minui oportebat, capite fuisse diminutum: Christum autem, quem oportebat crescere, in crucem sublatum, exaltatum actumque fuisse: recte igitur et divino prorsus consilio, sexto mense a conceptione Joannis, hoc est, die martii vigesima quinta, quo etiam die mundus conditus a multis non sine causa creditur, mundi liberator atque assertor, Patre mittente, Spiritu sancto operante, Angelo

nuntiante, virgine concipiente, in utero matris humana carne indutus apparuit. Atque hæc quidem de ejus tempore: nunc de ipso legato dicamus.

Missus est Angelus Gabriel. Angeli (auditores) mentes quædam sunt spirituales, sempiternæ, cœlestes ac prope divinæ. Eorum locus cœlum empyreum. Ibi enim tamquam præsides orbis ab imperatore Deo collocati sunt. Eorum divitiæ thesaurus quidam est infinitus sapientiæ. Eorum officium perpetuo amore creatoris ardere, ejus pulchritudinem et magnitudinem admirari, diligere et laudare et semper cum stupore clamare: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Porro naturæ præstantissimæ et pulcherrimæ sunt, adeo ut merito homines, cum aliquem a pulchritudine laudare volunt, eum Angelicam faciem habere dicant: merito quoque D. Ambrosius Angelos flores universitatis appellandos putaverit. Potentia vero tanta, tamque incredibili præditi sunt Angeli ut unus eorum pene in puncto temporis centum octoginta quinque millia hominum interfecisse legatur. Talis igitur tantusque nuntius multis magnisque de causis missus est. Primum, ut ex dignitate legati, auctoritatem mittentis et legationis magnitudinem intelligeremus. Deinde ut liberatio ruinæ responderet: et sicut olim ad nostram quærendam perniciem infernus motus est, et de grege suo malum angelum misit, qui mulierem in paradiso circumventam falleret, ac per eam primus Adam necaretur, et ejus morte nos omnes periremus; ita postmodum ad nostram liberationem procurandam moveretur cœlum, sanctumque Angelum de suo cœtu emitteret, qui virginem suo obsequio salutaret, et ex ea secundus Adam nasceretur, cujus gratia nos omnes a morte ad vitam rediremus. Præterea cum secunda persona divinissimæ Trinitatis carnem humanam susceptura esset, secundumque peccatum ejus adventu purgandum ac delendum (primum enim primi angeli, secundum primi hominis peccatum fuit) res ipsa postulabat, ut nuntium istud non alia quam secundum, hoc est, Angelica natura quod cum cognata sit Angelis virginitas, et in carne præter carnem vivere non sit humana vita, sed Angelica; nemo melius et congruentius, ad Virginem castissimam et integerrimam mitti potuit, quam Angelus. Quamquam enim conditione naturæ B. Maria homo; tamen vitæ puritate Angelus terrestris erat, et corpore quidem versabatur

in terris, sed certe vita, moribus, animo, desiderio, contemplatione, mentis fervore, perpetuo habitabat in cœlo. Quis vero melius ad Angelum terrestrem, quam Angelus cœlestis mitteretur?

Missus est igitur Angelus : Et Angelus non quicumque, sed *Gabriel* : quem non immerito Virginis custodem et non de minoribus aliquem, sed unum de primis et summis principibus esse, D. Bernardus hunc locum exponens, existimat, quamquam enim cæterorum hominum infimi ordinis Angeli custodes credantur : tamen ea, quæ Mater Dei et Angelorum regina quandoque futura et super choros Angelorum exaltanda erat, quid mirum, si unum de summis angelis custodem habuisse dicatur? Et licet multo crebrius minores, quam majores mittantur ; tamen et ad Isaiam unum de Seraphim volasse legimus. Et Apostolus ad Hebræos scribens testatur, *Omnes esse administratorios spiritus in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capient salutis*. Neque dicere possumus, divinum Apostolum non de omnibus sed solum de minoribus loqui. De iis enim sine dubitatione loquitur, de quibus paulo ante dixerat: *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Et: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?* Et: *Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* statim enim nulla interposita sententia sequitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis*. Jam vero quis dubitare potest, quis omnino Angelis, neque minoribus, neque majoribus, neque ipsis Cherubim et Seraphim, nunquam a Deo dictum fuisse; *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Et: *Sede a dextris meis*. Neque enim Angelorum quamvis excellentium et sublimium, sed Dei solius est sedere; illis vero tamquam famulis et administris stare et ministrare convenit. Itaque sicut pontifex maximus princeps Ecclesiasticæ hierarchiæ, communia et vulgaria negotia, per privatos homines procurat; sed legationes tamen ad summos reges, non nisi summis principibus purpuratisque senatoribus credit: sic etiam Deum hierarchiæ cœlestis caput ac regem, credibile est, ut plurimum minores Angelos ad terras mittere; sed tamen ad nuntia perferenda rerum maximarum, qualis imprimis Verbi divini

incarnatio fuit, non Angelos quoscumque, sed primos ac summos destinare.

Neque vero nomen Gabrielis a legatione dissentit, quid enim est Gabriel, si vim nominis considerare velis nisi fortitudo Dei? Quid autem fortius, potentius, mirabilius nuntiari poterat, quam Virginem parituram, creatorem creandum, æternum nasciturum, beatum passurum, immortalem moriturum, unum et eundem simul domi et foris, in patria et in exilio, in deliciis summis et in summis doloribus futurum? Denique eum, qui mundum totum pugillo complectitur, in utero feminæ unius claudendum? Quare merito jureque optimo Archangelus Gabriel tanti mysterii nuntius missus est. Qui etiam quod hujus Sacramenti præ cæteris Angelis arcana cognoverit, vel ex eo intelligi potest, quod ipse idem, et olim Daniele docuit numerum hebdomadarum, quæ supererant usque ad Christum, et deinceps pontifici Zacchariæ prædixit conceptionem, nomen, vitam et mores Præcursoris.

Venio nunc ad eum, a quo legatio missa est. Quis igitur legatum misit? Deus. *Missus est Angelus Gabriel a Deo*. Tribus modis Dei nomen exponitur, ut ex Theodoro et Joanne Damasceno intelligi potest. Nam et a verbo θεειν, quod est currere vel a verbo αἰθειν, quod ardere? vel a verbo θεᾶσθαι, quod est, videre vel providere, Dei nomen deduci posse censuerunt. Hæ vero expositiones omnes huic loco pulcherrime atque apertissime conveniunt. Nam si Deus a currendo dicitur quando, quæso, magis cucurrit, quam cum naturam assumpsit humanam? quando *Exultavit ut gigas ad currendam viam?* quando *Venit quasi caprea cervusque camporum, saliens in montibus, transiliens colles?* Si vero dicitur a comburendo, quando, quæso, magis vim flammarum suarum ostendit, quam cum *Ignem venit mittere in terram*, et eas faces amoris in cordibus sanctorum accendit, quæ nullis aquis tribulationum unquam restingui potuerunt? Si postremo a videndo sive providendo nomen Deus accepit, quando majore ratione Deus dici potuit, quam cum afflictionem nostram et miserrimam captivitatem vidit, et liberatorem potentissimum nostris providit? Nam ut Clemens Alexandrinus sapienter annotavit, in nulla re magis elucet sapientia Dei, quam in adventu Servatoris. Sicut enim princeps ille pictorum Apelles, ut refert Plinius, ex una subtilissima linea, summo artificio in tabula depicta,

α Protogene cognitus est : sic etiam Deus, ut provisor et procurator rerum humanarum agnosceretur, argumentum providentiæ per incarnationem Filii ostendit, quod nullum majus evidentius desiderari potest. Quid enim facere potuit Deus, quod non fecit? se ipsum nobis dedit; quid amplius postulabimus? Quis modo dicere poterit: *Dereliquit Dominus terram; circa cardines cæli perambulat nec nostra considerat?* Quomodo enim *dereliquit terram*, qui nullo suo commodo, ob solam hominum salutem descendit ad terram? Aut quomodo *Nostra non considerat*, qui civis noster, frater noster, os nostrum et caro nostra est, ut ærumnas et calamitates nostras tolleret, et bona sua omnia nobiscum communicaret? Qui hominis Filius factus est, ut nos faceret filios Dei? Et de cælo descendit ad terram ut nos de terra transferret ad cælum? Quæ cum ita sint, vere a Deo, hoc est, a currente, ab urente, a vidente et providente Angelus Gabriel missus est.

Sed nullamne nos utilitatem hinc capiemus? Neque enim solum Evangelicum exponere, sed etiam ex Evangelii expositionem admonendi et cohortandi sumere debemus. Nullamne igitur ex nomine Dei utilitatem capiemus? Imo vero, magnam omnino, si sapimus. Nam et fiduciam excitare, et torporem excutere, et vigilantiam comparare, ex ejus nominis interpretatione possumus. Primum, quantam fiduciam in quibusvis adversis rebus nobis Dei nomen afferret, si menti atque animo infixum haberemus, Deum nostrum, qui nostri curam gerit maximam nosque diligit vehementissime, tanta velocitate afflictis succurrere solere, ut a currendo nomen acceperit. Et quid causæ esse potest, cur non omni fiducia, omnem sollicitudinem nostram in Deum projiciamus? Ignorat fortasse, quid agamus, ubi sumus, quid toleremus? At ita omnia ubique videt, ut a vivendo nomen traxerit. Sed forsitan non potest nos juvare? At idcirco ab urendo nomen habere voluit, quod sit *ignis consumens*, et nihil omnino ejus potentiæ, virtuti, efficacitati resistere possit? Quid igitur superest? Num dicturus es: Videt quidem Deus et potest, sed non consuevit, nisi raro admodum miseris opem ferre? Minime vero. Nam propterea currens dici voluit, quam ubique summa, incredibili que celeritate semper accurrere, et omnibus se invocantibus atque in se confidentibus adesse soleat. Consule divinas litteras, nihil frequentius invenies, quam:

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Et: Nullus speravit in Domino et confusus est. Et: Quoniam in me speravit, liberabo eum. Et: Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Experti sunt profecto, nisi fallor, plurimi superioribus mensibus in illa bellorum et periculorum magnitudine, communique totius patriæ trepidatione, qualis clypeus sit fiducia in Deum. Certe enim parentem et propugnatorem habemus, cujus auxilium neque acies armatæ impedire; neque sagittæ globique tormentarii prævenire, neque valles, neque montes, neque flumina, neque maria, neque fossæ, neque mœnia, neque obstacula ulla retardare possunt.

Deinde ad torporem ex animis nostris excutiendum quantum valet, quæso, sæpe ac serio considerare parentem nostrum Deum, ignem consumentem esse, et ab urendo nomen accedissemus? Nam si filii Dei nominamur et sumus, parenti nostro persimiles, et si non ignes tamen igniti esse debemus. Quid? quod non solum ex divino igne nati sumus; sed etiam igne divino quotidie alimur? Quid enim est aliud corpus Dominicum, quo a Deo in hoc exilio pascimur, quam ignis spiritalis? Nec immerito, auditores, nascimur ex igne, et igne nutrimur, et ignes nos fieri necesse est. Siquidem elementum nostrum, quo tendimus, et in quo tamquam in loco naturali quiescimus, sursum est, cælum est. Sursum, quo non terra, non aqua, non etiam aer, sed solus ignis ascendit. Hinc enim Dominus præ aliis frigore torpentibus Judæis aliquando dicebat: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Ibat enim Dominus sursum, illi vero, qui marmorei ac ferrei erant, quo irent nisi deorsum? sed omittamus Judæos et nos ipsos consideremus. Vis, frater, conjecturam de te ipso facere, atque utcumque cogitare, an ad filios Dei Christique fratres et hæredes regni pertineas nec ne? Admove manus pectori, vide quid ibi reperias. Sentis cor tuum ardere? anhelas ad elementum ignis? ad cælestem patriam, ad sedes beatorum? Ardes desiderio Deo placendi, ejus honorem promovendi, animas proximorum adjuvandi? Num eos, qui tecum versantur, accendis? Num scintillæ divini amoris de corde tuo per os tuum prodeunt? Quid est, quod loqueris? Quid agis? Quid meditaris? Quo studia tua, et cogitationes tuas dirigis? Nam si Dei, hoc est, ignis es filius, et si igne spiritali aleris, non potest certe non ardere. Si

vero glaciem sentis in pectore, si perpetuo terram intueris, si de cœlo isti regno, quæ regio est ignis, numquam cogitas, si eos qui te tangunt, tecumque versantur, efficis frigidiores, male profecto tecum agitur, et nisi mature provides tibi, actum est de te. Istud enim frigus; quid aliud quam signum mortis est?

Sed ad postremum documentum, quod ex nomine Dei sumi potest, veniamus, scilicet quod ex hujus nominis consideratione ad vigilantiam excitemur. Hoc enim interest, auditores, inter deos Ethnicorum et Deum Christianorum, quod illi videntur, sed non vident; hic vero videt, sed non videtur. Nam *Simulacra gentium argentum et aurum: opera manuum hominum; oculos habent et non videbunt.* At vero Deus noster, quem *nemo vidit unquam*, quique *posuit tenebras latibulum suum*, et qui vere est *Deus absconlitus*, nihil est, quod non videat. Num enim, *qui finxit oculum non considerat?* Nonne *oculi Domini contemplantur in omni loco bonos ac malos?* et *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt et aperta coram oculis ejus.* Denique ita omnia videt, ut a videndo nomen trahere voluerit. Recte igitur veteres Ægyptii, Dei naturam exprimere volentes, oculum sceptro regali superpositum depinxerunt: nimirum, ut omnes eam imaginem intuentes intelligeremus, Deum nihil esse aliud, quam oculum omnia videntem, et auctoritate ac potestate plane regia, quod sceptro designatur, præditum, neque malum ullum impunitum, neque ullum bonum irremuneratum dimittentem. O utinam eam imaginem, oculum divinum sceptro regali superpositum exprimentem, semper in corde expressam haberemus, sicut habebat B Abraham, qui a Domino audierat: *Ambula coram me et esto perfectus*: et magnus ille Elias, qui tam crebro repetebat: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu hodie sto.* Et regius vates David, qui providebat *Dominum in conspectu suo semper*, ut ipse quodam loco in psalmis testatur. Equidem iste divinus oculus superpositus sceptro suo, et impressus cordi tuo, a quo tandem flagitio te non revocaret? Quis enim vel agere vel loqui, vel cogitare turpe aliquid auderet si ab oculo Dei videri serio existimaret? Nam si media nocte, cum solus in cubiculo es, et forte adulterium vel fornicationem, dæmone suggerente animo volvis, et ea cogitatione te oblectas, si te a me vi-

deri crederes, non saltem erubesceres? Sic opinor. Et tamen quis aut qualis ego sum? Homo peccator, conservus tuus, et qui in idem flagitium si Deus permetteret, facile possem incidere. Et qui tibi obest, quod te viderem? Num ego te perpetuis flammis adjudicare, vel saltem aliquo tormenti genere afficere possum? Nihil horum. Quid igitur fieret, quam vehementer erubesceres, quanta contentione cum vitiis pugnares, si tu quicquid agis, quicquid cogitas, quicquid moliaris etiamsi in abditissimis recessibus cordis tui deliteas, tamen ab eo cerni tibi serio persuaderes, qui te creavit et conservat, qui te sanguine suo redemit, qui te beatum et miserum facere potest, in cujus voluntate vita tua est, et cui nihil displicet magis quam peccatum? In mentem vobis, quæso, veniat sanctus ille Eremita, qui ad meretricem ingressus et flagitii committendi se cupidum simulans, secretius cubiculum petiit, in quod deductus magis remotum postulabat, affirmans emori se malle, quam in tali crimine deprehendi: ulterius autem ingresso aiebat scortum: En locum, ubi præter Deum nemo nos videre poterit, cui tandem ille ergone hoc parum tibi videtur, quod nos Deus videat? eamque materiam ita deduxit, ut quam meretricem invenerat, Dei gratia adjuvante, continentem relinqueret. Habetis igitur quantam utilitatem ex solo Dei nomine percipere possumus. Paulisper quiescamus et mox ad cætera veniamus.

PARS SECUNDA

Diximus de tempore legationis, de legato et de rege, a quo legatus missus est: superest ut de loco et persona, ad quam legatus mittitur, dicamus.

Sequitur igitur: *In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Hic est locus, quem Dei Filius præ omnibus locis orbis terræ adventu suo consecrare atque ornare dignatus est. Tres vero causæ potissimum mihi esse videntur, cur Nazareth potius quam aliam urbem Palæstinæ ad conceptionem suam Dominus elegerit. Primum erat Nazareth Galilææ civitas obscura, propter quod neque reges, neque prophetas, neque alios viros illustres, ut aliæ multæ civitates, unquam peperisset. Hinc est enim illa vox Pharisæorum ad Nicodemum: *Scrutare Scriptura, et vide, quia a Galilæa Propheta non surgit.* Et illa Natha-

naelis ad Philippum : *A Nazareth potest aliquid boni esse ?* Deinde in ea non Hebræi solum, sed etiam Ethnici versabantur, ex quo *Galilæa gentium* ab Isaia Propheta dicta est : *Terra Nephtalim et terra Zabulon via maris trans Jordanem Galilææ gentium.* Postremo, si nominis interpretationem quæras, sancta ac segregata et florens interpretatur. Dominus igitur in civitate Nazareth concipi voluit ; primum quidem quod sicut Nazareth obscura atque humilis habebatur, ita ipse non ut regnaret ac dominaretur, veniebat, sed ut serviret et contemneretur, ut malediceretur, ut occideretur, ut verbo et exemplo nos ad humilitatem mundique contemptum hortaretur. Deinde, quod sicut Nazareth Hebræos simul et Gentiles complectebatur, sic ipse et Hebræos et Gentes amplissimo sinu gratiæ et misericordiæ suæ complecti volebat. *Parum est, Dominus ait, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Postremo quod sicut Nazareth, licet obscura et vilis haberetur, tamen sancta, separata, florida interpretatur, sic ipse humilis, pauper, despectus esse voluit, sed non peccator : imo vero *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior cælis factus,* et omnium virtutum floribus ornatus sed potius non floribus ornatus, sed flos ipse *Candidus et rubicundus, flos campi et lilium convallium.* Candidus enim innocentia, rubicundus charitate : de quo Sanctus Isaias : *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini.* Ex eo vero, auditores, quod Christus *flos campi et lilium convallium* ex urbe florida, et mense martio, qui est mensis florum pulullare voluit, illud ego intelligo, eum vehementer delectari floribus, et licet omnes homines, qui serio recte vivere instituunt, recipiat, tamen singulari quodam amore eos complectitur, in quibus florem sanctæ virginitatis, florem suavissimi odoris invenerit. Sicut etiam quamvis nullam ætatem a pœnitentia et regno cœlorum excludat, tamen quis dubitare potest, eos esse Christo multo chariores, multoque ab eo vehementius diligi, qui non fæcem seneectutis, sed florem adolescentiæ in obsequium ejus consecrarunt ?

Sequitur : *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Mariæ.* Est hoc in more positum,

auditores, ut cum nuptiæ celebrandæ sunt, non ante matrimonium concludatur, quam sponsæ consensus requiratur. Ita quondam cum servus Abrahæ Rebecam pro Isaaco uxorem postularet, parentes et fratres respondisse legimus : *Vocemus puellam et quæramus ejus voluntatem.* Sic igitur et nunc cum esset humana natura Verbo Dei matrimonio copulanda, misit Deus Angelum suum ad virginem ut ejus quodammodo consensum et voluntatem requireret. Poterat quidem Deus, etiam Virginis non expectata voluntate, matrimonium istud concludere : sed tamen et majore cum merito Mariæ, et cum illustriore gratia et dignatione Dei ejusmodi voluntas expectata est.

Porro matrem liberatoris multis de causis virginem esse decuit. Primum, ne Filius Dei, quod turpissimum videri poterat, duos patres haberet. Deinde, ne qui peccata tollere veniebat, ipse in peccato nasceretur. Rursum ut sicut in cœlo patrem habet sine matre, sic in terra matrem haberet sine patre. Præterea, ut sicut Adam sine patre et sine matre natus est, nos vero ex utroque parente nascimur, Eva patrem habuit sine matre, ita unus esset, qui quadratum generationum impleret et ex matre sine patre nasceretur. Postremo, ut verbis utar D. Augustini, « Oportebat caput nostrum propter miraculum secundum carnem nasci de virgine Ecclesio secundum spiritum nascitura. » Et sane si corpus primi Adæ ex limo terræ fabricatum non ab Angelo aliquo, sed a solo Deo formatum effectumque est, quanto majore ratione corpus secundi Adæ, ex integerrima, virgineaque carne, non opera viri alicujus, sed sola Spiritus sancti virtute procreandum fuerat? Et si olim nascente mundo ad illam solam vocem imperantis Dei, *Germinet terra herbam virentem,* omnis ubique terra nullo suscepto semine in momento concepit ac peperit herbam omnis generis, quanto magis conveniebat, ut mundo renascente, ad imperium solius Dei sine ullo humano semine terra nostra conciperet, et daret fructum suum? Quocirca verum est omnino vaticinium Isaiaë : *Ecce virgo concipiet et pariet filium.*

Quod vero insania ac pertinacia Judæorum objicit, hebræum vocabulum, quod eo loco Isaias posuit, non tarn virginem, quam puellam significare neminem movere debet. Nam ut Magnus Basilius hanc ipsam objectionem

refellens annotavit, tamquam magnum prodigium Isaias ponit, virginem parituram. Quale autem prodigium est, puellam viro conjunctam et liberis operam dantem, tandem concipere et parere? Nonne feminas nuptas quotidie parere audimus? Deinde ut Beatus Hieronymus, Hebraicæ linguæ peritissimus, sapienter ostendit, verbum illud Hebræum *Alma*, puellam quidem significat, sed puellam absconditam, magnaque parentum diligentia custoditam, et quæ virorum aspectibus numquam patet; neque in divinis litteris unquam pro non virgine ponitur. Itaque recte Septuaginta interpretes non puellam, sed virginem transtulerunt, recteque nos beatissimam Deiparam peregrinæ illi plantæ comparabimus, quæ simul et fructum profert et retinet florem. Ipsa enim inter mulieres sola fructum nuptiarum protulit, et florem virginitatis non amisit.

Sed cur, quæso, virgo Deum paritura desponsabatur viro? Sic enim legimus: *Ad Virginem desponsatam viro*. Veteres Patres, Ignatius apud Hieronymum in Matth. 1. Origenes homilia de vigilia Nativitatis, Basilii oratione de Nativitate, Ambrosius in Lucam lib. II. Hieronymus contra Helvidiam et in Matth. lib. 1. et Bernardus serm. 2. super *Missus est*, hujus desponsationis sex causas tradiderunt. Primam, ne Virgo Maria adultera crederetur ab iis, quibus hoc mysterium ad tempus occultum esse oportebat. Alteram, ut solatium atque auxilium comitis haberet, cum erat fugiendum in Ægyptum. Tertiam, ut per Josephi genealogiam Mariæ, atque adeo Christi ipsius secundum carnem origo monstraretur. Quartam, ut beata Maria Josephum testem pudicitiae suæ gravissimum, fideque dignissimum haberet. Quintam, ne virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis præberetur, si dici posset, etiam Matrem Domini aliquando infamia impudicitiae laborasse. Postremam, quam ex divo Ignatio doctores cæteri didicerunt, ut beatæ Mariæ partus, cum virginitate conjunctus, ad tempus diabolo celaretur. Quamquam enim naturæ celeritate ac subtilitate facile Diabolus omnia penetrat, nec ullis portis aut parietibus excludi potest; tamen quin divina virtute impeditus, neque ad virginem propinquare neque mysterium partus virginei videre potuerit, minime dubitamus.

Fuit igitur Virgo Beatissima viro desponsata, et viro sine dubitatione optimo et san-

ctissimo. Si enim in matrimoniis cæteris prudentia hominum in primis requirit, ut vir et mulier sint opibus, nobilitate, ætate omnibusque rebus aliis, quantum fieri potest, pares, quanto magis credendum est Deum hujus castissimi matrimonii auctorem illud voluisse, ut qui suæ matris sponsus eligi deberet, esset ei non solum ætate et nobilitate, sed etiam morum integritate vitæque probitate, quam maxime similis? Itaque sicut Maria a stirpe regia descendebat; ita et Joseph. Sicut Maria adolescentula; ita et Joseph, non omnino senex, (ut pingitur) sed maturus juvenis erat, alioquin neque ei in itineribus, in puero ferendo atque educando, aliisque periculis et laboribus subeundis, multum prodesse, neque virginem adulterii suspicione liberare potuisset. Quæ tamen præcipue causæ desponsationis, matrimoniique fuerunt, et quod majus et gloriosius est, sicut Maria virgo; ita et Joseph. Sicut Maria sapientia et prudentia spirituali ornatissima; ita et Joseph. Denique sicut Maria Deum ipsum filium suum appellare potuit, ita et Joseph. Alioquin virgo ipsa non diceret: *Fili, cur fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te*. Et quamquam Deus Christus non natura Filius sicut Mariæ, ita etiam et Joseph fuerit, tamen magis ac verius filius ejus fuit, quam si adoptione fuisset. Erat enim verus Filius veræ conjugis ejus. Sed quicquid de hoc sit, cui parum videtur Sanctum Joseph patrem Dei saltem dici atque haberi potuisse imo et oportuisse ac decuisse quid ei magnum videatur ignoro.

Sed ut ad finem orationis veniamus: sequitur postremo: *Et nomen virginis Maria*. Merito B. Lucas hujus virginis nomen tam diligenter expressit, quo nullum post Dei et Christi nomen, neque dulcius, neque venerabilius, neque salutaris, in auribus eorum qui verum Deum agnoscunt, insonare potest. *Et nomen virginis Maria*. Quoties hoc nomen audimus, toties nobis in memoriam venire deberet magna illa mater humani generis, quæ nobis Deum Majestatis, affinem, fratrem parentem effecit. Unde nobis omnia bona, quæ habemus, et quæ deinceps habituri sumus tamquam ex fonte quodam profluxerunt. *Et nomen virginis Maria*. Maria, auditores, domina, illuminata et mare amaritudinis interpretatur. Et quidni domina ac regina dicatur, quæ veri Dei, qui solus est Dominus, vera mater nominatur, et est? Quis

vero dubitet eam illuminatam appellare, quæ veram lucem mundo peperit? Si Moyses 40 dies cum Domino familiariter colloquens, ita luce perfusus est, ut in ejus vultum filii Israel oculos intendere non valerent, quid de ea existimare par est, quæ ipsum justitiæ Solem in utero, in sinu, in ulnis gestavit, et non dies quadraginta, sed annis amplius triginta, cum eo intime ac familiariter in eadem domo, in eadem mensa versata est? At mare amarum nunc quidem non est, sed certe fuit Maria, cum hic in terris viveret, fuit enim filio suo in omni labore ac tribulatione socia, in paupertate, in itineribus, in persecutionibus, in doloribus, in angustiis individua comes : Deus enim quos diligit affligi permittit in hoc sæculo, ut postea tanto gloriosius coronet in cœlo. Itaque hæc ipsa virgo, quæ quondam mare amaritudinis erat, nunc stella maris effecta, et super omnes cœlos exaltata, radios suos ubique diffundit, nec est qui se abscondat a calore ejus, nec frustræ ejus fulgorem mundus intuetur, ac post Deum et Christum in ea confidit. Nam quia mare amaritudinis fuit, nostrasque calamitates experta est, compati nobis et condolere novit : quia regina est, quicquid voluerit, a rege filio impetrare potest : quia illuminata est, nostras ærumnas et calamitates non ignorat. Quamobrem, auditores, quot-

quot in mari hujus sæculi inter tot pericula navigamus, si mergi non volumus, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si ventis agitamur tentationum, si ad scopulos allidimur tribulationum, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si avaritia, si ambitione si carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Si criminum immanitate turbati, conscientie fœditate confusi, judicii horrore perterriti, barathro tristitiæ absorberi incipimus, respiciamus stellam, invocemus Mariam. In periculis, in doloribus, in angustiis, in rebus dubiis, in omni denique itineris et navigationis hujus labore, respiciamus stellam, invocemus Mariam. Non enim frustra dictum est, *Et nomen Virginis Maria.* Nemo est prorsus, qui aliquo nomine ad Mariæ thronum aditum non habeat. Si virgo es, invoca virginum Virginem, si matrimonio copulatus, invoca matrem et sponsam Dei : si dives ac nobilis, invoca cœli reginam, si miser atque afflictus, invoca amaritudinis mare, si peccator, invoca matrem misericordiæ : si justus, invoca matrem Solis justitiæ. Ita omnes experientia discent, quam vere dictum sit, *Et nomen Virginis Maria.* Ejus interim unigenito Domino nostro sit omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO II.

SUPER

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN
NAZARETH, ETC. *Lucæ* 1, v. 26.

SYNOPSIS

Concio hæc secunda angelicæ salutationis verba explicanda suscipit, et Χαῖρε Græcum latine significet, interpretatur; et D. Virginis cum Eva instituitur antithesis. Tres ob causas Mariam posse dici gratiam plenam declaratur, quod nempe gratiosissima, quod mater fontis omnium gratiarum, quod omnibus gratiæ donis refertissima, et ab omni peccato semper libera, quod variis testimoniis confirmatur. Amor vanitatum mundanarum atque hominum cæcitas suis coloribus graphice depingitur. Quomodo Dominus fuerit cum Maria, dilucide exponitur. Quomodo sola Maria a communi mulierum maledictione exempta fuerit et quomodo ob florem virginitatis, et fructum fœcunditatis sit benedicta declaratur. Quot filios peperit B. Virgo, ostenditur. Mysterium nominis Mariæ, quod ex primis litteris quinque nobilissimarum feminarum constat, quarum singularum virtutes Maria unitas expressit, nimirum Mariæ Moysis sororis, Annæ matris Samuelis, Ruth, Judith, Abigail. In parte secunda tres enodantur quæstiones. Prima, cur concionatores initium dicendi ab angelica salutatione faciant, cujus duplex affertur causa. Secunda, qua specie Gabriel B. Virgini apparuerit, ubi triplex Angelorum apparitio adducitur, in corpore, in imagine, in natura; sic etiam tripliciter videntur ab hominibus, oculis corporis, cordis et mentis: hoc vero loco in corpore æreo apparuisse affirmatur. Ubinam B. Virgo ab Angelo fuerit

inventâ, nempe in cubiculo conclusa. Atque hinc eruitur pulchra doctrina, quam tutum sit secum habitare: et quam periculosum comparationibus et tripudiis interesse, quod etiam ad finem usque extenditur.

Beatissimam Deiparam, auditores optimi, cujus hodierna die felicem, totique mundo salutarem conceptionem in vespertinis precibus, solito, debitoque cultu, venerari cœpimus, multi veterum sanctorum excellentibus ingeniis, summaque animi contentione et singulari, ac prope incredibili devotione laudum præconiis certatim attollere, ornare ac prædicare conati sunt: sed nihil unquam gloriosius, nihil majus, nihil splendidius, nihil ipsi Virgini jucundius dici potuit, quam id, quod Archangelus Gabriel nova illa et inaudita salutatione quam ipsa quoque Virgo mirata est, non suo, sed Dei nomine protulit, cum ait: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quam quidem salutationem, cum ea in historia Evangelica, quam explicandam suscepimus hodierna oratione suo ordine explicanda se offerat, eidem nos gratissimis animis, et simul nostræ orationis obsequium, in hac ejus lætissima celebritate tamquam munusculum aliquod offeremus.

Angelus igitur Gabriel ad Virginem ingressus, eam tamquam Dei parentem cœlique reginam mox futuram, primum reverenter salutatur: deinde tribus amplissimis titulis honorat. Ac verbum quidem Græcum Χαῖρε quo B. Lucas salutationem expressit, non solum *avere*, sed etiam *gaudere* significat. Nec ulla potuit Angelus uti voce magis apta

et apposita. Quæ enim veræ salutis auctorem conceptura, illum, quem Eva miseris mortalibus mœrorem in gentem invexerat, erat sempiterno gaudio commutatura, quoniam alio, quam salutis, et gaudii vocabulo appellari oportebat? Deinde quam pulchre factum est, ut in ipso primo verbo, quo nuntium salutis, et prima gaudia mundo adferuntur, nomen primæ nostræ matris eisdem litteris, sed ordine converso, legamus expressum? Illa siquidem dicebatur *Eva* et prima vox hujus nuntii salutaris est *Ave*: quo quid aliud significatur, quam donatam esse nobis alteram Evam, alteram communem matrem, sed multis priori contrariam? Illa enim fructum vetitum carpens, paradysum clausit, gehennam apperuit, mortem accersivit, laboribus et doloribus, plagis et vulneribus aditum præbuit: ista contra, fructum salutarem proferens, paradysum nobis restituit, a gehenna liberavit, mortem extinxit, labores sustulit, morbos curavit. Itaque hæc mater omnium viventium et beatorum dici potest, illa mater omnium morientium et miserorum. Illa a viro mortali appellata est *Eva*, ista merito jureque optimo ab Angelo dicitur *Ave*. *Ave*, inquit, Virgo beata, neque enim tu anathemate et excommunicatione illa teneris, qua filii Adam, ut tibi *Ave* dici non liceat, quin potius brevi ex te nascetur summus quidem Pontifex, cujus auctoritate benedicentur atque ab excommunicatione absolventur omnes gentes. Nec solum *Ave* sed etiam *Gaude*, mater felicissima. Ecce enim annuntio gaudium magnum, quod erit primum tibi, deinde etiam omni populo. Jam de te cœlum exultat, exultabit postmodum et terra. Nunc Angeli gaudent, gaudebunt paulo post et homines, et te beatam dicent, tibi que gratias agent omnes generationes.

Ave igitur gratia plena. Tribus modis fuisse mihi videtur B. Maria gratia plena. Primum enim gratia plena dici potest, quod gratiosissima præ omnibus rebus creatis apud Deum fuerit. Sic enim angelus hæc sua verba paulo inferius explicat: *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium.* Non est quod timeas tu, quam Deus præ omnibus rebus diligit, quæ adeo ei charissima es, ac tantopere placuisti, ut singulari prorsus privilegio, te unam ad hoc elegerit, ut ejus filii sis mater, cujus Deus ipse est pater. Et sicut ipse sine uxoris consortio filium ge-

nuit: ita quoque tu sine mariti opera prolem concipies.

Deinde gratia plena dicitur, quia ipsum gratiæ et salutis fontem, et omnium bonorum auctorem in utero suo tamquam in sanctissimo templo habitantem habuerit, quoque omnis gratiæ plenitudo quæ postea per omnem terram diffundenda erat, in unius virginis sinum, admirabili ratione et modo se infuderit. Atque huc respicit pulcherrima illa figura de rore et vellere, quam ex libro Judicum cognoscere potuistis. Quemadmodum enim tempore Gedeonis primum solum vellus, deinde area tota cœlesti rore perfusa est, sic etiam distillantibus cœlis, primum soli Mariæ quæ merito puritatis et innocentiae callidissimo et tenuissimo velleri comparatur, tota se infundit plenitudo divinitatis, deinde ex ea plenitudine nos omnes accipimus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus. Id quod apertius regius Vates David ostendit, cum ait: *Descendit sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram.* Pluvia siquidem voluntaria quam segregavit Deus hæreditati suæ, placide prius et absque strepitu operationis humanæ, suo se quietissimo illapsu virgineum demisit in uterum, postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum nec jam *Sicut pluvia in vellus*, sed *Sicut stillicidia stillantia super terram*, cum quodam verborum strepitu, ac sonitu miraculorum decidit. Nam et *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Postremo gratia plena beata Maria appellatur, et est, quod gratiæ donis, fide, spe, charitate, prudentia, justitia, temperantia, fortitudine, timore, pietate, humilitate, aliisque magnis virtutibus, muneribusque divinis præ omnibus Angelis et hominibus repleta fuerit. Si enim quando quis ad fontem magis accedit, et aquam puriorem, et in majore copia haurire potest, et quo quis ad solem propinquat magis eo magis luce solis completur, Beatissima Deipara, numquid non plena gratia, quæ fonti gratiarum conjunctissima fuit? Num et justitiam in omnibus non induit, quæ ipsum justitiæ Solem carnis nube vestivit? virtutibus vero quibus carere potuit Mater Domini virtutum? Deinde cum inter se maxime pugnant peccatum et gratia, et simul in eodem pectore versari non possint, num illa gratia plena non fuit, quæ omni peccato non solum mortali sed etiam veniali vacua semper fuit?

Sed unde hoc scimus? Cur rem tam magnam ac difficilem, ut vix fieri posse videatur, sine ullis testibus credemus? Quid enim majus, ac difficilius, quam per viam vitæ hujus viam luto et sordibus plenam, ubi alii usque ad verticem ingrediuntur feminam unam iter facere, et pedes suos non solum a sordibus et luto, sed etiam a minutissimo pulvere mundos conservare potuisse? Quis igitur hoc nobis persuadet? Primum sponsus ejus Spiritus veritatis, cum de ea in cantico amoris quasi gloriatur, ac dicit: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias*. Et rursum apertius: *Tota pulchra est, amica mea, et macula non est in te*. Deinde Ecclesia mater nostra, de hoc præstantissimo et pulcherri- mo, et omnium suorum gloriosissimo mem- bro idem confitetur, cum anathema dici iis, qui hominem semel justificatum, affirmant omnia venialia peccata toto vitæ tempore vitare posse, nisi ex Dei privilegio speciali, quale Beatissimæ Virgini concessum, eadem Synodus Ecclesiam tenere confirmat. Num id sancti Patres Dei et Virginis ardentissimi et castissimi amatores non prædicant? Audi beatum Ambrosium psalm. cxviii extremum versum explicantem: « Suscipe, inquit, me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo: sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. » Audi Beatum Augustinum de natura et gratia disputantem: « Excepta, inquit, Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. » Hac igitur Virgine excepta si omnes sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, una voce clamassent, neque humiliter neque verius: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*. Audi B. Bernardum in epistola ad canonicos Lugdunenses: « Ego, inquit, puto, quod copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singulari privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque

pareret peremptorem, munus vitæ et justitiæ obtineret omnibus. » Quid de Athanasio, de Nazianzeno, de Chrysostomo, de aliis Græcis Patribus referam cum ii passim Virginem nostram integritate et puritate ipsis beatissimis spiritibus Cherubim et Seraphim anteponant? quid de illo sene sanctissimo Ephrem, qui in oratione de laudibus Deiparæ, infinitis pene verborum ornamentis, et splendidissimis nominibus ac laudum titulis eam honorat? « Intemerata, inquit, prorsusque pura virgo Deipara, regina omnium, spes desperantium, domina nostra gloriosissima, eademque optima; sublimior cœlicolis, purior solis radiis et splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim et sine comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior. » Quæ cum ita sint, dubitari non potest quin Virgo Beatissima, sicut nullo unquam nec mortali nec veniali peccato contaminata fuit, ita fuerit etiam omni gratia et splendore virtutum ornata.

Accedit postremo, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Neque enim montes, sed valles iraplentur: *Inter medium montium* (inquit Propheta) *pertransibunt aquæ*. Non in verticibus montium, sed in profundis vallium aquæ congregantur, et quo vallis profundior, eo majorem aquarum copiam recipiet. Illa igitur Virgo, quæ quanto major erat, tanto humiliabat se in omnibus, et tamquam vas quoddam amplissimum et capacissimum, omnique vanitate vacuum erat, quomodo non gratia usque ad summum repletur? Nos vero, auditores, qui toti vanitate pleni sumus, quid mirum si tam parum cœlestium bonorum possidemus? Alioqui Deus noster mare gratiarum immensum et infinitum, et quod exhauriri numquam potest, in nos effunderet, aut certe quotidie divinis charismatibus auget, si locum in nobis ullum inveniret. Qui enim Filium suum unigenitum tam liberaliter dedit, quomodo non cum illo omnia nobis donaret? Sed amor vanitatis, amor mundi, amor luti, amor tripudiorum, amor potationum, amor puerilium nugarum, ita cor nostrum occupavit, ut locum nullum vacuum reliquerit. Quotus quisque est, qui non aliqua vanitate tamquam visco teneatur? unus delectatur vestibus, et incredebili curiositate tamquam sponsa aliqua comptus et ornatus incedit, et insatiabili desiderio varias formas calceorum, caligarum, palliorum, pileorum aliarumque vestium quæ nomina nondum

habent investigat : et nisi omni accuratissime incisa, elaborata, ornata fuerint, frigus non pellunt, neque simplicibus contentus nisi triplicia et quadruplicia indumenta habeat, quibus etiam perticæ domi vestiantur, nihil se habere putat. Alius omni genere musicorum instrumentorum ludit, omnes lusiones, artem etiam gladiatoriam didicit, omnem tripudiorum et saltationum varietatem novit, omnes amatorias cantiones memoria tenet, et qui est ejusmodi, non curiosus aut vanus, sed elegans et politus appellatur, quasi ad ista perdiscenda nati sumus, quasi tempus hujus vitæ, non ad peccata deflenda receperimus, quasi non in exilio, non in terra aliena, non regione hostium sed in patria versaremur : quasi Christus magna voce non clamaverit : *Væ vobis, qui ridetis; quia flebitis*, quasi mors non instet a tergo, et jamjam nos abreptura videatur. Quid de aliis multo adhuc miserioribus dicemus? Quot sunt, qui cor ambitione plenum gestantes, nihil unquam somniant, nisi de gradibus, de titulis, de honoribus? Quot sunt, qui amore irretiti feminarum, ita luto et cœno carnalium cogitationum ac desideriorum pleni sunt ut per oculos, per aures, per nares, per linguam cœnum effluat, et alios etiam contaminet? *Sed usquequo parvuli diligent infantiam et stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient? Usquequo diligemus vanitatem et quaeremus mendacium?* Habet Deus manus auro et argento plenas, in sinum nostrum projicere, eumque implere paratus est, si modo plumbum nostrum rejicere velimus. Habet balsamum, vinumque dulcissimum; eoque cor nostrum replere desiderat, si modo lutum et cœnum nostrum effundamus; et nos mercatores insipientissimi ad illas veras et sempiternas opes, quas Deus gratis nobis venderet, oculos clausos habemus, ad ista vero caduca et fluxa, quæ maximo pretio vix emuntur, tamen oculos apertos et intentos semper retinemus. Et sicut qui dicebat : *Villam emi, necesse habeo exire et videre illam*, qui villam nondum viderat, et tamen usque adeo diligebat, ut pro ea cœnam divinam contemneret : nondum viderat, et tamen ita vinculis amoris ab ea tenebatur, ut necesse haberet omnia relinquere, exire, et videre illam : ita nos, auditores, villam hujus mundi, mare istud magnum, in quod influunt omnia flumina vanitatum, nondum vidimus, nondum bene novimus, nescimus quantum in eo amaritudinis, quantum labo-

rum, quantum periculorum, quam duri scopuli sub aquis mollissimis lateant, et tamen ita diligimus, ut pro eo Deum animæque salutem, vitam beatam negligamus. Clamat Deus : *Redite prævaricatores ad cor* et nos tamen adhuc dicimus : *Necesse habeo exire et videre villam*. Quæ est hæc necessitas? Quis te compellit? Quis urget? Nonne si cor haberes, animæ salus præ omnibus rebus te movere et urgere deberet? O si cor nostrum semel totum effunderemus ut nihil ibi vanitatis remaneret, si exueremus ac deponeremus omnem mundi amorem, si pectus vacuum et purgatum et paratum Deo exhiberemus, certe Deus, qui vacuum non minus, quam natura exhorret, continuo illud balsamo pretioso gratiæ et virtutum replet, et tunc experientia disceremus, quam excellenti bono illa fruebatur, cum dictum est ab Angelo : *Gratia plena*.

Sequitur, *Dominus tecum*. Quibus duobus verbis singularis quædam providentia Dei erga Mariam explicatur. *Dominus tecum*, inquit, hoc est, merito lætari et gaudere potes, virgo sanctissima; nam quicquid agere instituas, quocumque te vertas, Dominus tibi adest, ut dirigat gressus tuos, ut in nullo te opere errare patiatur, ipse oculis providentiæ suæ semper te respicit, ille adjutor et protector tuus est. Simili genere locutionis legimus a Samuele dictum ad Saul : *Post hæc insiliet in te Spiritus Domini, et mutaberis in virum alium*, et tunc *Fac quæcumque invenerit manus tua : quia Dominus tecum est*. Quasi dicere vellet cum adveniente Spiritu Dei in te, mutatus fueris in virum alterum, age quicquid volueris, quia Spiritu Dei ageris, et Dominus in omnibus tibi aderit et cuncta opera tua prospere succedent. Sicut enim cum populus contra Dei voluntatem prælium adversus Amalec suscipere vellet, Moysen dixisse legimus : *Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum*; hoc est, non adjuvat vos Dominus, propterea si ascenditis, corruetis coram inimicis vestris. Denique in eadem significatione Angelus ad Gedeonem : *Dominus tecum*, inquit, *virorum fortissime*. Quam salutationem ille prudenter intelligens, respondit continuo : *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Ita Dominus cum Maria fuit, propterea quod ei providentia et auxilio quodam singulari semper adfuit, et ita singulari, ut nunquam in peccatum ullum non solum mortale : sed ne veniale

quidem (ut ante diximus) incedere permiserit : cum aliis viris sanctis et amicis Dei satis præclare agitur, si Dominus ita cum illis sit, ut cum ceciderint supponat manum, et eos collidi et conteri penitus non patiatur : at cum Maria longe aliter fuit, quam non solum non collidi, sed neque cadere unquam passus est. Fortasse etiam ad conceptionem divini Verbi Angelus respexit, cum ait : *Dominus tecum*. Tunc enim non solum Dominus cum Virgine, sed etiam solus Dominus cum sola Virgine fuit. Neque enim ad opus Dominicæ incarnationis, opus maximum et divinissimum, et angelis et hominibus adorandum, ulli omnino præter Deum et Virginem convenerunt.

Jam vero tertium et postremum Virginis encomium est : *Benedicta tu in mulieribus*. Quod quidem non ita accipiendum, quasi ipsa sit præ cæteris, hoc est magis, quam cæteræ benedicta ; sed quasi cæteræ omnes maledictioni obnoxie fuerint et ipsa sola in toto genere feminarum benedicta. Aliæ siquidem omnes vel filios non procreabant, et maledictionem ac notam sterilitatis effugere non poterant : vel procreabant illos quidem, sed Evæ maledictionem incurrebant, cui dictum legimus, cum a Domino malediceretur : *In dolore paries filios et sub viri potestate eris* : at Virgo Beatissima sola inter mulieres benedicta utramque maledictionem declinavit. Nam nec sterilis fuit, nec cum dolore peperit. Sicut enim Eva superbiæ vento inflata, amplius quam par erat crescere volens, ita exigua et angusta evasit, ut in ejus utero minima etiam proles angustias pateretur, nec sine labore portari, nec sine dolore, eoque maximo et acerbissimo deponi posset : ita Virgo Deipara humilitatis virtute cælo major, terra fortior et orbe toto latior effecta eum sine labore portavit, qui portat orbem, et quem cælum et cæli cælorum non capiunt, eum ipsa utero suo conclusit, sine molestia tulit, sine gemitibus peperit. Deinde duo sunt, propter quam mulieres benedici ac laudari solent, fructus fœcunditatis et flos virginitatis : quorum tamen alterum amittet necessario, quorum alterum elegerit. Proinde sola Maria inter mulieres benedicta, quæ gloriam virginitatis laude fecunditatis cumulare potuit. At qualis tandem est ea fœcunditas, dicat aliquis quam in Maria tantopere prædicamus ? Quot filios, quæso, procreavit ? Num duos aut tres saltem numerare poterimus ? Unum quidem, audito-

res, dumtaxat Virgo sanctissima Filium peperit, sed ita tamen unum, ut ille solus et major et melior omnibus filiis aliarum feminarum sit : sicut etiam Deum omnibus rebus creatis naturæ fœcunditate antepone-re non dubitamus : non quod filios multos, sed quod unum infinitum et immensum generaverit. Præterea si omnes pii et sancti viri Christi fratres sunt, certe etiam Mariæ filii sunt, atque ad ejus clementissimum sinum, et materna ejus ubera pertinere credendi sunt. Itaque sicut Apostolus Paulus Christum non unigenitum Patris, sed primogenitum appellat : *Et non cognoscebat eam*, inquit, *donec peperit filium suum primogenitum*. Et Divus Lucas : *Et factum est*, inquit, *cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum*. Quæ cum ita sint vere Maria benedicta in mulieribus, hoc est, fœcundissima super omnes mulieres, cujus tantum numerum filiorum videmus, ut vere nunc sit semen ejus sicut stellæ cæli, et sicut arena maris, quæ præ multitudine numerari non potest.

Quinque nobilissimas feminas, et præ cæteris benedictas, in sacris voluminibus legimus, Mariam sororem Moysis, Annam matrem Samuelis, Ruth, Judith, Abigail : earum vero nomina, si prima littera singulorum capiatur, nostræ virginis nomen componunt, ut intelligamus eas omnes beatæ Mariæ quasi typos et figuras fuisse, et eas omnes laudes unam Mariam simul complexam, quæ in aliis sparsæ et separatæ fuerunt. Hæc igitur est *Maria*, quæ prima inter mulieres mare rubrum sæculi hujus siccis pedibus ab humore carnalium voluptatum pertransire potuit, et ideo chorus virginum ducens, prima cantare meruit : *Cantemus Domino gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare*. Hæc est Anna illa felicissima, quæ post multas lacrymas, multa jejunia, tandem a Deo filium multo Samuele majorem, obtinuit, eumque statim ab infantia in templum allatum Domino consecravit. Hæc est illa Ruth Moabitis, quæ oblita populum suum, et domum patris sui, a sene Booz audire meruit : *Benedicta es filia tu a Domino, qui non es secuta juvenes pauperes, sive divites ; plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti et sub cujus confugisti alas* : vere enim Maria non solum populum suum et domum patris sui, sed etiam totum mundum oblita, ad Deum Israel et alas ejus confugit, neque

juvenes pauperes secuta est, sed ditissimum antiquum dierum sponsum habere voluit. Hæc est fortissima et castissima Judith, quæ non caput Holofernus amputavit, sed caput draconis conculcavit et contrivit, et idcirco benedicit eam omnis Ecclesia sanctorum dicens : *Benedicta tu a Domino* in omni tabernaculo Jacob : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, eo quod castitatem amaveris, ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum.* Hæc est illa prudentissima et pulcherrima Abigail, quæ Davidis iram justissima indignatione succensam contra stultum Nabal mitigare potuit, et ab eo audivit : *Benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem et ulciscerer me manu mea.* Quis enim est Nabal, nisi homo peccator, et quis est David, nisi Deus, et quæ est Abigail, nisi Maria, quæ vere mater misericordiæ et peccatoribus justissimam Dei iram precibus suis et intercessione avertit ?

PARS SECUNDA

Angelicam salutationem breviter explicuimus, sequenti die Dominica, Virginis repositionem (si tamen Deo placuerit) exponeamus. Nunc quia parum temporis superest, nec solum quæstiunculas, nec inutiles, nec injucundas, nec a proposito alienas proponam et solvam.

Quæro igitur primum, quæ causa sit, cur omnes concionatores initium dicendi a salutatione Angelica faciant ? Unde enim tanta dignitas salutionis Angelicæ, ut ea potius oratores utantur, quam alia prece ? Duæ mihi in præsentiarum rationes occurrunt. Primum enim illud concionatores fortasse cogitant, beatissimam Deiparam, qua die salutationem Angelicam audivit, ea verbum Dei, quod antea, neque videri neque audiri, neque capi poterat, humana carne quasi vestivisse, atque effecisse, ut non solum videri et audiri, sed etiam manibus tangi potuerit, juxta illud B. Joannis : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ.* Itaque propterea eamdem virginem initio dicendi omnes salutant, ut ipsi quoque precibus ejus adjuti, eam copiam, eam facultatem, eam ubertatem, eam facilitatem orationis obtineant, qua verbum Dei, quid pertractandum

susceperint, ita plenum atque perspicuum faciant, ut pene manibus sentiri possit, et ab omnibus qui audiunt, etiam tardioribus et rudioribus capiatur. Deinde munus concionatoris, munus Angelicum est, et sicut Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro missus est, ut ea virtute Spiritus sancti conciperet Filium Dei ; ita concionatores ad Ecclesiam mittuntur, quam Apostolus Paulus despondit : *Uni viro virginem castam exhibere Christo,* ut ea quoque Filium Dei fide concipiat, charitate pariat, bonis operibus nutriat. Quocirca merito virginem Dei Matrem salutant, ut quæ ab Angelo salutata Christum non solum spiritu, sed etiam carne concepit, illud eis a Domino precibus suis obtineat, ut et ipsi Angelica puritate munere suo fungantur, et Ecclesiæ virginis, ad quam mittuntur, felix conceptus partusque succedat.

Alteræ quæstio est, qua specie Angelus Gabriel beatissimæ Deiparæ se ostenderit ? Quemadmodum enim tribus oculis diversorum generum homines vident, oculos corporis, oculos cordis, oculos mentis : sic etiam tribus modis Angeli hominibus se videndos exhibere solent, in corpore, in imagine, in natura. Ac ut a postremo incipiamus, in sua, ac propria substantia et natura non nisi oculo mentis Angeli videri possunt. Sunt enim natura mentes quædam spirituales, ab omni materia liberæ, omnisque corporeæ qualitatis expertes. Spiritus autem ac mens, spiritum duntaxat ac mente comprehendi potest. Itaque Angelorum substantiam atque naturam, ita ut est in se solæ mentes beatorum vident. Porro in imagine Angeli oculo cordis videntur, hoc est, sensu quodam interno, qui a Græcis *φύρασις*, a nobis cogitatio dici potest. Ita sanctus Joseph Beatæ Mariæ sponsum, ita Magi, qui ex Perside ad Christi incunabula stella duce venerunt, ita alii nonnulli sanctos Angelos per quietem vidisse credendi sunt. Legimus enim apud Matthæum : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Et rursum de Magis : *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Jam vero luminibus istis oculisque corporis in corpore ex aere assumpto Angeli videntur : non enim proprio ac naturali, quod nullum habent, neque in corpore aliquo vere humano, quasi Angeli naturam nostram aliquando ita assumant, ut unus et idem verus Angelus et verus homo dici possit. Id enim Origenes sensit,

ejusque sententiam tamquam explosum errorem divus Hieronymus in Malachiam et Aggæum scribens reprehendit. Est enim solius Dei proprium summumque ac singulare miraculum supra naturæ potestatem, supra intelligentiam rationis, et penitus sine ullo exemplo solique Dei Filio reservatum, ut duabus perfectis naturis in unam coeuntibus personam, unus et idem verus Deus et verus homo esse. Corpora igitur, quibus Angeli Abrahæ, Loth, Josue, Gedeon, Tobiaë aliisque tam multis non solum se audiendos, sed etiam manibus tangendos præbuerunt, ex ære sumpta erant. Possunt enim Angeli virtute quadam admirabili atque arte, qua præditi sunt, aerem in corpus densum, ac solidum cogere, eidemque varias membrorum figuras variosque colores attribuere, atque ea corpora ita movere, ut humana vera ac viva, non quidem sint, sed tamen omnino esse videantur. Qua igitur forma Archangelus Gabriel Beatæ Mariæ virgini apparuit? Qua specie sese prodidit? Dubitari non potest, auditores, quin in corpore assumpto. Quid enim aliud illa verba significant: *Et ingressus Angelus ad eam dixit*: nisi Angelum Gabrielem corpus accepisse, quo ad virginem ingrederetur, quo loqueretur, quo cerneretur? Deinde oportebat Virginem certissimam esse de nuntio, et multo sunt certiora, quæ in luce videmus, quam quæ nocte somniamus, et quæ auribus corporis, audiuntur, quam quæ sola cogitatione capiuntur. Illud etiam conveniebat; ut sanctus Angelus Beatæ Virgini apparens, eam formam susciperet, ac suscipiendo honoraret, quam ab ipso Deo paulo post suscipiendam et consecrandam esse nequaquam ignorabat. Itaque pulcherrimi atque splendidissimi juvenis formam imitatus est, sed habitu quodam, et specie augustiore, quam cæteri homines videri soleant, ut facile possit intelligi aliquid hominem majus et præstantius in eo corpore latere, neque hominem mortalem, sed Angelum cœlestem advenisse.

Sed ubi, quæso, Virginem nostram sanctus Angelus offendit? Hæc enim est postrema quæstio, quæ nobis explicanda superest. Num igitur angelus Gabriel virginem nostram in plateis vagantem reperit? Aut certe in domo aliqua, ubi convivium celebraretur, et saltationes ac tripudia ageretur? Minime vero. Neque enim tunc licentiati et doctores creabantur, si adolescentes et puellas ad choreas ducendas invitarent, et ignem ad

stupam admoventes, concupiscentiæ flammis auferent. Neque sancti angeli ejusmodi domos præsentia sua aut visitatione dignantur. Ubinam ergo sanctus Angelus virginem nostram reperit? Domi suæ clausam in cubiculo, ut veras virgines decet: «Sola, inquit B. Ambrosius in penetralibus, quæ nemo virorum videret solus Angelus reperiret.» Et B. Bernardus: «Suspiciandum, inquit, non est quod apertum invenerit Angelus ostium Virginis. Clauserat illa hora suum super se habitaculum virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare Angelus, sed nulli hominum facilius patebat accessus.» Atque hoc est, quod B. Lucas expressit, cum ait: *Ingressus Angelus ad eam*. Et quod de ea in Canticis canticorum legimus, dicente sponso: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*. Preciosas et nobiles plantas, et quæ de ultimis terris allatæ, vix usquam inveniuntur, non solemus in apertis campis collocare, ubi et ventis, et frigoribus et bestiis et latronibus pateant: sed in conclusis munitisque pomariis. Ita igitur et B. Maria merito domi se continebat, quod esset planta illa singularis, cujus pretium procul et de ultimis finibus, et quæ fructum saluberrimum ad salutem omnium gentium paritura erat.

Quid vero nos hinc colligere debemus? Illud nimirum, ut si ab Angelis sanctis visitari, si eorum colloquiis frui, si gratia Dei repleti, si Dei Filium sanctis desideriis concipere, et bonis operibus parere volumus, discamus habitare nobiscum, diligere solitudinem, fugere frequentiam hominum, eorum præsertim, qui nihil nisi de mundo cogitant; sæpe in cubiculum cordis intrare, ibique extra tumultum et strepitum rerum hujus mundi obstructis diligenter portis ac fenestris sensuum corporis nostri, cum Deo et sanctis, angelis confabulari, et de rebus vere magnis cum eis conferre, de vita æterna, de salute animæ, de magnitudine cœlestis gloriæ, de horrore atque æternitate pœnarum gehennæ, de illa humilissima atque ardentissima charitate, qua Deus ita nos dilexit, ut Filium suum unigenitum daret. Neque dixeris mihi, ista est vita perfectorum, non omnes possumus esse perfecti. Hæc enim est vita Christianorum, qui omnes perfecti esse debent, *ut sint filii Patris sui, qui in cœlis est*. Deinde, qui hic sumus, magna ex parte vel homines ecclesiastici, vel bonarum artium studiosi sumus: et homo quidem Ec-

clesiæ, homo Dei, homo sacratus, quid aliud cogitare debet, quam quomodo placeat Deo? Quid ei tam proprium esse potest, quam habitare secum, et dies noctes in lege Domini meditari? Qui vero ad studia doctrinæ, honestarum artium huc venerunt, si opibus sapientiæ et eruditionis pectus implere desiderant certe ita agere debent, ut semper oratio lectioni et lectio orationi succedat.

Si vero hæc ita se habent, quanto jure auditores meos, et præsertim ingenuos adolescentes, admonere possum ut convivia declinent, sphæristeria fugiant, symposia detestentur, a tripudiis et saltationibus tamquam ab igne se abstineant? Si enim Apostolus Paulus scurrilitatem, et stultiloquium, et hujusmodi alia, quæ ad rem non pertinent, tam severe prohibet, ut ne nominari velit inter nos, *Sicut decet sanctos*, quanto magis insaniam tripudiorum et chorearum vetuisset, quæ non solum ad rem non pertinet, nec solum vana et otiosa, sed etiam periculosa, et perniciosa est? Etsi Angelus sanctus dominos invenire, et orationi vel lectioni intentos esse desiderat, quomodo credibile; eum ad ea loca venturum, ubi computationes vel tripudia exercentur, et ubi dæmonum catervas adesse imo et præesse dubitari non potest? Nam et B. Chrysostomus ait: « Ubi saltus lascivus, ibi Diabolus certe adest, et his tripudiis Diabolus saltat. » O si quis vobis in mediis choreis oculos aperiret, ut dæmonum frequentiam tripudiantibus admixtam cernere possetis! O si quis vobis aliquando demonstraret, quanta illi sollicitudine ad singulos saltantium accedant, et invisibilibus foliis concupiscentiæ fornacem virorum erga mulieres, et mulierum erga viros accendere satagant, et quomodo ipsi quoque saltent, quomodo tripudiant, quomodo gestiant, quomodo inter se clament: *Euge, euge, devorabimus, devorabimus eos.* Ac tum præsertim, cum aliquos vident fœdis amoribus implicatos; quibus offenditur Deus, impediuntur ingenia, exhauriuntur marsupia, optimæ spei adolescentes perduntur, et domus ac civitates stupris, atque adulteriis replentur, multique se filias virgines habere credunt, ante eas uteros gestare vident, quam de nuptiis cogitare cœperint. Ista enim sunt lucra chorearum, lucra Dæmonum, damna hominum. Itaque recte D. Ambrosius: « Saltet, inquit, sed adulteræ filia quæ vero pudica est, quæ casta est, religionem discat, non saltationem. » Neque

vero te saltationibus operam dare dicas, ut corpus exerceas. Non enim desunt mille artes corpus exercendi. Si domi pomarium habes, sume sarculum vel ligonem, et in horto aliquid operis facito, neque tibi turpe esse ducas, quod summi reges Assuerus, Cyrus aliique plures sibi honestum ac decorum putaverunt. Quod si id non placet, egredere civitatem, perambula campos apertos, ubi neminem offendes, neque ab aliquo offenderis, ibique si cupis currito, saltato quantum libet: at cum puellis choreas ducere, et tanto animæ periculo ac detrimento corpus exercere, nulla ratio permittit. Quid enim? Num ut digitum curares caput tibi faceres amputari? Non opinor. At multo certe nobilior est anima corpore, quam caput digito. Quæ igitur est ista prudentia, pro sanitate corporis, animæ vitam in discrimen adducere? Sed, inquis, ego me ipsum satis novi, et sæpius choreis interfui, nec unquam turpe aliquid cogitavi. Sit plane ut dicis quamquam ægre omnino id credi potest. Sed unde nosti semper ita esse futurum? Et quod seis, quod illa patiat, cum qua tripudias? Quid cogitet, quid cupiat, quid meditetur, quomodo uratur? At non eo animo, inquis, ad choreas accedo, ut aliqua ad libidinem concitetur. Recte. Sed si quis tibi colaphum infingeret ac diceret: Noli ægre ferre, non enim eo animo feci, ut tibi nocerem, quid tibi videretur? Num tibi igitur placet, ut propterea anima illa pereat, pro qua Christus mortuus est? Apostolus Paulus non comedit carnes in æternum, si in eo frater scandalizatur; et tu ab una eaque minima voluptate non abstinebis, ne proximam tuam, animam, occidas? Si oculus tuus scandalizat te, hoc est, si occasionem peccandi tibi præbet, eruere eum juberis, et projicere abs te. Et consuetudinem istam abscindere, et projicere abs te non poteris, quæ tantam occasionem et tibi et aliis præbet, et majorem vix cogitare possimus? Juvenis quidam formosissimus, ut D. Augustinus lib. Quæst. veter. et novi Testamenti quæstione 115. auctor est, cum videret multas feminas propter sui corporis formam, turpibus desideriis uri, ipse sibi faciem turpi vulnere dehonestavit, idque eo solum fecit, quod Christianus esset, nulloque modo ferendum esse judicans, ut Christianis Christianus peccandi materiam afferret. Et tu tam delicatus Christianus eris, ut non saltem exigua delectatione carere possis, ne ubi et aliis peccandi materiam præ-

so, ut nos recordemur esse Christianos, et ejusmodi vanitatibus repudiatis cor nostrum ad Angelorum illustrationem, et divinam vi-
beas? Sed nolo esse prolixior; tantum quæ-

sitationem, ac Spiritus sancti consolationem præparemus. Cui cum Patre et Filio omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO III.

SUPER

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN NAZARETH, ETC. *Lucæ I, v. 26.*

SYNOPSIS

Textus Evangelici continuatur explicatio; et quomodo B. Virgo Angelicam salutationem exceperit præsens declarat concio. Ubi præcipue quinque virtutes in B. Maria eluxisse disertis verbis manifestatur, scilicet verecundiam, virginitatem, constantiam, prudentiam et humilitatem, quarum priores duæurbationem et metum; duæ sequentes silentium et cogitationem in Virgine excitarunt: quas omnes comitata est eximia humilitas. Tres humilitatis gradus enarrantur, et quanto studio Christus triginta annis integris hanc virtutem docuerit, ostenditur. Quam pauci ad primum gradum, pauciores ad secundum, paucissimi ad summum pertingant, cum luculentia superbicæ humanæ descriptione, declaratur, et quam perfecte ad summum illum humilitatis gradum Maria penetraverit, et quænam vero sit humilitas, priori parte docetur.

Pars altera aliam textus particulam explicandam suscipit, ostendendum se offert, quomodo apparitio boni Angeli a dæmoniaca discerni possit. Quanta sit dignitas esse Matrem Dei. Hæreticorum variorum, Christum ex Maria corpus sumpsisse negantium, impicæ blasphemicæ redarguuntur. Quam necessarium fuerit, mundi salvatorem Deum et hominem esse, demonstratur. Varii modi, quibus Christus in Jesu fuit præfiguratus, enumerantur. Quanta sit vis nominis Jesu multis testimoniis probatur: et mysterium quinque litterarum ejus

enucleatur. Tandem quatuor genera hominum producuntur. Primum eorum, qui Jesum concipere omnino non volunt. Secundum eorum, qui conceptum sua negligentia enecant. Tertium eorum, qui jam natum non conservant. Quartum denique eorum, qui B. Virginis exemplo eum usque ad mortem conservant.

Quam vere ac sapienter, auditores optimi, Beatus Ambrosius beatissimæ Deiparæ laudes prædicans dixerit: *Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit.* Cum ex aliis multis divinæ Scripturæ locis, tum vel maxime ex eo, qui hodierna oratione tractandus occurrit, facile potest intelligi. Etenim ex historia evangelica dominicæ Incarnationis hodie suo ordine par illa explicandâ se offert, in qua B. Lucas exponit, ad quem modum virgo sanctissima angelicam salutationem exceperit. Qui quidem locus plures fere virginis præclaras virtutes indicat, quam verba contineat.

Quæ cum audisset, inquit Beatus Lucas, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Quis in isto silentio et commotione, tacitæque Virginis cogitatione, virgineam teneramque verecundiam, prudentiæ zelum singularem, virilem in femina constantiam, consilium, ac prudentiam admirabilem, veram profundamque humilitatem elucere non videat? Duæ siquidem priores virtutes, verecundia et virginitas,urbationem et metum; duæ posteriores, constantia atque prudentia, silentium et cogitationem in animo virginis pepererunt. Porro

humilitas, quæ quinta et postrema, sed non postremo loco ponenda est, tam ad turbationem, quam ad cogitationem merito referri potest.

Primum igitur, ut singulas virtutes in virgine breviter ostendamus, non consueverat sancta Virgo cum viris, ac præsertim adolescentibus, et in cubiculo et sine teste sola cum solis confabulari, propterea cum repente angelum, formam pulcherrimi juvenis præseferentem, in cubiculum ingressum vidit, et se blande salutantem audivit, merito ex verecundia turbata est. Nunquam enim ut beatus Hieronymus ad Eustochium scribit, eo modo a viro salutata fuerat. Deinde virgo sapientissima non ignorabat feminarum benedictionem ad fecunditatem præcipue referri solere. Legerat enim profecto: *Et creavit Deus hominem, ad imaginem et similitudinem suam, masculum et feminam creavit eos: benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et item: Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram; et benedicam illi, et ex illa dabo tibi filium, et rursum: Super Ismael quoque exaudivi te: ecce benedicam ei, et augebo et multiplicabo eum valde; et infra: Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et sicut arenam, quæ est in littore maris.* In quibus et aliis multis similibus locis, nihil est aliud Deum alicui benedicere, quam fœcunditatem ad filios procreandos tribuere. Cum igitur se benedictam in mulieribus salutari audiret, quid aliud suspicari poterat, quam sibi eximiam fœcunditatem ab Angelo promitti? Cum vero ea fœcunditas, cum proposito virginitatis, quod animo conceperat, et voto etiam coram Deo firmaverat, tam aperte pugnaret, nonne merito virgo castissima, de thesauro virginitatis suæ vehementer sollicita, turbari debuit, et cogitare qualis esset ista salutatio? Itaque *Turbata est in sermone ejus, et cogitabat*, cur ego benedicta in mulieribus salutor, quæ jam dudum benedictioni feminarum nuntium remisi? Quid mihi cum fœcunditate, quæ soli Deo placere et virum omnino ignorare decrevi?

Verum quamquam verecundia et virginitas alicujus commotionis et timoris causa erant, tamen non ita perturbata est, ut inops consilii fieret, nesciretque quid agere deberet, sed contra potius, quod summæ constantiæ et prudentiæ fuit, animo præsentis ac erecto apud se tacita, cogitabat, quid sibi

vellet ea salutatio, et omnia verba, quæ ab angelo audierat, diligenter secum animo expendebat. Nondum scriptum erat ab apostolo Jacobo: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*, atque id tamen virgo prudentissima a Spiritu sancto edocta solerter observabat. Prima parens generis humani cum non angelum, sed colubrum humana voce loquentem, et non rem quamcumque, sed divinitatem pollicentem audiret, non tantæ prudentiæ fuit, ut si turbari nolebat, saltem apud se parumper cogitaret, qualis ea promissio esset; sed incredibili levitate serpenti credens, Deo incredula, scipsam et nos omnes, quos quasi in utero gestabat, in hanc vallem ærumnarum misera præcipitavit. Contra vero Zaccharias, cum Gabriel Angelus in templo astitisset, et filium Dei nomine promisisset, non solum vehementer perturbatus est, et magnus *Timor*, ut beatus Lucas ait, *irruit super eum*, sed etiam quasi oblitus, quam multi ante se, et senes et steriles Dei beneficio filios insignes genuissent, angeli verbis fidem, ut par erat, non adhibuit. At virgo fortissima et sapientissima, inter levitatem atque audaciam Evæ, et tarditatem ac metum extremum Zacchariæ media incessit, et nec ad dextram nec ad sinistram declinans, turbata quidem est ex verecundia et zelo pudicitæ, sed interim ex fortitudine, et prudentia animo infracto *Cogitabat qualis esset ea salutatio.*

Quinta restat causa turbationis ac silentii beatæ Mariæ, quæ, ut ante diximus, ejus maxima et profundissima humilitas fuit. Quamquam enim gratia et virtutibus plenissima, et apud Deum gratiosissima erat; tamen nihil horum in se agnoscebat et quanto apud Deum major et sublimior, tanto in oculis suis abjectior et vilior erat. Itaque propterea cum se tantis laudibus ab Angelo prædicari, gratia plenam appellari et omnibus feminis anteponi videret, non potuit non commoveri et cogitare, quid sibi vellet ista salutatio. Justus enim dum laudatur in facie, flagellatur in corde: et ut Sapiens ait: *Quo, modo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum; sic probatur homo ore laudantis.* Et quoniam hæc est præcipua causa, cur Virgo sanctissima non statim Angelo responderit, ut perspicue intelligatur, quam præclara et rara sit virtus, quam beata Maria ista sua turbatione nos docuit. Enumeremus (si placet) humilitatis gradus.

Quot sunt humilitatis gradus? Tres. Uhus

incipientium, alter proficientium, tertius perfectorum. Primus eorum est, qui seipsos in speculo veritatis inspicientes et sordes et maculas suas turpitudinem ac fœditatem suam cognoscentes, sibi displicere ac seipsos horrere incipiunt. Alter eorum est, qui non solum ipsi seipsos pauperes, et nudos ac peccatores agnoscunt; sed etiam gaudent se ab aliis tales haberi, quales ipsi se habent. Quocirca nec falsas laudes admittunt, nec vera vitia excusant; nec adultores patiuntur, nec justos reprehensores ægre ferunt, quin potius sicut ipsi sibi displicent, suamque turpitudinem oderunt, ita ab aliis contemni ac despici, et tamquam purgamenta hujus mundi rejici desiderant. Tertius eorum est, qui cum multis et magnis Dei donis præditi sint, atque ad culmen perfectionis ascenderint, tamen, viles atque abjecti sunt in oculis suis, neque se ulli aliorum, aut verbis aut factis anteponunt; sed omnibus potius ex vera humilitatis virtute subjiciunt: non secus atque arbor quo magis fructibus oneratur, eo magis ramos suos ad terram inclinat. Hic est summus ac supremus humilitatis gradus: hic vertex humanæ perfectionis: huc Maria vel sola vel cum paucis admodum ascendit. Hæc est altissima illa Philosophia, ad quam docendam Dei Filius de cœlo descendit: nam cum ad cætera tradenda tres annos sufficere putaverit, in hac una ostendenda, totos triginta annos consumere voluit: quamquam nec aliis tribus unquam ab hujus virtutis commendatione cessavit. Quid enim putatis Dominum a die, qua natus est, usque ad annum trigesimum fecisse? Certe neque populos docuit, neque signa et prodigia fecit, neque ulla præclara opera in conspectu populi edidit: nam nec præcursorem suum prævenire debuit, quem constat anno ætatis Domini trigesimo ex eremo primum prodixisse: et aperte B. Joannes mutationem aquæ in vinum, quæ post annum Domini trigesimum facta est, initium signorum ejus scribit fuisse. Denique si magnifica illa opera multo ante annum trigesimum efficere cœpisset, quomodo ita obscurum ejus nomen ac fama tamdiu esse potuisset, ut etiam post annum trigesimum, faber et fabri filius appellaretur, cum posteaquam miraculis coruscare cœpit, brevissimo tempore ita in tota Palæstina innotuerit, ut filius David etiam a cæcis vocaretur? Quid igitur toto illo tempore egit? Num semper otiosus fuit, qui ad salutem nostram procurandam venerat? Imo

vero nunquam minus otiosus fuit. Quid igitur egit? Gladium humilitatis fabricavit, quo superbissimo giganti Goliath caput amputaret: hoc est, seipsum exemplum perfectissimæ et verissimæ humilitatis constituit, ut merito dicere posset: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Quanta enim illa humilitas erat hominem Deum et sibi suæ conscium majestatis, inter homines quasi unum de turba versari et fabrum et fabri filium, hominem rudem, imperitum, simplicem haberi? Si quis nostrum aliqua eruditione vel nobilitate utcumque clarus forte ad eum locum deveniat, ubi ejus eruditio aut nobilitas ignoretur, et errore hominum tamquam indoctus et obscurus contemnatur, quomodo is uretur interius? Quam vehementer cupiet occasionem aliquam offerri, qua seipsum prodat? Ut igitur nos quamvis magnam tum nobilitatem, tum eruditionem consecuti, et nobiles et sapientes videamur; tamen ignorari, contemni, despici, nihili fieri velle disceremus Dominus noster tam longo tempore, ignorari, contemni, despici, nihili fieri, rusticus, imperitus, inutilis haberi voluit. Credibile siquidem est, homines, qui eum ab infantia noverant, sæpe dicere solitos, o quam egregie nostram expectationem iste fefellit? cum esset puer magnam de se spem concitavit, multa promittebat, videbatur aliquid magni futurus, et ecce jam crevit et neque litteras novit, neque saltem procurat, ut discat, nihil facit, quod non quilibet facere posset. At de quo tandem et quamdiu ista dicebantur, auditores? Nempe de eo, qui Deus erat, summa et infinita sapientia, et non dies paucos, sed annos multos ista dicebantur. O utinam ex tanta medicina morbum nostrum, et ex tanta misericordia miseriam nostram intelligeremus. Magna enim miseria est superbus homo; sed major misericordia est humilis Deus: et ex tam immensa misericordia, nondum miseriam nostram intelligimus. Certe enim Deus doctrinam humilitatis non multis, sed paucis vel paucissimis potius ac rarissimis persuasit. Quotus enim quisque est, qui vel primum gradum humilitatis attigerit? Ubi sunt, qui seipsos vere cognoscunt, et qui sibi displiceant, qui seipsos oderint, qui se vere malos, vere inutiles, vere abjectos et viles existiment? Et tamen Apostolus clamat: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*. Non ait. Qui se magnum, optimum, sanctissimum, sed qui aliquid se putat, qui

aliquid se valere, aliquo loco dignus sibi esse videtur, ipse se seducit. Neque Dominus ait, cum legem transgressi fueritis, tum dicite servi inutiles sumus: sed *Cum feceritis*, inquit, *omnia, quæ præcepta sunt vobis*, tum *Dicite: Servi inutiles sumus: quæ debuimus facere fecimus*. At si in primo atque infimo gradu humilitatis, tam paucos invenimus, quanto pauciores reperiemus, in secundo? Ubinam gentium quæremus eos, qui licet ipsi utcumque se noverint, tamen ab aliis tales haberi, ac dici velint, quales ipsi se esse sciunt? Nonne quotidie id experimur, ut si nostræ falsæ laudes prædicentur statim animo intumescamus, vultum ad gravitatem componamus, ac tales nos esse credi cupiamus? Et contra, si nostra vera vitia, quæ nos ipsi conscientia teste in nobis cognoscimus, ab aliis reprehendantur, nonne statim erigimur, indignamur, commovemur, et verbum tam leve et tam verum longo tempore concoquere, ac digerere non valemus? Quod si aliquando nos ipsi vel laudes nostras refellimus, aut extenuamus, vel certe nostra vitia accusamus; nonne si in intimas latebras cordis penetremus, ibi videbimus ea omnia ex majore superbia proficisci, qua superbi dici timemus et humiles haberi desideramus? Quid? In ipsa confessione peccatorum, quam tamquam rei læsæ majestatis divinæ ad pedes sacerdotis deponimus, posteaquam scelera atque flagitia nostra confessi ac detestati sumus, si in ea Sacerdos paulo vehementius invehatur, nosque paulo acrius reprehendat, nonne aliquando molestissime ferimus, et quasi injuriam accepissemus, commovemur, et ea vel extenuare vel excusare, vel etiam negare conamur, quæ confessi sumus? O superbiam, o nequitiam, o hypocrisin cordis humani. Vere hypocritæ sumus et nostra conscientia teste sumus et tamen dici nolumus. Vere *Mendaces filii hominum ut decipiant*, et decipiantur *De vanitate in id ipsum*. Vere quamdiu tales sumus, non in veritate, sed in vanitate ambulamus. Vere *Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud?* Sed si hæc ita se habent, num spes ulla remanet ut aliquos in tertio ac summo gradu reperiamus? Si pauci sunt qui in suis sordibus non delectentur, et pauciores, qui vera sua vitia reprehendi sinant, si paucissimi, qui falsis laudibus non gaudeant, si pene nulli, qui sine fundamento et ad solam suspicionem boni, quod se habere vel esse, sibi videntur,

non superbiant ubinam erunt, qui vere multis et magnis Dei donis ornati, aliis nec se præferant, nec præferri velint? « Et tamen, ut D. Augustinus loquitur, non utile solum, sed etiam plane necessarium est, ut mensura humilitatis uniuscujusque ex mensura magnitudinis ipsius sit, juxta illud Sapientis: *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus*. Magnitudini enim est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. » Alioqui vir magnus, vir doctus, vir sapiens, addo etiam vir castus, vir fortis, vir misericors, quid aliud sine humilitate erit, quam magna arbor sine radicibus vel magna domus sine fundamento, quæ levi ventorum aut aquarum impulsu prosternitur? Et sane sicut accensa candela, quantum aliis prodest, tantum sibi nocet, quæ arden- do et lucendo seipsam paulatim consumit, et quanto magis excitatur, ut clarius luceat, tanto seipsam celerius perimit; sic et qui doctrina et eruditione illustres alios docent nisi in humilitate fundati et radicati sint, quantum aliis prosunt, tantum sibipsis nocent et sæpe instar aquæ alios purgant, et cælo dignos efficiunt, et ipsi interim superbiæ cæno sordescunt et in cloacam gehennæ projiciuntur. Sed ad Virginem nostram redeamus.

Quicquid de aliis sit, beatissimam Deiparam in hoc summo et excellentissimo gradu humilitatis perpetuo conversatam esse, dubitari non potest. Vere enim gratia plena, vere benedicta in mulieribus fuit: nec Angelus sanctus a mendacio et assentatione legationem suam exordiri voluisset. Itaque habuit prorsus unde præ omnibus Angelis et hominibus gloriari posset. Sed numquid fecit? Nihil minus. Tantum enim abest, ut magnitudinem atque excellentiam virtutum suarum unquam jactaverit, ut eam ne agnovit quidem. Hinc enim audita illa magnifica angeli salutatione, vehementer mirabatur, et *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, unde sibi tantæ laudes tribuerentur, quarum ne minimam quidem partem in se agnoscebat. Hinc etiam postea cum Dei Filium, non spe ac desiderio, sed reipsa jam gestaret in utero, et non Angelo credere necesse haberet, sed ipsa sentiret, sine viri opera se concepisse, et lumine Spiritus sancti mentem ejus illustrante aperte cognosceret, Deum verum, veri Dei Filium esse, quem utero suo gerebat, nihil inde animus ejus intumuit sed statim *Exurgens ascendit in montana*

cum festinatione, ut cognatam Elisabeth salutaret et major minori, mater Dei matri præcursoris, regina ancillæ ad tres menses ministraret. Et cum ab ea summis laudibus efferretur, atque audiret: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Et: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Et: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino:* quid humilis Virgo respondit? Numquid aliquid suæ virginitati, suæ sanctitati, suis meritis attribuit? Nihil omnino: sed totum gratiæ ac benignitati Domini adscripsit: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ubi non virtutem humilitatis prædicat; sed abjectionem, parvitatem, nihilitatem, nihilum suum agnoscit. Propterea inquit: *Magnificat anima mea Dominum*, quia nihil in me diguum tanto suo munere videns, tamen abjectionem et vilitatem meam respicere dignatus est. Hæc est humilitas, auditores, humanitas vera, humilitas cordis, quam imitari debemus, quæ seipsam deprimat et Deum exaltat. Vis Deum valde efferre, laudare, exaltare? Imitare Mariam, deprime atque humilia teipsum. Sicut enim in libra quantum una lanx deprimatur, tantum altera elevatur, ita quanto minus sibi homines tribuunt, tanto plus tribuunt Deo, et quo se magis deprimunt, eo magis Deum extollunt. Et contra homines impii atque superbi, quanto sibi plus tribuunt, tanto minus tribuunt Deo, et quo seipsos magis extollunt, eo Deum magis deprimunt. Quia vero Deus honorantes se honorat, et contemntes se contemnit, inde vere, qui se usque ad profundum humiliaverit, usque ad cælum exaltabitur, et qui se usque ad cælum exaltaverit, usque ad profundum inferni demergetur.

PARS SECUNDA.

Quoniam B. Maria, audita Angeli salutatione, nihil respondit, sed *Turbata in sermone ejus, cogitabat qualis esset ista saluatio*, propterea sanctus Angelus antequam legationem suam exponat, animum Virginis ab omni metu et suspitione doli et insidiarum liberare cupiens: *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Proprio nomine eam appellat, et ne timeat jubet, ut se familiarem et amicum doceat, a quo nihil

mali timendum sit. Magnus Antonius apud Athanasium de Angelis et Dæmonibus disputans, eo honorum et malorum visitationem angelorum internosci ac discerni posse demonstrat, quod Angeli sancti, licet initio nonnihil exterreant, tamen continuo metum et pavorem omnem abstergunt, et gaudium ac lætitiā in animis relinquunt eorum, quos visitant; Dæmones vero horrorem incutiunt, sed animum refovere et consolari nequaquam noverunt, quin potius pavorem duplicant, stuporem ingerunt, et usque ad profundam impietatis foveam, ut homines sibi prosternantur, impellunt. Hinc Angelus Raphael Tobix parentibus ait: *Pax vobis, nolite timere.* Et Angelus Gabriel Prophetæ Danieli: *Noli metuere Daniel.* Et Zacchariæ: *Ne timeas Zaccharia.* Et pastoribus: *Nolite timere.* Hinc etiam modo idem Gabriel, ut se vere Angelum sanctum demonstraret: *Ne timeas*, inquit, *Maria:* nihil hic fallaciæ, nihil adulationis, nihil insidiarum suspicaris, neque mireris, quod te gratia plenam et benedictam in mulieribus salutaverim; *Invenisti enim gratiam apud Deum.* Ille te talem gratia, et benignitate sua fecit, qualem dixi. Neque ego id meritis tuis, quæ ipsa non agnoscis, sed dono gratiæ Dei totum adscribo.

Qua oratione finita, et omni ex animo Virginis metu depulso Angelus Gabriel his verbis nuntium quod afferebat, exponit: *Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Hæc est tota atque integra legatio, cujus nos hodie priorem partem breviter exponemus: posteriorem in Dominicam sequentem differemus. Primis igitur verbis alludere voluit Angelus ad vaticinium Isaiæ, ut Virgo prudens nuntium audiens, ex ipsa forma verborum intelligat, se illam felicissimam mulierem esse, quam Isaiæ vaticinium intuetur. Sicut enim Isaias dixerat: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel: ita et Angelus dicit: Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.*

Porro his verbis primum summa et infinita quædam nobilitas, atque dignitas B. Mariæ explicatur ut merito exclamare potuerit: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et san-*

etum nomen ejus : nam cum mater et filius inter se referantur : sicut Filius Dei est infinitum quoddam bonum ; ita matrem esse Dei tanta et tam eximia præstantia est, ut prope infinita esse videatur. Accedit vero ad cumulum felicitatis, quod hoc tam excellenti bono, non solum beata Maria fruitur, sed sola ipsa fruitur. Multi enim Patriarchæ, multi Prophetæ, multi reges, multi Apostoli, multi martyres, multæ Virgines fuerunt : at mater et Virgo et Mater Dei, sola Maria fuit, ejus hoc solius privilegium est. In cæteris multum est, si anima tam pura et sancta reperiatur, ut Dei sapientiam hospitio recipere digna sit : neque majus aliquid ponere sapiens in laudibus sanctorum potuit, quam quod anima justî sedes sit sapientiæ. Quanta igitur felicitas, quanta puritas, quanta integritas Mariæ, cujus non anima modo, sed etiam et caro sedes est sapientiæ ? Cui ab Angelo dicitur : *Ecce concipies et paries filium* : et quæ sine mendacio dicere poterat : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Et : *Sitivit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea*.

Deinde hæc ipsa verba : *Ecce concipies et paries filium*, omnes illas hæreticas blasphemias refellunt, quas olim Marcion, Apelles, Manichæus et nostris diebus Schwencfeldiani, et quidam Anabaptistarum commenti sunt, nihil ex Maria Christum accepisse. Ac præsertim blasphemiam evertunt Valentini, qui ut est apud Tertullianum, Christum de cælo corpus attulisse, et per Mariam tamquam per fistulam transiisse, docebat, nec non scelestissimi Copronymi, qui ut refert Suidas, Christum auro, Mariam loculis comparabat, ut sicut loculi tam diu magnifunt, donec pleni sunt auro : ita Mariam eo solum tempore colendam atque honorandam efficeret, quo Christum gestabat in utero. Verum hæc et hujusmodi blasphemias et horrenda deliria, nec tam errores, quam furores hominum perditissimorum, uno verbo Evangelista, vel potius Angelus Gabriel apertissime confutavit, cum ait : *Et paries filium*. Aliud est enim Christum in utero Mariæ utcumque fuisse, aliud ita fuisse ut ab ipsa conceptus ac genitus, et verus ac naturalis ejus filius fuerit. Alioqui etiam in ulnis Simeonis eundem Christum olim fuisse scimus, et nunc in manibus sacerdotum, dum tremenda mysteria peraguntur, et in ore christianorum, qui cœlestia Sacramenta

percipiunt, esse non dubitamus ; et tamen quis umquam tam stultus inventus est, qui propterea vel Simeonem vel Sacerdotes vel Christianos cæteros, etiamsi quotidie Sacramenta perciperent, cum Beatissima Deipara comparandos censeret ? Non igitur Christus verus Deus et verus homo in Maria tamquam aer in fistula, vel tamquam aurum in crumena fuit, sed tamquam germen in vite, tamquam flos et fructus in arbore et tamquam verus filius in utero veræ matris, *Ecce concipies in utero et paries filium*. Hoc Isaias prædixit, hoc Angelus nuntiavit, hoc Evangelista conscripsit, hoc nos credimus, asserimus, extollimus, prædicamus. Itaque sicut inter mortales regis mater, non tunc solum regis mater vocatur, cum regem filium habet in utero, nec tum solum colitur, et honoratur ; sed multo magis postea, cum filius ejus in solio regali conspicitur : quemadmodum de Bethsabæe, matre Salomonis legimus, quam Salomon rex sapientissimus, in throno sublimi, ad dextram suam sedere volebat : ita quoque Beata Maria non solum fuit, sed etiam est Mater Dei : nec tunc solum honoranda erat, cum Filium Dei ac suum gerebat in utero, sed nunc etiam cum filius ejus de principe mundi gloriosissime triumphavit, et non solum ipse in solio regali ad dexteram Patris sedet, sed etiam matrem suam in throno sublimi super omnes choros Angelorum collocavit. Atque hæc de eo dicta sint quam Angelus ait : *Ecce concipies et paries filium*.

Sequitur : *Et vocabis nomen ejus Jesum*. Quod idem mihi esse videtur cum eo quod Isaias ait : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Quod enim est Emmanuel ? *Nobiscum Deus*. Quid est Jesus ? *Salvator*, id est, homo Deus : *Ipse enim*, inquit B. Mathæus, hujus nominis rationem reddens, *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Talis autem salvator nisi Emmanuel, nisi nobiscum Deus, nisi homo Deus, esse non poterat. Oportebat enim salvatorem generis humani, cui propter Adæ peccatum, tam crudeliter ac tyrannice mors dominabatur, moriendo mortem occidere et vitam resurgendo reparare. Jam vero solus homo mori poterat : sed mortem occidere et vitam reparare non poterat. Quam multi jam cum morte bellum gesserant, et omnes victi, ac prostrati succubuerant, et nullus eam non solum occidere, sed ne vulnerare quidem poterat. Solus autem Deus mortem occidere et

vitam reparare poterat, sed mori ipse non poterat, quare factus est Deus homo, quo mori posset ex uno et mortem occidere posset ex altero. Atque hic est Emmanuel, hic est Jesus, hic est vere Salvator mundi.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Merito Maria omnium prima filium suum Jesum appellare potuit, quæ ab eo est conservata antequam nata, et cui tam singulariter Jesus, hoc est, salvator fuit, ut eam toto vitæ tempore a peccato immunem conservaret, quod nemini alteri, ut oratione superiore dicebamus, donatum esse creditur. Tu igitur omnium prima vocabis nomen ejus Jesum. Tres homines hujus nominis in Scripturis fuisse legimus, Jesum Sirach, Jesum Jozedech et Jesum Nave : qui omnes nostri Jesu figuram et typum gesserunt ; sed præcipue Jesus Nave. Siquidem Jesus Sirach, propter sapientiam, Jesus Jozedech propter Sacerdotium, sed Jesus Nave propter salutem, quam attulit populo, quem de solitudine in terram promissionis introduxit, nostri veri et summi Servatoris nomen prætulerunt. Verum cum nostro Jesu Jesum filium Nave comparemus. Ille filius Nun, quod æternus seu permanens interpretatur : iste Filius Dei, qui solus habet immortalitatem. Ille, Moyse defuncto, populum circumcissione purgavit, qui ejus tempore semper fuerat incircumcissus : iste lege vetere, quæ per Moysen significabatur, sublata, spirituali circumcissione effecit, ut qui incircumcisi cordibus auribusque semper Spiritui sancto resistebant, jam corpora sua templa Spiritus sancti exhibeant. Ille mœnia Hierichuntina, non arietibus aut bellicis machinis, sed sacerdotalium tubarum clangore subvertit : iste toto orbe idolorum fana Apostolorum et Martyrum prædicatione prostravit. Ille cum Gabaonistis acie decertans solem et lunam stitit : iste adversus aërias nequitas in monte Calvariæ confligens solem et lunam tenebrarum velo involvit. Illo hostes Dei debellante pluit Deus super eos lapides et grandinem de cœlo, iste sub mundi finem pugnant spiritu oris sui contra insensatos, *Phuet super peccatores laqueos, ignis, grandis, nix, glacies, spiritus procellarum* ejus. Ille peracto bello duodecim tribubus sortem terram divisit sibi nihil reservans, sed oblatam portionem acceptans : iste in cœlesti patria suis commilitonibus distribuet, his martyrii palmam, illis doctoratus aureolam, aliis virginitatis liliam, ipse interim, cum summum

et infinitum bonum sit, seipso contentus erit, in mediis tamen suorum pectoribus admisus, gratiarum actiones hilari vultu suscipiet.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Innumera pene sunt encomia, quæ de hoc magno nomine in Scripturis legimus. In hoc nomine certum præsidium constitutum habemus : *Turris fortitudinis*, inquit Sapiens, *nomen Domini.* In hoc nomine fiunt miracula : *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt.* In hoc nomine petimus a Deo quicquid volumus et impetramus : *Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* In hoc nomine remissionem peccatorum accipimus : *Huic omnes Prophetæ, inquit D. Petrus, testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere in nomine ejus.* In hoc nomine quicquid agimus, si bonum et sanctum esse velimus, fieri debet : *Omne, quodcumque agitis, inquit Apostolus, sive in verbo, sive in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.* Tanta est hujus nominis dulcedo, tanta suavitas, ut pro eo pati Apostoli delicias magnas esse ducerent. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et Apostolus Paulus, et etiam Evangelista Joannes tertio fere quoque verbo in suis litteris nomen istud inserere voluerunt. Nam in paucis epistolis D. Pauli ducenties et vicies : et in Evangelio Joannis, quod est omnium pene brevissimum, adhuc sæpius quam ducenties et vicies, hoc nomen scriptum legimus. Ita vehementer, ita dulciter, ita suaviter, in ore et corde eorum sapiebat. Denique tam suave est hoc nomen, ut a sponso *Oleum effusum* nominetur : tam salutare, ut *Non sit aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri ;* tam venerabile ut in eo solo *Flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

Neque vero numerus litterarum in isto nomine, *Quod est super omne nomen* mysterio vacare credendus est. Quinque enim litteras habet, vel propterea quod Deum et hominem significat. Nam cum Dei nomen quatuor litterarum sit, una addi debuit, ad humanam designandam naturam ; vel certe quod illa quinque nomina, quæ sunt apud Isaiam : *Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis,* hoc unum nomen

complectitur. Fuit enim vere noster Jesus admirabilis in parabolis, consiliarius in doctrina, Deus fortis in prælio contra Diabolum, pater futuri sæculi, cum tanquam alter Adam novos filios genuit, et princeps pacis, cum inter Deum et hominem pacem restituit. Vel si vultis, admirabilis fuit nascendo, consiliarius vivendo, pater futuri sæculi resurgendo, princeps pacis tanquam mediator ad Deum ascendendo. Num etiam quotidie in conversione peccatorum Jesum nostrum admirabilem, consiliarium, Deum fortem, patrem futuri sæculi et principem pacis nos experimur? Quis enim hominem mundi laqueis irretitum, qui nihil nisi de pompis, de choreis, de conviviis, de voluptatibus, de vanitatibus cogitare noverat, tanta et tam repentina mutatione aliquando ita convertit, ut alius homo esse videatur, nisi ille qui est admirabilis? Quis eundem jam Deo servire cupientem, tam sapienter ad statum et locum sibi, et proposito convenientem dirigit, nisi ille qui vere est consiliarius? Quis vero tiro-nibus Dei in militia contra Dæmonum et hominum tam varias ac multiplices tentationes, robur, et constantiam præbet, nisi Deus fortis? Quis eosdem unius moris in domo, in summa castitate et charitate vivere facit, ut non homines, sed angeli, nec filii hujus sæculi sed futuri esse videantur, nisi pater futuri sæculi? Quis postremo in terra hostium adhuc positus pacem illam gustare facit, quæ exuperat omnem sensum, et tanquam manna eos in solitudine pascit, nisi is, qui vere est princeps pacis?

Verum non omnibus, auditores, hæc omnia est Jesus, sed illis dumtaxat, qui ad exemplum B. Mariæ, non solum concipiunt; sed etiam pariunt filium: nec solum pariunt filium, sed etiam filium suum Jesum vocare possunt. Sunt enim quatuor hominum genera, quæ si breviter enumeravero, finem faciam. Primum genus est eorum, qui raro aut numquam concipiunt, et sæpe de industria timentes concipere, ad conciones non veniunt: isti vero miserissimi et infelicissimi a salute longissime absunt, aperte siquidem Spiritui sancto resistunt, de quo solo spiritus salutis concipi potest.

Alterum genus eorum, qui bona desideria concipiunt quidem, sed vires pariendi non habent. Audiunt mundum esse proditorem, et fallacem, et jam innumeros homines circumvenisse, atque ad gehennam suis lenociniis pertraxisse; audiunt mortem instare, nos

non posse diu in voluptatibus vivere, in morte vero omnium, quæ hic agimus, severissimo et potentissimo judicii reddendam esse rationem: audiunt beatam et quietam, et facilem et suavem esse vitam eorum, qui Deo servire et placere student, et sempiternam mercedem eis in cælo post mortem conservari: his vero auditis bona desideria de Spiritu sancto concipiunt, mundi vanitatibus renuntiandi, choreas et potationes fugiendi, frequenter et serio peccata confitendi, sed tamen more stultarum feminarum, quæ postquam conceperunt, non se diligenter custodiendo, quin etiam currendo, saltando, ludendo in utero prolem occidunt. Et quantum hoc est detrimentum ei, qui conceperat? Quanta injuria Spiritui sancto? Animæ siquidem nostræ post Adæ peccatum, incredibili sterilitate damnatæ, non nisi singulari Dei favore ac beneficio Spiritus sancti sancta desideria concipere possunt; et tu beneficium tam singulare, quod spiritum salutis conceperis, quod in utero Jesum habeas, tam parvi facies? Quid si nunquam amplius Spiritus sanctus te respicere dignetur? Quid si in tua sterilitate in æternum relinquare? Quid si propterea ad salutem non pervenias, qui tamen facile pervenisses, si conceptum in utero Jesum non occidisses?

Jam vero in tertio genere alii sunt qui concipiunt et pariunt, sed prolem conservare ac nutrire non valent usque ad diem octavum, in quo vocandum erat nomen ejus *Jesus*. Atque isti quidem quo saluti propinquiores, eo miseriores, quod ab illa nihilominus tam infeliciter excidant. Isti sunt, qui bona desideria implere incipiunt, ad confessionem, ad communionem accedunt, a fornicatione, ab ebrietate aliisque sceleribus se abstinunt; sed quamdiu? Donec Herodes non quærit puerum ad perdendum eum, donec tentatio non exurgit, donec ab amicis et sodalibus non invitantur: et quid prodest homini in concipiendo et pariendo laborasse, si ante Herodi necandus offeratur, quam vocetur nomen ejus *Jesus*? Numquid salvare poterit, si ad octavum diem non perveniat et non vocetur nomen ejus *Jesus*?

Illi igitur soli felices, qui B. Mariam imitati, concipiunt desiderando, pariunt bene operando et vocant nomen filii sui Jesum usque ad mortem perseverando, quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO IV.

SUPER

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN
NAZARETH, ETC. *Lucæ* I, v. 26.

SYNOPSIS

Per brevem præfatiunculam hac præsentem cum superiore annexa concione, declaratur, cur angelus dicat: Hic magnus erit, cum Christus jam antea ab æterno fuerit magnus. Variæ figuræ et vaticinia de Christo adducuntur. Variæ idem hæreses circa illius nativitatem exortæ refutantur. Ostenditur quod notum fuerit Judæis Messiam filium David, ejusque regnum æternum futurum. Dissolvitur quæstio duplex: prior, quomodo Angelus dicere potuerit Christum regem futurum, cum illum honorem hic in terris semper subterfugerit; et ipsi Judæi cum latent negarint; ubi elegans inter Christi et Davidis regnum instituitur comparatio. Altera quæstio, quomodo Christus in bonos et malos imperium, sed diverso modo, exerceat; ubi assignatur differentia inter Christi regnum, cui servire regnare est, et regna mundana. Christi et sanctorum regnum perpetuum futurum asseritur, et ad illud consequendum efficaciter admonemur.

Pars posterior prudens B. Virginis explicat responsum, quamque de virginitate custodienda fuerit sollicita, ex D. Augustino et Bernardo probatur. Demonstratur magnæ fortitudinis argumentum fuisse in Virgine Deipara, quod illa prima Deo virginitatem sine exemplo voverit; unde jure merito primitivæ virginum dici debet. Virginitatis encomia ex diversis auctoribus collecta in medium adducuntur. At-

que e contrario luxuria nostri temporis, præsertim inter clericos, severa reprehensione taxatur.

Legationis divinæ summam, auditores optimi, qua Servatoris adventus nuntiabatur, orator insignis Archangelus Gabriel his potissimum verbis comprehendit: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Cujus quidem legationis partem priorem, quæ conceptionem, atque ortum et nomen Servatoris complectitur, exposuimus oratione superiore: nunc sola posterior explicanda restat, quæ conditio, et gradus ac dignitas Servatoris continetur.

Prosequitur igitur cursum orationis suæ cœlestis legatus, et ait: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur.* Magnus erat Christus antequam de Virgine nasceretur: nam *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:* quod si Deus, certe et magnus. Nam quis magnus, sicut Deus noster? Neque magnus est Deus, quod una aut altera laude excellat, quomodo Magnum Alexandrum et Magnum Pompeium ethnici dixerunt: et nostri Magnum Athanasium et Magnum Basilium, sed quod omnibus modis sit magnus. Magnus natura, quia infinitus: magnus quantitate, quia immensus: magnus qualitate, quia justissimus: magnus potentia, quia omnipotens: magnus cognitione, quia sapientissimus: magnus bonita-

te, quia optimus : magnus forma, quia pulcherrimus : magnus loco, quia supremus : magnus duratione, quia sempiternus. Itaque magnus erat Dei filius in sinu Patris existens neque ad sinum matris descendit, ut cresceret, cum potius hunc descensum Filii Dei de sinu patris in sinum matris, Apostolus *Exinanitionem*, et Propheta *Minorationem* appellare soleat : et aperte Isaias dicat : *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis*. Cur igitur Angelus ait : *Hic erit magnus*, quasi ante non fuisset? Nonne verius dicere poterat, hic erat quidem magnus, sed jam fiet parvus? Ita sane loqui debuisset, si de Christo secundum formam Dei loqueretur. Nunc vero quia de Christo loquitur, non secundum eam naturam, quam a Patre jam acceperat, sed secundum eam, quam a matre jam accepturus erat, ideo rectissime et verissime ait : *Hic erit magnus*. Erat enim Christus ac fuit semper Deus magnus, sed non homo magnus. Quare factum est verbum caro, ut qui erat magnus Deus, fieret etiam magnus homo, magnus rex, magnus Sacerdos, magnus *Propheta, potens in opere et sermone*, eique a populis acclamaretur, *Quia Propheta magnus surrexit in nobis ; et quia Deus visitavit plebem suam*.

Porro de magnitudine ejus nihil amplius dicam, quam ipsum esse, quem omnes figuræ veteris instrumenti, omnes res gestæ Patriarcharum atque omnia vaticinia prophetarum intuentur. Ipse est semen mulieris, de quo in cap III lib. Gen. scriptum legimus, futurum aliquando, ut caput serpentis conteret. Ipse est Melchisedech, qui panem et vinum novo ritu in sacrificium obtulit. Ipse est Isaac, qui ligna propriis humeris tulit, in quibus immolandum erat. Ipse est Joseph primum a fratribus, Juda auctore, venditus, deinde etiam ab Ægyptiis, mundi salvator appellatus. Ipse est Josue, qui Moyse defuncto in terram promissionis populum introduxit. Ipse est Sampson ab infantia Nazaræus quem non funes, non vincula tenere, sed solum amor Dalilæ, hoc est, Ecclesiæ ligare, et illudendum hostibus suis præbere potuit, et qui moriendo inimicos suos simul omnes occidit. Ipse est David puer parvulus, rufus et pulcher aspectu, qui licet invidentibus et repugnantibus fratribus, tamen in ligno et lapide cum superbissimo Goliath pugnavit et vicit. Ac ut cætera prætermittam, quæ pene sunt infinita, ipse est *Emmanuel* apud Isaiam : *Germen justum* apud Jeremiam :

Pastor unus et princeps apud Ezechielem : *Lapis de monte excisus sine manibus* apud Danielelem : *Rex Sion justus et salvator* apud Zachariam : *Dominator Israel* apud Micheam : *Desideratus omnibus gentibus* apud Aggæum : *Doctor justitiæ* apud Joelem : et *Sol justitiæ* apud Malachiam. *Hic igitur erit magnus*.

Verum ne Virgo beata fortasse crederet nihil aliud, quam magnum hominem se parituram, et quia Spiritus sanctus prævidebat venturos Simones, et Samosatenos, et Arios et Nestorios, et multa ejusdem generis monstra atque portenta, qui cum legisent in Evangelio veritatis : *Hic erit magnus*, dicturi erant, Christum vel ante Mariam non fuisse verum Deum, vel esse quidem Deum, sed alium ab eo, quem virgo peperisset : propterea contra omnes futuros errores Angelus sanctus, postquam dixerat : *Hic erit magnus*, addidit continuo : *Et Filius Altissimi vocabitur*. Non enim hoc futurum erat, ut Christus esset Filius Altissimi, sicut futurum erat, ut esset homo et magnus homo, sed jam erat, et ab æternitate fuerat filius Altissimi, licet in sinu Patris delitesceret, nec agnosceretur nec vocaretur ab hominibus. Itaque de illo ipso, qui jam erat Filius Altissimi, non de alio aliquo, ut somniat Nestorius, Angelus ait : *Hic erit magnus*, scilicet homo ; et *Filius Altissimi*, sicut est verus, ita agnosceretur deinceps et vocabitur. Quod si autem B. Mariæ filius, est etiam Filius Altissimi, fallitur Ebion, decipitur Samosatenus, errat Arius, somniat ac delirat Nestorius. Pater enim altissimus non in tempore, sed ab æterno Filium genuit, juxta Micheæ Prophetæ vaticinium : *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat, populum meum Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*, ex quo Ebionis et Samosateni error abunde confutatur. Deinde sicut homo hominem gignit, leo leonem ; ita Deus Deum, omnipotens omnipotentem, infinitus infinitum, altissimus altissimum sine dubio generavit, *Qui non rapinam arbitretur esse se æqualem Deo*, id quod Arii perniciosam hæresim penitus destruit. Postremo si ille ipse quem beata Maria concepit et peperit, Filius erat Altissimi, unde somniat Nestorius alium esse Dei, alium Mariæ filium? Nonne Angelus aperte clamat : *Hic erit magnus*, nempe quem tu virgo sancta concipies et paries, hic ipse et non alius aliquis erit magnus, et ipse idem filius Altissimi vocabitur.

Sequitur : *Et dabit illi Dominus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Quibus verbis Angelus docet magnum istum filium, quem Beatæ Virgini promittit, ipsum esse Christum et Messiam, quem populus Hebræus tanto desiderio semper expectabat. Potuisset enim virgo prudentissima non sine causa mirari, cur tantus filius sibi promitteretur, et quæ ratio esset tantæ, et tam insolitæ novitatis, ut Filius Altissimi filius feminae esse deberet. Sed eam admirationem sustulit Angelus, cum eum, quem venturum nuntiabat, Messiam esse docuit. Non enim ignorabat Virgo sapientissima, Messiam a Deo promissum expectari, eumque filium David et regem futurum, et non suo tantum sæculo, ut alii reges, sed in æternum regnaturum. Legerat enim, cum in aliis multis locis de Christo multa, tum illud apud Isaiam, ubi apertissime, de Christo loquitur : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* Et usque adeo et omnibus Hebræis promissum erat, Christum ex semine David nasciturum, et æternum regnaturum, ut in Evangelio ipsas turbas dixisse legamus : *Numquid a Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? Et alio loco : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum, et quomodo tu dicis. Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste Filius hominis? Cum igitur virgo sanctissima optime sciret Christum venturum, de semine David nasciturum, regem in Israel futurum, et in omnem æternitatem regnaturum, mox ut audivit : *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus,* mox intellexit, non alium, quam Messiam illum celeberrimum, tot sæculis expectatum, tot vaticiniis decantatum, tot votis ac suspiriis desideratum, ab Angelo sibi promitti.*

Verum ex iis, quæ dicta sunt, duas quæstiones exoriri video, quæ breviter solvendæ atque explicandæ sunt. Primum igitur quæret fortassis aliquis, cum ex Evangelio didicerimus, Christum in terra regem non fuisse, quid est, quod modo angelus dicit : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in æternum et regni ejus non erit finis?* Quomodo sedit in solio David patris sui, qui ne rex a turbis fieret de conspectu earum se eripuit, et in

montem solus fugit? Aut quomodo reguabit in domo Jacob in æternum, quem ipsa domus Jacob, non solum regem suum coram Pilato negavit, sed etiam ad necem tanquam reum postulavit? Ita est, auditores : non sedit Christus in eo solio, in quo David, et Salomon, et Isaias et Ezechias, et alii tam multi reges Hebræorum sederunt, sed neque de ea sede Angelus locutus est : neque enim decebat, ut rex cœli et terræ, qui sedit super Cherubim, in angustissimo angulo orbis terræ, tanquam unus de turba regulorum imperaret : neque Deus etiam cum David loquebatur : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam; et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum et testis in cœlo fidelis,* Thronum illum intelligi volebat, quem non diu post ab Assyriis, deinde ab Herode, tum a Romanis, et nunc demum a Turcis occupari passus est ; sed eum potius, quem ille significabat. Sicut enim duas novimus Jerosolymas, unam in terra, alteram in cœlo, et duas circumcisiones, unam in carne, alteram in Spiritu, et Filios carnis Abrahamæ, a filiis fidei Abrahamæ ab apostolo edocti facile discernimus : ita quoque duo solia David et duas domos Jacob agnoscere debemus.

Quemadmodum enim si rex aliquis unum ex principibus suis ducem crearet, et in tabula depicta regionem ostendens diceret, omnem hanc provinciam, ista oppida, hos portus tibi dono dedi, certe non intelligeremus regionem illam dumtaxat depictam, quam digito tunc ostendit, a rege esse donatam, sed veram provinciam, veros pagos et portus, quorum in tabula expressæ imagines cernebantur : sic etiam cum Angelus ad virginem de Christo ait : *Dabit illi Dominus Deus sedem David,* non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam intellexit, cujus illa ita expresse imaginem prætulit, ut Christi regnum sedes David aptissime nominetur. Nullum enim fuit unquam regnum, Christi regno similis quam regno David, qui ab ipsa pene infantia rex inunctus fuit, nec tamen ad regnum, nisi per varios et multiplices labores pervenire potuit : et Christus in ipsa sua conceptione unctus fuit Spiritu sancto, et virtute, et a magis ex Perside venientibus vix dum natus rex Judæorum salutatus est : *Ubi est qui natus est rex Judæorum? Et Isaias de eo : Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum ejus :*

Et tamen multa eum pati necesse fuit, ut ipse idem diceret: *Nonne oportuit pati Christum et ita intrare in gloria sua?* Accipit igitur Christus sedem David patris sui. David præterea cum iis regnare cœpit, *qui* (ut Scriptura loquitur) *erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno et amaro animo;* denique cum pauperibus exulibus, fugitivis: et Christus cum peccatoribus, publicanis, meretricibus, qui debita peccatorum suorum agnoscentes, et pro iis gementes, relictis omnibus mundo fugiebant, regnum suum auspicatus est. Denique regnum Davidis magnis continuisque præliis inchoatum auctumque est, sed postmodum tempore Salomonis, devictis ubique hostibus ac belli terroribus ac tumultibus sopitis pacatissimum fuit: et Christi regnum cum persecutionibus cœpit, persecutionibus crevit, et usque nunc bella contra Hæreticos, contra vitia, contra dæmones Christi Ecclesiæ nunquam defuerunt. Semper in acie armatos et paratos esse nos oportet, neque tutum est nobis unquam, vel justitiæ lorica exuere vel galeam salutis deponere, vel fidei scutum abjicere, vel gladium verbi Dei ad manus non habere; sed post ultimi iudicii diem cum rex noster non amplius David, sed Salomon dicetur, hostibus Ecclesiæ cum ipso principe Diabolo in gehennam detrusis, et vinculis æternis ad ignes sempiternos alligatis, tum demum positis armis, finitisque præliis, læta felicique pace, ubique regnante, in toto Christi imperio *Alleluia* cantabitur. Quæ cum ita sint, accepit prorsus rex noster sedem David patris sui.

Altera quæstio est, cur imperium Christo sola domo Jacob, quæ fidelium Ecclesiam designat, promittitur? *Et regnabit, inquit, in domo Jacob in æternum.* Nonne etiam domo Esaü, hoc est, super impios et sceleratos regnabit, et regnat? Et qui sunt illi, quos reget *In virga ferrea, et tamquam vas figuli confringet?* Nunc ipse ait; *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra?* Nonne ipse est, ut Joannes ait, *Princeps regum terræ, et habet in vestimento et femore suo scriptum, Rex regum et Dominus dominantium?* Nonne ipse percutiet gentes, ut idem Joannes ait, et dabit *Carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium* avibus cœli, et bestiis terræ comedendas? Regnabit quidem et regnat, auditores, liberator noster in domo Jacob, et in domo Esaü, hoc est, in Ecclesia fidelium et electorum, et super multitudinem infide-

lium et impiorum; sed alio atque alio modo. Siquidem in domo Esau regnat per justitiam, impios et sceleratos regit *In virga ferrea et tamquam vas figuli confringet eos:* illi jugum præceptorum Domini excutiunt per inobedientiam, sed imponetur eis jugum pœnarum et suppliciorum, quod excutere non valebunt per justitiam: manum divinæ misericordiæ subterfugiunt, sed manum divinæ justitiæ non effugient.

Denique tamquam mancipia fugitiva æterno pistrino teterrimisque gehennæ cruciatibus tandem mulctabuntur. At vero in domo Jacob longe aliter regnat: nam potentissima mirabilique gratia cordibus servorum suorum illabitur, eaque sceptro atque imperio suo suaviter subjicit, sibi que ea amoris et obedientiæ tributum solvere facit. Quia vero modus iste regnandi proprius est Christo, idcirco sanctus Angelus solius regni super domum Jacob mentionem faciendam esse judicavit.

Non ita Nabuchodonosor, neque Cyrus, neque Alexander, neque Augustus, neque David, neque Salomon, neque nostri Constantini et Theodosii, et Caroli unquam regnaverunt. Isti enim solis corporibus imperare, sola corpora movere, et nisi paruisent, sola corpora necare poterant: Christus vero in domo Jacob, in Ecclesia sanctorum, in cordibus electorum ita regnat, ut animos et voluntates moveat, et eas ad omne suum obsequium paratas, et promptas efficiat, replens eas fide, spe, charitate, justitia, pace, gaudio, quæ idcirco regnum Domini Apostolus nominavit. *Non est, inquit, regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax et gaudium in Spiritu sancto:* in quibus vero ita regnat Christus, et ipsi sine dubio regnant cum Christo: nam *servire Deo, regnare est.* Hinc est illa vox felicitum sanctorum: *Redemisti nos, Domine Deus, in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Et vere, quo magis se homo subjicit Deo, et ei servire, placere et obtemperare studet, eo magis omnes res inferiores sibi subjectas et obedientes experitur. Unde, quæso, Daniel inter leones tamquam inter oves mansuetissimas jacuit? Unde magnus ille Gregorius Neocæsarius Episcopus, montem loco movit, lacum exsiccavit, flumen compescuit? Unde Antonio, Hilarioni, Benedicto, Francisco, aliisque sanctis viris (ut de Apostolis interim taceam) mundi elementa, bestię terræ et ipsi dæmo-

nes superbissimi, quasi ad nutum obtemperabant? Nonne ex eo quia ipsi perfecte obediebant Deo, et Christus in eis regnabat, et ipsi simul cum Christo regnabant? Atque ista quidem gloria miraculorum quasi regni specimen exterius apparebat: sed lumen et splendorem regni Dei, qui intus latebat, admirabilem illam justitiam, pacem illam, *Quæ exsuperat omnem sensum*, gaudium illud, omnes humanas voluptates longe superans, quis explicare posset? *Omnis gloria filix regis* (inquit David) *ab intus*, et vere ab intus: *Nam regnum Dei intra nos est*: extra vero persecutiones potius, labores, paupertatem, ignominias Christus electos suos expectare atque habere jussit. Sicut enim qui multum auri et argenti, et lapidum pretiosorum secum portant, si sylvas transire debeant, ubi latrones versantur, vestes laceras et sordidas induunt et extremam inopiam simulant: sic etiam sancti homines, qui thesaurum regni secum habent, donec in sylvis hujus sæculi iter facere coguntur, ubi non dubitant innumeros inveniri, abjecti et viles et pauperes exterius inveniri volunt. Quis Beatum Franciscum sacco suo involutum atque horridum videns, non mendicum aliquem homunculum esse putasset? Et tamen rex magnus erat et purpuram, ac diadema et sceptrum regni, sacco illo prudenter abscondebat, ne a latronibus cognosceretur. Sed cum ad patriam suam sancti pervenerint, ubi sine hoste, sine metu, sine periculo ullo regnabunt, tum demum laceras vestes abjicient, vestem gloriæ assument, et toti pulchri, toti lucidi, toti gloriosi interius atque exterius apparebunt. Hic enim regnum Dei solum inchoatur, sed in cælo perficietur, ac præsertim in die ultimi judicii, cum *Reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*; et cum sanctis omnibus a summo rege dicetur; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*. Quod regnum quotidie petimus, cum in oratione Dominica dicimus: *Adveniat regnum tuum*.

Et quamdiu regnum istud in domo Jacob permanebit? decem annis? viginti annis? Angelum sanctum audiamus: *Et regnabit, in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis*. Quando etiam sancti cum eo regnabunt in æternum, et regni eorum non erit finis. O regnum lucidum, regnum pacatum, regnum gloriosum, et cum his omnibus in omni

æternitate sine ullo fine duraturum. Et quid est, fratres, quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quis nos fascinavit caducos honores auro comparare et nolle gratis accipere sempiternos? Quæso vos, si modo optio nobis daretur et posset fieri, quis non mallet se Antonium vel Franciscum fuisse, quam Cæsarem vel Alexandrum? Quis non mallet cum illis paucos dies, in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et ærumnis Domino servivisse, et nunc in cælis cum iisdem sine fine regnare, quam cum istis brevissimo tempore mundi monarchiam tenuisse, et nunc in gehenna cum iisdem sine fine cruciari? Isti ut monarchæ toti orbi imperarunt deliciis, divitiis et honoribus abundarunt; sed hæc omnia uno prope modum momento abierunt, eaque pœna, ignominia et confusio inexplicabilis consecutæ sunt; dies paucos læti exegerunt nec ea lætitia sine tristitia fuit, et jam tot sæculis calicem iræ Dei, plenum absynthio sine ulla intermissione biberunt, tot sæculis jam habitarent cum igne devorante, et sudarunt in ardoribus sempiternis, nec ullum finem calamitatum expectare licet. Illi vero dies paucos in laboribus et ærumnis Domino servierunt, contempti a quibusdam aliquando, ab aliis honorati, quamvis honorem illum non quærerent, sed fugerent, externis opibus caruerunt, sed a molestiis ac sollicitudinibus, quæ divitias consequuntur, liberrimi fuerunt, nec tamen eorum aliquem fame periisse audivimus: quos ipsos post mortem cœlestis Jerusalem excepit, ubi sæculis multis feliciter jam regnarunt. Atqui nunc optio datur, et potest fieri vel potius debet omnino fieri, non quidem ut fueris Cæsar vel Alexander, Antonius aut Franciscus, sed certe ut sis deinceps vel stultis Ethnicis vel sapientibus Christianis similis, et vel ad domum Esau pertineas, et in virga ferrea regaris, et tamquam vas figuli confringaris vel in domo Jacob numereris, et cum Christo regnes in æternum. Et cum optio ista detur, cum possis talis fieri, qualem te fuisse desiderares, si jam obiisses, cum tanti hoc referat, ut nihil prorsus sit cum hoc negotio comparandum, cur, quæso, te ipsum ita fallis? Cur quasi unus de insipientibus agis? Cur non ita vivere instituis, quomodo te vixisse paulo post optabis? Me miserum, præterit figura hujus mundi, volat irrevocabile tempus, videmus quotidie homines mori, nos ipsi statim moriemur, certo scimus summis

votis nos tunc optaturos, bene, sancte, caste vitam traduxisse : et tamen quasi quodam lethargo correpti non movemur, non excitamur, non semel dicimus : Dormivi satis, mea res agitur, nolo mihi amplius mundus imponat, nolo propter temporalia amittere sempiterna. Fratres, qui stipendium cupit, jam nunc militare incipiat : qui magnus in cœlo esse desiderat, hic magnus virtutibus esse studeat. Hic enim parantur officia, hic discernuntur loca, hic honores designantur, et qui hic bene vivendo cœlestis hæreditatis non acceperit codicillos, post mortem certe mendicum et vacuum se inveniet.

PARS SECUNDA.

Dixit autem Maria ad Angelum ; Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Laudavimus superiore oratione, Beatissimam Mariam de silentio, nunc multo magis de gravi et sapiente responsione laudanda est. Legimus enim in libro Ecclesiastici : *Adolescens, loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum : in multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens.* Quod præceptum Virgo sancta diligenter et sapienter observavit. Salutatur ab Angelo, et compellatur semel, et nihil respondet, sed cogitat secum quid sibi velit ea salutatio : compellatur secundo, et tum caput, seu initium incipit habere responsum ejus : neque tunc multa loquaciter garrat, sed una, eaque brevissima interrogatione complectitur id totum, quod eam ab Angelo quærere oportebat : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Felix Eva, si cum a serpente audivit : *In quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii,* continuo respondisset, quomodo fiet istud? qui fieri potest, ut comedentes de ligno, quod Deus prohibuit, efficiamur sicut dii? Itaque ex ejus errore Maria prudentior facta, etiam Angelo respondere non timuit : *Quomodo fiet istud?*

Verum quod in hac Virginis nostræ responsione sive interrogatione potissimum admiramur, est incredibile studium, novus et inauditus ardor virginitatis conservandæ. Primum enim ex hoc loco apertissime cognoscitur, Virginem Mariam virginitatem non solum elegisse, sed etiam voto confirmasse ;

alioqui nulla prorsus esset causa, quam reddidit quæstionis suæ, cum ait : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Jam enim nupta erat viro, et si nupta non fuisset, nubere, virum cognoscere, de viro concipere et parere certe potuisset. Ita locum istum D. Augustinus intelligendum docet. *Quomodo fiet istud, ait Virgo, quoniam virum non cognosco?* « Quod profecto, inquit non diceret, nisi Deo virginem se ante novisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat ». Et B. Bernardus hunc ipsum exponens locum : « Non dubitabat, inquit, de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quærit : An fiet istud, sed, quomodo fiet istud. Quasi dicat, cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuit me frangere votum, ut pariam talem filium et gaudebo de filio, et dolebo de proposito, fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam virgo et pariam, quod utique, si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere quia respexit humilitatem ancillæ suæ : *Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* » Itaque, auditores, sicut viri religiosi certorum ordinum, cum dicunt : Nos vinum non bibimus aut carnibus non vescimur, non id significare volunt se tunc non bibere vinum nec vesci carnibus cum id loquuntur, sed lege se et voto prohiberi, ne unquam aut vinum bibant aut carnibus vescantur : Sic etiam Virgo Beata, cum ait, *Virum non cognosco,* nihil intelligi voluit aliud, quam voto se obstrinxisse coram Deo virginitatem perpetuo servaturam. Hæc vero quanta est laus? *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* Quæ major fortitudo cogitari potest, qua ut nobilis adolescentula, ad palmam præclarissimæ et difficillimæ virtutis, per iter insuetum et invium secuturis virginibus exemplo suo aditum aperire, et tamquam dux præire tentaverit? Si nunc magnum est virginitatem conservare, cum eam Dei Filius docuit, Apostolus consuluit, patres laudarunt, multi sexus utriusque tenuerunt et exemplo suo servari posse demonstrarunt, quanto majus singularem istam Virginem et virginum reginam tunc ad palmam hujus nobilissimæ virtutis adspirare potuisse, cum

neque præceptum habuerat, neque consilium audierat, neque viderat exemplum et cum nullo in pretio apud homines habebatur?

Neque vero existimet aliquis, se gloriam istam singularem Virginis Deiparæ extenuare posse, si dicat eam non ante de voto virginitatis cogitasse, quam se matrem Dei futuram esse præsciret, nam ut D. Augustinus sapienter monet, et verba ipsa Virginis aperte docent, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quod esset conceptura nesciret. Sicut igitur primitiæ resurgentium Christus primitiæ credentium Apostoli; ita primitiæ virginum Maria et sicut primitiæ aliis fructibus ejusdem generis excellunt, ita Mariæ virginitas magis Deo, quam aliorum omnium virginitas placuit.

Neque solum ex hoc loco, primum florem Ecclesiæ divinam Mariam fuisse cognoscimus, sed etiam ad ejus perpetuam virginitatem contra Helvidianos asserendam, testimonium firmissimum habemus: quæ enim thesaurum virginitatis sedibus et regnis anteponeret, qua unquam spe, quibus promissis eam sibi deinceps auferri pateretur? Si qua puella, licet obscuris et pauperibus parentibus nata, oblatum sibi summi alicujus regis connubium amore virginitatis recusaret, num credibile esset ulla alia ratione eam aliquando flectendam? Jam igitur Beatissima Maria, si Angelo veritatis tantum filium promittente, nempe regem et regem æternum, et quod his omnibus majus est, Deum verum, ita ut certo sciret se Dei matrem, orbis dominam, Angelorum reginam esse posse, tamen virginitatis ab amore non recessit, sed ait: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Quibus, quæso, machinis, quibus motibus firmissimam turrim animi ejus dejici unquam potuisse credemus? Nemo igitur de fortissima Virgine tale aliquid, quod nefas est, suspicetur, sed hinc potius quanti virginitatis thesaurus fieri debeat, omnes discamus, quem a Virgine Dei Matre tam ardentem amatam, tantoque studio conservatum videmus.

Nec immerito Dei mater futura, virginitatis decus tam vehementer adamavit, quod ab ipso Deo maximi fieri Spiritu sancto docente cognoverat. Nondum quidem scriptum erat in Evangelio veritatis: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Nondum scriptum erat ab Apostolo Paulo: *De virginibus præ-*

ceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis: Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Et: Mulier innupta et virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. Et: Qui jungit matrimonio virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit. Nondum scriptum erat ab Apostolo Joanne, virgines dumtaxat, et qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sequi Agnum quocumque ierit, et canticum novum cantare, quod nemo alius cantare potest. Nondum scriptum erat a Cypriano: « Flos est virginum cœtus Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, illustrior portio gregis Christi gaudet per illas et in illis: largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris aurescit. Magna Dei virgines merces manet; præmium grande virtutis, munus maximum castitatis. » Nondum virginitatis laudes Ecclesiasticæ illæ tubæ, Athanasius, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus decantaverant; sed tamen Virginem nostram unctio Spiritus sancti de omnibus docuerat, jamque Patrem suum David dicentem audierat: *Audi, filia, et vide, et inclina aurum tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupisset rex decorem tuam, quoniam ipse est dominus Deus tuus.* Et: *vultum tuum depreeabuntur omnes divites plebis.* Et: *Adducentur regi virginæ post eam, proximæ ejus afferentur tibi.* Nec illud Isaiæ vel Dei potius per Isaiam ad eunuchos, qui se castraverunt propter regnum cælorum, dictum ignorabat: *Hæc dicit Dominus eunuchis: Dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quanta, quæso, est hæc promissio? Cujus animum ad amandam castitatem non alliciat? *Dabo eis, inquit, locum et nomen melius a filiis et filiabus.* Quis capiat quid sit virginitas apud Deum, cui loco et nomen filiorum et filiarum parum est, et aliquid majus, nobilius, illustrius, gloriosius præparatur? Et quid est, obsecro, Agnum sequi quocumque ierit? « Quo ire putamus hunc agnum? Ad quos saltus et prata? ubi credo (ut verbis S. Augustini utar) sunt graminæ gaudia, non gau-

dia, sæculi hujus vana, insana, mendacia, neque gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta », gaudia maxima et inexplicabilia et propria virginum Christi. Et qualis erit gloria, cum omnis multitudo sanctorum virgines Christi videbit, agnum sequi, ipsi sequi non poterunt, et videbit, nec invidebit; sed collætando, illis quod in se non habet, habebit in illis? et qualis voluptas illa erit, cum ad nuptias Agnicantabunt virgines canticum novum, non quale cantat universa Ecclesia, cui dicitur: *Cantate Domino canticum novum cantate Domino omnis terra*; sed canticum dulcius multoque suavius, quod sola ora virginea canere digna erunt, canticum proprium virginum, quod cæteri sancti dicere non poterunt, sed tantum audire poterunt, et delectari fratrum suorum tam excellenti bono; Virgines vero qui et canere et audire poterunt, jucundius exultabunt, feliciusque regnabunt? Quæ cum ita sint, non mirum, si vero sapiens, pretium virginitatis intelligens Angelo respondet: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et vos, fratres, præsumite, fidite, roboramini, permanete qui redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ. Vos etiam, qui hoc nondum vovistis, qui potestis capere capite: perseveranter currite, ut comprehendatis. Ardua quidem militia, sed infinitum stipendium, dura certamina, sed immortalis corona. Terret mundus, minatur Diabolus, repugnat caro, sed consolatur, et invitat Deus. Neque ipsa virginum regina, et post eam tot millia sanctorum et sanctarum virginum in seipsis potuerunt, quod potuerunt, sed in Domino Deo suo.

Sed quid ego in tam corrupto sæculo de virginitate disputo. Utinam ab adulteriis, a fornicationibus sordidis, a desideriis pravis, a verbis lascivis, ab aspectibus impudicis, ab occultis et horrendis flagitiis, quæ filii gehennæ in seipsis operantur, contumelia corpora sua afficientes, quæ nominare non audeo, hujus sæculi homines se abstinerent. Utinam vel in tenera ætate locum castitas inveniret, et non etiam pueri vix dum nati omnia genera turpitudinum discerent, loquerentur, exercerent. Utinam majores nati, qui uxores ducere decreverunt, tales se illis conservarent, quales eas invenire desiderant. Utinam qui matrimonio juncti sunt, suis thoris contenti, exemplo uxores do-

cerent, quantam pudicitiam a Christianis conjugibus Deus requirat. Utinam in ordine ministrorum Dei nulli reperientur qui tremenda mysteria impudicis manibus tractare, impudico ore, et corde sumere auderent. Et quanta est hæc injuria terribili illi majestati? Quid? Cujus Pater feminam nescit, cujus Mater virgo est, cujus ministri angeli sunt, ejus tu purissimum et sacratissimum corpus manibus impudicis contingere, et in sordidum ac cænosum pectus excipere audebis? Parumne tibi videtur templum Dei, corpus tuum polluisse, nisi etiam polluas et Deum tuum? Et si *Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, quid oro illi fiet, qui Deum ipsum polluere ac violare conatur? Num quia solus in cubiculo, sine conscio, sine teste vel cogitationibus sordidis ac desideriis impudicis polluis animam tuam, vel quod horrendum et nefandum flagitium est, et contumelia afficis corpus tuum, putas te oculos Dei latere? Falleris, impudice, falleris. Clarius ea Deus videt, quam tu ipse ea videas. Nec solum Deus videt, sed etiam tempore suo in die ultimi judicii, ab omnibus hominibus ea videri faciet. Tu quidem in tenebris scelus operaris, Deus vero in conspectu solis hujus tamquam in theatro toti mundo turpitudinem tuam spectandam exhibebit. O qualis erit ea confusio, cum eos, qui habitu et professione, sæpe etiam opinione hominum sancti videbantur, turpissima quæque cogitasse et egisse mundus totus intelliget? Sed fortasse perpauci aut nulli sunt hic tales. Id ego vehementer cupio, sed tamen hæc dicere volui, ut etiam in posterum non sint, ac ut omnes intelligant Angelica puritate nitere, et solis radiis mundiores eos esse debere, qui agnum immaculatum, qui Dei et Virginis filium, qui corpus a Spiritu sancto formatum, manibus quotidie tractant, et qui aliis hominibus, tamquam soles quidam in firmamento Ecclesiæ constituti, vitæ et morum splendore præluere debent.

Cæterum omnes, auditores, si non solum pœnas impudicis constitutas effugere, sed præmia castis hominibus præparata promereri cupimus, ad exemplum Dominæ nostræ, matris Dei nostri, zelum magnum pudicitiae concipiamus, atque hoc præsertim tempore, quo diem natalem Domini celebraturi acturique sumus. Si enim oriente sole bruta animantia in antris et speluncis suis absconduntur: num Sole justitiæ exoriente, homines impudici, brutis animantibus stupidio-

res, in publicum prodire, basilicas intrare, tremenda mysteria vel sumere vel cernere audebunt? Num inter choros Angelorum, quibus eo die plenæ erunt ecclesiæ, sordidissimæ sues impune apparere tentabunt? Quare ut nemo nostrum in tam læta celebritate merito abscondi debeat, ut nemo con-

fundatur, ut omnes cum gaudio et lætitia spirituali diem illum celebremus, nemo se brutis impudice vivendo similem efficiat, sed Angelos potius et Angelorum reginam, vitæ sanctitate ac puritate imitetur. Quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO V.

SUPER

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO IN CIVITATEM GALILÆÆ, CUI NOMEN
NAZARETH, ETC. *Lucæ* I, v. 26.

SYNOPSIS

Connexione hujus concionis cum superiore præmissa, duo in incarnatione consideranda proponuntur; unum, toti Trinitati commune; alterum, soli Verbi personæ peculiare. Causæ assignantur, cur incarnatio Spiritui sancto attribuat, cum sit opus toti Trinitati commune. Quantæ deinde charitatis opus illa fuerit, per oppositionem Dei et hominis manifestatur. Quid sit virtus Altissimi, et cur incarnatio per obumbrationem significetur, patet. Christum peculiari ratione sanctum dici, affirmatur; et num Spiritus sanctus pater Christi dici possit, disputatur. Ostendendo demum quanta reverentia nomini et corpori Christi debeat, graviter reprehenduntur blasphemi; et taxatur sacerdotum negligentia et spurcities in conservandis vasis et linteaminibus altari inservientibus.

Pars altera textus explicationem continuando quinque affert causas, ob quas Angelus Virgini concepturæ præcursoris conceptionem manifestavit. Enodatur insuper illa dubitatio, quomodo potuerit Elizabetha cognata fuisse Mariæ, cum ex familiis diversis genitæ fuerint; quod multis exemplis fieri potuisse affirmatur. Exponitur præterea, quam brevibus verbis multas virtutes B. Virgo respondendo ostenderit, præsertim vero humilitatem, fidem, obedientiam et charitatem. Narratio etiam breviter Christi conceptionis modo, elegantis similitudine generis humani liberatio ob oculos ponitur, et cur aliqui non salventur

causa affertur. Tandem duplici sale patientiæ scilicet et misericordiæ proposito, quinam hoc vel illo condiendi sint, ad finem usque docetur.

Si cœlestium mysteriorum magnitudini, de quibus hodierna die, adjuvante Dominico, dicturi sumus, parem orationem aliqua saltem ex parte afferre possemus, non dubitarem, optimi auditores, quin essent omnes facile intellecturi, quantum linguæ hominum a linguis Angelorum differant. Disserendum est enim de illa Angeli sapientia, qua simul paucissimis verbis, et Virginis quæstioni respondetur, et totum dominicæ incarnationis sacramentum explicatur. Quæsierat Virgo castissima, de thesauro virginitatis suæ vehementer sollicita, ad quem modum futurum esset, ut ipsa juxta Angeli promissionem conciperet, et pareret filium, quæ Deo virginitatem suam novo exemplo jam dedicavisset. Ei vero quæstioni ita sanctus respondet archangelus, ut doceat, eam sicut novo exemplo virginitatem suam Deo dedicaverat, in novo et inaudito prorsus modo concepturam, non ex semine viri, sed opera Spiritus sancti: neque virginitatem eo conceptu partuque violandam, sed ornandam. *Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Duo quædam, auditores, in incarnationis sacramento præcipue consideranda sunt. Unum toti divinæ augustissimæque Trinitati commune: alterum solius personæ Verbi proprium. Utrumque vero sanctus Angelus

iis verbis, quæ modo recitari audistis comprehendit. Ac toti quidem Beatissimæ Trinitate commune fuit, in omne, quod in incarnatione dominica ad Deum, tamquam ad efficientem causam refertur, ut animæ Servatoris creatio, ut corporis conformatio, ut animæ cum corpore conjunctio, ut animæ et corporis cum divinitate copulatio. Deus enim potentia, sapientia, voluntate, imperio operatur. Una vero potentia, una sapientia, una voluntas, unum imperium, sicut una natura atque substantia in Patre et Filio et Spiritu sancto est. Itaque (ut verbis utar D. Leonis) « Quidquid in dispositione rerum omnium agit divina moderatio ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ : nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum ». At vero solius personæ Verbi proprium fuit, humanam naturam ad subsistentiæ propriæ consortium ita assumere, ut ea natura non humana et creata, sed a divina et increata hypostasi sustentetur. Quam enim una est in Trinitate natura, una operatio, una voluntas; tamen non est una subsistentia, una hypostasis, una persona, sed tres, alioqui Trinitatem nullam haberemus : ex tribus vero divinis personis Patre, Filio et Spiritu sancto, sola persona Filii suam ac propriam subsistentiam sive hypostasim cum natura humana communicavit. Nec enim Pater aut Spiritus sanctus, sed solum *Verbum caro factum*. Sed jam ad ipsa Angeli verba veniendum est.

Spiritus sanctus superveniet in te. Quibus verbis efficientem causam dominicæ Incarnationis ostendit. Quamquam enim, ut paulo ante dicebamus, efficiens causa hujus excellentissimi operis tota Trinitas fuit; tota Trinitas animam Christi creavit, tota Trinitas corpus ejusdem in utero Virginis conformavit, tota Trinitas animam cum corpore, et corpus et animam cum Verbi divini hypostasi copulavit; tamen secundum consuetudinem Scripturarum, totum hoc opus Spiritui sancto tribuitur. Neque id sine causa. Primum enim quemadmodum vox ista corporea, qua verbum nostræ mentis spirituale et incorporeum quasi vestimus, ut auribus corporeis sentiri possit, a spiritu oris humani formatur; ita decebat, ut opus illud, quo verbum divinum humana carne tamquam voce corporea vestitum est, spiritui oris Domini tribueretur, qua videlicet per hujusmodi similitudines ad intelligentiam

aliquam tanti mysterii perveniremus. Deinde, consuevit Scriptura divina ea opera personis singulis attribuere, quæ cum earum proprietatibus magis conveniunt. Ut quoniam personæ Patris proprium est principio carere, et Filii et Spiritus sancti principium esse, inde potentia, et ea, quæ ad potentiam pertinent, qualis est orbis creatio et conservatio Patri potissimum tribuuntur. Quia personæ Filii proprium est a Patre per actum sapientiæ et cognitionis generari, inde sapientia, et ea quæ sapientiæ sunt, ut rerum gubernatio, providentia, dispositio, Filio tribui solent. Postremo, quia personæ Spiritus sancti proprium est amorem esse Patris et Filii, atque ab eis per actum charitatis non duabus, sed unica spiratione procedere, inde charitas, misericordia, benignitas, bonitas, et ea, quæ a charitate et bonitate divina proveniunt, Spiritui sancto præcipue adscribuntur. Hinc igitur incarnationis Dominicæ Spiritus sanctus auctor merito jureque optimo prædicatur. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te*, et rursus : *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est*. Non quod Pater et Filius in hoc opere nihil egerint, sed quod opus Incarnationis, opus maximæ et infinitæ charitatis fuerit : *Per viscera misericordiæ Dei nostri*, inquit Zacharias, *in quibus visitavit nos oriens ex alto*; et Apostolus Paulus : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*. Et Evangelista Joannes : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*. Et ipse Dominus magnitudinem hujus amoris quasi vehementer admirans : *Sic Deus*, inquit, *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Patriarcharum et Prophetarum temporibus guttæ spiritualium donorum, quasi pignora quædam divini in nos amoris aliquando cadebant; sed novissime istis diebus apertæ sunt cataractæ cœli, et tamquam diluvium quoddam charismatum divinatorum effusum est super terram. Qui enim Filium suum tam liberaliter dedit, *Quomodo non etiam cum illo vobis omnia donavit?* Sic igitur, *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*. Magnum profecto clementiæ signum est, ab ingrato et fugitivo mancipio pœnas non quærere : majus, post multa et gravia latrocinia atque scelera in gratiam ac benevolentiam illud recipere : maximum, non in gratiam solum recipere, sed etiam novis muneribus et beneficiis or-

nare. Sed hæc omnia quamvis rara, quamvis eximia, quamvis mirabilia, aliquando tamen et intra homines audiuntur : at quis capiet, vile mancipium furari, et pro eo filium regis, rege jubente, suspendi? *Sic igitur Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*

Nos vermiculi superbissimi vestium multitudinem et pulchritudinem luxuriamur, et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut tempore frigidissimo nudus jaceat in præsepi. Nos in conviviis inter patinas et pocula potando et fabulando multas horas conterimus : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut fame et siti innocentissimum corpus suum affligat. Nos otiosi lusibus variis oblectamur, et cantando ac ridendo tempus transigimus : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut de nostra salute sollicitus (ne forte in æternum pereamus) peregrinetur, concionetur, laboret, quietem nullam capiat, integras noctes pro nobis orando consumat. Nos terra et cinis minimas verborum injurias sine stomacho devorare non possumus : et Deus Filium suum pro nobis mittit, ut maledicta et contumelias, ut sputa et alapas accipiat, ut virgis cædi, ut spinis coronari, ut vulnerari atque occidi se æquo animo patiat. *Sic igitur*, sic sine modo, sine mensura, supra intelligentiam, supra rationem *Deus dilexit mundum*, hoc est, hominem cæno peccatorum a planta pedis usque ad verticem capitis sordidum atque immundum ; *Ut Filium suum*, eumque unigenitum, optimum, sapientissimum, pulcherrimum, sanctissimum, *Daret.* Quamobrem, si opera illa, quæ a divina benignitate et charitate procedunt, Spiritui sancto tribuenda sunt, certe imprimis dominicæ incarnationis opus sibi Spiritus sanctus optimo jure vindicare potest. Atque hæc quidem de eo dicta sint, quod Angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te.*

Explicat deinde alteram partem dominicæ incarnationis, quam solius personæ Filii Dei propriam esse diximus : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid enim est aliud virtus Altissimi, quam *Verbum* illud potentissimum, per quod facta sunt omnia : et quod Isaias *Brachium Domini*, et Apostolus Paulus *Virtutem et sapientiam Dei* appellare solent : *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*, inquit Isaias. Et rursus : *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* Apostolus vero Paulus : *Nos, inquit, prædicamus Christum cruci-*

fixum, Judæis quidem scandalum Gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Itaque tunc virtus Altissimi Beatissimam Virginem obumbravit cum majestas Filii Dei, quasi lucidissima quædam nubes, super eam descendit, et humanam naturam opera Spiritus sancti de purissima ejus carne formatam, sibi arctissimo atque indissolubili nexu copulavit. Neque moveat quemquam, quod Angelus non ait, obumbrabit te, *Sed obumbrabit tibi* : Græca siquidem vox ἐπισκιάζω, quo Lucas usus est, idem significat, sive cum dativo, sive cum accusativo jungatur ; et sicut hoc loco legimus, *Obumbrabit tibi*, ita c. ix. ubi de transfiguratione agitur, legimus apud eundem Evangelistam ; *Facta est nubes et obumbravit eos.*

Sed cur, quæso (roget quispiam) descensus iste Filii Dei obumbrationis vocabulo explicatus est? Primum, ad secretum hujus mysterii designandum. Siquidem secretissimo atque arcano prorsus modo quasi in umbra, sola divinitas, cum sola Virgine conceptum est operata divinum. Non oculus humanus, sed ne Angelicus quidem eo penetrare potuit : *Deus enim qui lux est et lucem inhabitat inaccessibilem*, totam illa hora felicissimam Virginem, suæ majestatis gloria cooperuit : et hoc est : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Deinde, ut omnes intelligerent, non ita Dei Filium in utero matris descendisse, ut more cæterorum infantium ibi esset inclusus, et extra Virginis uterum nusquam esset, propterea Angelus ait : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, ad modum ingentis nubis totam te virtus Altissimi comprehendet : in utero tuo erit et in te manebit, et tu in eo, vesties illum, et vestieris ab illo. Vesties tu illum substantia carnis, vestiet ille te gloria suæ majestatis : vesties solem nube, et sole ipsa felicius multo vestieris, *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Postremo, quia mirari potuisset aliquis, quomodo lucis inaccessibilis accessum ferre, solis amictum sustinere, et in tam vehementi fervore subsistere tam fragilis natura potuerit, ideo etiam ait Angelus : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi* : idem enim justitiæ Sol, qui Virginem totam præsentia suæ luce vestivit, idem, inquam, potentia sua infinita atque virtute umbraculum ei fecit, « Nec mirum (ut verbis utar D. Bernardi si sub tali umbraculo, talis etiam a muliere sustineatur amictus. »

Sequitur : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Apte omnino et apposite, auditores : Angelus ait, *Quod nascetur ex te sanctum*; non enim Christus homo, sicut cæteri sancti, sed singulariter et modo quodam ipsi soli proprio sanctus fuit. Cæteri omnes vel peccatores nascuntur, et postea sancti fiunt : vel nascuntur quidem sancti, ut Jeremias, et Joannes, sed in peccatis concepti fuerant. Quod si D. Mariam sine peccato conceptam fuisse placet, tamen ex dono gratiæ, non ex natura conceptionis talis fuisse credenda est. Solus Christus non ex complexu conjugii, sed de Spiritu sancto ex virgine conceptus est, ex ipsa natura et genere conceptionis sanctus est. Solus ipse ea excellentissima sanctitate pollet, ut nec peccatum fecerit, nec facere potuerit. Itaque non injuria a Daniele *Sanctus sanctorum*, et hoc loco *Sanctus* absque ulla additione nominatur.

Ideoque, inquit, *et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed quid sibi vult illud : *Ideoque*? Quare *ideo*? Num, quia Spiritus sanctus superveniet in te, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei? Ut sicut Pater genuit Verbum secundum formam Dei, ita Spiritus sanctus genuerit Verbum secundum formam servi? Minime vero. Neque enim Spiritus sanctus ulla ratione pater Verbi dici potest. Nam non quicumque aliquid agit, continuo pater illius est, alioqui et figulis vasorum et sutor calceorum, et architectus ædium, et omnis artifex sui operis pater diceretur; sed is dumtaxat patris nomine dignus censendus est, qui ex sua et propria substantia filios gignit. Itaque Verbum secundum formam Dei patrem agnoscit in cælo, dum *Ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur*; secundum formam servi matrem agnoscit in terra eam, quæ ab Angelo plena gratia salutatur. Nam et a Deo Patre substantiam divinitatis et a Virgine matre substantiam carnis accepit. Porro Spiritus sanctus, qui corpus Filii Dei, non ex sua, sed ex sola Virginis substantia fabricavit, non utique pater aut genitor, sed opifex et architectus corporis Dominici vocari debet. Non igitur quia *Spiritus sanctus superveniet in te*, sed quia *Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nam cum verus et naturalis Dei Filius, qui et verbum, et sapientia et brachium et virtus Altissimi nominatur, ipse in uterum ma-

tris descenderit, et humanam carnem ex ea assumptam ad hypostasim suam adjunxerit, inde videlicet qui conceptus et natus de Virgine est, non Virginis solius, sed etiam Dei Filius appellatur.

Ait igitur : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* At quis non obstupeat, cum quanto verborum honore Archangelus nominet, quod vilissimi homines tam facile vel manibus tractant vel ore sumunt vel lingua blasphemant? Certe de Christo homine loquitur, nec satis esse putavit, si diceret : Sanctus ille puer, infans ille venerabilis, qui ex te nascetur : sed quasi nullum nomen excellentiam sanctitatis ejus explicaret, generali voce uti maluit : *Ideoque*, inquit, *et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi sunt modo, quis sanctum sanctorum, ad quem nominandum satis magnum nomen Angelus invenire non potuit, tanta felicitate blasphemant, ut sæpe etiam nulla de causa jocando ac ridendo id faciant? Qui si intelligerent in quantam majestatem os suum aperiunt, quam graviter totam aulam cælestis regni offendunt, et quam atrociam supplicia ipsis interim in gehenna parentur, mallent profecto labia sibi unum cum altero consui vel certe lingua carere, quam vel otiose tam venerabile nomen usurpare. Ubi sunt etiam, qui hunc eundem Sanctum sanctorum, quem Angelus nominare non audet, his proximis feriis in domicilium pectoris sui cum aliquo honore introduxerunt, sed paulo post propter aliquam fallacissimam voluptatem et verissimam vanitatem, majore cum ignominia ejecerunt? Quale judicium, quæso, fiet iis, qui thesaurum gratiæ Dei, qui carnem illam de Spiritu sancto conceptam, et cum ipsa Verbi persona tam singulariter copulatam contemnunt, ut ei vel inanissimas nugas anteponanant? Quid enim ei non anteponerent, qui pro aspectu unius mulierculæ, pro una saltatione, pro uno vini poculo, Christum vendunt? Certe majori pretio a Juda traditore venditum eum fuisse legimus. Et tamen de illo scriptum est : *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille.* Ubi sunt postremo sacerdotes Domini, qui hunc Sanctum sanctorum, cum tremenda mysteria peraguntur, in ara præsentem, et multitudine Angelorum stipatum esse non dubitant, et nihilominus quasi non eum viderent, vel ab eo non viderentur, incredibili festinatione, sine spiritu, sine affectu, sine

timore et tremore sacra perficiunt, et quod pudet dicere, vel potius horreo dicere, sordidissimis linteis, quæ corporalia vocamus, qualia in mensa famulorum suorum ponere erubescerent, illud sanctum involvunt, quod Angelus nominare non audebat? Omitto, quod altaria plena sint sæpe pulveribus: laceo, quod etiam araneis liceat circum aras Dei suas telas extendere et muscas aucupari. Prætereo, quod in tam magno atque horrendo sacrificio sæpe unam particulam candelæ duntaxat videamus, eamque tam tenuem, ut vel modicus ventus eam non solum extinguere, sed etiam totam de altari exsufflare possit. Nihil dico, quod sæpe ministri tanto sacrificio adhibeantur pueri dissoluti, petulantes, procaces, qui semper oculos huc atque illuc circumferunt, vel turpiter sedent vel astant impudenter. Denique ita sine ulla pietate ac devotione ministrant, ac respondent, ut aliquid aliud agere videantur, nec postea tamen corripuntur, ut saltem intelligant se male agere. Sed tamen hæc omnia facile patior sileri, sint parva et levia, si ita placet, quamquam Deo non placeat; sed quod ipsa corporalia, quibus Domini sacrosanctum corpus imponitur, ita sordeant, quod purificatoria, quibus sacer calix purgatur, ita quibusdam locis nigra, turpia, olentia et pene corrupta sint, ut nauseam provocent, et vix manibus sine horrore tangi possint, hæc profecto tolerari nullo pacto deberent, nec certe tolerarentur, si ii, ad quos pertinet ista curare, decorem domus Domini diligerent, et si Dominum suum, propter quem ab hominibus honorantur, ipsi honorarent. Sed ad vos, o Sacerdotes, ait Dominus per Malachiam, qui despicitis nomen meum, et *Vos recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege; propterea et ego dedi vos contemptibiles, humiles omnibus populis.* Sed nolo ulterius verenda patrum detegere quæ, magis tegere cuperem, si non res ipsæ clamarent, illustrarentur, eruperent. Quia vero non dubito, multos esse in ordine Sacerdotum viros probos et doctos, quibus hæc displiceant, eos ego cohortatos volo, ut zelum magnum honoris Domini concipiant, et eos, qui Sanctum sanctorum ita contemnunt, admoneant, castigent, confundant, verbis non parcant, neque dubitent, apud Deum sed pro eo zelo bonum gradum acquisituros et magnam fiduciam in Domino.

PARS SECUNDA

Sequitur. *Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Multis de causis Angelus sanctus posteaquam ad quæstionem Virginis respondit, et incarnationis dominicæ Sacramentum exposuit, de conceptione præcursoris beatissimam Mariam certiore facit. Prima causa est, ut eam, licet credentem, tamen quia res difficillima credenda proponebatur, adhuc magis in fide confirmet. Tametsi enim minus est, si unum cum altero conferatur, quod anus sterilis, quam quod virgo concipiat, tamen utrumque, Deo facillimum est, utrumque naturæ vires ac potentiam superat: quocirca non inepte unum ex altero confirmatur. Atque hanc rationem Angelus reddit cum ait: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*: quasi dicere velit: Hæc tibi de Elizabeth cognata tua significare volui, ut intelligas, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Altera causa est, ut dum sterilis conceptus Virgini nunciatur, et dum miraculum miraculo additur, gaudium etiam gaudio cumuletur. Tertia, ut miraculum Dei, quod præsertim non parum ad incarnationis mysterium pertinebat prius sciret virgo per Angelum, quam audiret ab homine, et Dei mater mox futura, etiam consiliorum Dei particeps fieret. Quarta, ut dum nunc Servatoris, nunc præcursoris edocetur adventus, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelii reseraret veritatem. Quinta, ut audiens cognatam vetulam ac gravidam, cogitet adolescentula de obsequio, atque interim locus et occasio detur præcursori in utero matris exultandi, et officii sui Domino quasdam quasi primitias offerendi.

Sed quæret aliquis fortasse, quomodo potuit Elizabeth cognata esse Mariæ? Nonne D. Lucas initio Evangelicæ suæ historiæ ait aperte, Elizabeth de filiabus Aaron fuisse? Nonne B. Mariam certum est esse de filiabus David? Alioquin enim neque Angelus dixisset: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Neque B. Matthæus initio Evangelii scriberet: *Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham.* Neque Apostolus ad Romanos scribens de Christo diceret: *Qui*

factus est ex semine David secundum carnem.

Denique neque ipse Dominus in extrema Apocalypsi se radicem et genus David, stellam splendidam et matutinam appellaret. Constat enim Christum non aliter esse Filium David, quam ratione Mariæ. At in libro Numerorum jubentur feminæ viros non sumere, nisi de sua tribu. Quomodo igitur fieri potuit, ut cognata esset Mariæ Elizabeth, cum una de tribu Levi, ac de filiabus Aaron, altera de tribu Juda, et de filiabus David esse cognoscatur? Verum quæstionis hujus facilis est et aperta responsio. Neque enim in postremo capite libri Numerorum lex lata de nuptiis, ad omnes mulieres debet extendi, sed solum ad eas, quæ fratres nullos habent. Tales erant filiæ Salphaad, quarum occasione qui Scripturas legunt, legem illam latam fuisse sciunt. Feminæ enim, quæ fratres non habent, juxta aliam legem ejusdem libri Numerorum in paternam hæreditatem succedunt, et ipsæ dumtaxat viros ducere, nisi de sua tribu non poterant: ne videlicet hæreditas de una tribu in alteram flecteretur, et sortes et possessiones tribuum confunderentur. Cæterum aliis omnibus, quæ hæredes non erant, liberum erat plane nubere quibus vellent. Itaque Moyses, qui legem illam promulgavit, uxorem Zephoram Madianitidem duxit: Aaron de tribu Levi uxorem habuit Elizabetham de tribu Juda: Booz de tribu Juda Ruth Moabitidem accepit uxorem: David quoque de tribu Juda, Michol filiam Saul de tribu Benjamin: et Salomon filius ejus filiam regis Pharaonis in matrimonio habuerunt. Denique Joiadas pontifex (ut cæteros omittam) Josabeth filiam Joram et sororem Ochoziæ regum Juda uxorem habuisse legitur. Quæ cum ita se habeant, mirum profecto esse non debet, si Maria de tribu Juda et familia David cognatam Elizabeth habere potuit de tribu Levi, ac de filiabus Aaron. Quid enim prohibeat, quo minus aliqua soror beatæ Annæ, virum duceret de filiabus Aaron, atque inde existeret Elizabeth? Sicut beata Anna Joachimo nupsit de filiis David, ex quo nata est Maria: quin non solum nihil prohibeat, sed etiam valde deceat, ut Messias rex et pontifex futurus, cum utraque familia, regia scilicet et pontificia, cognationem haberet. Vere igitur Angelus ait: *Ecce Elizabeth cognata tua.*

Sequitur deinde, et ait: *Et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* Quibus verbis satis

aperte demonstrat, conceptionem præcursori-divino miraculo adscribendam esse. Nam Elizabeth jam anus erat, et naturaliter vires ad concipiendum et pariendum non habebat, et præterea senectuti sterilitas accedebat, quæ usque adeo omnibus nota erat, ut vulgo sterilis appellaretur.

Concludit tandem Angelus orationem suam, atque ait: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum,* Ubi vel more Hebræorum, verbum ponit pro eo, quod significatur verbo, ut eo loco: *Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est.* Vel certe divinam promissionem verbum vocavit, ut sensus sit, Deum quicquid loquitur facere, quicquid promittit facile præstare posse: non sicut homines, qui suæ imbecillitatis ignari multa sæpe pollicentur, quæ præstare non possunt.

Jam vero his omnibus diligenter auditis, virgo sanctissima certa de nuntio ac de virginitate secura, statim respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Præclara sententia et Virgine Dei matre digna. Quot enim illustrissimas virtutes his paucissimis verbis prodidit? Quantam verborum moderationem? Quam profundam humilitatem? Quam firmam fidem? Quam promptam obedientiam? Quam ardentem charitatem. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Quid brevius, verecundius, moderatius, sapientius dici potuit? Una eademque brevissima sententia, et Deo pollicetur obsequium, et nuntio defert honorem. Sed quanta humilitate? *Ecce, inquit, ancilla Domini.* Nondum viderat in Ecclesia Sacerdotes, antequam divinum corpus accipiant, indignos tanto hospite se profiteri, ac dicere: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Atque id tamen Virgo humilis eundem Christum castis visceribus exceptura, diligenter observat, cum honore matris oblato, se ancillam potius agnoscit ac profitetur: *Ecce ancilla Domini.*

Quæ vero sequuntur: *Fiat mihi secundum verbum tuum,* quantæ fidei verba sunt? Quam nihil penitus dubitat, quæ ita loquitur? Abrahamæ fidem Paulus Apostolus ad Romanos scribens miris laudibus prædicat: *Qui contra spem, inquit, in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium;* et: *Non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum cum jam fere centum esset annorum neque emortuam vulvam Saræ.* At certe tanto majorem fides Mariæ, quam fides Abrahamæ, quanto majus et mira-

bilius est virginem concipere, quam senem generare. Itaque multo ipsa magis *Contra spem in spem credidit*, ut fieret mater Domini sui. Neque consideravit portam uteri sui voto virginitatis obstructam ac munitam. *In repromissione etiam Dei non hæsitatione diffidentia sed confortata est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque promittit, potens est facere.*

Denique ait: *Ecce ancilla Domini.* Jam vero de obedientiæ promptitudine nihil est quod dicam. Ipsa enim ejus oratio quid aliud, quam summam in obediendo alacritatem spirat? Non enim cogitavit: Quid maritus meus dicet, si me gravidam videat? Neque ab Angelo petiit, ut ipse Joseph mysterium revelaret: neque inopiam suam considerans metuere cœpit, ne Filium Dei, ut par erat, alere non posset. Nihil horum cogitavit vel timuit, sed parata suspiciones mariti sustinere, parata pro filio stipem mendicare, si opus esset, solo obediendi studio fervens; *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

At de charitate quid tandem dicemus? Quamvis zelus honoris divini humanæque liberationis virgineum ejus pectus exurebat, quæ promissione audita de adventu Servatoris, non contenta præbere consensum, etiam preces, desideria, vota, addenda putavit: *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi ut locutus es.* Non solum divinæ voluntati assentior, sed etiam opto ac peto, ut *Fiat mihi secundum verbum tuum.*

Qua oratione finita, nulla interposita mora, credibile est Spiritum sanctum in eam supervenisse, et mirabili artificio de purissimo ejus sanguine, quantum satis erat, in locum conceptioni attributum separasse, atque ex eo pulcherrimum corpus in puncto temporis formasse, eoque animam præstantissimam, non solum mente et ratione præditam, sed etiam sapientia, et gratia ac virtutibus plenam infudisse, neque alio postea tempore, sed in eodem prorsus momento Altissimi virtutem, æternum Dei verbum de sinu Patris in uterum matris descendisse et carnem illam a Spiritu sancto formatam, et mente sapientissima atque optima animatam, sibi æterno felicissimoque matrimonio adjunxisse. Tunc igitur primum jacta sunt fundamenta nostræ liberationis. Tunc spes nobis effulsit recuperandæ antiquæ libertatis. Tunc Virgine Dei matre novo atque insolito genere gaudii perfusa, totaque cœlesti curia exul-

tante, cani cœpit, quod his diebus mater Ecclesia tanta significatione lætitiæ, cum cantu et gaudio spirituali toties repetit: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Tunc artificio Spiritus sancti novus homo novo modo conceptus, venit in mundum, qui nos omnes ablata peccati vetustate renovaret, et de miseris atque afflictis felices et beatos efficeret.

Ac ut humanam liberationem brevi similitudine comprehendam et illustrem, et tunc demum dicendi finem faciam, quæso, animadvertite. Quemadmodum si princeps aliquis in pomario suo manibus propriis cedrum arborem plantasset, eamque vehementer diligeret, summoque studio ac diligentia conservaret: deinde exorta tempestate cedrus aresceret, et omnia ejus poma adhuc immatura deciderent: adveniret vero post aliquod tempus artifex aliquis admirabilis, qui cedrum aliud naturæ ac generis ejusdem cum iis, quæ aruerant sed integrum, totum ac virens, et odorem suavissimum spirans, non ex arbore excitaret, sed novo atque insolito more manibus suis ipse formaret, et saccharo ac melle summa arte conditum regi gustandum offerret: rex autem ita eo delectaretur ut statim apud se constitueret, magnam eorum, quæ ceciderant, pomorum partem de humo colligere, similique modo condita in apothecis suis perpetuo conservare: ita prorsus casus et liberatio nostri generis se habet. Plantaverat enim olim Deus naturam humanam quasi pulcherrimam cedrum in paradiso voluptatis, eamque tanquam a se satam, nutritam, auctam, vehementer, ut par erat, diligebat. Accidit vero ut coorta tempestate, vento superbiæ concussa atque agitata, tandem a radicibus arefieret, et omnia ejus poma adhuc immatura corruerent, hoc est, nos omnes qui ab Adamo, tamquam a radice dependebamus ipso peccante et per peccatum arescente mirabili casu ad terram afflicti atque illisi pene mortui jaceremus. Verum cum multo jam tempore quasi poma semicorrupta subusque infernalibus apposita jacuissemus, adfuit tandem Spiritus sanctus, artifex sapientissimus, qui optimo excogitato consilio, novum quemdam hominem, quasi novum cedrum, Servatorem videlicet nostrum, non ex corrupta radice, non ex viri semine, qui nisi Adæ filius esse potuisset, sed novo inauditoque miraculo, sua virtute atque arte ex virginis carne formavit, nec solum innocen-

tiae viridate pulcherrimum et omnium virtutum odore suavissimum esse voluit, sed etiam melle ac saccharo divinæ gloriæ cœlestisque felicitatis condivit. Hinc enim apud Isaiam de ista novo cedro legimus: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Nos quidem omnes, auditores, prius malum Dei gratia adjuti reprobamus, et bonum eligimus, denique et multum bonis operibus insudamus, quam ad butyrum et mel suavissimum divinæ cœlestisque beatitudinis gustandum admittamur. At noster Emmanuel Christus, in ipsa sua conceptione butyrum et mel divinæ gloriæ non gustavit modo, sed abundanter etiam comedit. Et quis nostrum de torrente voluptatis, nisi in patria bibet, ubi *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei?* Noster vero Emmanuel *De torrente in via bibit.* Fuit enim semper, et in ipso quoque utero beatus. Itaque eedrum novum et suave ac melle et saccharo conditum Christus est, qui quidem Deo Patri oblatus, ita vehementer placuit, ita majestatem ejus obleetavit, ut certo constituerit, nos omnes ex humo colligere, deque ipsis faucibus dæmonum eripere, a sordibus et corruptione purgare, ac demum saccharo beatitudinis conditos in cœlestibus apothecis collocare, hoc est, magnos, illustres, beatos, felicissimos, immortales, Angelorum et Archangelorum eives, atque adeo deos quosdam effeere.

Sed numquid omnes eo pervenimus, ut melle ac saccharo condiamur? Minime vero, auditores. Sed tamen vae illis, qui non pervenient. Melius erat eis, si nati non fuissent. Sed cur non omnes pervenient? In promptu est causa: nos enim, ut ante dicebam, per peccatum quasi poma corrupta jacebamus: corrupta vero poma prius a corruptione purganda et lavanda, et sale atque aceto conficienda et præparanda sunt, quam melle et saccharo condiantur. Jam vero multi sunt qui melle et saccharo condiri eupiunt: sed pauci qui a corruptione purgari et lavari et sale atque aceto confici velint. Purgamur enim et lavamur a sordibus peccatorum aquis baptismi et lacrymis pœnitentiæ et quidem baptizati omnes sumus, sed sordes post baptismum contractas Deus novit, quam multi vere diluant. Certe lacrymæ veræ contritionis, ita sunt hoc tempore pretiosæ ac raræ, ut vix unquam reperiantur.

Porro aceti et salis duo sunt genera, quo-

rum altero necessario condiri debent omnes qui ad mel et saccharum divinæ gloriæ præparantur. Unum dicitur patientia, alterum eleemosyna. Sal patientiæ pauperibus, sal misericordiæ divitibus datur. Itaque quotquot inopia rerum externarum ac facultate laborant, intelligant sale patientiæ se condiendos esse, nec animo dejiciantur, nec contra Deum murmurent, nec divitibus res istas eadueas ac fragiles invideant, sed intelligant et probent consilium Dei, qui omnium eorum gerit, et optime novit qui sale patientiæ, qui sale misericordiæ condiri debeant. Et quamquam inopia res est per se insipida et ingrata, tamen si salem patientiæ habeas, etiam hic in terris sapere et duleescere tibi ineipiet. Quotquot vero divites estis, intelligite sale misericordiæ vos condiendos, etsi non pati, saltem compati; si non dolere, saltem condolere aliis debere: compati vero et condolere non verbis tantum, sed opere et veritate. Tu pecuniis abundas et vestibus, et lignis et cibo, et potu, et idcirco neque fame, neque siti, neque frigore unquam vexaris. Quid igitur ages? Salem tuum accipies, nosti pauperes multos, qui nihil horum habent, qui fame pereunt, qui frigore moriuntur: compatere illis ex animo, adjuva quantum potes: alioqui enim si neque pateris, neque compateris, et nec sale patientiæ, nec sale misericordiæ condiris, non video quæ spes tibi remaneat. Noverat Deus te delicatum ac tenerum futurum, nec per viam duram atque asperam inopiæ et miseriæ facile ambulaturum, propterea divitem te esse voluit, ut saltem per viam misericordiæ ac eleemosynarum, quæ planior et facilior est, ad salutem pervenires. Quod si neque hoc tibi placet, quid superest, nisi ut exideas a salute atque a regno beatitudinis excludaris? O si divites homines intelligerent, quam vili pretio nunc infiniti et immortales thesauri emi possent, longe aliter opes suas consumerent. Cum urbes vi captæ spoliantur ac diripiuntur, milites, qui eas diripuerunt nihilo fere res maximas et pretiosissimas vendunt, quæ alio tempore multo auro vix emi potuissent. Atque hoc tempus nunc agitur, auditores, *Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud:* Christus autem qui jam illud obsedit, oppugnavit, occupavit, spoliavit, nunc vilissimo pretio ac fere nullo, spolia illa divina, indumenta illa gloriæ, cœlestia illa palatia vendit. Nunc vel calice aquæ frigidæ, sempiternæ divitiæ emi

possunt. At vero post mortem, nullæ pecuniæ, nulli labores, nec ipsa vita sufficiet, ut vel exigua domuncula, in regno cœlorum ematur. Quare agite nunc, divites, et caducas opes, ludibria ista fortunæ, quæ et alioqui hic relinquetis, cum æternis et immortalibus

commutate : de iniquo mammona facite vobis amicos, qui vos, cum defeceritis, in æterna recipient tabernacula. Deinde ita agite, ut pro parvis magna, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna aliquando recipiatis. Amen.

CONCIONES DUODECIM

COTINENTES

ARGUMENTA TOTIDEM

AD HOMINEM CATHOLICUM IN SUA FIDE CONFIRMANDUM

ET

HÆRETICUM A PERFIDIA SUA CONVERTENDUM.

CONCIO PRIMA.

DE LUMINE FIDEI.

SYNOPSIS

Exordium breviter causam reddit, eam potissimum hæc argumenta tractanda suscipiantur, nimirum ob periculosa et tot sectis hæresum refertæ hæc nostra tempora. Duas res Catholica in Ecclesia contineri, lumen fidei internum et notæ quædam externæ; et quænam illæ sint, ex Divo Augustino probatur. Docetur, lumen fidei se per modum intellectus principiorum habere. Fidei necessitas contra Pelagianos, multis astruitur, ejusque efficacia et præstantia variis similitudinibus assertitur. Ostenditur præterea quibus item amittatur. Causæ assignantur, cur tam facile et tam brevi multæ hæreses tantum sumpserint incrementum. Tandem graviter reprehenduntur ii, qui fideles verbis, factis tamen fidem negant; qui proinde Deum irritant, ut nos in infidelitatem labi patiantur.

Cum semper maxime necessarium esse duxi, optimi auditores, in ea Ecclesia permanere, in qua vera atque orthodoxa fides, verus Dei cultus, vera remissio peccatorum, verum salutis atque æternæ hæreditatis pignus reperitur; tum hoc potissimum tempore, quando propter hæresum et sectarum multitudinem, tam densæ errorum tenebræ toti pene orbi terrarum offusæ sunt, et nox tam tetra mundum prope universum occupavit atque involvit, ut jam periculosa illa tempora adesse videantur, de quibus Dominus in Evangelio: *Multi, inquit, surgent pseudo-prophetæ, et seducent multos: et quoniam abundavit iniquitas refrigescet charitas multorum.* Et rursum: *Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?*

Aspicite enim, et intuemini faciem orbis terrarum, quot in eo reperiuntur athei, Pagani, Judæi? Quot regiones, quot regna, quot provinciæ a Christo ad Mahumetismum defecerunt? Schisma atque hæresis Græcorum, Jacobitarum, Nestorianorum nonne Orientem pene totum absumpsit? Septentrionem nonne lues Ariana, Sabellica, Lutherana ex magna etiam parte Græcorum tabes, penitus infecit? Africam universam, ubi quondam tot sedes Archiepiscoporum et Episcoporum fuerant, nonne partim Mauri, Mahometi sectatores, partim Æthiopes, solo nomine Christiani, et vera Christi Ecclesia jam olim separati, occupant? Quid de Occidente dicemus? Quis enumeret sectas Confessionistarum, Anabaptistarum, Calvinistarum? nonne tot fere hæreses spatio quinquaginta annorum nostris diebus exortæ sunt, quot ab Apostolorum temporibus, per totos mille et quingentos annos? Præterea avaritia, superbia, luxuria, ambitio, doli, fraudes, mendacia; omnia vitia, omnia scelera, omnia flagitia sibi pectora atque animos mortalium ita vindicarunt, ut periculum sit, ne *In errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi*, ac dicere incipiant: Estne Deus in nobis? sumus hæreditas et peculium Domini, an non?

Sed quamquam hæc ita se habeant, manet tamen sententia Domini: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Manet sententia Beatissimi Cypriani: « Quisquis ille est, et qualiscumque, Christianus non est, qui in Ecclesia Christi non est. » Et alio loco: « Quisquis ab Ecclesia separatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur, nec pertinet ad Christi præmia; qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem, qui non habet Ecclesiam matrem. » Si potuit evadere, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam pacis fuerit, evadet.

Quoniam igitur extra veram Christi Ecclesiam neque salus, neque remissio peccatorum reperitur, et tamen tam grande periculum nobis, hodie ubique imminet ab istis latronibus atrocissimis animarum, neque aliud facilius est, quam ut homines incauti ab arce Ecclesiae aberrantes, in laqueos ac retia infidelitatis incurrant; nihil me fructuosius atque utilius in concionibus istius anni tractare posse existimavi, quam argumenta aliquot, quibus perspicue ostendatur, religionem, quam Dei beneficio amplexi sumus, omnibus sectis ac superstitionibus Judæorum ac Paganorum, imo Hæreticorum etiam, jure ab omnibus, qui sapiunt, anteponi, et eam solam esse, qua Deus pie sancteque colatur, quæque cultores suos ad verum æternæ felicitatis portum perducat.

Quia vero hæc disputatio pene tota in fidei confirmatione versabitur ut etiam aliquid detur moribus, conciones nostras in duas partes dividemus in priori argumento, quod jam diximus, explicabimus: posteriori primam sententiam ejus epistolæ, quæ inter sacrorum solemnia lecta fuerit, ad morum ædificationem exponemus.

Duo sunt, quæ nos præcipue movent ad credendum, lumen fidei internum, et argumenta quædam externa. Atque argumenta quidem, de quibus agere instituimus, sunt omnino duodecim: nempe religionis Christianæ veritas, puritas, efficacitas, antiquitas, amplitudo, firmitas, lumen propheticum gloria miraculorum, probitas vitæ, testimonium ac approbatio inimicorum, mores Ecclesiae veteris et mores veterum hæreticorum. Quæ argumenta non quidem omnia, sed eorum aliqua, quid in D. Augustino viro sanctissimo atque doctissimo effecerint, olim ipse in libro, quem contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, scripsit, his verbis docet: « Multa sunt, inquit, quæ in gremio Ecclesiae Catholice me justissime teneant. Tenet consensus populorum et gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli successio Sacerdotum. » Hæc ille vir, qui non minus divino lumine quam acerrimo gravissimoque judicio præditus erat, quique omnium optime, quid inter sanam doctrinam Ecclesiae et insana hæreticorum dogmata intersit, judicare poterat.

Ac de argumentis quidem externis alias,

hodie solum de lumine fidei: quam eximium sit, quam necessarium Dei donum, et qua cura et sollicitudine conservandum, pro tempore disseremus. Etenim lumen fidei non mihi minus necessarium esse videtur ad ea dogmata credenda, quæ nobis Ecclesia catholica proponit, quam sit lumen intelligentiæ naturale ad prima principia cognoscenda. Quemadmodum enim omnes homines naturali quodam lumine præditi sunt, quo prima principia, sine labore, sine argumentis, vera esse intelligunt: nec enim est quisquam, qui rationes et argumenta petat, cum ejusmodi principia proponuntur, scilicet: bonum esse prosequendum, malum fugiendum, tria plura esse, quam duo, tria et duo esse quinque: sic etiam omnes Christiani lumine quodam divino et supernaturali a Deo illustrati, principia prima nostræ fidei, etiam si difficilia et rationem excedentia, verissima esse et certissima confitentur. Quænam est causa, cur bruta animantia doceri non possunt? Accipe brutum aliquod animal, equum, accipitrem, vide utrum possis ei persuadere aliquam veritatem. Certe non poteris, etiam si omnem dialecticam et rhetoricam adhiberes. Unde hoc? Quia naturali lumine intelligentiæ caret. Ad eundem modum omnes nostræ conciones, nec solum conciones, sed omnia alia nostra signa, et prodigia non sufficiunt, ut fidem nostram Ethnicis et Hæreticis persuademus, nisi Deus ipse doctor accedat, et mentem eorum hoc divino lumine illustret.

Pelagiani quidem divinæ gratiæ contemptores et suarum virium superbissimi laudatores affirmare non dubitabant, nos isto lumine non usque adeo indigere, neque fidem alia ratione in sacris litteris donum Dei appellari, quam quod gratia et dono Dei fiat, ut Scripturas sanctas et prædicationes Evangelii habeamus. Sed longe aliud nobis, Christus ostendit, aliud Apostoli docuerunt, aliud experientia et usus testatur. Quid enim non viderunt, et audierunt, qui Christum ipsum, hoc est, verbum et Sapientiam Patris concionantem et signa facientem viderunt et audierunt? Et tamen beatus Joannes de eis scriptum reliquit: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Quid sapientius Sapientia? Quid eloquentius Verbo? Quid sanctius eo, qui dicere poterat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quid eo mirabilius, qui etiam quatruiduanos mortuos solo verbo ac imperio ad vitam revocabat?

Et tamen cum tanta signa fecisset, tantus ac talis esset, non credebant in eum. Itaque recte Dominus dicebat eis : *Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt : propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Apostolus Paulus ante conversionem certe audierat, si non alios, saltem beatum Stephanum *Plenum Spiritu sancto* ita concionantem, ut nemo posset *Resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur* in eo, eumque viderat *Signa maxima et prodigia in populo* facientem, et nihilominus tanto odio fidem nostram persequebatur, ut aliquando *Spirans minarum et cædis in discipulos Domini, epistolas peteret* a principe Sacerdotum *In Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, eos vinctos perduceret in Jerusalem.* At posteaquam *Circumfulsit eum lux de cælo*, quæ oculos ejus excæcavit et mentem illustravit, repente totus mutatus est, et qui antea Christi nomen persequebatur, is postea coram regibus et principibus toto orbe idem portavit; et qui Ecclesiam antea omnibus viribus devastabat, is postea in iisdem ædificandis Ecclesiis plus omnibus laboravit; et qui stulta et ridicula esse dicebat, quæ a Christianis dicebantur, is postea solam Christi Ecclesiam solam columnam ac firmamentum veritatis solus appellavit. Quæ tantæ et tam mirabilis mutationis causa fuit? Quis in momento Paulo persuasit, id quod antea, nec verba, nec miracula persuadere potuerant? Certe non aliud, quam unctio Spiritus sancti; unctio docuit eum, internum doctorem ac testem, habuit eum, de quo beatus Joannes aiebat : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in semetipso.* Non legistis quid B. Augustinus de hoc testimonio dicat? « Audiam, inquit, et intelligam quomodo in principio fecisti cælum et terram : scripsit hoc Moyses, scripsit et abiit, transivit hinc ad te, neque enim nunc ante me est. Nam si esset, tenerem eum, et rogarem eum, et per te obsecrarem, ut mihi ista panderet, præberem aures corporis mei sonis erumpentibus ex ore ejus; et si hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum, nec modo mentem meam quicquam tangeret; si autem latine scirem, quid diceret. Sed unde scirem, an verum diceret, quod si et hoc scirem num et ab illo scirem? intus utique, mihi intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec barbara

veritas, sine oris ac linguæ organis, sine stripitu syllabarum diceret. Verum dicit, et ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicis. » Hoc igitur est lumen fidei, auditores, testimonium quoddam Dei quo intus in domicilio cordis dicitur nobis. Ita est. nihil hæsites. *Argumentum est non apparentium*, quo videlicet hoc credit, quod non videt: vel potius et B. Augustinus scribit, quo *certissime videt, nondum se videre, quod credit.* Atque hoc argumentum, hoc lumen, hoc testimonium Dei internum, si cum externis illis argumentis ac testimoniis adjungatur (de quibus in aliis sequentibus concionibus disseremus), ita manifestum et perspicuum efficiet, credibilia, et omnibus sectarum atque hæresum decretis anteponenda esse, quæ nos Ecclesia Catholica docet, ut nemo sit, qui non exclamet : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Quæ cum ita sint, non arbitror nobis esse diutius laborandum, ut vos hortemur, ut hoc exinimum Dei donum, hoc cœleste ac divinum lumen omni animi providentia conservetis : præsertim hoc tempore, quo tam facile illud in tam multis ab eo vento, qui ab aquilone spirat, extingui videmus. Si quidem miserum est et amarum a Domino separari, et jacturam facere charitatis : sed multo miserius est et amarius circa fidem naufragare. Quid enim est fides nisi semen, nisi radix, nisi basis fundamentumque justitiæ? Quis magis arbori nocuit, qui ei solum truncum præcidit, an qui eam funditus eradicavit? Quis majus detrimentum attulit ædibus, qui tectum diruit, an qui fundamentum evertit? Quanto labore jaciuntur fundamenta? Certe non parum fecit qui fundamenta jecit. Et in arboribus licet radix sine trunco et ramis fructus non ferat; tamen si denuo sol eam respiciat, si rursus cœlestibus imbribus irrigetur, iterum ex ea et truncus et rami pullulabunt. Sic etiam quamquam fides sine charitate mortua sit, neque fructus bonorum et Deo gratorum operum pariat, tamen si Sol justitiæ Christus Dominus Deus noster, misericordiæ radiis agrum cordis iterum respiciat, et cum pluvia voluntaria, aqua Spiritus sancti, lacrymis compunctionis inebriet, o quanta celeritate charitas iterum pullulabit, et inde flores et fructus bonorum operum renascentur. Itaque magnum donum est etiam fides mortua et informis, et omni conatu ac viribus conservanda.

At quibus rebus conservatur fides? Bonis

operibus, auditores. Quibus rebus tandem amittitur? Operibus malis, flagitiis, facinoribus, luxuria, ebrietate, avaritia. Non dico ego quidem, ut Lutherani mentiuntur ac delirant, *Omne peccatum esse infidelitatem, et esse non posse in peccatoribus fidem*: hoc ego non dico, novi enim Ecclesiam sagenam esse plenam bonis et malis piscibus; nec illud ignoro, in Ecclesia neminem esse posse sine fide. Quid igitur dicimus? nempe peccatorum multitudinem, peccandi facilitatem, consuetudinem corrupte vivendi viam esse, et quasi gradus quosdam ad infidelitatem. Homines enim ita comparati a natura sunt, ut id facile ac libenter credant, quod cupiunt, quod placet, quod delectat. Non est difficile voluptariis et carnalibus hominibus persuadere, Sacerdotes uxoratos esse debere, castitatem impossibilem esse, jejunia esse superflua, ciborum delectum esse superstiosum. Non est apud avaros difficile usuras excusare, apud ambitiosos simoniam, apud luxorios fornicationem. Legite *Evangelium Lucæ*: *Audiebant, inquit, omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum*. Non credebant Pharisæi disserenti Domino, ac dicenti: *Nemo potest duobus dominis servire non potest Deo servire et mammonæ*, quin et deridebant eum. Quare? Quia erant avari, neque a mammona avelli se patiebantur. Rursus alio loco ad ambitiosos: *Quomodo, inquit Dominus, vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam, quæ a solo Deo est non quæritis?* Non miror, inquit, quod non creditis; mirarer potius, si crederetis, quando superbia et ambitio ita oculos vestros excæcavit, ut humilem incessum, honorum contemptum, agnoscere non possitis. Accepissent sane Pharisæi libenter Christum, si non crucem, nec humilitatem prædicasset, sed *Primos discubitus in conviviis, primas cathedras in synagogis, salutationes in foro*, denique opes et honores sectatoribus suis promississet. Itaque non mirum est, si tam multi et tam facile Mahometo primum deinde Luthero nostris temporibus carnis libertatem prædicantibus, et habenas libidinibus laxantibus se adjunxerint. Erant enim utroque tempore, ut ex historiis cognosci potest, mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi: Sacramenta, religio, disciplina Ecclesiastica contemnebantur, conculcabantur, et regnabant omnia genera vitiorum, ita ut homines jam ita affecti, *Sanam doctrinam non sustinerent,*

sed quærebant sibi magistros prurientes auribus. Non fiebant hæretici, quod nemo eis hæreses prædicaret; sed ipsi jam satis erant ad hæreses suspiciendas præparati: ligna erant arida atque ad flammam concipiendam maxime idonea, solum desiderabatur, qui ignem mitteret et accenderet. Non defuit Diabolus muneri suo, sed repente ministros excitavit, qui et sermonibus et operibus ignem accenderent. Et jam videmus tantum brevi tempore plerisque in locis incendium excitatum, quantum multis annis et magno labore restingui non poterit.

Quare, fratres mei, aliorum exemplo edocti, *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*: laborate, operamini, nolite torpere, ne vos sicut multos alios infidelitatis tenebræ comprehendant. Et sicut is, qui noctu et flatibus ventis lucernam manu tenens iter facit, opponit manum luminis: ita et nos, auditores, opponamus manus honorum operum sanctæ fidei, ne ventorum flatibus, qui regionem istam perflare cœperunt, extingatur, et nos tenebræ comprehendant. Vis, frater, non amittere fidem erga sacramenta? honora sacramenta: utere sacramentis: accede frequenter et ex animo ad confessionem, communica sanctis mysteriis. Vis non amittere fidem erga jejunia, erga indulgentias, erga bona opera? Ama jejunium, amplectere indulgentias cum opportunitas datur, exerce te assidue in bonis operibus. Alioquin quid mirum est, si Deus permittat te circa fidem naufragare?

Sane, fratres, nos ridiculi sumus, et plus quam paradoxa dicere videmur. Dicimus et certo asserimus, sacram Eucharistiam fontem ipsum gratiæ et omnium bonorum continere, tamen vix singulis annis, et tunc compulsi ac sumendam eam accedimus. Quid est hoc, quod agimus? Intelligimus, quæ dicimus? Quis credet nobis? si dicemus, in tali parte urbis jacet acervus maximus pecuniarum et licet omnibus accipere inde, quantum volunt; quis non statim iret? Certe plateæ non caperent euntes homines et redeuntes. Sic etiam clamamus contra Hæreticos, sacrosanctam Eucharistiam verum, verissimum ipsissimumque Christum Deum et hominem continere. Interim tamen ita nos gerimus, ut nihil minus credere videamur. Sacra alteria in plerisque locis sunt plena pulveris, dependent hinc inde telæ aranearum; corporalia, purificatoria, sacra vasa ita in multis locis sunt sordida, ut vo-

mitum provocare possint. Sacerdos ipse tam præcipitanter, ita indevote, ita frigide sacra illa et Angelis tremenda mysteria peragit, ut clamare omnibus videatur, se neque Christi, neque angelorum præsentiam agnoscere. O quam atroces pœnas luent, qui recipiunt pecunias beneficiorum et in usum Ecclesiæ unum obolum non expendunt.

Quæ cum ita sint, nolite mirari, si tollitur a vobis regnum Dei, et datur aliis, qui nunc recens in oriente et occidente, et in novo orbe convertuntur. Deus enim ita nobiscum agit. Vos, inquit, contemnitis pœnitentiam, tollam a vobis sacramentum Pœnitentiæ, contemnitis Eucharistiam, tollam eam a vobis. Contemnitis Sacerdotes, tollam a vobis Sacerdotes. Vos enim ita agitis, quasi hæc nihil sint, et ego permittam, ut veniant homines, qui serio dicent hæc nihil esse, et id vobis in perniciem et damnationem anima-

rum vestrarum persuadeant : extinguiam modicum lumen, quod in vobis est : patiar ut tenebræ vos comprehendant, et in tenebris vivatis, in tenebris moriamini, et ex tenebris interioribus ad tenebras exteriores in gehennam descendatis. Neque fides mea detrimentum patietur. Nam si hic minuat, alibi propagabitur. Et hoc ita esse quis non videt, auditores? Quam multi quotidie convertuntur in oriente, in regionibus latissimis Indiarum? Quam multi in septentrione, in regnis Japoniæ? Quam multi in occidente, in regnis Americæ? Quam multi in meridie, in regnis Brasiliæ et in finibus Africæ? Fides recedit, auditores, abit ipsa a nobis, neque ipsa detrimentum patitur quæ alibi propagatur, sed nos detrimentum patiemur, nos tenebris involvemur. Ergo *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Amen.

CONCIO II.

DE ANTIQUITATE CATHOLICÆ ECCLESIAE

SYNOPSIS

Præparatione quadam ad dicendum præmissa, enumerantur argumenta fidei externa, inter quæ primum antiquitas Ecclesiæ Catholicæ, de qua et præsens habetur concio. Atque in primis nostræ legis antiquitas et comparatione sacrarum et profanarum litterarum atque eorumdem auctorum dilucide ostenditur; et a contrario omnium Hæreticorum novitas vel ex uno Luthero manifestatur, et in medium adducitur. Nugatorium hac super re Hæreticorum effugium refutatur et valido dilemmate retunditur. Origo Papatus investigatur, et quam plurimis SS. Patrum et conciliorum testimoniis stabilitur. Hæretici SS. patres adulatores censentes, ipsi Christi testimonio redarguuntur. Non modo Petro, sed et successoribus commissam esse universalis Ecclesiæ curam, probatur. In nomine papistarum et homousianorum merito esse nobis gloriandum asseritur; et Hæreticis sua novitas per Patrum auctoritatis diversas exprobat. Ac demum ut novitatem istam fugiamus admonemur.

Duo sunt, optimi auditores, quæ nos ad eam fidem et religionem, quam in baptisate suscepimus, et quam in Ecclesia Catholica didicimus, et ad hunc usque diem professi sumus, conservandam ac retinendam in primis juvant; lumen fidei internum, quod diffusum est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: argumenta etiam ac testimonia quædam externa, quæ si diligenter inspiciantur ac considerentur, perpendanturque, non parum lucis adferent

ad illustrandam nostræ fidei veritatem. Ac de lumine quidem fidei, quas vires habeat, et quanta cura ac sollicitudine sit conservandum, ea disseruimus oratione superiori, quæ hoc loco et hoc tempore disserenda esse existimavimus. Nunc argumenta illa externa proponenda sunt atque explicanda, ut catholicum hominem et salutis suæ studiosum, tam adversus præsentis, quam adversus futuros Christianæ religionis hostes armemus, et super firmam petram jam gratia Dei collocatum ita confirmemus ac stabiliamus, ut nulla vi nulloque impetu eorum ventorum, qui a spiritibus erroris et seductionis excitati, ab aquilone perpetuo spirant, commoveri possit.

Radix igitur et quasi fons externorum argumentorum est excellentia atque præstantia nostræ legis. Ea siquidem multa complectitur, quibus omnibus sectis et superstitionibus Paganorum et Hæreticorum facile antecellit, videlicet: antiquitatem, amplitudinem, firmitatem, veritatem, puritatem, efficacitatem, lumen propheticum, splendorem miraculorum, probitatem vitæ, et alia quæ concione superiori enumeravimus. Hodie solum de primo argumento, nempe de antiquitate disseremus: cætera suum locum in concionibus sequentibus habebunt.

Initio igitur lex nostra vetustissima est sive scripturam, qua ea continetur, sive religionem ipsam considerare volueris. Quemadmodum enim Deus prior est diabolo, et bonum prius, quam malum, et veritas prior mendacio; ita Scriptura Dei et civitas et religio Dei prior omnino est, quam scriptura et civitas et superstitio diaboli: ut B. Augustinus et Tertullianus evidenter ostendunt. Libri quos Moyses noster conscripsit, non solum libros, sed et ipsos deos et oracula,

et templa gentilium multis sæculis vincunt. Ac Philosophi quidem omnes Græcorum, partim æquales, partim posteriores, nullo modo superiores nostris prophetis fuerunt. Porro Orpheus, Musæus, Linus, inventores Græcarum fabularum primi ante prophetas, quidem nostros, sed non ante Moysen extiterunt. Itaque Græcorum superstitio, sine ulla dubitatione, multo est nostra religione recentior. Jam vero sapientia, quam vocant Ægyptiorum ante Moysen nostrum aliqua jam fuisse reperitur : alioqui non diceret in Actis Apostolorum B. Stephanus, eruditum fuisse Moysen in omni sapientia Ægyptiorum : sed num Ægyptii sapientes priores patriarchis nostris fuerunt ? Nonne ab ipsis in terra eorum peregrinantibus, omnem sapientiam hauserunt ? Nonne Isis, quæ litteras docuit Ægyptios, temporibus nepotum Abrahæ nata esse perhibetur ? Quid vero de Enoch dicemus, qui septimus fuit ab Adam et membrum Ecclesiæ nostræ existens, de temporibus nostris prophetavit, ut B. Apostolus Judas in epistola sua canonica scriptum reliquit.

Sed et hæc nimis antiqua, neque hoc tempore adeo necessaria prætereamus, et Ecclesiæ ætatem, non ab initio mundi, sed ad eo tempore consideremus, quo liberator noster Christus filios Dei, qui erant dispersi, congregare cœpit. Certe Christiana religio non heri aut nudius tertius, sed mille quingentis septuaginta annis a Christo Dei et Virginis Mariæ Filio, inchoata in Palæstina primum, deinde toto orbe usque ad ultimum terræ seminata et propagata est. Sic enim prophetæ prædixerant : *De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Hierusalem.* Et rursum : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et facies Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Jam vero quis nesciat omnes hæreses esse posteriores ? Certe enim Ariani ante Arium non erant, neque Macedoniani ante Macedonium, neque Nestoriani ante Nestorium, neque Pelagiani ante Pelagium, neque Mahumetani ante Mahumetum, neque Lutherani ante Lutherum. Hos vero omnes, quis ignorat post annum trecentimum vel quadringentesimum vel quingentesimum vel milesimum quingentesimum a Christi Servatoris adventu exortos esse ? Non magnum argumentum veritatis est, quod nos possumus ita origines singularum hæresum ostendere,

ut nominemus auctorem, notemus annum, designemus locum, ostendamus causam vel occasionem potius novorum dogmatum ? Ac ponamus exemplum in Luthero. Quis nescit sectam vel sectas potius eorum qui dicuntur Lutherani, auctore Luthero quondam Monacho Augustiniano anno decimo septimo supra millesimum quingentesimum a partu Virginis, Wittenbergæ, quod oppidum est Saxoniae, occasione indulgentiarum a Leone decimo Pontifice concessarum, primum incepisse ? Nam ante illum annum, neque unquam vel per somnium nomen lutheranorum auditum est : sed neque ipse Lutherus tunc erat Lutheranus, imo vero in Catholica Ecclesia Sacerdotem et Doctorem et Monachum et romani Pontificis obedientem filium se profitebatur. Deinde quando primum se ab Ecclesia Romana separavit, nullum penitus invenit suæ sectæ, sed *Ipse primus nulli succedens, et a seipso incipiens* (ut B. Cyprianus de Novatiano loquitur), *novum hominum cœtum congregare cœpit.* Erant enim tunc temporis sectæ variæ et permultæ præter romanam, hoc est, veram et Catholicam religionem, ut Judæorum, Paganorum, Græcorum, Jacobitarum, Armenorum, Waldesium, et Bohemorum, sive Hussitarum. Certum est autem, vel ipso Luthero teste, nullam earum sectarum, quæ tunc extabant, ei placuisse, ab Ecclesia vero Romana sponte sua eum recessisse. Quid igitur superest, nisi ut novam hæresim condiderit ? Nam si non est ita, ostendat originem antiquiorum, numeret suos prædecessores, notet loca et tempora, ubi et quando fuerunt. Nam nisi profecto in aliquo abditissimo penuario invenerit aliquos suæ sectæ doctores et antistites, et eos ibidem perpetuo inclusos continuerit, suspicari non possumus, vel unum, qui eum in ea hæresi præcesserit.

Dicet fortasse, se nullum quidem invenisse, sed non ideo novam religionem inchoasse, imo potius veterem, quæ Christi et Apostolorum temporibus florebat, excitasse. Sed solis luce clarius est, nullum unquam apertius cum Christi et Apostolorum dogmatibus pugnasse. Numquid extincta erat, ut eam Lutherus quasi ab inferis revocare deberet ? Et si res ita se habet, ubi est illud : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ?* Ubi est illud : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ?* Ubi est illud : *Ego rogavi pro te, ut non de-*

ficiat fides tua ! Ubi est illud : Regni ejus non erit finis ? Ubi illud Cypriani : « Ad Romanam Ecclesiam perfidia non potest habere accessum ? » Et illud Hieronymi : « Romanam fidem Apostolico ore laudatam præstigiis non recipere, et etiamsi Angelus aliter annuntiet, quam prædicatum est, Pauli Apostoli auctoritate munitum non posse mutari ? » Et illud D. Bernardus : « Dignum arbitror ibi potissimum (nempe in Ecclesia Romana), resarciri damna fidei, ubi possit fides sentire defectum ? » Quod si non perierat, sicut vere non perierat, ubinam erat antequam Lutherus exoriretur ? Num apud Judæos aut apud Mahumetanos ? an apud Armenos et Græcos ? an apud Waldenses et Hussitas ? At apud ista monstra et portenta, vel ipso Luthero judice, non erat. Quid ergo restat, nisi ut in Romana Ecclesia, quæ sola reliqua est, vera Christi fides et religio permaneret ? Quid horum negari aut infirmari potest ?

Hoc igitur teneo, auditores, hic hæreo. Vel perierat vera religio, cum Lutherus prodiit vel non perierat. Si perierat, etiam Christi promissio periit, et Veritas mentita est, quæ eam non perituram affirmavit. Si non perierat, apud aliquos erat : at non apud Paganos, vel Judæos, vel Græcos, vel Hussitas ; igitur apud Romanos. Igitur Lutherus a Romana Ecclesia discedens, a vera et antiqua religione discessit ; et falsam ac novam fabricavit.

Ostendant nunc hæretici, si possunt, quo loco, quo auctore cœperit ea religio et fides, quam impugnant ; quam nos antiquam, illi recentem ; nos veram, illi falsam ; nos catholicam, isti papisticam appellant. Quis est error Papistarum præcipuus ? Certe non alius, si aliquis, quam Romanum Papam toti orbi Christi nomine præsidere, et non solum populorum, sed etiam Episcoporum omnium, Episcopum et Patrem et Doctorem esse. Nam ab hac hæresi (ut ipsi putant) tamquam prima et præcipua nos Papistas vocant et vocandos censuerunt. Videamus igitur, quando cœperit hic error. Dicite, Lutherani, quo tempore papismus pro Christianismo introductus est ? Fortasse regnum Pontificum regno scholasticorum Theologorum cœpit ? nempe tempore Innocentii tertii, quando Lateranense Concilium celebratum est, et in eo Ecclesia Romana mater et magistra omnium Ecclesiarum appellata, et Prædicatorum ac Minorum familiæ exortæ

sunt. At ego lego B. Bernardum illis omnibus superiorem, virum doctrina, miraculis, et vitæ sanctitate clarissimum, ita ad Eugenium Romanum Pontificem scribentem : « Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæredasti : habent enim illi sibi assignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti, uni unius nec modo ovium, sed et pastorum tu unus ovium pastor. Ergo juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos, qui super alios potestatem acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere Satanæ potes ? » Sed fortasse B. Bernardus Eugenio, Monacho sui ordinis, adulabatur et idcirco non Theologi scholastici, sed B. Bernardus primus Papistarum hæresim excogitavit. Quid igitur de Magno Gregorio dicemus ? qui multis sæculis Bernardo superior ad Mauritium imperatorem ita scribit : « Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. » Quid de Beatissimo Leone ? qui sermone de anniversario suæ assumptionis die ita loquitur : « De toto mundo unius Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctis Ecclesiæ patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Christus. » Sed fortasse et Gregorius et Leo propriæ sedis causam agentes istam hæresim primo invenerunt. Quid igitur toti Chalcedonensi Synodo maximæ et sanctissimæ respondebimus, qui Leonem pontificem universalem patriarcham et Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum appellavit ? Quid Nicæno concilio ex generalibus primo et antiquissimo, quod statuit Episcopos omnes e toto orbe ad Romanum Pontificem tanquam ad supremum judicem appellare et ad Romanam sedem tanquam ad matrem confugere posse ? Id quod et Athanasius et Marcellus, et Paulus, et Chrysostomus, et Theodoretus et alii Patres de suis sedibus pulsati, sæpe fecerunt. Quid respondebimus Beatissimo Cyrillo Alexandriae Episcopo, qui in Thesauro de Romano pontifice loquens :

« Ut membra, inquit, maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum pontificum, a quo nostrum est quærere quid tenere, quid credere debeamus? » Quid respondebimus magno Athanasio, qui epistola ad Marcum Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Papam, et Romanam Ecclesiam caput et magistram omnium Ecclesiarum appellat? Quid respondebimus magno Chrysostomo, qui ait: « Petrum universo orbi Christus præposuit? » Et rursus: « Ecclesiæ pater et caput homo piscator atque ignobilis? » Quid sancto Optato Milevitano, qui inquit: « Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collocatam in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus: unde et Cephæ appellatus est in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi cathedras defenderent, ubi jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocasset? » Quid respondebimus S. Martyri Irenæo, qui docet: « Ad Ecclesiam Romanam, maximam et antiquissimam, propter potentiolem principalitatem necesse esse convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles? » Quid respondebimus sanctissimo pontifici et Martyri, et Apostolorum discipulo Anacleto? qui, « Hæc sacrosancta, inquit, Romana et Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias et totum populi Christiani gregem assecuta est? » Quid aliis vetustissimis et sanctissimis Patribus Græcis et Latinis respondebimus, quorum gravissimis testimoniis ita abundamus ut adversarios nostros plane obruere, et ad singula quæ ipsi proferunt, nos centum et eo amplius proferre possimus.

At, inquit, multi quidem veterum hoc dixerunt, sed adulabantur pontificibus. O impudentiam hæreticam! ergone Irenæus, Cyrillus, Chrysostomus, Optatus et alii Patres integerrimi, sapientissimi, optimi Pontificibus adularentur? et quamobrem tandem? ut opes ab iis consequerentur? At pontifices eo tempore pauperrimi temporalium divitiarum, solis virtutibus divites erant. Ut Episcopatum sibi compararent? At episcopatus eo tempore janua mortis erat. Nam primi qui rapiebantur ad necem et ad martyria, erant Episcopi. Non itaque sanctissimi patres adulabantur Pontificibus, quibus potius liberri-

me in faciem restitissent, si aliquid præter fas aut æquum sibi usurpare voluissent. Sed esto, adulabantur. Numquid et Christus B. Petro adulabatur? Quid igitur Christo respondebimus? qui, ut S. Joannes commemorat, Petrum nomine proprio appellans, et addito nomine parentis ab alio Simone discernens, et interrogatione quadam ab aliis apostolis aptissime separans: *Simon*, inquit, *Joannis, diligis me plus his?* Et statim: *Pasce agnos meos.* Et rursus: *Pasce agnos meos.* Et tertio: *Pasce oves meas.* Tibi, inquit, Simoni Filio Joannis, qui me amplius cæteris diligis, tibi universum gregem meam pascendum committo, hoc est, agnos et et oves. Agnos videlicet populum Gentilem: et oves, Episcopos videlicet, qui quasi matres et nutrices populorum sunt. Quid: obsecro, clarius dici poterat? Quid evidentius? Quid expressius? Illi igitur Petri oves, et agni esse recusant, qui Christum pastorem primum et præcipuum non agnoscunt, et in die judicii cum hædis a sinistris collocari cupiunt. Nam profecto, qui Christi Vicarium hic in terris non sequuntur tamquam oves, illi in die judicii cum hædis ad sinistram collocabuntur.

Neque vero putandum est, soli Petro et non successoribus ejus hanc amplissimam potestatem esse collatam a Christo. Neque enim Christus Ecclesiam instituebat, quæ viginti aut triginta annos duntaxat permaneret: et si Apostolicis temporibus caput in Ecclesia necessarium erat, ut schismatis occasio tolleretur, ut Hieronymus loquitur contra Jovinianum, quando Christiani pauci erant et boni, et Episcopi erant Apostoli qui neque contra fidem errare, neque mortaliter peccare poterant; certe posterioribus temporibus non minus Ecclesia summo Pontifice indigebat, quam corpus capite, quam exercitus imperatore, quam navis inter fluctus et procellas constituta duce et gubernatore indigeat.

Habemus ergo, non papismum, sed lutheranismum esse novum, neque nobis quicquam obest, quod Hæretici nunc homousianos, nunc Papistas nos vocent. Imo vero hæc ipsa vocabula vetustatem et nobilitatem Ecclesiæ nostræ designant. Quid enim est, Christum esse Patri *ὁμοούσιον*, nisi naturam et divinitatem cum Patre habere communem? Ergo Homousiani cum dicimur, a Christi substantia et divinitate nominamur. Pari ratione, si ita nos Papistæ a Papa, ut

Lutherani a Luthero dicuntur, quis non videat quanto sunt papistæ Lutheranis et Calvinistis antiquiores? Nam et Clemens, et Petrus et ipse Christus Papæ, id est, patrum Patres et Pontifices summi fuerunt. Itaque vocent nos Hæretici Papistas, vocent Homousianos, nunquam tamen ab alio certo homine, sicut nos illos a Luthero et Calvino, jure potuerunt vocare.

Quæ cum ita sint, auditores, tuto nos in arce Ecclesiæ constituti omnes hæreticos, homines novos irridemus, eis cum Tertuliano dicimus: « Qui estis vos? Unde et quando venistis? Unde modo proditis? Ubi latuistis tam diu? Nunquam hactenus de vobis audivimus. » Et cum B. Optato: « Vos vestræ cathedræ originem ostendite qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. » Et cum Beatissimo Hilario: « Sero venistis, nimis tarde surrexistis. Jam olim didicimus, quid de Christo et Ecclesia et Sacramentis credere debeamus. Non bona suspicio est, quod nunc primum apparetis. Siquidem bonum frumentum non post, sed ante zizania et seminatum est et natum est. » Recte quoque cum beato Hieronymo graviter illos admonemus: « Quisquis es, assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus: parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post annos quadringentos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt? Usque ad hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit. Illam fidem senex tenebo, in qua puer natus sum. » Et recte eundem

Hieronymum paterne admonentem audimus: « Sicubi audieris, inquit, eos qui dicuntur Christiani, non a Domino Jesu Christo, sed a quocumque alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos, Campenses sive Montenses, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi synagogam esse. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse judicant quos Apostolus futuros pronuntiavit. » Recte postremo Apostolum Paulum terribiliter comminantem, formidamus: *Sed licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Intelligitis tandem quanto timore, quanta cura, quanta sollicitudine, quanto zelo sit novitas fugienda, antiquitas conservanda, quando nec ipsis Apostolis atque angelis liberum aut integrum est aliter docere, quam semel docuerunt. *Sed licet, inquit, nos.* Quid est nos? *Sed licet, inquit, Petrus, licet Andreas, licet Joannes, licet ego, licet chorus Apostolicus, adeo etiam omnis exercitus Angelorum Evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ac ne forte putaremus hoc verbum ei incaute excidisse, nec eum ex animo dixisse, iterum repetit: *Sicut prædiximus vobis, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quare cum nec Apostolis, nec Angelis, liceat novam aliquam fidem condere, sine dubio nec nobis licet, nisi cum detrimento nostræ salutis et pernicie animarum nostrarum eam recipere.

CONCIO III.

DE MULTITUDINE CREDENTIUM, ET FIRMITATE NOSTRÆ RELIGIONIS.

SYNOPSIS

Ad probandam fidei orthodoxæ firmitatem, quinque in primis afferuntur argumenta firmissima, quæ ex historia conversionis gentium desumpta sunt. Instituitur deinde comparatio inter doctrinam fidelium et Philosophorum gentilium. Amplitudo Catholicæ et universalis Ecclesiæ, et paucitas Hæreticorum idem sentientium sibi opponuntur: Firmitas et duratio Romanæ Ecclesiæ ostenditur, atque Romanorum pontificum continuæ successiones ex multis Patrum testimoniis abunde probatur. Quam variis et gravibus persecutionibus Ecclesia ab ipsa sua origine semper impelita fuerit, quæ inde nihilominus magis solidata incrementa sumpsit; quod tamquam firmum argumentum propositi confirmandi adducitur.

Argumenta, quæ hodierna oratione, Domino adjuvante, pertractanda atque exponenda sunt, si accurate ac diligenter explicentur, non dubito, optimi auditores, quin magnum adjumentum ad veram et antiquam fidem confirmandam allatura sint. Nam cum Catholicam atque orthodoxam nostram Religionem esse vetustissimam, oratione superiori demonstraverimus, recto ordine sequitur, ut de amplitudine et firmitate ejusdem Religionis disseramus. Hæc vero sunt argumenta duo cum primis potentia atque efficacia ad omnes profanas Hæreticorum novitates repellendas et fidem veterem, sacrosanctamque Religionem in pristino statu atque honore retinendam.

Ac primum, conversio totius orbis argu-

mentum est multis nominibus invictissimum et admiratione atque stupore dignissimum, quod tam innumera hominum multitudo omnium gentium, omnium ætatum, omnium conditionum, pauperes, divites, nobiles, ignobiles, eruditi, ineruditi, viri, mulieres, juvenes, senes, tanta fuerint celeritate et facilitate conversi. Deinde, quod ad prædicationem hominum ignotorum, pauperum et abjectorum, nec usque adeo eloquentium, antiquas leges et ritus majorum suorum abjecerint. Tertio, quod Christi legem, legem carni et sanguini contrariam, legem quæ nihil in hoc sæculo nisi cruces et tribulationes promittat, tanta alacritate ac devotione susceperint. Quarto, quod non solum susceperint, sed ita susceperint, ut millies torqueri et mori, totumque sanguinem profunderere maluerint, quam legem semel susceptam deserere. Postremo, quod ita res evenerint, sicut prophetæ ante prædixerant: ac ut alios prætereamus, *Adorabunt eum*, inquit David, *omnes reges terræ, omnes gentes servient ei*, et rursum: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*; et alibi: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Cujus rei illustrissima figura in die Pentecostes mundo demonstrata est. Tunc enim non solum in una atque eadem domo, quæ totius Ecclesiæ typum gerebat omnium gentium linguis Deus laudabatur a fidelibus, sed etiam cum primum Apostoli legem Evangelicam in urbe Jerosolyma, tamquam præcones Dei, clarissima voce promulgarent, erant in ea urbe simul congregati Parthi, Medi, Elamitæ et qui habitabant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphylia, Ægyptum et Libyam, necnon Romani,

Arabes, Cretes, et uno verbo, homines de omni natione, quæ sub cœlo est. Quod nihil aliud, quam Ecclesiæ universitatem et amplitudinem significabat. Sane qui ex hoc argumento non intelligit, Christianam legem veri et omnipotentis Dei esse legem, non video, quo pacto non ratione atque intelligentia carere existimandus sit.

Si Philosophi Paganorum et hæresim inventores multos ad suos errores pertraherent, minime mirum videri deberet. Nihil enim ii docent, quod rationem superest: nihil præcipiunt, quod facile fieri non possit. Denique sectæ eorum viæ sunt latæ, nec ullas angustias vel in rebus credendis vel in perficiendis habent. At persuadere hominibus, unam atque eandem naturam in tribus personis existere, hominem in patibulo crucis suspensum esse Deum, virginem quamdam sine detrimento virginitatis concepisse et peperisse, omnes homines in sua ac propria carne resurrecturos, etiam eos, quos incendium absumpsit vel belluæ devorarunt; præterea, diligendos inimicos, non reddendum malum pro malo, ferendas calamitates, condonandas injurias, contemnendos honores, et alia id genus altissima et subtilissima dogmata, quis potuit nisi Deus? Unde B. Augustinus lib. contra epistolam Manichæi, quæ Fundamenti appellatur: « Quis, inquit, tantam multitudinem induceret ad legem carni et sanguini contrariam, nisi Deus? » Et lib. xxii de Civitate Dei, aperte ostendit, esse quidem arduum ac pene incredibile, mortuos resurrecturos, sed non minus incredibile, mundum pene totum credidisse rem tam incredibilem: sed omnium maxime incredibile, id mundo non ab eloquentissimis et sapientissimis philosophis, nec multis annorum centuriis, sed ab humilibus piscatoribus, paucissimis annis esse persuasum. Ille igitur, quo auctore brevissimo tempore oracula toto orbe, quasi lapidibus obstructis obmutuerunt et Dæmonum cultus et sacrificia cessaverunt, et omnes pene homines legem carni et sanguini contrariam susceperunt, quis esse potest, nisi Deus?

Legite librum Beati Athanasii de humilitate Verbi vel certe sermonem Theodreti de legibus ad Græcos, ibi videbitis, quantis conatibus summi philosophi, præstantissimi ingeniis maximeque eloquentia, quam parum profecerint. Vix enim ullus est eorum, qui aliquos paucos, saltem e vicinia, ad suas leges pertrahere potuerit. « At nunc illi pi-

scatores, inquit Theodoretus, sutorque tentiorum cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt, neque solum Romanos, quique vivunt sub Romano imperio; sed Scythas quoque et Sauromatas et Indos: præterea Æthiopes, Persas, Syros, Hircanos, Britannos, Cimmericos, Germanos, utque semel dicatur omne hominum genus nationesque omnes Crucifixi leges accipere persuaserunt. » Neque est hæc amplificatio Theodreti, auditores, nam et D. Leo fide dignissimus testis, sermone de nativitate Petri et Pauli, Romanam urbem alloquens: « Per sacram, inquit, B. Petri sedem caput orbis effecta latius præsidet religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis antea victoriis jus imperii tui terra marique protuleris; minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit. » Itaque temporibus B. Leonis major erat orbis Christianus, quam orbis Romanus et plures populi Romano pontifici, quam Romano imperatori parebant. Et quod majus est, beatus Martyr Irenæus, qui temporibus Apostolorum fuit vicinissimus lib. i. contra hæreses: « Hanc prædicationem, inquit, et hanc fidem cum accipit Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans et similiter credit quasi unam animam habens et unum cor, ut constanter prædicat, docet, et tradit quasi unum possidens os: neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, neque hæ quæ in Iberis, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in oriente, neque hæ quæ in occidente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ, sed sicut sol omni creaturæ Dei in universo mundo unus et idem est; sic et lumen et prædicatio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad agnitionem veritatis venire. » Hæc B. Irenæus. Quid? quod ipsis apostolicis temporibus jam pene in toto orbe Evangelium coruscabat? Apostolus enim Paulus est, qui ad Ecclesiam Colossensem scribens, ait: « Si tamen permanentis in fide fundati, et stabiles et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est. »

Habemus igitur, quanta celeritate, quantoque miraculo in omnem orbem terrarum sese Religio sancta diffuderit, et diversissi-

mas gentes, linguis, moribus, regionibus dis-
sitas, tanta pace conjunxerit, ut omnes
unam domum inhabitare, et unum cor,
unum os, unum animum habere videantur.
Quæ unquam hæresis, licet facilia et credi-
bilia prædicans, ac carni et sanguini blan-
diens, et principum atque imperatorum fulta
præsidiis, hos progressus habuit? Quæ un-
quam, non dico orbem totum, sed totam
provinciam aliquam occupavit? Valentiniani
et Marcionitæ in magnam quidem multitu-
dinem excreverant, sed Irenæo teste, vix
duo aut tres in tanta multitudine de eisdem
rebus eadem dicebant. Ariani orbem pene
totum infecerant, sed neque ipsi de rebus
iisdem eadem loquebantur. Vixdum enim
Ariana hæresis nata erat, cum in varias dis-
sentientes sectas divisa est. Aliud Acatiani,
aliud Eunomiani, aliud Macedoniani de
summæ nostræ fidei mysteriis dicebant: ta-
men omnes unum et eundem Arium paren-
tem agnoscebant. Impietas Mahumetana
magnam partem Africæ atque Asiæ absump-
sit: sed ipsa quoque, præterquam quod in
sectas varias supra septuaginta in ipso suo
exordio divisa perhibetur, numquid ali-
quando Italiam, Galliam, Germaniam occu-
pavit, aliasque orbis Christiani regiones,
sicut Catholica Christi Ecclesia orientem et
meridiem tenuit, et ex parte etiam nunc
tenet? Hæretici nostri temporis quando
Asiam et Africam viderunt? Quando nomen
Lutheri aut Calvinii in Ægypto, Libya,
Arabia, Æthiopia, Perside auditum est? Et
in isto angulo orbis terrarum, ubi nidum
suum posuerunt, nonne ita sunt inter se di-
visi, ut vix duo reperiantur, qui secum in
omnibus consentiant? Nonne eis cum B.
Augustino dicere possumus: « Vos autem et
tam pauci et tam turbulenti et tam novi, ne-
mini dubium est, quin nihil dignum auctori-
tate præferatis? » Non est igitur, nec fuit una
aliqua hominum congregatio idem dicentium
ac sentientium, et Deum eundem iisdem ri-
tibus ac cæremoniis colentium, qui totum
orbem occupaverit, præter Christi veram et
orthodoxam Ecclesiam, quæ sola optimo jure,
invitis et reclamantibus hæreticis, catholicæ
et universalis nomen semper obtinuit.

Sed fortasse ista religio, sicut celeriter
crevit, ita est et celeriter extincta. Non est
ita, auditores, sed contra potius, ita firmas
et altas radices jecit, ut nullum unquam im-
perium armis et exercitiis munitum, et ab
hominibus prudentia et eloquentia excellen-

tibus gubernatum, tam diu durare et per-
manere potuerit. Atque hoc est argumentum
alterum, quod jam sequitur explicandum.
Ac ut omittam regna atque imperia sæcu-
laria, quæ sicut armis inchoantur et augen-
tur, ita etiam armis debilitantur et evertun-
tur: hæreses omnes nonne post Ecclesiam
exortæ, et ante Ecclesiam extinctæ sunt?
Recenset Irenæus Hæreticorum sectas va-
rias post Christi Ascensionem circiter vi-
ginti, Tertullianus viginti septem, Epiphanius
octoginta, Theodoretus septuaginta sex,
Damascenus centum, Augustinus octoginta
octo, Philastrius centum viginti octo: ex
illis omnibus non vel una reperitur, quæ ali-
quando funditus non interierit. Ubi sunt
modo Simoniani, Menandriani, Marcionitæ
et alia tam multa genera sectarum? Nec
ipsi, nec eorum successores, nec eorum li-
bri, nec monumenta ulla remanserunt, et
nisi eorum nomina in libris Catholicorum
Patrum, qui cum eis decertarunt, legeremus,
nec si unquam ejusmodi sectæ extitissent,
scire possemus. Excitantur quidem hoc tem-
pore atque ab inferis revocantur veterum
errores, sed propterea aliquando non inte-
rierunt? Certe Theodoretus tempore suo
testatur, omnes antiquas hæreses, paucis
exceptis, plane defecisse. Quid hæresis ari-
ana, quæ magnam partem orbis infecerat, et
imperatores, reges, Episcopos sine ullo nu-
mero deceperat, ita ut plane immortalis vi-
deretur, nonne ita tandem defecit, atque
extincta et sepulta fuit, ut multis annorum
centuriis, nec nomen ejus in orbe terrarum
extiterit? Sed quid imus tam procul? Hæ-
resis Lutherana nonne temporibus nostris
exorta, jam plane exaruit? Tametsi enim
multi sunt, quos Lutheranos vocamus, ta-
men paucissimi sunt, qui ipsa dogmata Lu-
theri, ut tradita sunt, integra et inviolata
custodiant. Et si is nunc ab inferis rediret,
periculum esset, ne nullum inveniret, qui se
recognosceret. Sed nec ipse sua dogmata
amplius cognosceret, ita nepotes ac posteri
ejus in aliam formam Lutheranam fidem at-
que evangelium redegerunt. Ecclesia vero
Christi super firmam petram ædificata, nul-
lis unquam procellis aut tempestatibus
everti potuit. Semper enim Romana Eccle-
sia, quæ caput est Ecclesiarum, mansit: nec
unquam defecit in Apostolica sede Sacerdo-
tum successio nec unquam homines aliqui,
imo nunquam populi aut Episcopi defece-
runt, qui cum isto capite tamquam vera

membra cohærent. Sæpe capta atque eversa fuit Roma, sæpe dominos mutavit : nunc eam principes Pagani, nunc imperatores Christiani, nunc reges Ariani tenuerunt, ea tamen fidem nunquam mutavit. Cecidit sedes Augusti, sed Petri sedes nunquam cecidit. Interrumpi potuit series romanorum imperatorum, sed Pontificum series et Petri successorum nunquam potuit. Et quod magis admirandum, ex Ecclesiis cæteris eæ solæ diuturnæ et stabiles esse potuerunt, quæ se ab isto capite non separaverunt. Ubi quæso, nunc est patriarcha Alexandrinus? Ubi Antiochenus? Ubi Constantinopolitanus? Ubi Jerosolymitanus? Ubi sunt sedes atque Ecclesiæ Africanæ? Ubi sunt Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ, Corinthia, Ephesina, Thessalonicensis, Colossensis, Philippensis? Nonne statim atque ab Ecclesia Romana recesserunt, tamquam rami a radice præcisi exaruerunt?

Atque ista perpetuitas, ista continuatio, ista constantia Religionis, ista nunquam interrupta series et summorum in Ecclesia principali successio Sacerdotum, argumentum illud est, quo semper majores nostri ora hæreticorum obstruxerunt. Cum enim hæretici apud se veram Ecclesiam et sinceram doctrinam esse jactarent, quærebant ab eis patres nostri, Catholici doctores, et unde vobis hæc doctrina? Per quorum manus a Christo ad vos devenit? Ostendite successionem Episcoporum vestrorum. Quod cum facere non possent, obmutescabant. Ipsi vero sancti Patres, tametsi in suis propriis Ecclesiis et sedibus perpetuam successionem Episcoporum demonstrare non poterant, eam tamen in Romana sede, cujus ipsi membra erant, aptissime demonstrabant. B. Irenæus lib. III. contra hæreses : « Maximæ, inquit, et antiquissimæ et omnibus cognitæ, et a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habent ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos judicantes, confundimur omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam et cæcitatem et malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiores principalitatem, necesse est, convenire omnem Ecclesiam, hoc est, qui undique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est

ab Apostolis traditio. » Hæc B. Irenæus. Quibus dictis enumerat ordine Romanos Pontifices ab Apostolo Petro usque ad S. Eleutherium, cujus tempore ipse vivebat, tunc demum subdit : « Hac igitur ordinatione et successione ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio. et veritatis prædicatio, pervenit usque ad nos, et est plenissima hæc ostensio. » Jam vero Septimius Tertullianus lib. de præscriptione adversus hæreticos : « Edant, inquit, hæretici origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordines Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ sensus suos referunt : sicut Romanorum Ecclesia B. Clementem a sancto Petro ordinatum refert. Configant tale quid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? » Porro B. Cyprianus epistola sexta, lib. primo de Novatio hæresiarcha loquens : « Pastor, inquit, haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, et a seipso incipiens, alienus fit et profanus? » Quæ verba nonne optimo jure, et Luthero et Calvino et omnibus hæresiarchis convenire possunt? Nonne unusquisque eorum nemini succedens a seipso incepit? Sed quid de Optato, Epiphonio, Augustino, Hieronymo dicemus? Nonne D. Optatus libro secundo contra Parmenianum, posteaquam enumeratis omnibus Romanis Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ originem et continuationem ostendit, Hereticis quasi insultans : « Vestræ, inquit, cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. » Nonne D. Epiphanius contra hæresim vigesimam septimam scribens, et B. Augustinus in epistola 165. ad idem propositum eorundem Romanorum Pontificum indicem texuerunt? Et si quæramus a Beato Augustino, quid eum tam firmiter in gremio Ecclesiæ catholicæ tenuerit, nonne respondebit, quod in libro contra : Epistolam Fundamenti scriptum reliquit : « Tenet me in ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum? Quod si postremo a B. Hieronymo consilium petamus, in qua potissimum Ecclesia sit permanendum, nonne respondebit, quod in dia-

logo contra Luciferianos posuit: « Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam: in ea Ecclesia est permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad hanc diem durat. »

Quæ cum ita sint, auditores, quis non videt, quale et quantum sit hoc argumentum? Cur enim sancti Patres tanta sollicitudine Romanorum Pontificum indicem texebant? Et si Irenæus tanti fecit tredecim Romanorum Pontificum non interruptam seriem, et Ecclesiæ ad centum et octoginta annos continuationem: si Optatus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, tanti fecerunt seriem et continuationem non multo longiorem, nempe annorum quadringentorum et sexaginta, et romanorum pontificum ad summum quadraginta; quid hoc tempore dicerent, quomodo exultarent? quomodo triumpharent, qua libertate Lutheranis et Calvinistis ora obstruerent, si in Ecclesiam eamdem annis mille quingentis et septuaginta permansisse, et Romanos Pontifices supra ducentos numerari, et numquam eorum interruptam seriem successionemque viderent?

Sed fortasse non habuit catholica Ecclesia hostes ullos, qui eam impugnarent; imo vèro nihil umquam tanta hostium multitudine, tanta potentia, tantis viribus oppugnatum est. Cœperunt initio Judæi Christi Ecclesias devastare, sed eum hoc de more non bene succederet, imperatores orbis dæmon excitavit. Itaque monarchæ potentissimi, non unus, aut duo sed decem aut duodecim variis temporibus totis sui imperii viribus nomen Christianum delere aggressi sunt. Sed quid tandem profecerunt? O rem incredibilem et tamen veram; deleverunt imperatores Romani urbes potentissimas, fuderunt exercitus barbarorum innumerabiles, domuerunt armis ferocissimas nationes et Christi Ecclesiam sola patientia ac fide armatam et non repugnantem nec resistantem vincere non potuerunt. Mactabantur sancti martyres usque ad carnificum defatigationem et gladiatorum obtusionem, et semper major, ac major Christianorum numerus apparebat. Itaque recte Tertullianus martyrum sanguinem semen appellavit. Et B. Leo sermone de S. Petro et Paulo: « Non minuitur, inquit, persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper ager Dominicus segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. » Ita est, auditores, occidebatur unus, et convertebantur decem,

occidebantur decem et convertebantur centum, occidebantur centum et convertebantur mille. Et quemadmodum aquæ diluvii domicilia regum et principum operiebant, et prosternebant: Arcam vero Noe in sublime ferebant et extollebant ita prorsus persecutiones mundi regna et imperia evertunt, sed Christi Ecclesiam semper sublimiorem et illustriorem reddunt. Quid de philosophis et oratoribus dicam? Quibus sapientiæ et eloquentiæ facibus prisci illi philosophi et rhetores contra Christianam religionem in hominum pectoribus odium incendere conabantur? Quam multa scripsit Porphyrius? quam multa apostata Julianus? quam multa Libanius sophista? quam multa epicureus Celsus? quam multa platonius Proclus? quam multa omnium hominum scelestissimus Lucianus? Quid? quod publice edebantur acta Pilati, in quibus multa turpissima et contumeliosissima fingebantur de Christo, et ea præceptores pueros suos docere compellebantur ut cum ipso pene lacte odium contra Christum imbiberent? et tamen de omnibus tandem invictissima triumphavit Ecclesia. Finierunt demum aliquando bella, et persecutiones Ethnicorum, sed repente eis Hæreticorum arma, multo graviora et periculosiora successerunt. O quoties dæmon hæreticorum acies renovavit? O quot victorias, quot palmas, quot triumphos Christi Ecclesia reportavit. Vincebantur Sabelliani, succedebant eis Arriani. Vincebantur Ariani, succedebant eis Nestoriani. Vincebantur Nestoriani, succedebant eis Eutychiani. Jure igitur ac merito D. Augustinus lib. de Utilitate credendi exclamat: « Dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successionem Episcoporum, frustra Hæreticis circum latrantibus, culmen auctoritatis obtinuit? Et nos, auditores, dubitabimus eam Ecclesiam non esse de fæce Lutheranorum triumphaturam, quæ de centum et eo amplius hæreticorum exercitibus triumphavit? Quare certissimus Romanam Ecclesiam eam esse adversus quam *portæ inferi non prævalebunt*: Et *regnum istud, juxta Danielem, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem et consumet universa regna, et ipsum stabit in æternum*; de quo Angelus ad Mariam: *Et regni ejus non erit finis*.

CONCIO IV.

DE VERITATE ET CONSONANTIA CATHOLICÆ DOCTRINÆ

SYNOPSIS

De veritate et consonantia Catholicæ doctrinæ dicturus probat, veritatem semper sibi constare, mendacium vero contra sibi contradicere, quod etiam ipsius Lutheri testimonio confirmat. Consonantia in primis ostenditur sacræ Scripturæ, et exempli loco plurima de Christo testimonia ex veteri Testamento adducuntur, quibus totidem ex novo respondent. Concordia Conciliorum et decretalium tribus potissimis argumentis confirmatur. Manifestatur rei veritas de Synodo Francofordiensi, quam Hæretici in suum favorem trahere nituntur. Aliæ nonnullæ objectiones Hæreticorum diluuntur, quibus contra Conciliorum consonantiam insurgunt. Hæreticorum singulorum perpetuum dissidium, longissimam seriem enumerando, patefit. Quo theologi scholastici dissentiant; quomodo item Hæretici inter se et contra se ipsos pugnent declaratur, et a tribus hæresiarchis, Simone mago primo, Ario medio et Luthero extremo probatur. Quæ ratione Lutherus undique sibi contradicat, adductis pluribus ex ipsius scriptis locis sibi contradicentibus, ob oculos ponitur. Hinc etiam ei et aliis hæreticis locus ex Apocalypsi convenienter applicatur.

Veritatis certissimum signum esse consonantiam doctrinæ, errores vero ac mendacia semper seipsa destruere, usque adeo verum et omnibus notum ac perspectum est, auditores optimi, ut id non solum viri sapientes doceant, sed etiam confirmet vulgus, et ipsi quoque mendaces veritatis hostes, sæpe facteri vel inviti cogantur. Nam quemadmodum

inter virtutes et vitia illud interesse scimus, quod virtutes quasi chorum quemdam faciunt, et sunt inter se quadam naturæ cognitione, et societate ita conjunctæ et copulatæ, ut omnes juventur ab omnibus, et nulla a cæteris sejuncta ac separata, vim et dignitatem ac perfectionem suam retinere possit: contra vero in republica vitiorum, jus colitur nullum, nulla sunt fœdera pacis, sed perpetuo litigat avaritia cum prodigalitate, cum pusillanimitate contendit audacia, et de cæteris ad eundem modum: pari ratione non solum verum cum vero non pugnat, sed etiam veritas ornat et illustrat veritatem; mendacia vero superbiæ plena sunt, et unum alterum non patitur, atque idcirco semper dissident inter se, et unum evertitur atque destruitur ab altero. Hinc enim vulgo ab indoctis passim dici audimus, *Oportet mendacem esse memorem*, cum nihil facilius et quasi naturalius sit, quam in fabulis narrandis, et præsertim si prolixæ sint, et ex multis mendaciis constent, narratorem oblivisci sui, et secum pugnare. Nec solum vulgus, sed adversarii nostri, huic veritati testimonium præbent, atque omnium nomine unius Martini Lutheri testimonium apertissimum et verissimum recitabo, ut omnes intelligant Catholicos et Hæreticos, qui in aliis rebus pene omnibus dissident, inter se in hoc uno principio mirifice convenire. Is igitur in libro, quem de monasticis Votis scripsit, his verbis nos admonet: « Mendacia, certius dignoscere non potes, quam quando sibi met ipsis contraria; a Deo enim ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, et ut mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur. » Testimonium hoc verum est, auditores, et nos in ejus discutiendis sententiis eo libenter utemur. Disse-

rendum est enim hodierna oratione de veritate seu consonantia et concordia admirabili Catholicæ doctrinæ, quæ est quarta laus nostræ Religionis, et post antiquitatem, amplitudinem et firmitatem de quibus superioribus concionibus egimus jam recto ordine quarto loco sequitur explicanda.

Scripturas igitur nostras, necnon Conciliorum decreta et summorum Pontificum definitiones, verissima esse et a Spiritu veritatis dictata, satis abunde testatur incredibilis quædam et plane divina consensio, quæ in Scripturis sanctis et Christianis dogmatibus reperitur. Ac ut de Scripturis propter Mahumetanos et Ethnicos, qui eas non recipiunt, prius dicamus. Quanta, quæso, admiratione ac stupore dignum est scriptores sanctos non unum aut duos, sed multos et varios fuisse, et variis linguis, occasionibus, locis, temporibus scripsisse, et nihilominus ita secum in omnibus consentire, ut ab initio Geneseos usque ad extremam Apocalypsim, nulla in eis dissensio reperiatur: unum atque eundem multa scribere, et nunquam a se dissentire, magnum est multos de multis et variis rebus disputare, et unum cum alio nunquam pugnare, simile prodigio est. Quid igitur de scriptoribus sanctis dicemus? qui non solum multi et varii fuerunt, sed ita locis dissiti ut sæpe inter unum et alium infinita maris et terrarum spatia interjacerent, ita temporibus separati, ut sæpe unus alium non solum numquam viderit, sed nec de eo quicquam unquam audierit, et tamen ita scripserunt, ut sancti libri non a multis, sed ab uno quasi pluribus linguis et calamis scripti esse videantur. Quocirca divino prorsus consilio Spiritus sancti, ut B. Augustinus XVIII de Civ. Dei, sapienter monet, nec nimis multi nec nimis pauci sancti scriptores esse debuerunt: non nimis multi, ne multitudine vilesceret quod clarum religione esse oporteret: non nimis pauci, ut semper in eis esset prædicanda et admiranda consensio. Porro sanctæ Scripturæ non ea solum ratione aliæ aliis, posteriores posterioribus cohærere dicendæ sunt, quod secum non pugnent, quod est unum genus concordia; sed etiam quod quicquid vetus Scriptura futurum prædixit, id totum Scriptura nova factum atque impletum esse demonstrat, quod est aliud concordia; genus, multo sine ulla comparatione nobilius. Cujus rei typum gerebant duo Seraphim illi qui ut apud prophetam Isaiam legimus, admirabili consensione clamabant

alter ad alterum: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*: nec non duo Cherubim, quæ alis tegebant propitiatorium, unde Deus loquebatur, et quorum vultus alter ad alterum semper intuebantur. Hæc enim sunt duo Testamenta, vetus et novum, quæ ita se invicem aspiciunt, et alterum ad alterum clamat, ut quicquid unum loquitur promittendo, alterum repetat adimplendo. Exemplum ponamus, in Christo, cujus jam imminet dies natalis, et quem omnino divinæ paginae tamquam finem et scopum intuentur. Vetus testamentum dicit: *Ecce virgo concipiet in utero et pariet filium*; novum respondet: *Quod in ea, nempe in virgine Maria, natum est, de Spiritu sancto est*. Vetus dicit: *Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim egredietur qui sit dominator in Israel*; novum respondet: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda*. Vetus dicit: *Orietur stella ex Jacob*; novum respondet: *Vidimus stellam ejus in oriente*. Vetus dicit: *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes*; novum respondet: *Obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham*. Vetus dicit: *Dabitur ei nomen novum, quod os Domini nominabit*; novum respondet: *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*. Vetus dicit: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum*; novum respondet: *Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*. Vetus dicit: *In mari via tua et semitæ tuæ in æquis multis*; novum respondet: *Venit Jesus ambulans super mare*. Vetus dicit: *Mittam ad eos pisces et piscabuntur eos*; novum respondet: *Venite post me et faciam vos fieri pisces hominum*. Vetus dicit: *Prophetam suscitabit tibi Dominus de fratribus tuis*; novum respondet: *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*. Vetus dicit: *Aperiam in parabolis os meum, novum respondet: Locutus est eis multa in parabolis*. Vetus dicit: *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*; novum respondet: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*. Vetus dicit: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator*; novum respondet: *Adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt*. Vetus dicit: *Appenderunt mercedem meam trigenta argenteos*; novum

respondet : *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Vetus dicit : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis;* novum respondet : *Tunc expuerunt in faciem ejus et colaphis eum ceciderunt.* Vetus dicit : *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus;* novum respondet : *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Vetus dicit : *Et non erit populus, qui eum negaturus est;* novum respondet : *Responderrunt pontifices, non habemus regem, nisi Cæsarem.* Vetus dicit : *Et cum sceleratis deputatus est;* novum respondet : *Crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Vetus dicit : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem;* novum respondet : *Diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes.* Vetus dicit : *Os non comminuetis ex eo;* novum respondet : *Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Vetus dicit : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* novum respondet : *Hunc Deus suscitavit a mortuis.* Vetus dicit : *Ascendit pandens iter ante eos;* novum respondet : *Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Vetus dicit : *Effundam spiritum meum omnem carnem;* novum respondet : *Effudit hunc quem vos videtis et auditis.* Vetus dicit : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ;* novum respondet : *Audientes autem gentes gavissæ sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* O consensio incredibilis ! O concentus ! O harmonia vere divina divinarum litterarum ! Ecquis erit ita stupidus; vel obstinatus, qui tam admirabili concordia Scripturarum nostrarum perspecta, ea a Spiritu sancto, ab ipsa Sapientia et Veritate profecta esse non confiteatur? Quod si vellemus omnia loca percurrere, dies non sufficeret; et si non verba solum, sed etiam res gestas et umbras ac figuras cum rebus figuratis atque adumbratis conferre conaremur, immensam orationem susciperemus.

Neque vero Scripturæ dumtaxat, sed etiam omnia probatorum Conciliorum Catholicæ Ecclesiæ a primo Nicæno usque ad ultimum Tridentinum, et omnium summorum Pontificum a B. Petro usque ad Gregorium decimum tertium, definitiones atque decreta, ita sibi coherent, ita secum in omnibus consentiunt, ut quamvis diversis locis, diversis temporibus, a diversis Patribus contra diversas et sæpe contrarias hæreses pro-

mulgata atque edita sint, nulla tamen in eis, audacter dicimus, nihil timemus, nulla in eis vel minima discordia reperiatur. Cujus rei argumentum est primum, quod omnia simul recipit ac veneratur Catholica Christi Ecclesia, quod certe non faceret, si unum cum alio ulla ratione pugnaret. Deinde, quod non exstat, neque unquam legimus aut audivimus, extitisse Concilium aliquod vere Catholicum, in quo prius aliquod Concilium, aut omnino aut ex parte repudiatum vel reprehensum fuerit : sed potius contra videmus posteriora semper venerari priora, eorum vestigiis insistere, et sua decreta eorum decretis annectere, quasi catenas catenis et annulos annulis, quibus fortissime astringitur, vincitur, conservatur et exornatur Ecclesia : et quæ a prioribus sæpe dicta sunt, ea a posterioribus confirmari, exponi, illustrari, augeri : nunquam tamen destrui aut everti. Postremo, quod adversarii nostri nullam adhuc pugnantem sententiam in nostris dogmatibus atque decretis ostendere potuerunt. Sed fortasse non sunt conati : Quid ? Non sunt conati ? Ita perstringit tanta lux veritatis oculos omnium hæreticorum, ut nihil aliud egerint his quadraginta annis, quam omnes historias evolvere et omnes angulos bibliothecarum diligentissime perscrutari, ut aliquid tandem invenirent, in quo nostra Concilia reprehenderent. Sed nihil tandem præter nugas inanissimas proferre potuerunt, ut de eis vere Propheta dixisse videatur : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet :* et ad ultimum, *Desiderium peccatorum peribit.* Nec enim fieri potest, ut illa Ecclesia non sibi constet, quæ ore Apostolico *Columna et firmamentum veritatis* appellata est : quæ pastorem et doctorem sequitur eum, cui dictum est a Veritate : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.*

Invenerunt ante paucos annos, cum jam diu laborassent ac sudassent in quærendo, Synodum quamdam Francofordiensem, jacentem in pulveribus, et fortasse cum blattis et tineis bellum gerentem : legerunt in ea, patres anathema dixisse Concilio cuidam Constantinopolitano, in quo nescio quid de imaginibus decretum fuerat, statim triumphandi exclamare cœperunt : Ecce qualia sunt concilia papistarum, unum alteri dicit anathema ? Ecce quomodo Synodus Francofordiensis septimam Synodum damnavit, in qua receptus ac approbatus fuerat usus

imaginum? Sed scitis quid isti suo triumpho consecuti sint? Nihil aliud, quam ut notam imperitiæ vel improbitatis effugere non possint. Siquidem toti mundo notum est, septimam Synodum non Constantinopolitanam, sed Nicænam secundam fuisse; illam autem Synodum Constantinopolitanam, quam Synodus Francofordiensis damnat, non Concilium Ecclesiæ, sed comitia Iconomachorum fuisse, quæ etiam septima Synodus repudiavit. Jam igitur vel historiam illam sciebant adversarii vel non sciebant: si non sciebant, imperiti erant; si sciebant, et tamen populos circumvenire suis mendaciis volebant, improbi sunt; atque eis recte cum divo Hilario dicere possumus: « O vos scelesti, siccine de Ecclesia ludibrium facere voluistis? »

Neque meliora sunt, auditores, argumenta cætera. Objiciunt enim, Synodum Ariminensem, quæ pugnat cum Nicæna: Synodum Ephesinam secundam, quæ pugnat cum Chalcedonensi: Synodum Cathaginiensem quæ Papa Stephanus reprobavit. Sed objiciant ista pueris et mulierculis. Quis enim ignorat Synodum Ariminensem, Ephesinam secundam, Cathaginiensem sub Cypriano, et alias nonnullas quas nobis objiciunt, non Concilia Catholica, neque a summis Pontificibus probata; sed potius semper rejecta et reprobata ab Ecclesia fuisse. Nos vero id solum asserimus, et nullo negotio probamus ac defendimus, nullum esse Concilium a Romano Pontifice confirmatum, quod cum alio Concilio pariter confirmato non consonet. Et hoc est argumentum, in quo merito exultamus et triumphamus. Ista enim admirabilis concordia et harmonia Catholicorum dogmatum illustrissimum atque evidentissimum est testimonium præsentis Spiritus sancti.

Piget profecto ac pudet referre, quales nugæ soleant afferre hæretici contra primam, quartam ac septimam Synodum, contra Romanam sub Nicolao secundo, contra Constantiensem, et quasdam alias, atque adeo contra ipsam primam in urbe Hierosolyma ab Apostolis celebratam. Ponam exemplum unum, ex quo qualia sint cætera, facile possit intelligi. Reprehendunt, in primis sanctissimi isti homines, et castitati præcipui amatores, Chalcedonensem Synodorum omnium maximam in qua sexcenti et triginta Patres convenerunt. Sed cur, putatis? Quid ibi dissonantiæ a cæteris invenerunt? nimirum ingens blasphemia eis visa, quod in

eo Concilio cavetur, ne Monachi et Virgines Deo sacræ, post promissam ad devotam Deo castitatem perpetuam, ullo pacto ad matrimonia et nuptias admittantur. Quæso vos, qui ista tamquam errores in Conciliis reprehendunt, frontem habent, an sunt homines sine fronte? Sani sunt an insani? Sobrii an ebrii? Vigilant an dormiunt? Quando enim Ecclesia oppositum docuit? Quando id non probavit? Quando non prædicavit? Quid ergo sanctum Concilium statuere debebat? Ut Virgines et Monachi datam Deo fidem non servarent? nempe id voluissent Lutherani. At religio et natura, et ipse sensus communis reclamant.

Conferte modo, si placet, Jerusalem cum Babylon, tam admirabilem Catholicæ doctrinæ concordiam cum sectis et dissensionibus Hæreticorum. Quando, quæso, Paganorum atque Hæreticorum Babylon in suo gremio non simul fovit innumeras controversias hominum dissentientium, non de agris et domibus, sed de primis ac summis divinitatis mysteriis? Ac ut omittam veterum philosophorum dissensiones, quæ multis notæ sunt, et quarum non paucas B. Augustinus recenset libro de Civit. xviii, c. 41. Quæ unquam hæresis fuit, quæ in ipso suo exordio multas et inter se pugnantibus sectas non pepererit? Certe a Simone Mago hæresiarcharum principe sunt Menandriani, Basilidiani, Saturniani. A secta Gnosticorum Carpocratiani, Cajani, Ophitæ, Setheani, Valentiniani. Rursum a Valentino Secundiani, Ptolomæi, Marcitæ, Colorbusii, Arechontici et alii plures. Ab hæresi Cerdonis Marcionistæ, Lucianistæ, Apellistæ, Manichæi. Ab hæresi Cataphrygarum hæreses aliæ Æschinis, Blasti, Florini, Tertulliani et aliorum sine ullo numero. Donatistas in multas ac varias sectas divisos fuisse, testatur libro primo de hæresibus B. Augustinus. Ab Ariana peste natos fuisse Eunomianos, Macedonianos, et omnes fere posteriores hæreses, quæ in oriente extiterunt, et ipsum quoque Mahumetismum omnibus vel mediocriter in historiis versatis notum est. Jam vero Hussitas in Bohemia in sectas varias disectos atque distractos, Orbitarum, Adamitarum et Orphanorum, omnes novimus. Postremo nostris temporibus Lutherus, quam numerosam familiam genuerit, et quomodo viderit filios filiorum in tertiam et quartam generationem, sectæ innumerabiles Confessionistarum, Anabaptistarum et Sacramentariorum

satis aperte declarant. Itaque videtis hæreticos semper sibi similes fuisse, et sicut semper pax, veritas, et concordia vinculum Catholicæ Ecclesiæ fuit; ita lites et dissensiones et sectarum multitudinem in hæreticorum caulis numquam defuisse patet.

Offenduntur Lutherani dissensionibus scholasticorum Theologorum; sed miseri non intelligunt, se festucam in oculis aliorum videre, trabem in oculis suis non videre. Scholastici siquidem Doctores ac præsertim B. Thomas et Bonaventura, sanctissimi atque eruditissimi viri, et cæteri omnes dissentiant quidem inter se aliquando, sed sicut etiam Beatus Hieronymus et Divus Augustinus, Chrysostomus et Epiphanius, Cyprianus et B. Stephanus, B. Anicetus et B. Polycarpus; et ut altius repetam B. Apostolus Barnabas et Paulus dissentiebant. Sed primum servata compage charitatis: deinde cum humilitate et moderatione, sine convitiis et maledictis: postremo, de rebus iis ut plurimum, quæ ad fidem et ad salutem non admodum pertinebant. Nam in iis quæ sine detrimento salutis ignorari non possunt, quæque ad ipsa fidei pertinent fundamenta, tam veteres (ut Beatus Augustinus libro primo contra Julianum ostendit) quam recentiores Theologi, ut ex eorum libris potest cognosci, mirifice consentiunt. Et si quid aliqui aliter sapiunt, subjiciunt se tamen et iudicium suum Ecclesiæ definitioni. Ea vero (quippe quæ a Spiritu Dei vivit, et ab eo gubernatur et regitur) facile verum a falso, aurum ab aurichalco, triticum a zizaniis separat. Itaque remanet semper in Ecclesia lumen et pax et gaudium in Spiritu sancto et est semper *Multitudinis credentium*, quantum attinet ad fidem: *Cor unum et anima una*. Sectarii vero tantis odiis tantaque animorum acerbitate contendunt, ut plura fere sint in eorum libris convitia, quam verba. Neque res quasdam leviores reconditoris doctrinæ ad ingenia exercenda, ut scholastici faciunt, sed ipsos articulos Apostolici Symboli ad fidem evertendam et labefaciendam in dubium et in quæstionem vocant. Peragrate Germaniam, tot invenietis religiones, quot loca. Quid ego dixi loca? Non est civitas, non est pagus, non est domus, non est cubiculum tam exiguum, ubi saltem duo reperiantur (sunt autem semper ut minimum duo: nullus enim audet, fortasse propter latrones, sine socia cubitare) non est, inquam, cubiculum tam exiguum ubi

non sit una parva turris Babylonica Ipsi met confitentur, ita inter se dissentire, ut spes pacis et concordiæ nulla sit.

Sed parum esset, si solum alii ab aliis, et non etiam quilibet a seipso, discordaret. Ac ut de omnibus sectis iudicium ferre possitis, cum tamen gratia brevitas non omnes enumeravimus, attingam primam, mediam et extremam, cæteras prætermittam. Hæresis omnium prima Simonis magi fuit. Ille igitur nonne sicut primus hæresim condidit, ita primus secum pugnare cœpit? Ipse enim D. Epiphanio et Augustino testibus, docuit aliquando, legem Dei non esse a Deo, sed a sinistra virtute; et omnes, qui vetus Testamentum recipiunt, in æternum perituros. Deinde sui oblitus affirmare non dubitavit, se Deum summum et verum esse, ac in Samaria apparuisse ut Patrem, in Judæa ut Filium, in Gentibus, ut Spiritum sanctum: et eundem se in monte Sina legem veterem per manum Moysis Judæis dedisse. Ariani, quorum secta in serie sectarum, quasi medium locum tenet, nonne ita leves et inconstantes fuerunt, ut singulis fere annis, et fidem et symbolum mutarent? et jam non dicerent, sic docet fides Apostolica, sed sic docet fides tali anno edita vel tali anno? Hinc est illa B. Hilarii justissima querimonia ad Constantium Augustum: « Secta, inquit, fides temporum potius, quam evangeliorum, dum et secundum annos scribitur et secundum baptismi confessionem non tenetur. Periculosum nobis admodum est atque etiam miserabile, tot nunc fides existere, quot voluntates: nam dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit. » Et rursum libro primo ad eundem Constantium, Arianos comparat ædificatoribus imperitis, quibus sua semper displicent, et qui semper destruunt, ut semper ædificent: « Novis, inquit, vetera subvertis, nova ista rursum innovata emendatione sciendis, emendata autem iterum emendanda condemnas. » Hæc ille de Arianis, sed quæ non minus in Lutheranos quadrant, quorum est secta sicut novissima, ita etiam pestilentissima. Quoties enim, quæso, illam, suam Augustanam confessionem, tantopere apud eos celebratam, commutarunt? Nonne et apud illos fides est annorum potius, quam evangeliorum? Nonne ipsi etiam semper destruunt, ut semper ædificent? Quam levem Spiritum sanctum, si tamen Spiritum sanctum, et non potius nequam, Lutherani habent?

Sed fortasse Lutheri discipuli sibi non constant, Lutherus vero, qui notam mendacii docuit esse certissimam, a seipso dissentire, nunquam ispe a seipso dissensit? Imo, auditores, sine mendacio et amplificatione dici potest, nullum unquam Hæreticorum suiipsius et dictorum suorum fuisse tam parum memorem, quam Lutherum. Quid? nonne exstant integri libri a viris doctissimis conscripti, qui nihil aliud, quam Lutheri antilogias et pugnantes inter se sententias continent? Quid? Quod de uno articulo, de communione videlicet sub altera specie vel sub utraque specie, triginta sex inveniuntur in ejus libris contrariæ sententiæ. Ac ut nihil dicam, quod Missam aliquando non solum partem summam et compendium Evangelii esse voluit, aliquando nihil magis detestatus atque execratus est; ut taceam, quod Sacramenta Ecclesiastica, modo septem, modo tria, modo duo, modo unum dumtaxat esse affirmavit. Ut prætermittam, quod aliquando in Romani Pontificis primatum nihil dici vere posse asseruit, aliquando tam multa et tam contumeliosa ipse dixit, quanta aures piorum ferre non possunt. Ut ne verbum quidem faciam, quod aliquando Joannem Hus tamquam seductorem et Hæreticum publice exhorruit, aliquando eundem Joannem et sanctum martyrem, et omnes ejus articulos Catholicos et Apostolicos appellavit. Sicut etiam Joannem, Magistrum suum Wiclephum jure ab Ecclesia damnatum esse docuit, aliquando eundem et sanctissimum et optimum doctorem prædicavit, et animam suam cum anima ipsius esse desideravit. Ut hæc et similia facile patiar sileri, unum solum ejus opusculum consideremus. Audite, quid in sua Babylonica captivitate de fidei virtute et efficacia dicat: « Tam dives, inquit, est homo Christianus sive baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. » Et rursum: « Nec alia via potest homo cum Deo convenire aut agere, quam per fidem, opera ille nihil curat. » At in libro de visitatione Saxonica, quem posterius scripsit, audite, quam aperte istud præcipuum dogma suum evertat: « Multi, inquit, dum audierunt, ut solummodo credant, omnia ipsis peccata remitti, fingunt sibi fidem, et putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii ac securi ejusmodi autem carnalis securitas prior est omni errore qui ante hoc tempus unquam fuit. »

Hæc ille. Quid, quæso, nos aliud contra eum dicere possemus, quam quod ipse dicit? Si credere sola fide sibi peccata remitti figmentum est, temeritas est, carnalis securitas est, error gravissimus est, ut ipse jam dicit, cur, quæso, super hoc fundamentum Evangelium et omnem suam doctrinam ædificavit? Quid? quod in eodem libro de visitatione Saxonica, omnem prorsus doctrinam suam evertit. In eo libro docet, hominem esse liberi arbitrii ad facienda vel omittenda, ut ipse loquitur, opera externa. In eo libro docet, Deum requirere a nobis non solum fidem, sed externam etiam justitiam. In eo libro eos reprehendit, qui Christianam libertatem esse putabant, non obedire superioribus, non jejunaere, comedere carnes in quadragesima, non confiteri peccata. In eodem libro docet ac suadet, Turcis resistendum, et cum eis bellum audacter gerendum. Denique de Missis, de psalmodia, de diebus festis, de excommunicatione, de campanis, de scholis, de Superintendentibus (sic enim Episcopos novo nomine appellandos censuit) de Hymno *Te Deum laudamus*, et cantico, *Benedictus*, in precibus matutinis legendo, nova præcepta ac decreta, quæ numquam reperit in verba Dei plura, in uno libro congestit, quam omnes Romani Pontifices unquam constituerunt. Attamen etiam pueri sciunt, semper antea Lutherum contrarium docuisse. Quid sæpius repetit, quam liberum arbitrium esse rem de solo titulo, vel figmentum in rebus et titulum sine re? Quid sæpius monet, quam Deum præter fidem nihil a nobis exigere? Quid sæpius docet, quam libertatem Christianam omnes homines fecisse pares, omnes Sacerdotes, omnes episcopos, omnes Pontifices, etiam feminas et pueros? Quid sæpius clamat, quam Turcis resistere, esse bellum gerere cum Deo: Quid inculcat sæpius, quam Evangelium nulla præcepta ac leges humanas tolerare? Ac ne ipsum quidem Evangelium legem ullam aut præceptum continere et vehementer cavendum, ne de Christo Moysen et de Evangelio legem faciamus? Quid sæpius ridet, quam Missas, campanas, psalmodias, dies festos, excommunicationes? Quæ cum ita sint, quis erit tam cæcus, qui ex symbolo, quod nobis ipse dedit ad mendacia cognoscenda, non facile videat esse omnia figmentata et mendacia, quæ docuit.

Legimus in Apocalypsi: *Et quintus Angelus tuba cecinit, et vidi stellam de cælo ceci-*

disse in terram: et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol et aer de fumo putei. Vaticinium istud quis non videt diebus nostris in Luthero esse completum? Siquidem ante Lutheri casum erat pene universus occidens labii unius et sermonum eorundem, summa quoque lux concordiæ et unitatis erat in Ecclesia. Cecidit Lutherus de firmamento Catholicæ Ecclesiæ, ubi tamquam stella quædam lumine veræ fidei et orthodoxæ doctrinæ eruditione lucebat. Accepit clavem erroris et seductionis, aperuit puteum abyssi, et ecce tanta vis fumi erupit de puteo, et Germaniam fere totam involvit, ut non solum justitiæ Solem Christum Jesum, Deum nostrum tenebris errorum obscuratum jam non videat, sed nec amicus amicum, nec frater fratrem, nec pater filium, nec filius patrem, nec mater filiam, nec filia matrem agnoscat. Ecce vobis quam mirabile fecerit Deus inter

possessiones Israel, et possessiones Ægyptiorum, quanto miraculo separaverit Israel ab Ægypto. Ubi cumque Ægyptii sunt hoc est Hæretici, qui sedent *Super ollas carniū, et quorum Deus venter est*, ibi sunt tenebræ adeo horribiles atque palpabiles, ut se mutuo in eadem domo non agnoscant. In terra autem Jesse, ubi veri Israelitæ et Catholicæ Ecclesiæ filii sunt, ibi lux est et tanta lux, ut fratres nostros etiam apud Indos et extremum orientem positos agnoscamus. Quare conservemus, auditores, hanc lucem, enitamur bonis operibus, ita lucere *In medio nationis pravæ*, ut simus quasi lucernæ ardentes *In caliginoso loco*, et Ecclesia Catholica verum cælum et verum firmamentum, plenum multis et magnis luminibus videatur, ut postremo videntes ethnici atque Hæretici lumen fidei operumque nostrorum, tenebras suas agnoscant, et ab iis ad veram lucem aliquando Domino propitio convertantur.

CONCIO V.

DE PURITATE CATHOLICÆ DOCTRINÆ

SYNOPSIS

Ostenditur, legem Dei hoc singulare habere, quod omni errore careat, siquidem vel ipso Luthero teste, unicus error arguit legem non esse Dei. Puritas Ecclesiæ ex sacra Scriptura, Canonibus et decretis Pontificum et Conciliorum atque institutionibus SS. Patrum sufficienter patere confirmatur. Quam ridiculos se faciant hæretici pravam vitam nobis objiciendo, vel unius Lutheri inconstantia deprehenditur. Ob oculos ponitur impuritas et absurditas legum quarundam gentilium, eorundem etiam, qui apud eos sapientissimi et sanctissimi habentur; quales fuere Lycurgus, Plato et Aristoteles, Lex mahumetana, quæ tamquam farrago omnium hæresium, quanta impuritate scateat, explanatur. Ad legem Hæreticorum descendendo, præcipui quidam Lutheri et sectariorum errores enarrantur, et obiter refelluntur; quos tamen omnes superat ille, qui Deum causam et auctorem peccati faciunt. Demonstratur ex impuritate doctrinæ sequi impuritatem vitæ; et per consequens, Lutherus polluta sua doctrina malorum Iliada Europæ invexisse convincitur.

Religionem Christianam solam esse veram et a Deo institutam religionem, et in ea sola remissionem peccatorum, et spem salutis atque hæreditatis æternæ pignus reperiri ex antiquitate, amplitudine, firmitate et consonantia atque concordia admirabili Catholicæ doctrinæ, quibus ea omnibus sectis et superstitionibus antecellit, sine controversia satis, ut arbitror superioribus orationibus demonstravimus. Sequitur nunc, optimi auditores, ut ex puritate et sinceritate ejusdem doctri-

næ Domino bene juvante, rem eandem ostendamus. Id enim est quintum ex iis, quæ in nostra oratione prima explicanda proposuimus.

Est igitur legis nostræ singulare privilegium, eximia quædam puritas. Nam cum omnes sectæ et leges Philosophorum Paganorum, Hæreticorum cum aliquibus veris sententiis, aliquos simul exploratos errores et cum paucis vitæ humanæ non inutilibus institutis, multa probitati ethonestati morum adversa contineant, sola *Lex Domini* vere *immaculata*, nullum omnino errorem cum tam multis et sublimibus veris sententiis, quas prædicat, nec ullum turpe præceptum cum innumeris sanctissimis, et hominum societati utilissimis et saluberrimis institutionibus admixtum habet, quod est argumentum apertissimum et maximum, solam nostram legem veri Dei esse legem. Nec enim fieri potest, ut cum Dei perfecta sint opera, ipseque sit ipsa sapientia et bonitas, ut aliquid falsum vel turpe recipiat. Et non solum nostri, sed etiam adversarii confitentur, unum solum exploratum errorem sufficere, ut aliqua lex jure non Dei, sed hominum vel etiam dæmonum lex esse judicetur. Certe Martinus Lutherus in Emseri librum scribens, ita loquitur: « Si semel deprehenderer ita mentitus, falsus et crasse stolidus, jam mea doctrina et honor et fides et fidelitas finem penitus haberet. Unusquisque me pro nequam et infami nebulone, ut æquum est habiturus esset. » Rursus idem de cœna Christi verba faciens: « Quando Schwermeri, inquit, in uno articulo falsi manifeste deprehenderentur, per hoc essemus nos sufficienter a Deo admoniti, ne eis crederemus. » Item contra Angliæ regem Henricum: « Quis credat, inquit, eum velle in loco verum dicere, qui tam manifeste ac impuden-

ter hoc in loco mentitur? » Quæ Martini Lutheri apertissima et verissima testimonia diligenter retinenda et memoriæ commendanda sunt, erunt enim causæ nostræ paulo post non parum utilia.

Jam igitur Catholicam Ecclesiæ nostræ doctrinam, ea qua dicimus puritate et sinceritate nitere nullo negotio etiam ab hominibus mediocriter eruditis ostendi ac defendi potest. Legite Scripturas divinas, legite canones et decreta Pontificum et Conciliorum, legite sanctorum Patrum institutiones, ut Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, certe videbitis nihil turpe, nihil flagitiosum, nihil iniquum in Ecclesia Catholica doceri, et contra naturalem legem perfecte exprimi, Deum ut finem omnibus præponi, omnes homines inter se vinculo pacis et charitatis conjungi coli et laudari omnes virtutes, omnia vitia reprehendi et prohiberi. Testes sunt vita et mores sanctorum; nemo enim unquam perfecte legem Evangelicam observare conatus est, qui non homo integerrimus et sanctissimus, omnibus venerandus et admirandus evaserit. Prædicantur quidem in Ecclesia mysteria sublimia, et quæ rationem omnem et intelligentiam superant: sed et B. Thomas Aquinas, ut alii non pauci ostenderunt, nullum esse christianorum mysterium, quod cum evidenti et aperta ratione naturali pugnet. Posse etiam Deum multa facere sublimiora et abstrusiora, quam ut ea nos cognoscere possimus, stultus est, qui non intelligit, cum videamus in rebus villissimis et abjectissimis vos vehementer cæcutire. Quis enim hominum posset, vel unius formicæ aut apis aut alterius vermiculi plene et perfecte naturam explicare? Pari ratione multa præcipit vel consulit catholica doctrina, difficilia, ardua ut dilectionem inimicorum, perpetuum cœlibatum, voluntariam paupertatem, sed quid horum cum probitate et honestate pugnat? Quid non admirandum et suspiciendum potius, quam vituperandum et contemnendum est?

Huc accedit, quod nihil adhuc adversarii nostri reperire potuerunt, in quo cum leges nostras reprehenderent, non ipsi potius ridiculi omnibus apparerent. Piget profecto ac pudet eorum nugas retexere. At multa sunt flagitia et scelera papistarum, et in Ecclesiasticis præcipue regnat ambitio, dominatur avaritia, viget et floret luxuria, usura, simoniæ, concubinæ, omnem religionem obscurarunt ac fœdarunt. Negare non possumus

nec volumus, multos in Ecclesia corrupte et contaminate vivere, sed unde probabunt nobis hæretici, malos istos mores, quos in hominibus Ecclesiæ reprehendunt, ex Ecclesiæ doctrina proficisci? An non eosdem malos mores nos ipsi semper reprehendimus? An non mater Ecclesia usuras, simonias, concubinatum, et alia, quæ nobis objiciunt, semper prohibet? semper punit? semper deplorat? semper detestatur? Si ergo Lutherani mali nostri mores displicent, quare leges et præcepta Ecclesiæ, quibus prohibentur et puniuntur, non placent? Fuit illa insania et inconstantia Lutheri, cum magna contentione corruptos mores Ecclesiasticorum arguebat, et simul canones SS. Patrum, quibus mores illi prohibebantur, publice exurebat: nonne simul voces illas suas et omnem contentionem condemnabat? Numquid non illis flammis prædicare omnibus videbatur, exustis canonibus, qui legem vivendi continebant, licere jam omnibus impune, et sine legibus ac regula vivere, et nihil jam iniquum, nihil nefarium, nihil sacrilegum esse?

Conferamus modo, si placet, castitatem Ecclesiæ cum synagogarum satanæ corruptionibus, legite librum Theodreti primum ad Græcos, intelligetis ex eo, nullas unquam leges veterum ethnicorum extitisse, qui non errores aliquos, quasi maculas habuerint, et eas ipsas leges turpissimas et humano generi incommodas maxime fuisse, easque præcipue, quæ maximo erant in pretio. Persæ incestis nuptiis contra omne jus humanitatis matribus miscebantur. Ab Hyrcanis et Bactris homines senes non propter flagitia, sed ex consuetudine religionis, canibus ad hoc ipsum nutritis devorandi objiciebantur. Apud Scythas, ii qui ad animam agentibus præ cæteris amabantur, cum mortuis vivi in sepulcris confodiebantur. Apud Massagetas, ab ipsis affinibus senes publica lege, honoris gratia, mactabantur, et devorabantur, ut nimirum non mortua et inania, sed viva et animata sepulcra suis exhiberent. A Carthaginiensibus et aliis multis populis proprii filii jugulabantur.

Sed fortasse erant barbaræ istæ nationes, et idcirco barbaris et crudelibus legibus vivebant? Lycurgi tamen, Platonis atque Aristotelis leges optimæ et sanctissimæ habebantur: imo nihil inquinatius, nihil turpius, nihil inhumanius. Siquidem leges Lycurgi non solum adulteria, sed etiam nefandum illud flagitium permittebant, propter

quod Sodoma et Gomorrha igne et sulphure de cœlo emisso conflagarat. Plato vero præterquam quod uxores communes esse, et fœminas non minus, quam viros in palæstris nudas exerceri, et equestrem artem discere volebat, quæ turpissima et fœdissima sunt, illam etiam crudelissimam et plus quam barbaram legem tulit, ut viri et fœminæ, posteaquam ætatem ad gignendum idoneam excessissent, explerent quidem pro suo arbitratu libidines suas, sed conceptum fœtum vivum numquam ederent, vel si casu aliquo ederent eum fame ac frigore enecarent : quam legem etiam Aristoteli Philosophorum sapientissimo, placuisse videmus. Quid? Quod Plato non solum vitium illud horrendum, et contra naturam cum Lycurgo permisit; sed etiam, qui eo se exercerent beatos post hanc vitam futuros, et præmia magna recepturos promisit? Ecce igitur quales ejus hominis leges fuerunt, quem veteres deum Philosophorum et divinum appellandum censuerunt et tamensolum pauca de moribus attigi. Somnia et deliria Philosophorum circa Deum, de industria præterminisi, ne ego ipse delirare viderer, si in eis recensendis occuparer. Nam profecto sapientius mihi fuisse videtur aliquando vulgus Etnicorum qui Jovem adulterum, et Venerem meretricem, et Mercurium furem, et Vulcanum claudum, vel certe Solem et Lunam et stellas colebant, quam Philosophi isti, qui tanto fastu sapientiam suam jactabant. Illi enim saltem res aliquas, quæ erant vel fuerant, isti sua somnia et phantasmata pro Deo venerabantur. De quibus Apostolus ad Romanos scribens; *Evonuerunt, inquit, in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua. Tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.*

Jam vero lex Mahumeti impurissimi, quam multa habet cum apertissima ratione et morum honestate pugnantia? Nihil est aliud lex Mahumeti, ut ex libro Joannis Damasceni de centum hæresibus cognosci potest, quam monstrum quoddam horrendum, informe, ingens, ex multis hæresibus et superstitionibus conflatum. A Judæis habet horrorem carnis suillæ, multitudinem uxorum, libellum repudii, circumcisionem, creberrima baptismata. Ab hæreticis Arianis habet Verbum Dei non esse Filium, neque Patri

consubstantialem, sed creatum et servum. A Nestorianis habet Christum Dominum de virgine quidem natum, sed solum esse hominem, non etiam Deum. A Manichæis habet, Christum neque passum neque mortuum esse, et a vino perpetuo abstinendum. Ab Aristippo et Epicuro habet summam beatitudinem in hortorum amœnitate et uxorum multitudine cibo et potu aliisque corporis voluptatibus positam esse. Porro jejunium religiose colunt Mahumetani, sed ab ortu solis usque ad occasum: noctu vero quando periculum non est, ne saltem a sole videantur et apud suum Deum violati jejunii rei accusentur, liberum esse comedere et bibere usque ad satietatem. Neque jejunant quovis tempore, sed dumtaxat in diebus canicularibus contra omnem rationem et humanitatem, tunc enim jejunium corporibus humanis maxime noxium est, et ad libidines comprimendas non usque adeo necessarium. Postremo, quod maxime stultitiæ signum est, cum lege Moysis et Christi Evangelio pugnat, et tamen Christum et Moysen tamquam Prophetas veracissimos et sanctissimos veneratur. Itaque Mahumeti propositum non fuit aliud, quam omnem difficultatem profligare, quam Christiani homines in credendo et operando patiuntur. Quia difficile erat, unica uxore contentum esse et eam non posse dimittere, adhæsit Judæis. Quia difficile erat, credere unam essentiam in tribus personis subsistere, adhæsit Arianis. Quia difficile erat credere unam personam esse in duabus naturis, adhæsit Nestorianis. Quia difficile erat credere Deum Christum pati et mori voluisse, adhæsit Manichæis. Quia difficile erat, propter spiritualia et futura, quæ non videntur, contemnere corporalia et præsentia, quæ videntur, adhæsit Aristippo et Epicureis. Quia difficile erat postremo, Christum et Moysen, tam perspicue sanctos et Dei amicos non recipere et non minus difficile cum lege Moysis et Evangelio Christi suam legem conjungere, Christum et Moysen recepit, sed legem et Evangelium repudiavit.

Venio nunc ad Hæreticos. Habet quidem omnis hæresis speciem boni et veri, si non aliud, saltem veritatis et pietatis pollicitationem: alioquin sectatores non haberet. Sed hoc interest inter Ecclesiam Christi et Hæreticorum synagogam, quod Ecclesiæ doctrina nihil penitus habeat vel rectæ rationi vel bonis moribus contrarium. Hæresis vero nulla est, quæ non aliquos evidentes et manifestos

errores contineat. Sunt omnes Hæretici similes iis, qui dicuntur lunatici, qui aliquando lucida intervalla habent, et videntur sapere, modo autem delirant. Ac ut Gnosticos et Manichæos aliosque veteres, gratia brevitate, prætereamus, qui hoc ipso, quod defecerunt, satis ostendunt, se veram fidem et religionem numquam habuisse: Joannes Wicleff Patriarcha Hæreticorum nostri temporis, nonne claris et disertis verbis inter alia turpissima dogmata, quæ in Concilio Constantiensi enumerantur et reprobantur, asserebat: « Deum debere obedire Diabolo? » Quis phreneticus, quis furiosus, etiam totus Diabolo plenus, hæc diceret? Quæ dubitatio esse potest, an hoc sit verum an falsum? Joannes Hus licet nihil doceret aliud, nonne hoc ipso se impium, et Dei ac veritatis hostem probavit, quod Wicleffum pro Apostolo et Evangelista recepit? Martinus Lutherus cultor et laudator utriusque Joannis Wicleffi et Hus, nonne simul etiam illorum insanis erroribus et furoribus potius implicatur? Sed hic jam tanta et tam vasta, sed tamen confusa errorum silva et mendaciorum se offert, ut si eam ingrediari, non facile confidam, me egredi posse.

Omitto primum, quod Lutherus ita frænum libidinibus laxavit, ut liceat per ejus Evangelium mœchari et fornicari, cum Christi Evangelium etiam aspectum impudicum prohibuerit: liceat Christo fidem datam de virginitate non servare, imo non liceat servare, cum Christus ipse et Apostolus ejus tantis laudibus virginitatem extulerint et verbo et exemplo homines ad eam colendam inflammaverint: liceat postremo omnia scelera ac flagitia impune perpetrare, imo aliquid boni agere non liceat, sed peccet omnis, qui bene agere conatur, cum Evangelium totum, et omnis divina Scriptura ad vitia fugienda et virtutes consecandas, et opera bona cum recta et sana fide jungenda nos hortetur.

Omitto, quod non solum epistolam Jacobi et Judæ et alia quædam, sed etiam ipsa Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, penitus nihil facit. Nam in præfatione super novum testamentum claris verbis docet, abolendam esse communem illam opinionem, quod sunt tantum quatuor Evangelia. Unicum enim et pulchrum esse Joannis Evangelium et verum. Ex quo apte sequitur, vel nulla vel fœda esse Matthæi, Marci, Lucæ Evangelia. Neque alia de causa tam severus con-

tra Matthæum, Marcum et Lucam extitit, quam quod Evangelia ab eis conscripta, leges et præcepta vivendi continere et operum bonorum necessitatem et persuadere viderentur.

Omitto, quod Lutherus una cum Wiclepho et Calvino, aliisque sectariis pene omnibus quin etiam cum Stoicis et Manichæis affirmare non timet, nihil esse liberum vel contingens, sed fatali omnia et absoluta necessitate evenire.

Omitto quod Zwinglium Nestorianismi reprehendens, incidit ipse nescio an volens, an imprudens, in errorem multo graviolem nempe in Euthychianismum: « Negotium, inquit, alicubi fuit mihi cum Nestorianis (Zwinglianos intelligens) qui pertinacissime disputabant, quod Christi divinitas non posset pati. » Itaque existimavit Lutherus Christi divinitatem posse pati. Unde fluxit illud Andreæ Musculi præclarum dogma, divinitatem in cruce passam et mortuam. Quo furore quid, quæso, furiosius cogitare potest? Putatis intelligunt, quid sit: « Divinitas in cruce mortua est? » Nonne divinitas est æternitas? Nonne de ratione et essentia ejus est semper esse? Quomodo igitur divinitas mori potest? Potestne æternitas aliquando non esse? Quæ est hæc insania Lutheri et discipulorum ejus? qui in re tam facili tam facile hallucinantur, quid facient in rebus difficilioribus?

Omitto quod Philippus in apologia pro sua confessione Augustana, omnino contendit, ante tempora Gregorii, hoc est, ante annum sexcentimum, nullum veterum meminisse invocationis sanctorum: cum tamen nullus veterum non meminerit. Meminit B. Augustinus tractatu 84 in Joannem: meminit Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ: meminit Ambrosius in libro de viduis: meminit Maximus in oratione in Sanctam Agnetem: meminit Nazianzenus oratione in Basilium: meminit Basilius in oratione in quadraginta Martyres, breviter omnes meminerunt.

Omitto quod Calvinus in illa præclara sua institutione, numerum ordinum minorum commentum esse docet Canonistarum et Sorbonistarum, cum sigillatim omnium minorum ordinum meminerit B. Ignatius in epistola ad Antiochenos: meminerit B. Clemens secundus a Beato Petro Romanus pontifex in epistola ab Fabianum Antiochenum: meminerit quartum Concilium Cartaginiense, meminerint alii plures, qui Sorbonistas et

Canonistas multis sæculis antecesserunt. An non Eusebius Cæsariensis libro sexto Ecclesiasticarum historiarum ex epistola Cornelii refert, in unius Romanæ Ecclesiæ clero fuisse temporibus illis circa annum Domini ducentesimum quinquagesimum, presbyteros quadragenta quinque, Diaconos septem, suldiaconos septem, Acolytos quadragenta duos, exorcistas cum lectoribus et ostiariis quinquaginta duos? poteratne igitur splendidius et illustrius Calvinus in hac parte mentiri.

Ista omnia et alia infinita mendacia aperitissima, quæ defendi, et excusari nullo modo possunt, etiamsi cælum cum terra miscerent, et omnes dæmones ab inferis excitarent, quibus illi imperitos populos misere circumveniunt, facile patior sileri. Unum dumtaxat, in quo sectari pene omnes conveniunt commorabor. Nam ut ex Lutherodidicimus, cum unum exploratum errorem aliquo detegimus, satis a Deo admoniti sumus, ne ei deinceps in aliquo credamus. Lutherus igitur in libro de libero arbitrio, et Calvinus lib. primo Institutionum capite octavo et alibi frequenter, ex Wicleffo acceptum dogma mordicus defendunt. « Omnium scelerum et flagitiorum causam efficientem esse Deum, ipsum velle ipsum constituere, ut peccata fiant. » Quam sententiam Philippus Melanchthon Annotat. in epistolam ad Romanos, illustrare volens ore sacrilege affirmare non dubitavit : « Non minus proprium opus Dei Judæ proditorem, quam vocationem Pauli fuisse. » Quid vobis de istis dogmatibus videtur? Nonne invenerunt sectarii nostri temporis turpiores magistros, quod imitantur, quam Manichæos, quos semper Ecclesia Catholica tamquam omnium scelestissimos et impurissimos exhorruit? et tamen eos ipsos imitari non contenti quantum ad impietatem et blasphemiam, eos longo post se intervallo reliquerunt. Manichæi enim auctorem quidem peccatorum Deum fatebantur, sed Deum quemdam, quem ipsi fingebant natura ipsa malum, quem etiam materiam et Dæmonem vocabant. Neque tam stulti unquam fuerunt Manichæi, ut in bonum et verum Deum peccatorum causam referrent. At novi isti magistri in Israel, ipsi summo et bono et vero Deo causam peccatorum attribuunt : horret sane animus, fugit mens, hæc tam profana, tam nefanda, tam perniciose referre. An Judæi perfidi, an immanes Turcæ, barbaræque gentes de Deo non rectius sæpe philosophantur? Quis non

videt ab istis, qui omnem sapientiam sibi assumunt prima fidei elementa, vel crasse nesciri vel insane contemni vel superbe violari? Quid vero si Beatus Hilarius nunc adesset, an non in vocem illam sibi consuetam erumperet : « O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt. » Et Beatus Irenæus numquid non diceret, quod contra Florinum istam ipsam hæresim introducentem, aliquando dixit : « Hæc dogmata sanam doctrinam non habent. Hæc dogmata dissentiant ab Ecclesia : hæc dogmata in summam impietatem eos conjiciunt qui eis obtemperant. Hæc dogmata ne hæretici quidem unquam fuissent ausi pronuntiare. » Itaque non Hæretici sunt, sed plus quam Hæretici sunt, qui hæc dicunt. Quod si et Apostolicus vir Polycarpus nunc adesset, an non suas obturaret aures, ac pro consuetudine sua gemens iterum diceret : « O bone Deus, in quæ me tempora reservasti, ut hæc audirem? » Quid enim hac blasphemiam intolerabilius? Ergone Deus est auctor peccatorum? ergo ex veritate mendacium, ex ipsa bonitate flagitia, ex luce tenebræ, ex dulcedine et suavitate fel et absynthium peccatorum nascitur? Cur igitur B. Irenæus, B. Basilius et alii Patres libros inscribunt, quod Deus non sit auctor peccatorum? Cur ipsa Scriptura tam expresse ait : *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit peccandi spatium, odio est Deo impius, et impietas ejus?* Cur Apostolus clamat : *Numquid iniquitas apud Deum? Absit?* alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si Deus, inquit, est auctor peccatorum, qua fronte in judicio puniet peccatores? Si non minus est opus Dei proditio Judæ, quam conversio Pauli, qua æquitate Judam tormentis addicet, Paulo attribuet gloriam sempiternam? Quæ tyrannis immanior cogitari potest, quam ut Deus vivos et mortuos puniat peccatores, quos si sectariis credamus, peccare coegit? Certe videtis qualia sint dogmata sectariorum : et putatis credibile esse per ora tam impia et sacrilega Spiritum sanctum loqui potuisse?

Quæ cum ita sint, mirum non est, si tam profana dogmata profanos penitus et Paganos mores introduxerint. Neque id nos soli, sed ipsi etiam conqueruntur et deplorant. Ipse enim Lutherus est qui in sermone quodam de Adventu conqueritur, homines multo esse deteriores tempore sui Evangelii quam fuerint unquam in papatu. Audite vero quam

serio Paulus Huberus, qui post Lutherum et Philippum archisynagogus extitit, in præfatione super commentaria Philippi in epistolam ad Corinthios, mores suorum deplorat : « Videbis, inquit, religionis et libertatis Christianæ fœdissimum abusum, contemptum et neglectum sancti mysterii, disputationum profanitatem, direptionem bonorum ecclesiæ, ingratitude erga fideles ministros, disciplinæ laxationem, effrenem contumaciam juventutis et aliorum vitiorum segetem in dies uberrimam succrescere; quæ mala intuens non potest non vehementer animus percelli, et interdum quassari fluctibus dubitationum, ambigens an hic cœtus possit esse Ecclesia, in quo tantum sit distractionum, confusionum et enormium vitiorum. » Hæc ille.

Sed cessent istæ vanæ Lutheranorum querimonie. Quis enim et sibi et nobis pacem et serenitatem abstulit? Quis tantos motus, tantos tumultus, tantas et tam implacabiles tempestates excitavit? Quis tot latrociniorum et cædum, tot sacrilegiorum causa fuit? Quis tantum luti, et cœni fornicationum et adulteriorum fecit? Quis tantam corruptionem morum, tantumque cumulum vitiorum in Europam invexit? An non Lutherus et ejus posteritas, cum docuerunt Deum bona opera non requirere, imo etiam rejicere? Cur igitur homines bene agerent? Clamaverunt ex ipso suggestu, esse impossibilem

castitatem, et « si non vult uxor, veniat ancilla » : cur igitur miratur, si omnia implentur adulteriis? Admonuerunt auditores suos, christianam libertatem omnes homines fecisse pares, et nullum esse superiorem, nullum inferiorem; cur igitur conqueruntur, si eis populi non obediunt? Persuaserunt miseris hominibus, non esse hominem liberi arbitrii, ab ipso Deo cogi ad peccandum : cum vero facit, quod in se est, peccare mortaliter : præterea sola fide remitti peccata, nullam requiri contritionem, nullam confessionem, nullam satisfactionem, et quid, quæso, hinc sequitur; nisi quod homines sine ullo ullo metu, sine ullo pudore, sine ullo fræno, summa libertate et audacia sese in omnia vitiorum barathra præcipitent? Cur enim conetur bene agere, si nec possunt nec est necessum, et perinde est quicquid agant? Vidit hæc infelix Lutherus, et idcirco tanto labore in illa sua Saxonica visitatione conatus est postea contra suum ipsius evangelium tam multis præceptis et institutis vitiis et sceleribus occurrere. Sed frustra sunt omnia, nisi ad veram fidem et puram doctrinam castamque revertantur. Nec enim potest malum semen doctrinæ bonam segetem operum producere : neque malus corvus bonum ovum : et ut Dominus ait : *Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Hæc de puritate doctrinæ catholicæ sufficiant.

CONCIO VI.

DE GLORIA MIRACULORUM

SYNOPSIS

Ut sol et luna in cælo, oculi in corpore se habent; ita lumen miraculorum et Prophetiæ in Ecclesia Catholica se habere declaratur. Atque ut demonstraretur, gloriam miraculorum semper in Ecclesia viguisse, sedecim a Christi adventu seriatim recensentur sæcula, in quibus singulis homines sanctitate claros et miraculis illustres extitisse ostenditur: Maxime vero præter alios plurimos celebrantur passim Blandina femina Martyr, milites in Marci Aurelii imperatoris exercitu Christiani, Gregorius Neocæsariensis Episcopus, B. Eugenius, S. Joannes papa, Marcus Monachus, S. Maurus et B. Pater Benedictus, Episcopi quidam ab Arianis linguis præcisis loquentes, B. Malachias, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Catharina Senensis, S. Franciscus de Paula: qui postremus per accuratam comparisonem Luthero, utpote suo coætaneo, opponitur. Tandem miracula quæ nostro hoc sæculo in Indiis a B. Francisco Xaverio societatis Jesu edita sunt, narrantur, et ad fidem tot miraculis stabilitam conservandam serio admonemur.

Quemadmodum optimus ille et sapientissimus artifex Deus magnum hunc globum, quem cernimus et in quo habitamus, duobus clarissimis luminibus sole et luna, quasi duobus oculis, tum ad speciem et decorem universi, tum ad utilitatem et commodum rerum viventium exornavit; et in corpore humano quod tamquam parvus mundus quidam est, et cum ipso magno mundo partium multitudine et varietate contendit, duos oculos,

quasi solem et lunam, in summo vertice posuit. Ita quoque, optimi auditores, Ecclesiam suam Christus quam instar corporis cujusdam optime constituti, et tamquam cælum quoddam et firmamentum, esse voluit, duobus maximis luminibus, splendore miraculorum et luce prophetica, ita illustravit, et ab omnibus Satanæ synagogis separavit, ut vere sint cæci, qui eam non vident. *Surge illuminare Hierusalem, quia ecce tenebræ operient terram et caligo populos: super te autem orietur Dominus et gloria ejus in te videbitur.* Hoc est discrimen inter Hierusalem, quæ est Christi Ecclesia, civitas Domini, civitas sancta, civitas regis magni, civitas super montem posita et terras ac populos Ethnicorum et Hæreticorum, quod, cum terras et populos eorum tenebræ operuerint et caligo involverit, sola Hierusalem cælesti luce micat, sola claret miraculis, sola fulget prophetico lumine, sola radios suos in omnem partem orbis terræ diffundit, et oculos sanos Catholicorum illustrat, ægros Hæreticorum excæcat.

Atque hæc sunt argumenta duo, de numero illorum duodecim, quæque initio Adventus proposuimus, quæ hodierna et duabus sequentibus orationibus ad fidei et religionis nostræ confirmationem explicanda sunt. Ac de miraculis quidem primo loco dicturi, ostendimus primum ab apostolicis temporibus nullis, unquam sæculis Catholicæ Ecclesiæ multa et præclara miracula defuisse. Deinde videbimus, quid ad ea miracula Hæretici respondere soleant. Postremo, ut etiam Hæreticos sua laude non fraudemus, eorum miracula breviter commemorabimus.

Percurramus igitur, si placet, sedecim sæcula, quorum ab adventu Servatoris quindecim jam effluxerunt, sextum decimum nunc agitur. De primo sæculo nihil est quod

dicamus. Exstant enim in manibus omnium et toto orbe leguntur volumina Evangeliorum, Liber Actuum Apostolorum, Hegesippi, Eusebii et aliorum veterum historiæ, quibus vel Christi vel Apostolorum ejus miracula continentur.

Alterum sæculum, quod ab anno Domini centesimo usque ad ducentesimum duravit, sanguine et prodigiis sanctorum Martyrum et virorum apostolicorum illustrissimum fuit. Tunc enim sanctis Martyribus fere omnibus commune erat, ut eos ignis et leones aliæque feroces belluæ attingere non auderent cujus miraculi, ut communis, ac pene vulgaris meminuit etiam S. Martyr Igratius in epistola ad Romanos. Unum dumtaxat miraculum ejus sæculi recensebo. Floruit ea tempestate in Galliis inter alios celeberrimos Martyres Lugdunenses (ut Eusebius initio libri iv. Historiarum Ecclesiasticarum scriptum reliquit), femina quædam nomine Blandina, quæ cum periret ab omnibus ob nimiam corporis teneritudinem statim in primis suppliciis defectura, tamen Dei virtute confirmata, inaudita, atque exquisitissima tormenta a mane usque ad vesperam per multos dies cum admiratione omnium superavit. Porro interrogata, unde tantas vires haberet ad patiendum, respondebat, se quoties vocem illam bonæ confessionis emisit : « Christiana sum », toties sibi vires in integrum restauratas fuisse. Quod miraculum alio illustriori miraculo cumulavit : sæpius enim ferocissimis feris objecta, nihil unquam ab eis læsionis aut molestiæ pati potuit. Atque hæc duo genera miraculorum majori parti sanctorum Martyrum, illis temporibus communissima fuerunt. Eodem tempore cum imperator Marcus Aurelius in Germania bellum gereret, et undique montibus conclusus ipse cum eximio exercitu maxima fame et siti laboraret, et ab innumerabili Marcomanorum, Quadorum, Wandlorum, Sarmatarum, et Suevorum multitudine premi atque obrui se videret, vota diis patriis de more Paganorum nunciabat; sed cum diu orati atque obsecrati dii nullam opem tantis malis afferrent, Christianos rogavit, quorum aliquos in exercitu esse didicerat, ut ipsi pro sua et cuncti exercitus salute Christo supplicarent. Et ecce statim atque christiani illi milites in genua procubuissent ac Deo preces efferre cœperunt magna vis diversi generis pluviae effusa est, quæ Romanos quidem largissime et sine injuria reficiebat; barbaros autem igne

et grandine, crebrisque fulminum ictibus perterritos, præsertim cum plurimi occiderentur, in fugam convertebat, quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam, et omnibus antiquorum tabulis præferendam, rudi parvoque militum numero, potentissimo Christi auxilio reportarunt. Hæc vero ita se habere testatur Tertullianus ad Scapulam et in Apologetico : testatur Eusebius in quinto Historiæ Eccles. libro capite 5; testatur Paulus Orosius libro septimo suæ Historiæ : testatur ipse Marcus imperator in litteris ad Senatum datis, quæ nuper ex Vaticana Bibliotheca in lucem prodierunt. Denique testatur nomen novum ejus legionis, ex tunc enim legio illa christianorum, legio fulminea vel fulminatrix appellata est.

Jam vero tertium sæculum multos peperit viros illustres ex sanctitate ac miraculis claros. Sed omnium illustrissimus et clarissimus fuit magnus ille Gregorius Neocæsariensis Episcopus, qui ob operum admirabilium perpetrationem magnus et mirificus a Græcis dictus est. Nam et montes transtulit, lacus exsiccavit et baculo suo in terram defixo, qui postea in arborem excrevit, fluminis impetum exercuit et feminam quamdam a morte ad vitam revocavit, ac oraculo Apollinis respondendi facultatem quando placuit, ademit, et quando placuit, restituit. Hæc vero non Ruffini commenda sunt, ut Magdeburgenses historiæ somniant : nam et Basilii Magni in libro de Spiritu sancto, et Nysseni in historia, quam de vita et gestis ejus, de quo loquimur Magni Gregorii accurate conscripsit, et B. Hieronymi lib. de viris illustribus aliorumque veterum et sanctorum Patrum testimonio comprobantur.

Porro quartum sæculum, si quod aliud, virorum sanctissimorum signis ac prodigiis clarissimorum feracissimum fuit. Tunc in Orientem claruerunt S. Antonius, Hilarion, Nicolaus Mirensis, B. Martinus Turonensis, B. Ambrosius Mediolanensis, alique plures, quorum innumera et maxima miracula magnus Athanasius, B. Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Sulpitius, Palladius, Zozomenus. Socrates, Theodoretus, divusque Paulinus memoriæ prodiderunt.

Quinto sæculo cum in aliis locis, tum potissimum in Africa tempore Wandalicæ persecutionis, multi sancti homines signis et prodigiis enituerunt. In eo fuit. B. Eugenius, quem Victor Uticensis libro altero Wandalicæ

persecutionis scribit cæco quidam in tota civitate notissimo ad invocationem augustissimæ Trinitatis, quam Ariani tunc oppugnabant edito signo crucis lumen restituisse, Sed illustrissima sunt ea viginti duo miracula, quæ B. Augustinus libro vigesimo secundo de Civit. suis temporibus hoc ipso quinto sæculo edita fuisse commemorat, qui etiam addit, vix minimam partem miraculorum se attigisse, atque affirmat multos libros scribendos fuisse, si vel sola miracula, quæ ad solas reliquias Protomartyris Stephani in sola Africa sola biennio edita fuerant, recenseri debuissent.

Sæculum sextum quanto numero maximorum prodigiorum illustre fuerit, ex libris IV dialogorum B. Gregorii Romani et ex historia Gregorii Turonensis facile cognosci potest. Scio rideri hos libros ab hæreticis; sed ipsi potius ridendi ac simul deplorandi sunt. Magnus enim Gregorius non ea scribit, quæ ante duo vel tria annorum milia facta fuerant, sed gesta et miracula sanctorum sui sæculi, et præsertim Italicorum, quæ ipse omnium optime noverat, et quæ facillime ob recentem memoriam a multis reprehendi potuissent, si falsa fuissent. Itaque velint nolint Hæretici, eo sæculo omnia apostolica signa revocata sunt. Tunc S. Joannes Pontifex Romanus Constantinopoli omni populo inspectante cæco lumen restituit: tunc S. Agapitus, et ipse Romanus Pontifex in eodem inspectante populo post sacrorum solemniam claudum simul et mutum curavit: tunc Marcus Monachus magnam rupem orando loco movit: tunc S. Maurus B. Benedicti discipulus super aquas siccis pedibus ambulavit: tunc beatissimorum et innumerabilium sanctorum parens Benedictus, inter alia miracula quibus quotidie coruscabat, puerum quemdam casu ruentis parietis oppressum, et non solum extinctum, sed etiam confractum et contritum, ut non nisi in sacco portari potuerit, orando ad vitam et sanitatem subito revocavit: tunc in Africa catholici quidam episcopi ab Arianis radicibus præcisus linguis rectissime et plenissime loquebantur. Et B. Gregorius lib. III. Dial. c. 32. se episcopum quemdam senem vidisse affirmat, qui eos sanctos Episcopos sine linguis loquentes audivit. Asserit quoque unum eorum, cum in peccatum quoddam luxuriæ incidisset, statim donum loquendi sive linguam amisisse, ut intelligant fornicarii et impudici homines, quantum Deo nostro flagitiosa et impudica

vita displiceat, qui donum, quod propter bonam confessionem contulerat, propter fornicationem abstulerat.

Jam septimo sæculo Christi Ecclesiam non periisse, ut multi hæreticorum mentiuntur; sed magnum incrementum suscepisse, testis est insula Britannia, quæ illo sæculo ad prædicationem, et signa et prodigia B. Augustini et sociorum ejus fidem Christi recepit? testis venerabilis Beda, qui in historia gentis suæ miracula ejusdem B. Augustini, necnon B. Melliti et sanctissimi regis Oswaldi et aliorum commemorat.

Porro sæculum octavum in eadem insula Britannia tunc recens ad fidem conversa, ut alias interim Ecclesiæ Catholicæ partes omittamus, multos edidit viros clarissimos, ac in primis sanctum Cuthbertum et sanctum Joannem, quorum virtutes et miracula, in quibus etiam et mortuorum excitaciones continentur, venerabilis ille Beda in eadem historia memoriæ tradidit.

Tria sequentia non tam viris sanctis et prodigiorum effectoribus, quam bonis et diligentibus scriptoribus claruerunt. Habet tamen sæculum nonum, licet sterile admodum fuisse videatur, cum aliis nonnullis agnum illum Tharasium Constantinopolitanum Patriarcham, qui in septima Synodo contra Iconomachos pro vera fide acerrime pugnavit, quam hoc tempore Calvinii sectatores acerrime impugnant, qui miraculis non exiguis claruit, ut ex Ignatio Nicæno, qui vitam ejus litteris mandavit, intelligi potest. Vidit et idem sæculum nonum, in posteriore translatione corporis sancti Remigii Rhemorum archiepiscopi, omnia pene morborum genera divinitus curari.

Decimum sæculum tametsi scriptorum penuria maxime laboret, habet tamen nihilominus, præter alios quosdam illustrissimum regem Bohemorum Wenceslaum: habet S. Conradum, habet S. Udalricum. Postremo, ut cæteros omittam, celeberrimum illum Romualdum Ravennatem, cujus vitam et miracula Petrus Damianus conscripsit.

Undecimum sæculum in Anglia felicissimum regem et virginem Edwardum; nec non sanctissimum et erudissimum episcopum Anselmum; in Italia vero B. Petrum Damianum, et B. Joannem Gualbertum, quorum habemus miracula multa et magna a fide dignis et probatis auctoribus, tametsi minus eloquentibus, conscripta.

Jam quinque ultima sæcula ab hæreticis nostri temporis maxime contemnuntur : sed mihi, quantum attinet ad miracula, florentissima et felicissima esse videntur. Habuit enim Romana Ecclesia sæculo duodecimo, ut alios omittam pene infinitos, duo illa clarissima lumina, B. Bernardum et B. Malachiam, quorum uterque Romanæ sedi addictissimus fuit, quod nec hæretici negant, uterque signis innumerabilibus claruit, quod negare, etiamsi velint, non possunt. De B. Malachia ita loquitur B. Bernardus, postquam non nulla ejus miracula enumeravit : «Hæc, inquit, dicta sunt pauca quidem de pluribus, sed multa pro tempore : unde satis apparet, Malachias meus quantus in meritis fuit, qui multus in signis exilit. Quo enim antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si bene advertimus, pauca ipsa, quæ dicta sunt, id clare docent, non prophetia defuit illi, non revelatio, non ultio impiorum, non gratia sanitarum, non mutatio mentium, non denique mortuorum suscitatio.» Beati vero Bernardi (in quo ita summa Religio et pietas cum summa eruditione et eloquentia conjuncta fuit, ut merito a nonnullis Apostolus XIII nominetur) signa et prodigia tam multa, tam varia, tum admirabilia fuerunt, ut si pro dignitate referantur, multos libros occupare possint : ego sane istis diebus conatus sum ea miracula enumerare, quæ in quinque libris de vita ejus conscriptis, ab ipso edita referuntur : sed fateor, multitudine victus destiti. Quid enim enumerarem, cum uno solum die et uno in loco circa pagum quemdam Constantiensis diocesis cæcos undecim, mancos decem, claudos decem et octo, sola manuum impositione curasse, ii qui viderant, attestentur?

Jam sæculo tertio decimo excitavit Deus in Ecclesia sua duo alia lumina clarissima B. Dominicum et B. Franciscum, qui tum per se, tum per alios suæ familiæ sanctissimos viros mundum totum innumerabilibus, et maximis signis et prodigiis illustrarunt. Ac B. Dominicus quidem, præter alia minora, tres mortuos homines, dum in terris viveret, ad vitam revocavit : post obitum vero adhuc plures sua apud Deum intercessione revocasse fertur. Beatus vero Franciscus nullum fere diem sine multis et magnis miraculis transigebat ; nec solum dum viveret inter homines, sed etiam dum ad cœleste domicilium commigrasset, signorum gloria in hominum utilitatem coruscabat : ex quibus

beatus Bonaventura, qui vitam ejus diligenter scripsit, supra nonaginta commemorat, atque in iis octo mortuos excitatos et septem cæcos curatos refert. Sed signum maximum et singulare, ac quasi prodigium prodigiorum sacra illa stigmata fuerunt. Quid enim, quæso, erat, videre hominem, Christum ipsum et hunc crucifixum, in suo corpore ad vivum referentem? manus et pedes (ut verbis utar D. Bonaventuræ) clavis divinitus transfixæ videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori parte pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso, erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra : ipsa vero acumina oblonga, retorta et quasi repercussa, et de ipsa carne surgentia et carnem reliquam excedentia. Dextrum quoque latus quasi lancea percussum, rubra cicatrice obductum et sæpe sanguinem sacrum ostendebat. Sane qui virum istum tam humilem, tam sanctum, tam sapientem, tanta gloria signorum coruscantem, ab ipsis Domini crucifixi sacris stigmatibus in testimonium ardentissime charitatis consignatum Dei amicum et singularem amicum fuisse, et veram fidem coluisse et docuisse non credit, cum obstinatis Dæmonibus optimo jure numerari potest. Fidem vero ejus nostram fidem esse, Hæretici non negant, et quando etiam negarent, testamentum ejus clamat, in quo nihil magis fratribus suis et nobis omnibus, quam fidem Romanæ Ecclesiæ commendavit. De Sacramento Dominici corporis ita sentiebat, ut diceret, eos, qui viderent speciem illam panis oculis externis, et oculo interno verum Christi corpus sub ea specie existere non credunt, non minus ad gehennam condemnari quam Scribas et Pharisæos, qui Christi humanam naturam videbant, et in ea divinam delitescere, credere non volebant.

Sæculo quarto decimo præter alios obscuriores sanctos duæ admirabiles feminae claruerunt, Brigitta Sveca et Catharina Senencis ; ac ut de posteriori, quæ mihi notior est, aliquid dicam, ea non solum ab infantia sua sponsum animæ suæ Christum incredibili fervore dilexit, et multis et magnis miraculis claruit ; sed etiam, quod magis admirandum est, tanta sapientia divinitus infusa, tantaque efficacia dicendi prædita fuit ; ut plures ipsa homines peccatores privatis colloquiis ad Deum converteret, quam multi simul concionatores convertere potuis-

sent. Unum ejus factum breviter commemorabo. Erat quidam eo tempore celeberrimus peccator, cujus conversionem pene omnes desperaverant: istum igitur B. Catharina cum aliquando convenire cœpisset, multa de salute animæ ipsius loqui cœpit, sed cum ille verbis sanctæ virginis quasi lapis non flecteretur, illa paululum collecto spiritu intrase breviter oravit, et statim percussit Dominus petram et fluxerunt aquæ. Ille siquidem totus perfusus lacrymis, corde lapideo in cor carneum repentina mutatione converso, pœnitentiam promisit et inchoavit. Tum beata illa quasi subridens: Disce, inquit, quid intersit inter dulcedinem Patris nostri Dei et hominum duritiam: tam longa oratione tecum egi, et numquam me audire voluisti; oravi Deum oratione brevissima, et statim audivit.

Sæculo quinto decimo multa lumina in Ecclesia sua Deus accendit, ex quibus duo mihi occurrunt impræsentiarum: B. Vincentius Ordinis Prædicatorum et B. Bernardus ordinis Minorum; utriusque vitam miraculis illustrem scribit Archiepiscopus Antoninus, qui eodem sæculo sanctitate, eruditione et miraculis claruit. Ista Hæretici non solum non credunt, sed nec scire quidem dignantur, quod auctorem recentiore habeant, et testimoniis veterum destituantur: quasi vere potuerunt veteres de rebus novis scribere. Sed cur, quæso, B. Antonio de miraculis eorum sanctorum non credam, qui ejus ætate floruerunt, et credam istis insanis hominibus, qui heri aut nudiustertius nati sunt?

Postremo hoc nostro sæculo illo fere tempore, quo Martinus Lutherus sua zizania seminare cœpit, floruit in Italia alius quidam Franciscus, auctor et parens hominum illorum religiosorum, qui in Gallia Boni homines, in Italia Minimi dicuntur, qui tam multis et eximiis signis enituit, ut nullus sit ex veteribus, cum quo merito comparari possit, et nonnullos adhuc hodie superesse credibile est, qui ea signa ut ipsi viderunt, vel ab ipsis audierunt, qui viderunt. Itaque eodem fere tempore (perpendite quæso rem istam) homines duo contrarii inter se extiterunt, Lutherus in germania, Franciscus in Italia. Lutherus cucullam, quam habebat abjecit; Franciscus induit quam non habebat. Lutherus docuit nihil valere jejunium et ciborum delectum esse superstitiosum; Franciscus ordinem instituit, in quo qui vivere volunt, frequenter jejunare

et perpetuo a carnibus et lacticiniis se abstinere debent. Lutherus cœlibatum, obedientiam et voluntariam paupertatem tamquam res inanes et hominum commenta detestatus est; Franciscus res easdem tamquam utilissima Christi consilia incredibili devotione complexus est. Lutherus quotquot potuit ex monasteriis ad sæculum vocavit; Franciscus quotquot potuit a sæculo pertraxit ad monasteria. Lutherus Leonem decimum Antichristum videri et haberi voluit, Franciscus eidem Leoni, cum nondum esset Pontifex, pontificatum prædixit, eique ut vero Christi Vicario Ordinem suum debita humilitate ac devotione subjecit. Uter istorum a recto tramite deflexit? Franciscus an Lutherus? Nam uterque recta via procul dubio non incedebant, cum eorum vita et mores et studia essent contraria omnino. Sed quod hæremus in plano? Quid caligamus in sole? An non Deus ipse quæstionem istam dissolvit, cum unum miraculis maximis ornaverit; alterum vitiis et sceleribus cooperiri permiserit? Quid? Prædicat B. ille Franciscus adhærendum apostolicæ Sedi, frequentanda jejunia, colendum cœlibatum, sanctos invocandos, eorum reliquias et imagines honorandas, et miraculis coruscat; prædicat Lutherus omnino contrarium, et ne pulicem quidem unum unquam excitare potuit, et nos dubitavimus a qua parte stet veritas? An non Deus cum B. Francisco doctrinam et mores miraculis cœlitus confirmat, simul Lutheri doctrinam et mores illis omnino contrarius contemnebat?

Quid? Quod etiam nostra memoria in extremo Oriente et Septentrione, in Indiis et insula Japonia, a Catholicis prædicatoribus in ejus fidei confirmationem, quam Lutherus et Calvinus impugnant, omnia genera miraculorum esse patrata constat? Unum solum exemplum si recitavero finem faciam. Scribit B. Franciscus Xaverius, homo nostri ordinis, qui ab India usque ad Japonam per immensum spatium maris, et terrarum Christi Evangelium seminavit, et multa hominum millia a tenebris errorum ad lucem veritatis adduxit; scribit, inquam, ad ipsum generalem præpositum nostræ Societatis cui (certe mentiri nunquam auderet) se cum esset pene solus, et per se omnibus, qui curationem corporis, aut animi postulabant, satisfacere non posset, mississe pueros recens baptizatos, qui symbolum Apostolicum et Christianas preces super ægros recitarent,

et multos eo modo non solum torpore sanatos, sed etiam beneficio commotos ad fidem et baptismum accessisse. De ipso vero Francisco viro sancto, scribunt ii, qui cum eo versati sunt, quique eum sæpe viderunt et audierunt, eum raro admodum orationem Dominicam super ægrotos recitasse, quin statim curarentur : nec solum ægros quoscumque, sed etiam mutos, surdos, cæcos, paralyticos, oratione et manuum impositione curasse, dæmones ejecisse, mortuos excitasse, et quod majus est, corpus ejus virgineum (nam virgo erat) adhuc integrum, incorruptum, vividum et suavem odorem spirans perdurare, cum tamen initio totos quindecim menses in calce defossum jacuerit. Quid unquam tale Hæretici fecerunt ? Proferant ipsi sua miracula. Ista faciunt ii, quos non Lutherus, non Calvinus, sed Romanus Pontifex ad prædicandum mittit, quique novum or-

bem a cultu idolorum, non ad Lutheranismum, vel Calvinismum sed ad obedientiam Romanæ sedis adducunt.

Quare nos, auditores optimi, habentes fidem tot miraculis confirmatam, ut vere cum Richardo et S. Victore dicere possimus, si error est quem tenemus, tu, Domine, nos decepisti, habente litteras Deo sigillo magni regis divinitus consignatas, atque unitas, eas, quæso, omni diligentia conseruemus : neque committamus, ut litteris Dei quibus solis hæredes regni cœlestis instituti sumus, dolo Hæreticorum, nobis ereptis, ipsi suas tabulas nullo sigillo communitas obtrudant. Tabulæ enim Hæreticorum tabulæ mortis sunt, et testimonium infernorum, iisque litteris persimiles, quas Urias Hethæus ferebat, quæ nihil aliud, quam ejus damnationem et necem continebant.

CONCIO VII.

DE MIRACULIS HÆRETICORUM

SYNOPSIS

Objectiones Hæreticorum contra gloriam miraculorum diluuntur; qui in primis illa simpliciter negant, quod absurdissimum esse confirmatur. Deinde, ea fieri dæmonum præstigiis impudenter blaterant, qua objectione se Pharisæis, et Hæreticis priscis conformant, ubi dæmonem non posse vera miracula facere convincitur, et Calvinii mendacium diluitur. Præterea objiciunt, illa non esse necessaria nec firma: quod tamen falsum esse multis sacræ Scripturæ testimoniis probatur, et qua de causa Joannes Baptista nullum ediderit miraculum disseritur. Cur etiam mali aliquando faciant miracula, exponitur. Modus effugiendi optimus Hæreticis suggeritur, ut nimirum vicissim miracula fingant. Enumerantur deinde Hæreticorum miracula, ut sunt Simonis magi, Manichæi, Donatistarum, Arii, Cyrolæ Episcopi ariani, Eunomiani, Polychronii veterum; nostri vero temporis. Tandem quid impudens Lutherus pro miraculo habeat, cum detestatione miraculorum Hæreticorum, ostenditur.

Apostolicam fidem, auditores optimi, quam semper docuit atque docet Apostolica et Catholica Christi Ecclesia, ingenti gloria miraculorum singulis ætatibus cernere oratione superiori, quod meminisse vos puto, ex hoc loco docuimus. Nunc nebulae quaedam, eaque pertenues, quibus Hæretici fulgorem prodigiorum nostrorum obscurare conantur, luce veritatis dissipatae sunt.

Quid igitur afferunt primo loco? Negant ea miracula a nostris edita, quae recensuimus. Asserunt, multa de Antonio et Hilario-

ne ab Athanasio et Hieronymo fabulosa narrari; D. Hieronymum in Paulo et Malcho, ut bonum rhetorem lusisse, non historiam serio scripsisse; Gregorium in Dialogis multa mentitum; Palladium multorum vitam edidisse, qui numquam vixerunt: et simili ratione ab aliis se parvo negotio expediunt. Quid istis hominibus faciemus? Quod argumentum ista responsione non solvent. Proponimus vitam sancti Pauli, et miraculum duorum leonum, qui coram B. Antonio sepulcrum B. Pauli unguibus effoderunt. Respondent, fabulam esse duorum leonum, et Paulum ipsum numquam extitisse. At scripsit Hieronymus. Hieronymus, inquit, non scripsit serio; sed lusit, ut rhetor. At S. Hieronymus in extrema narratione optat sibi tunicam B. Pauli cum meritis ejus. Respondent, est color Rhetoricus. At Hieronymus in præfatione vitæ B. Hilarionis conqueritur de iis, qui docent Paulum nunquam extitisse: et in libro de viris illustribus in Antonio affirmat B. Antonium ea narrasse de Paulo quæ ipse litteris commendavit. Iste ipse, inquit, est alius color.

Sed si ita disputandum est, quid prohibet, quin et nos dicamus, historiam Magdeburgensium. Unde didicimus istos novos colores rhetoricos fabulam esse? historiam Illyricum cum sociis non serio scripsisse, sed loco? Itaque insania est nimis aperta, ea velle negare facta, quæ illustrissimi et fide dignissimi scriptores facta esse tradunt. Quid? Non credemus Athanasio? Non credemus Basilio? Non Hieronymo? Non Augustino? Non utriusque Gregorio? Non Bedæ? Non Bernardo? Non Bonaventuræ? Non cæteris viris sanctissimis et doctissimis, et qui suo tempore miracula scripserunt? Credemus vero Magdeburgensibus, quorum quotidie crassissimi

errores et apertissima mendacia deteguntur? et credemus de iis rebus, quæ ante mille annos contigerunt? Quæ major stultitia cogitari potest, quam non credere Athanasio de Antonio, et Hieronymo de Hilarione, Bernardo de Malachia, qui eorum temporibus vixerunt; et credere hominibus de iisdem, qui eos nunquam, neque per somnium viderunt? Huc accedit, quod multa eorum miraculorum, quæ concione superiore circa finem commemoravimus, adhuc viventes et oculatos habere testes credibile est.

Altera Hæreticorum responsio est, nonnulla a nostris prodigia facta esse quidem, sed præstigiis Dæmonum, non virtute divina, sicut etiam Antichristus miracula faciet, si Apostolo credimus. Nam et Magdeburgenses Beatissimum Martinum necromanticum, et B. Brigittam magam fuisse volunt. Imo Martinus Lutherus et Calvinus passim sanctorum miracula præstigiis attribuunt. Et Calvinus quidem præfatione in suas institutiones invictissimo argumento sibi visus est demonstrasse, vera miracula aliquando Dæmonum arte fieri. Docet enim, olim Ægyptios sepultum apud se Jeremiam Prophetam, sacrificiis aliisque honoribus prosecutos, atque adeo sancto Propheta ad idololatriam abusos et tamen ea sepulcri veneratione, quæ apertissima erat idolatria, multa beneficia, quasi divino miraculo esse consecutos.

Sed vultis dicam, quid hac tam acuta responsione nobilia ista ingenia assequantur? Illud assequantur, ut se veros nepotes atque hæredes Judæorum, Ethnicorum et veterum hæreticorum esse prodant. An non et Pharisæi de Christo dicebant: *In Beelzebud principe dæmoniorum eicit dæmonia*? An non sanctos Martyres propter admirabilia signa et prodigia, quæ faciebant: cum eos famelici leones attingere non auderent, et ignis, quo nihil est voracius, eis appropinquare quodammodo formidaret, passim Ethnici magos, necromanticos appellabant? An non Beatus Hieronymus in lib. contra Vigilantium, Eunomio et Vigilantio impurissimis Hæreticis, hæresim istam placuisse docet, qui miracula sanctorum dæmonum præstigiis adscribunt? An non S. Ambrosius sermone 56 de Gervasio et Prothasio, in Arianos sui temporis invehitur, quod miracula, quæ toto inspectante populo ad sanctorum reliquias publice fiebant, soli ipsi calumniarentur, et vera miracula esse negarent? An

non sanctus Victor Uticensis libro altero de persecutione Vandalica testis est fide dignissimus, cum in Africa S. Eugenius in fide Trinitatis notissimo quidam cæco lumen restituisset, statim Arianos clamasse, id Eugenii maleficiis procuratum, et magis cæcum illum interrogationibus variis Arianos vexasse, quam olim Pharisæi cæcum a Domino curatum vexarunt? Multa talia exempla afferri possent, ex quibus facile discimus, Hæreticos nostri temporis nihil penitus a maioribus suis degenerare.

Sed quando nihil istorum esset, quis unquam audivit, Dæmonum præstigiis cæcos, aut surdos curari vel mortuos ad vitam revocari? Alia sunt, quæ Dæmonum præstigiis fieri solent, ea videlicet, quæ neque rei creatæ potentiam superant, neque in hominum commodum et utilitatem sed in ruinam et detrimentum cedunt. Poterit magus Dæmonum præstigiis stannum pro argento, et cuprum vel etiam carbones pro auro tibi dare, poterit homines et jumenta, Deo permittente, vexare, debilitare, sensuum functionibus privare, sauciare etiam et interficere, poterit segetes comburere, domos evertere, arbores radicare, ignem aliunde allatum quasi de cælo demittere: ista et similia facere possunt et faciunt aliquando Dæmones et magi Dæmonum cultores. Nam et in historia S. Job talia facta fuisse legimus: et etiam talia futura Antichristi miracula, satis aperte D. Paulus docet, cum ea miracula appellat mendacia. Sic enim loquitur in epistola posteriori ad Thessalonicenses: *Cujus, inquit, est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*. At vera miracula, quæ omnem potentiam creatam hominum, Dæmonum, Angelorum et universæ creaturæ vincunt, et in hominum commodum et utilitatem fiunt, ut excitatio mortuorum, cæcorum, et surdorum liberatio, mentium penetratio et conversio, qualia a sanctis hominibus facta fuisse docuimus, Dæmonum præstigiis adscribi non possunt.

Quod vero Calvinus adducit de miraculis Jeremiæ, quæ hominibus illis quasi divinitus præstabantur, qui sanctum Prophetam tamquam aliquem deum sacrificiis aliisque divinis honoribus colebant, non est argumentum, sed mendacium apertum, qualibus plena sunt scripta sectariorum. Epiphanius enim et Isidorus in vita Jeremiæ tradunt quidem, quod in pretio et veneratione apud

Ægyptios erat, ideoque non immerito miracula fieri, non solum Christianis, sed etiam Ethnicis beneficia multa præstari, quod causam nostram vehementer juvat: sed vel Ægyptios vel alios quoscumque sacrificiis divinisque honoribus Jeremiam aut sepulcrum prosecutos, nusquam legitur, nisi apud Calvinum. Itaque hoc ipsum argumentum eis maxime nocet. Si enim Deus propter S. Prophetæ merita, etiam Ethnicis beneficia præstabat; quomodo non credibile est (quod tamen Hæretici non credunt) propter intercessionem et merita sanctorum Martyrum ipsis Christianis et fidelibus eadem beneficia posse præstari?

Dicent, non magnificienda esse miracula, etiam vera, quod illa quidem aliquando sint divina testimonia, sed neque necessaria, neque firma. Nam quod necessaria non sint, unus Joannes Baptista docet, qui *Signum quidem fecit nullum*, ut Evangelium loquitur: et tamen *Fuit homo missus a Deo, ut testimonium perhiberet veritati*. Quod vero infirma ac debilia, vel ex eo cognosci potest, quod etiam per improbos et sceleratos homines aliquando Deus miracula operetur: *Multi dicent mihi*, ait Dominus, *in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo dæmonia ejecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et nunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.*

Sed facilis est et aperta responsio: Scripturæ siquidem illustriores sunt quam ut illorum tenebris obscurari possint. Nam si non sint miracula ad fidem persuadendum necessaria, cur Dominus ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent?* Cur idem Dominus, cum Apostolos ad prædicandum misit, simul signorum faciendorum potestatem attribuit? *Euntes*, inquit, *prædicate dicentes: Appropinquavit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, Dæmones ejicite*. Si vero infirma ac debilia testimonia sunt, cur Dominus per Isaiam verum Christum a pseudopropheta internosci volens, tamquam signum certissimum dedit, patrationem miraculorum? *Deus ipse*, inquit, *veniet et salvabit nos?* et tamquam aliquis quæsisset, quod signum das nobis adventus ejus? *Tunc*, inquit, *aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus et soluta erit lingua mutorum*. Si non sint miracula firma testimonia, cur Dominus discipulis Joannis quærentibus, an ipse esset

verus Messias, coram eis, ut Lucas ait, *In ipsa hora curavit multos a languoribus et plagis et spiritibus malis, et cæcis multis visum donavit*, et tunc respondit: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur?* Si non sint miracula firma testimonia, cur Deus Judæorum incredulitatem illis verbis castigavit: *Si mihi non creditis, operibus credite?* Et: *Ego testimonium habeo majus Joanne: Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, illa sunt, quæ testimonium perhibent de me?* Si non sint miracula firma testimonia, cur nos Apostolus exterret illis terribilibus verbis: *Quomodo*, inquit, *nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est: contestante Deo signis ac portentis ac variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus?* Et in lege veteri cur Dominus tam frequenter, ut Judæos in fide et religione contineat, ad memoriam revocat illa ostenta et prodigia, quæ fecit in Ægypto? Non igitur supervacanea et infirma, sed necessaria et firmissima sunt vera miracula ad fidem et religionem confirmandam. Non vero inficior, auditores, tantam fidem Lutheranis esse, ut vere nullis miraculis indigeant. Quis enim neget eos magnam fidem habere, qui credunt se etiamsi inquinatissime vivant, tamen amicos Dei esse et optimum locum in regno cælorum habituros? Stulti sumus, si Lutheranos insigniter credulos non arbitramur, qui apostatæ Luthero prædicanti malum esse bonum et bonum malum, album nigrum, et nigrum album, et omnia dogmata pietatis evertenti sine ullis signis et prodigiis credere potuerunt. At nos qui homines sumus modicæ fidei, et illud sapientis, formidamus: *Qui cito credit, levis est corde*, eam fidem, quam cum infinitis et maximis, et soli Deo propriis miraculis confirmatam scimus, Deo propitio non facile deserimus.

At Joannes Baptista signum fecit nullum. Ita est, sed neque necesse erat, neque oportebat, ne si ad illam eximiam vitæ sauctitatem miracula accessissent. Christum postea similia facientem, populi vel contemnerent vel non magnifacerent, Deinde, non est mirum, si Joannem, etiam sine miraculis, populi audiebant et venerabantur. Nam et sanctissimam atque innocentissimam vitam ducebat, et ab ecclesia ejus temporis, et a principibus Sacerdotum et Scribis et Phari-

sæis, apud quos tunc vera fides conservabatur, testimonium habebat. At nos quomodo Novatores istos audire poterimus, quos Ecclesia Christi et summus Sacerdos anathematis fulmine percusserunt, tamquam morbidas oves a reliquo grege separaverunt, et quos scimus non solum miracula non edere, sed etiam scelestissime et corruptissime vivere?

Quod vero dicunt, per improbos etiam aliquando fieri miracula, atque idcirco sanctos homines, qui in Ecclesia Catholica signis enituerunt et prodigiis, cum illis suis prodigiis impios et Dei hostes esse potuisse, facile refellitur. Siquidem vera miracula, cum veri Dei testimonia sint, frustra nunquam fiunt, sed vel fidem veram confirmant, et tunc tam per probos quam per improbos fieri possunt: vel non tam Christi fidem, quam servorum Christi vitæ sanctitatem et excellentiam declarant, et tunc nemo dubitat, quin per solos pios et probos fiant. Deus enim qui ipsa veritas est, testis mendacii esse non potest. Eligant jam Hæretici quod volunt: vel miracula sanctorum Benedicti, Francisci, Bernardi, Malachiae et aliorum, quos nobis, hoc est, Romanæ Ecclesiae, libenter concedunt fidem Christi confirmabant; vel sanctitatem eorum declarabant. Si fidem confirmabant, vera est nostra fides falsa fides Lutheranorum, nec enim illi aliam fidem, quam suam, quæ eadem nostra est, confirmabant. Si vero eorum sanctitatem declarabat Deus per miracula illa, igitur vere sancti et Dei amici erant Benedictus, Bernardus, Malachias, Franciscus et cæteri, quos diximus. Sanctos vero Dei amicos, quis nescit sine vera fide et religione esse non potuisse? cum sit fides radix, principium, fundamentum justitiæ, et *Impossibile* sit, ut Apostolus ait, *sine fide placere Deo*. Quod si vera fuit sanctorum nostrorum fides, falsa est fides Hæreticorum, quæ cum illa ex diametro pugnat. Itaque quocumque se vertant; quicquid elegerint aut dixerint, se penitus captos et irrelitos invenient.

Sed docebo ego illos optimam viam elabendi, neque mihi succenseatis, si eis aliquam opem fero: debemus enim etiam inimicorum misereri. Quid igitur ipsi respondebunt? Si sapiant, miracula miraculis opponent. Multa sunt enim et admirabilia valde prodigia hæreticorum. Nam ut omittam Prophetas Baal, qui cum Elia Propheta Domini contententes flammam de cælo ad holocaustum

incendendum demittere voluerunt, et sane fecissent, nisi Baal eo tempore dormivisset: certe animus bonus miracula faciendi non defuit. Ut nihil dicam de miraculo illo stupendo Dathan et Abiron qui vestiti et calceati cum liberis suis et uxoribus, et omni substantia sua vivi descenderunt in infernum. Ut taceam de miraculis Ægyptiorum magorum, qui Deo permittente suis præstigiis virgas in dracones converterunt, et eodem non permittente, minutissimas muscas excitare non potuerunt. Ac ut ista et nonnulla alia miracula pseudo-prophetarum veteris instrumenti præteream, quis non admiretur celeberrimum Simonis Magi primi hæresiarchæ prodigium? qui ut Hegesippus auctor est, mortuum hominem ad vitam revocare voluit, sed cum hoc ei non successisset, et Apostolus Petrus eum mortuum postea excitasset, offensus injuriis Galilæorum (sic enim sanctos Apostolos Petrum et Paulum appellabat) in cælum evolare decrevit. Sed scitis quid acciderit? Cum hoc miraculum tota Roma inspectante futurum esset, etiam Galilæi, hoc est, Apostoli, adfuerunt: et Simon Magus ferentibus eum dæmonibus per aerem volare, et Apostolus Petrus ad terram prostratus Dominum orare cœpit. Pervenit autem prior in cælum oratio, quam volatus, et a Domino impetravit, ut is qui jam volare sciebat et pedibus non indigebat, continuo graviori lapsu pedes amitteret. Itaque infelix Simon, quasi fulmine quodam ad terras dejectus supervixit quidem aliquamdiu, sed cruribus fractis, ut qui non contentus ambulare, sed etiam volare voluerat, jam nec volare posset, nec ambulare.

Sequitur miraculum Minichæi, qui ut Epiphanius hæresi sexagesima sexta, et Theodoretus libro altero fabularum Hæreticarum scriptum reliquerunt, cum se Spiritum sanctum esse, et omnia nosse et posse prædicaret, rogatus ut filium regis Persarum, qui morbo aliquo, forte non usque adeo gravi laborabat, susciperet curandum, atque eo modo sapientiam et potentiam suam ostenderet, assensit. Sed paucis post diebus ita illum suis medicamentis curavit, ut numquam amplius deinceps non solum medico, sed nec cibo, nec potu indigerit. Quare rex Persarum graviter (ut par erat) contra Manichæum commotus, statim arundine præacuta, ei viventi et videnti pellem detrahi, et deinde canibus jussit objici devorandum.

Jam Donatistæ, quorum hæresis non diu

post hæresim Manichæorum orta est, duo vera miracula ediderunt, sed inviti, et idcirco laudem non merentur. Scribit D. Optatus libro altero contra Parmenianum, voluisse Donatistas plusquam impio et nefario miraculo tentare, utrum Domini sacratissimum corpus, quod in Eucharistiæ Sacramento continetur, possit a canibus devorari. Et utrum ampulla sancti Chrismatis, quo homines Christiani confirmantur, ita firma esset, ut allisa ad lapides non frangeretur. Itaque sacrosanctam Eucharistiam, quod horreo dicere, canibus obtulerunt: et ampullam sancti Chrismatis per fenestras magna vi proiecerunt: sed statim quidem canes iidem rabie accensi, ipsos suos dominos dentibus laniarunt; et ampulla sancti Chrismatis angelica manu suscepta, inter durissimos lapides integra et illæsa consedit.

Porro Arius magnus ille princeps Hæreticorum, qui nostris diebus in Lutero et Calvino, ut suo loco demonstrabimus, resurrexit, unus fuit de numero illorum, qui in morte primum incipiunt miraculis coruscare. Is enim cum aliquando in urbe Constantinopolitana magna multitudine stipatus Episcoporum et aliorum suæ sectæ Hæreticorum, ad templum procederet, ut etiam invito episcopo in communionem fidelium reciperetur, accidit, ut ad quamdam naturæ necessitatem ad publica loca declinare deberet. Itaque perrexit ad locum, et interim (quod sane pulcherrimum erat) omnis illa caterva Episcoporum magnorumque virorum Arium exonerantem alvum in platea præstolabatur. Sed cum diu jam exspectassent et Arius reverti non velle videretur, mittunt qui eum vocarent: ille vero fidelissimo miraculo intestinis ac visceribus omnibus in latrinas effusis, jam dæmonibus fœtidam animam perpetuis flammis cruciandam reddiderat. Rem ita se habere testatur Epiphanius hæresi sexagesima nona, testatur Ruffinus et Theodoretus, uterque in libro historiarum Ecclesiasticarum primo.

At quo loco tandem ponemus illustrissimum prodigium Cyrolæ Episcopi Ariani? Iste siquidem, ut Beatus Gregorius Turonensis libro secundo historiarum scriptum reliquit, cum vidisset sanctum Eugenium Episcopum Catholicum, signo crucis notissimo cuidam cæco lumen et oculos restituisset, voluit, ipse quoque tale quid agere, hominem quemdam ignotum quinquaginta nummis aureis subornavit, qui se cæcum finge-

ret, ac repente lumen oculorum ab eo se recepisse dicere. Re igitur ita composita, prætereunte quadam die Cyrola Hæretico cum sancto Eugenio, et duobus aliis Episcopis, is qui se cæcum simulabat, magna lugubrique voce Cyrolam appellare cœpit? Audi me (inquit), mi Beatissime Cyrola, audi me, sancte Sacerdos Dei, respice cæcitatem meam, experiar ego medicamenta, quæ sæpe cæci a te reliqui meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui persenserunt. Tunc Cyrola homo misericors, non se diu rogari passus est, sed statim accedens, et manum ejus oculis admovens: Per fidem, inquit, nostram, et rectam, quam de Deo habemus, persuasionem, facessant tenebræ ab oculis tuis. Vix ille hæc dixerat, cum infelicem impostorem tantus oculorum cruciatus invasit, ut eos manus quanta poterat vi comprimere cogeretur, ne forsitan e capite prosilirent: mox clamare cœpit: Væ mihi, qui Deum propter pecuniam irridere voluit. Et ad Cyrolam: Ecce aurum tuum, quod abstulisti. Quod cum ille præstare non posset, nec tentare auderet, sanctus Eugenius Episcopus, ad æternam Arianorum confusionem, hominem illum jam vere cæcum et hæresim Arianam detestantem, edito signo crucis pristinae sanitati restituit.

Eodem fere tempore, vel non multo ante, Eunomianus quidam, ut ex Collatione decima quinta Cassiani didicimus, Ægypti populos Aristotelicis syllogismis ab orthodoxa fide ad suam hæresim pertrahere conabatur. Ea re audita, S. Macarius Hæreticum convenit, et Eliam Prophetam immitatus, eum ad miraculum faciendum, hoc est, ad mortuum excitandum invitavit: assentit Hæreticus. Quid enim coram populis, quos circumvenerat, aliud facere auderet? sed tamen sapienter intelligens, syllogismis Aristotelicis nunquam esse mortuos excitatos, clam se subdixit, et fuga pudori suo et confusione consuluit, nec unquam amplius in illis regionibus apparuit.

Porro miraculum Polychronii celeberrimum fuit, sed ædus ex hoc loco vobis recitavi. Is enim tempore sextæ synodi, ut ex ea synodo act. 15. cognosci potest, in maxima populi frequentia mortuum hominem excitare conatus est, ad hæresim Monothelitarum confirmandam: sed accidit illi quod superioribus, gloriam falsam quæsivit et ignominiam veram invenit. Mortuus enim non revixit, sed ipse auctus cognomine novi

Simonis Magi, cum summo dedecore in exilium deportatus est.

Sapientior fuit Hæreticus quidam de grege Iconoclastarum, cujus miraculum a Paulo Diacono libro ultimo rerum Romanarum explicatur. Is in quodam sepulcro se abscondit, atque inde voces dabat, et Constantinum Copronimum imperatorem pessimum, qui tunc contra sacras imagines bellum gerebat, mirifice commendabat, ut eo commento populus terreretur, et Iconoclastarum hæresim etiam hominum mortuorum testimonio confirmari putaret. Ista sunt commenda ridicula et miracula puerilia Hæreticorum.

Sed de nostri temporis Hæreticis quidnam dicemus? Num a suis majoribus degenerant? Nullo modo. Est enim genus illud hominum a Dæmone penitus obsessum. Calvini quoque miraculum, quo fertur hominem vere vivum occidisse, quem simulate mortuum excitare volebat, toto orbe celebratur. Martinus Lutherus et in vita, et in morte miraculis claruit. Nam ut ex epistola cujusdam Germani Mansfeldensis civis, de obitu Lutheri scripta didicimus, is dum vivere præter alia multa in singulis prandiis et cœnis unum sextarium vini dulcis et exotici bibebat: quod intelligite, absque cervisia et aliis generibus vini. In morte præterquam, quod non ægrotavit, nisi paucas horas, et ore contorto et toto uno latere denigrato, mortuus est. Numquid non magnum miraculum fuit, quod in maximis frigoribus, quando corpora ad integros menses durare solent, illud quarto die aut quinto intolerabilem fœtorem spirabat licet stanneo loculo diligentissime clausum esset. Ante annos paulo amplius quam centum obiit Beatus Laurentius Justinianus, primum Patriarcha Venetorum, Papista et Monachus, et ut ille scribit, et qui ejus miracula in primo filio expertus, sexaginta septem dies inhumatus mansit, sæmp̄ odorem suavissimum spirans, incorruptus, vividus, genis rubentibus, et tamen feбри putrida laboraverat, unde medici putabant eum vix unam horam sine fœtore duraturum. Talia vero miracula sunt nostris sanctis propria. Sed ad Lutherum redeo.

Quis non miretur gratiam dæmonum expellendorum, qua præditus erat Lutherus? Is enim ut Staphylus, qui toti actioni interfuit, testatur, aliquando Dæmonem ex quadam muliercula ejicere voluit: sed confestim ita a Dæmone territus et in tanta ne-

cessitate alvum exonerandi conjectus fuit, ut quam citissime se ex eo loco proripere vellet. Verum Dæmon ita fores obstruxerat, ut necesse fuerit Staphylo securi fores effringere et eo modo magno exorcistæ Luthero viam patefacere.

Unum addo miraculum multo recentius et illustrius, et finem facio. Ante annos quatuordecim inter Hungariam et Poloniam non procul ab urbe Cracovia, unus ex fratribus Evangelicis tanto desiderio incensus erat novæ istud doctrinæ propagandæ, ut etiam ficto miraculo ad rem tantam in perniciem innumerabilium animarum abuti voluerit. Itaque cum Matthæo quodam et ejus uxore convenit, ut certa die Matthæus tamquam mortuus ad sepulcrum efferretur: uxor vero de more afflicta et ejulans funus prosequeretur. Venit dies constituta, effertur defunctus ad Ecclesiam, ibi noyus iste Simon ascendit suggestum, et longa oratione nascentis Evangelii gloriam amplificavit: tum affirmat se tam certum ac securum esse de sua doctrina, ut nihil dubitet Deum ipsum eam miraculo confirmaturum, et quoniam tunc allati defuncti pulchra occasio se obtulerat, ad eum conversus, magna voce exclamans: In nomine, inquit, Christi, cujus hodie evangelio testimonium præbui, Matthæe, surge. Respiciunt omnes. Matthæus non surgit. Ille rursus majori voce: Tibi dico, inquit, Matthæe, surge: sed sane clamare potuisset usque ad mortem; Matthæus enim jam vere extinctus, vere ad inferos descenderat.

Quæ cum ita sint, quæ dubitatio remanere potest, utrum errent sectarii, Deoque displiceant, an non? Quis non aperte videat, in quam tetra nocte versentur, qui non solum Ecclesiam Dei vivi, nova luce novorum miraculorum omni ætate fulgentem, atque in monte positam non vident, sed etiam ut ab ea oculos Catholicorum avertant, fictis et vere mendacibus signis et prodigiis abutuntur? Perpendite, quæso, quam vehementer se splendor ille, illa gloria, iste fulgor tantorum miraculorum, quibus omnibus sæculis Catholica Ecclesia illustris fuit, ægros hæreticorum oculos vexarit, ut Lutherum nescientem quo se verteret, et tamen cupientem summis votis aliquid invenire, quod nobis imponeret, non puduerit tamquam miraculum prædicare, turpissimam fugam unius sanctimonialis virginis de monasterio. Ista, inquit, sunt vera miracula. Quid dæ-

monum torsiones et expulsioniones sunt, si cum isto admirabili Dei opere conferantur? O tenebras palpabiles! O plagam cæcitatibus! O peccatum in Spiritum sanctum! Opus nefarium, scelestissimum, diaboli arte procuratum, miraculo divino attribuit! Hoc sane supererat, ut qui vera opera Dei Dæmonum præstigiis attribuerat, jam opus Diaboli apertissimum inaudita blasphemia Deo adscriberet. Vere percussit eos Dominus plaga crudeli, in furore suo percussit eos plaga cæcitatibus et obdurationis, ut dicant bonum

malum et malum bonum. Istane sunt miracula, de monasterio fugere, de Monacha apostatam, de virgine meretricem, de sponsa Christi scortum fieri Antichristi? Habeant sibi sane ista miracula: tale miraculum fecit Satan, cum de Angelo pulcherrimo et optimo fœdissimus ac nequissimus Diabolus factus est, ista miracula replent gehennam ista miracula plangit, Ecclesia. Nimis enim frequenter, et nimis facile fiunt ista miracula.

CONCIO VIII.

DE DONO PROPHETIÆ

SYNOPSIS

Brevicula propositione præmissa, donum prophetiæ soli Deo competere, et iis, quibus ab illo peculiariter datum est, probatur; quodque illud semper fuerit et sit evidens vere Ecclesiæ signum, ab enumeratione multorum Prophetarum Testamenti veteris confirmatur, et quomodo ii cum Evangelio consentiant speciatim ostenditur. Transitur deinde ad Testamentum novum, et plurimi sancti, qui dono prophetiæ enituerunt, nominatim enarrantur. Quantopere dæmones per oracula divinitatem effectarint, et qualia illa fuerint, declaratur. Lutheri diversa quædam ratiocinia producuntur. Vaticinium item Munceri et quarundam Anabaptistarum, cum refutatione multorum mendaciorum, adducuntur.

Splendorem miraculorum et lumen propheticum, auditores optimi, quasi duos pulcherrimos et clarissimos oculos in corpore Ecclesiæ eminere, et orbem totum suis fulgoribus illustrare omnes, qui prorsus cæci non sunt, facile indicabunt. Ac nos quidem, qui non solum Dei benignitate in horum oculorum contemplatione vehementer delectamur, et per eos in amorem pulchritudinis Ecclesiæ Catholicæ magis ac magis semper rapimur; sed etiam cum aliis, ac præsertim miseris et infelicibus Hæreticis dolo Satanæ circumventis, hoc bonum, quo nos fruimur, communicare vellemus, de utroque lumine ante duas hebdomadas verba facere instituimus. Et quidem de splendore miraculorum oratione proxima et superiore pauca quidem de pluribus; sed tamen satis mul-

ta pro temporis brevitate dicta esse non dubito: nunc ratio atque ordo argumentorum postulat ut de altero oculo, de luce videlicet prophetica, breviter disseramus.

Prædictio igitur futurorum, ut ab excellentia et præstantia hujus luminis ordiamur, tantæ sublimitatis est, ut soli vero Deo, et iis quibus Deus singulari privilegio hoc donavit, convenire possit. Ea siquidem futura, quæ creatas causas, non necessarias, sed liberas habent, vel certe tales, ut impediri possint (nam de his loquimur, quæ nec in se, nec in causis suis certo existunt), nec in se, nec in causis ab ulla sive humana, sive Angelica intelligentia cognoscuntur. Una dumtaxat est causa, Dei voluntas, in qua res omnes, quæ quoquo modo futuræ sunt, sive necessario, sive libere, certo existunt, et jam inde ab æternitate extiterunt. *Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Certe sicut nemo novit quid sit in homine, nisi spiritus hominis: ita nemo novit quid sit in Deo, nisi spiritus Dei, et cui voluerit Spiritus revelare. *Non enim humana voluntate, ut Apostolus Petrus testatur, allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus. Multifariam enim multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis.* Hinc apud Isaiam capite xli Spiritus sanctus loquitur et dicit: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Et rursum capite sequenti: *Ego Dominus, hoc est nomen meum gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt, nova quoque ego annuntio, antequam oriantur, audita vobis faciam.* Hæc est igitur gloria singularis veri Dei, quam

certe sculptilibus non dabit : nèque a falsis diis falsisque Prophetis occupari permittet, quæ ventura sunt annuntiare, antequam oriantur audita facere. Quocirca in libro Deuteronomii capite decimo octavo, idem Spiritus sanctus : *Propheta, inquit, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut in nomine alienorum deorum, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis : Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, et idcirco non timebis eum.*

Quamobrem, auditores, cum prædictio futurorum ita Deo propria sit, ut ad eam nullo modo vel homines vel Dæmones vel sancti etiam Angeli sine Dei revelatione aspirare possint, nemo dubitare debet, eam solam veri Dei Ecclesiam esse, in qua verum lumen propheticum reperitur. Quare si ostenderit, solam Romanam Ecclesiam hoc præclaro lumine semper ornatam fuisse, necessarie et perspicue efficietur, solam Romanam Ecclesiam veram veri Dei Ecclesiam esse, quicquid latent omnes Dæmonum synagogæ.

Jam igitur in Ecclesia Catholica, in qua sumus, quis negare potest non solum ab adventu Servatoris, sed etiam ab exordio mundi, omnibus fere sæculis prophetiam floruisse. Nam ante diluvium Adam, Enoch, et Noe prophetæ fuerunt. Adam, D. Hieronymo teste, capite quinto in epistolam ad Ephesios, et divo Prospero initio libri de promissionibus et prædictionibus Dei : nam Christi et Ecclesiæ matrimonium prædixit. Enoch Propheta fuisse, et de novissimis temporibus multa prædixisse, Apostolus Judas in epistola sua testatur. Porro Noe, cum verbis, tum operibus, dum ingentem illam arcam fabricabat, generalem eluvionem futuram prædicasse et homines ejus temporis ei non credidisse, Apostolus Petrus in epistola priori testis est. Post diluvium vere Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moysen, Davidem, Salomonem, quatuor Prophetas majores, et duodecim minores, et alios præterea multos, vel sermonibus, vel operibus, vel libris scriptis multa de Christo, de Ecclesia, de hæreticis, de futuro judicio vaticinatos, nemo fere Christianorum ignorat. Ac ut ponamus exemplum in Christo, cujus brevi

passionem et resurrectionem celebraturi sumus, et quem omnes divinæ paginæ tanquam finem et scopum intuentur; quis non miretur nihil de Christo legi in libris instrumenti novi, quod non legatur prædictum in libris instrumenti veteris? Hujus rei typum gerebant duo illi Seraphici spiritus, qui ut apud Isaiam prophetam videre est, admirabili consensione *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Nec non duo Cherubim, qui, ut in Exodo legimus, alis tegebant propitiatorium, et quorum alter alterum semper intuebatur. Hæc enim sunt duo Testamenta, vetus et novum, quæ ita se invicem aspiciunt et unum ad alterum clamat, ut quicquid unum loquitur promittendo et prædicendo, alterum repetat jam factum, et impletum asserendo. Conceptus est Christus de virgine? Prædixit hoc Isaias : *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Natus est in Bethleem Judæ? Prædixit hoc Michæas : *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel.* Reges primitiæ gentium ad eum munera detulerunt? Prædixit hoc David : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.* Præsentatus fuit Christus in templo? Prædixit Malachias : *Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Fugit deinde in Ægyptum? Prædixit hoc Osee : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Locutus est in parabolis? Prædixit hoc David : *Aperiam in parabolis os meum.* Cæcos, surdos, claudos, mutos curavit? Prædixit hoc Isaias : *Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.* Ambulavit super aquas? Prædixit hoc David : *In mari via tua et semitæ tuæ in aquis multis.* Sedit super asinam et pullum ejus? Prædixit hoc Zacharias : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator : ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ.* Proditus fuit a discipulo? Prædixit hoc David : *Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* Triginta argenteis venditus fuit. Prædixit hoc Zacharias : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Contumeliis et colaphis affectus? Prædixit hoc Jeremias : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Reges gentium et principes Ju-

dæorum in ejus necem conspirarunt? Prædixit hoc David: *Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Christum ejus.* Flagellis cæsus fuit? Prædixit hoc Isaias: *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus.* Quod si vellemus omnia vaticinia de Christo percurrere, dies non sufficeret: et si non verba solum, sed etiam res gestas et umbras ac figuras cum rebus adumbratis et expressis conferrem, immensam orationem susciperemus. Magnum igitur et invictum contra Judæos et Paganos ex ista tantorum et tam multorum vaticiniorum impletione colligimus, et cum Apostolo Petro merito gloriamur habere nos *Firmiorem propheticum sermonem*, cui benefacimus *Attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

Sed ut ad novum testamentum veniamus. An non Christus ipse, magister et doctor omnium Prophetarum, apertissimis verbis excidium urbis Jerosolymæ prædixit? At numquid post annos quadraginta non ita, ut prædixerat, evenit? Quamvis enim Josephum et Hegesippum, qui rem totam diligentissime scripserunt, non haberemus, abunde sufficeret arcus triumphalis Vespasiano et Tito erectus qui adhuc Romæ aliis pene omnibus vel eversis vel sepultis, integer et conspicuus perseverat: in ea siquidem arca Testamenti, candelabrum aliaque Hebræorum ornamenta, nec non ipsorum Hebræorum turba manibus post tergum revictis, ad memoriam posteritatis semper in marmore incisa conspiciuntur. Deinde Apostolicis temporibus, numquid non Apostolus Petrus, Apostolus Paulus, Apostolus Joannes et Apostolus Judas uno eodemque spiritu de futuris Hæreticis multa prædixerunt, quæ oculis nostris jam impleri videmus? Nonne etiam Propheta Agabus - et filiæ Philippi Diaconi et alii nonnulli, eodem tempore lumine isto prophetico enituerunt? Jam vero Gregorium Neocæsariensem magnum illum et admirabilem Prophetam fuisse scribit magnus Basilius. De B. Antonio celeberrimo et toti orbi notissimo, B. Athanasius refert, prædixisse eum vastationem illam Ecclesiæ, quæ per Arianos facta est, cum altaria everterunt, sacra vasa contaminaverunt, sacerdotes occiderunt, virgines sacras stupraverunt, orbem denique totum suis tumultibus et seditioibus, sicut hodie Calvinistæ faciunt, turbaverunt. De quodam sancto Anachoreta qui Joannes dicebatur, et Palladius

et Theodoretus et alii complures historici prodiderunt, eum ita celebrem in vaticiniis fuisse, ut imperator Theodosius nunquam bellum aliquod egressus sit, quin eum antea tamquam oraculum consuluerit, et ab eo totum bellum eventum audierit. B. Benedictum regi Totilæ prædixisse, eum urbem Romam occupaturum, deinde mare transiturum, tantum novem annos regnaturum, postremo anno decimo moriturum, et omnia sicut ipse pronuntiaverat evenisse B. Gregorius testatur. B. Malachiam Hibernorum Episcopum, prophetico lumine claruisse testus est fide dignissimus Bernardus. Ipsum vero B. Bernardum non unum aliquot, sed multa prædixisse, et omnia prorsus juxta ejus vaticinium evenisse, testantur libri de ejus vita et gestis conscripti. Unum ejus vaticinium commemorabo. Prædixit aliquando Andreæ quidam, eum brevi Cistertiensem Monachum futurum. Ille hoc audito obstupuit. Nihil enim unquam minus somniaverat, imo nihil magis unquam exhorruerat. Itaque cum stomacho ait: In hoc scio falsum te esse Prophetam. Hoc enim certus sum, te locutum esse verbum, quod omnino non fiet. Hoc ego tibi coram rege et principibus, in omni publico conventu improbare non parcam, ut tua omnibus falsitas innotescat. Deinde abiit pene furiosus, blasphemans et imprecans sancto illi monasterio extremum exitium: neque solum monasterium, sed totam illam vallem radicitus eversam videre cupiebat. Quid postea factum est? O rem admirabilem ac pene incredibilem! Vix nox una præterierat, ille totus mutatus, moræ impatiens ante ex ortam lucem currit ad monasterium, postulat habitum, efficitur monachus. Quid hic dicent hæretici? Quis tantam mutationem, quæ a sola dextera Excelsi fieri poterat B. Bernardo demonstravit, nisi Deus? Quid de B. Francisco dicemus? Quam multa de eo refert B. Bonaventura? Erat aliquando bellum inter Paganos et Christianos, instabat jam dies certaminis, servus Dei Franciscus totum belli eventum ante prospiciens Christianis significavit, ut eo die se a prælio abstinerent, alioquin videre se magnam stragem Christianorum futuram. Non crediderunt homini Dei, sed freti multitudine et potentia conflictum inierunt. Repente enim juxta vaticinium viri sancti exercitus Christianorum fusus est, et omnes fere vel capti sunt vel interfecti. B. Catharina Senensis numquid

non aperte prædixit schisma illud inter Urbanum et Clementem, quo nullum acrius horribilius, diuturnius Ecclesia unquam vidit? Sed longum esset, minimeque necessarium omnes Prophetas Catholicæ Ecclesiæ recensere. Hoc in summa et sine amplificatione dixerim, auditores optimi, vaticinia sanctorum, et eorum sanctorum, quos nostros fuisse, hoc est, Romanæ Ecclesiæ membra fuisse omnes hæretici confitentur, esse pene sine ullo numero. Legi ego bonam partem historiarum, quibus vitæ sanctorum catholicæ Ecclesiæ continentur, et sine mendacio affirmare possum, vix ullum fuisse sanctum hominem, ac præsertim his quinque sæculis postremis, quæ tantopere displicent hæreticis, qui hoc excellentissimo et nobilissimo Dei munere præditus non fuerit. Multos præterea enumerare possem nostræ fidei et religionis sanctos homines, qui non solum dono prophetiæ, sed etiam admirandis visionibus et revelationibus, et quod sublimius est, gratia cordium cognoscendorum et spirituum discernendorum ornati fuerunt. Neque solum præteritis sæculis, sed etiam hoc nostra ætate, sicut miracula, ita prophetiæ donum Ecclesiæ Catholicæ non defuit. Habemus enim præter alios multos, duos illos Franciscos, auctorem ordinis Minimorum et Xaverium inter patres Societatis Jesu antesignanum et Indiæ novum Apostolum, de quibus alias diximus, qui hoc nostro sæculo ac pene memoria non solum multis et magnis miraculis claruerunt; sed etiam multa divina revelatione præviderunt, et eo modo sicut prædixerant, evenerunt.

Quid unquam talæ synagogæ Dæmoniorum habuerunt? Proferant, quæso, suas prædictiones. Quis non obstupeat nostros Papistas, idololatrias, Dei hostes, non solum miraculis, sed etiam prophetiæ lumine enitere: istos vero fratres Evangelicos, nihil scire, nisi mentiri? Nam dæmones quidem semper hanc laudem prædicendi futura tamquam veram divinitatis notam affectaverunt. Hinc videlicet ante Christi adventum tot in locis oracula Apollinis, Clarii, Pythii, Delii, Dodonæi celebrabantur, quæ tamen omnia Dei in carne adveniente repente obmutuerunt. Id quod non ex nostris solum B. Antonius apud Athanasium, sed etiam Plutarchus ex gentibus, tamquam rem maxime miram et prodigiosam annotaverunt. Inde siquidem Plutarchus librum inscripsit, ut est apud Theodoretum in libro de oraculis,

quæ defecerunt: et causam quærit tam novæ et tam mirabilis mutationis. Quid enim admirabilius, quam tanta celebritate omnibus oraculis toto orbe silentium indici, et ora eorum quasi lapidibus in æternum obstrui.

Sed quales, quæso, erant dæmonum prædictiones? Interdum obscurissimas ambages et enigmata respondebant, ut quicquid eveniret, ipsi verum prædixisse viderentur, et culpa tota caderet in interpretes. Interdum aperte quidem et perspicue loquebantur, sed ea prædicebant, quæ ipsi Deo permittente facturi erant vel quæ jam cœpta erant fieri, quod non est tam divinare vel conjectare, quam præsentia absentibus nuntiare.

Neque præstantiora sunt Hæreticorum vaticinia: exempla multa in medium afferre possem, si falsa vaticinia pseudoprophetarum, tam veteris quam novi Testamenti percurrere nobis liceret, sed quoniam temporis angustiis premimur, solum de falsis prædictionibus Hæreticorum nostri temporis pauca dicemus.

Martinus Lutherus et sua et suorum opinione propheta fuit. Hoc enim ipse de se in libro quodam ad Germanos pro scholis Christianis erigendis scribit: « Neque vos, inquit, impedire debet, quod aliqui gloriantur de spiritu, et Scripturas parvi faciunt; sed bone amice, spiritus huc, spiritus illuc; ego quoque fui in spiritu, atque etiam vidi spiritus forte plus quam illi ipsi adhuc intra annum videbunt. » Deinde nihil sæpius repetit, quam os suum os Christi et verba sua esse verba Christi: et, certum se esse, doctrinam suam se habere de cœlo. Videamus igitur quid ei spiritus revelaverit. Quid, quæso, iste tam insignis Propheta, qui fuit in spiritu et vidit spiritu, plus quam alii intra unum annum videbunt, quid futurum prædixit: Prædixit primum in libro contra Thomam Muncerum post annos duos a vaticinio, ita Romanam Ecclesiam ruituram, ut neque Pontifices, neque Cardinales, neque Episcopi, neque Presbyteri, neque Monachi, neque Moniales, neque templa, neque turres, neque campanæ usquam amplius reperientur. Ait præterea in responsione contra regem Angliæ Henricum: « Dogmata mea stabunt, et Papa cadet iuvitis omnibus portis inferi et potestatibus acris et terræ et maris ». At quid tandem evenit? Præterierunt anni sex et qua-

draginta, et papa stat vel sedet potius; Cardinales, Episcopi, Præsbyteri, Monachi, Moniales augentur in dies: templa et turres vel instaurari, si labebantur, vel integro ædificari vidi: cadere vel cecidisse non scio, nisi ex parte hic Lovanii turrin sancti Petri. Doctrinam vero Lutheri jam pene funditus interiisse, vel ex eo cognosci potest, quod paucissimi sunt veri Lutherani, et illa ipsa dogmata, quæ Lutherus pro oraculo habere voluit, jam non solum Catholici, sed etiam discipuli ejus execrantur. « Non igitur vaticinium illud Dominus locutus est, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit: et idcirco non timebimus eum ». Rursum alias præfatione super Alcoranum prædixit idem Lutherus, prope diem futurum, ut Mahumetani ad fidem Christi juxta Evangelium suum, non juxta Romanam Ecclesiam, converterentur. At numquid et in hoc Propheta mendax inventus non est? Ego ipse vidi Romæ Mahumetanos baptizari, nec raro veniunt aliqui ad fidem. In Indiis vero non pauci, sed multi Mahumeti cultores ad fidem Christi et Ecclesiæ Romanæ obedientiam conversi sunt, et convertuntur in dies: Lutherani vero proferant vel unum si possunt. « Non igitur hoc Dominus locutus est, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit; et idcirco non timebimus eum ». Postremo, ut alia ejus vaticinia præteream, cum ante annos aliquos rustici a Lutheranis excitati tumultuarentur, et contra principes suos ac dominos arma cœpissent, tunc Martinus Lutherus sese vatem ostentabat, et non rusticos, sed Deum ipsum contra principes pugnare dicebat, et ultimum exitum extremamque ruinam principibus vaticinabatur. Sed quid tandem factum est? Rustici cæsi sunt, principes superiores evasere. Quid tum Lutherus? Num erubuit? Falsum se Prophetam agnovit? Nihil minus. Sed quasi nihil antea pro rusticis dixisset, cœpit contra eosdem rusticos maledicentiam suam exercere, et videns sibi non successisse vaticinium de futuris, cœpit vaticinari de præteritis. « Ego sane, inquit, arbitror nullum dæmonem in gehenna remansisse, sed omnes in rusticos illos seditiosos et pessimos nebulones ascendisse. » « Non igitur vaticinium illud Dominus

locutus erat, sed per tumorem animi sui Propheta confinxerat: et idcirco non timebimus eum ».

Quid Thomas Muncerus, Lutheri probatissimus discipulus? Nonne multitudini rusticorum, quibus præerat, Dei nomine et auctoritate tamquam unus aliquis ex prophetis, ita victoriam certissimam pollicebatur, ut se alterum Gedeonem diceret: jactaretque omnes globos bombardarum in sua manica sine læsione se excepturum? Et tamen rustici cæsi sunt, et ipse ne unum quidem ictum gladii sine læsione sustinere potuit. Non igitur Dominus victoriam illam locutus erat, sed per tumorem animi sui Propheta confinxerat, et idcirco non timebimus eum.

Ante paucos annos cum Anabaptistæ quidam Calabriam Italiæ provinciam occupassent, et tandem comprehensi cum extremo supplicio afficiendi essent, palam affirmabant (ut ex viro quodam magno et fide dignissimo, qui, si recte memini, supplicio interfuerat, accepi) se nihil detrimenti passuros, si de altis turribus dejicerentur, statim enim ad futuros Angelos, qui eos exciperent, ne forte ad lapides pedes suos offenderent. Dejecti sunt infelicissimi ex turribus, et non pedes tantum, sed capita et colla offenderunt ad lapides, et prius ad terram pervenerunt, et capita omnes fregerunt, ac cerebris suis plateas resperserunt, quam Angelis vacaret eis opem ferre. Exempla talia proferri possunt sine ullo numero. Nam sicut vera Catholicorum sanctorum vaticinia prope sunt infinita; ita hæreticorum mendacia, et falsæ prædicationes numerum omnem excedunt. Quoties Pseudomartyres istis nostris diebus asseverarunt se etiam in mediis flammis non comburendos? et tamen postea combusti sunt usque ad cineres. Quoties contra se in momento absumendos affirmarunt? et licet pulvere tormentario onusti essent, tamen ad longissimum tempus antequam mori possent torquebantur? ex quo sine dubio, si excæcati penitus et obstinati non essent, intelligerent, tandem aliquando se Spiritum veritatis deseruisse, et spiritus erroris, et seductionis in suam aliorumque perniciem, et sempiternum exitium adhæsisse.

CONCIO IX.

DE PROBITATE DOCTORUM ECCLESIAE, ET SCELERIBUS HÆRETICORUM

SYNOPSIS

Deum suos sanctos potentia, sapientia, et charitate sibi conformare, ostenditur, et a sanctitate Doctorum Ecclesiae probatur: ubi Apostolorum, Patrum et multorum religiosorum mira sanctitas extollitur, et quam utile sit vitas sanctorum legere, declaratur. E contrario, qualesnam fuerint assertores paganismi et Mahumetismi breviter ob oculos ponitur. Decem deinde hæresiarchæ enumerantur, additis causis, quæ illos ad hæresim impulerunt. Præterea diligentiori trutina examinatur vitæ probitas hæreticorum, atque in primis impudentia et superbia (quæ speciatim in Luthero deprehenditur), eorum maledicentia, familiaritas cum diabolo et varia fraudulentia suis circumstantiis demonstratur. Quales Martyres et qualia martyrologia habeant Hæretici, et quem fidem iidem sortiantur, ab enumeratione miserix quorundam mortis ostenditur.

Quemadmodum in Deo, quem unum in Trinitate et Trinum in unitate veneramus, tria quædam singulariter eminent, potentia, sapientia, bonitas; ita quoque, auditores, singulares amicos et filios suos, Patres ac Doctores nostros Deus, ut sibi quam simillimos, et gentibus omnibus suspiciendos atque admirabiles redderet, potentissimos, sapientissimos, optimos, sanctissimosque esse voluit. Primum ea potentia eos armavit, qua multa præter solitum cursum, ordinemque naturæ in elementis, in arboribus, in brutis animantibus, in ipsis hominibus plane admirabilia et singularia facerent.

Deinde sapientia ita mentes eorum instruxit, ut non solum præsentia et præterita cernebant; sed etiam futura multo ante præviderent atque prædicerent. Postremo dilatavit corda eorum summa atque ardentissima charitate, tum ut ipsi magno animo opus aggrederentur; tum ut ii, qui convertendi per eos erant, non solum verbis et miraculis sed etiam exemplis et vitæ probitate moverentur. Atque hæc tria, splendor miraculorum, lumen propheticum et vitæ probitas, quibus præditi fuerunt prædicatores et Doctores nostræ legis, et quibus omnes inventores sectarum atque hæresum caruerunt, sunt argumenta ex duodecim illis, quæ nobis explicanda proposuimus. Quare cum præteritis orationibus de gloria miraculorum et luce prophetica, hoc est, de potentia et sapientia Doctorum Ecclesiae disputaverimus, restat nunc, ut de probitate et integritate eorundem disseramus.

Prædicatores igitur nostræ legis, tam ii, qui primi ad nos fidem detulerunt et Evangelium, quam ii quos deinde singulis sæculis Deus excitavit ad fidem eandem confirmandam vel propagandam, quales fuerint, quam pii, quam justi, quam religiosi totus mundus novit. Aspiciate primum Apostolos. Quid sublimius atque excellentius moribus Apostolicis? Homines erant divini, nihil in hoc mundo quærebant, aurum contemnebant, honores fugiebant, omnia sustinebant, charitate flagrabant, legem naturæ perfectissime observabant, cum omnibus hominibus pacem habebant, omnes homines salvos facere cupiebant, atque idcirco omnes provincias et regiones, quamlibet barbaras, omnes terras et omnia maria perlustrabant: ad labores prompti, ad pericula imperterriti, ad mortem paratissimi, vivi denique et mortui miraculis clari.

Amor Dei quasi currus igneus ferebat eos : nihil erat penitus, neque mors, neque vita, neque præsentia, neque futura, neque dæmones, neque homines, qui eos ab instituto cursu honoris Dei propagandi et animas hominum salvandi, revocare possent. Isti sunt Patres nostri, isti dracones nostræ fidei, istos magistros et doctores habuimus. Aspici- te deinde sanctos illos homines, quos Pa- tres et doctores vocamus, lumina illa cla- rissima, quæ Deus in firmamento Ecclesiæ lucere voluit, ut iis omnes Hæreticorum te- nebræ dissiparentur, ut Irenæum, Cypria- num, Hilarium, Athanasium, Basilium, duos Gregorios, Ambrosium, Hieronymum, Au- gustinum, Chrysostomum, Cyrillum. Vita et mores eorum nonne in iis monumentis, quæ nobis reliquerunt, quasi in speculis quibus- dam elucent? Nam *Ex abundantia cordis os loquitur*. Quanta, obsecro, apparet in libris sanctorum Patrum cum summa eruditione conjuncta humilitas? Quanta puritas animi? Quanta moderatio? Quanta sobrietas? nihil ibi obscœnum, nihil turpe, nihil subdolum, nihil arrogans, nihil inflatum. Quam multis modis Spiritus sanctus, qui eorum pectora inhabitabat, in paginis eorum se prodit? quis legere potest attente Cyprianum, qui non statim ardeat amore martyrii? Quis in Augustino diligenter versatus est, qui non profundissimam didicerit humilitatem? Quis Hieronymum sæpe evolvit, qui non virgini- tatem et jejunium adamare incipiat? Spirant scripta sanctorum, religionem, castitatem, integritatem, charitatem. « Isti sunt igitur Episcopi et pastores (ut verbis utar D. Augu- stini) docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt : cujus lac et cibum parvis magnisque ministraverunt. » Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plan- tatoribus, rigatoribus, ædicatoribus, pa- storibus, nutritoribus crevit. Aspice postre- mo Anachoretarum et aliorum hominum religiosorum duces, quos diversis tempori- bus Ecclesiæ suæ senescenti tamquam co- lumnas firmissimas Deus donavit ut Anto- nium, Hilarionem, duos Macarios, Benedi- dictum, Bernardum, Dominicum, Franci- scum. Quid perfectius, quid gravius, quid maturius eorum moribus? Homines erant integerrimi, patientissimi, cum Deo conjun- ctissimi, gloriæ et voluptatum usque ad stu- pore et miraculum contemptores : perno- tabant in orationibus, gloriabantur in cruce

et laboribus, jejuniis pascabantur, in contu- meliis lætabantur, quasi carbones igniti, toti flamma quadam divini amoris succensi in Deum ferebantur et rapiebantur. Quis un- quam eorum vel contentiones, vel rixas, vel clamores, aut verba non dico inflata, vel ob- scena, vel scurrilia, vel turpia; sed otiosa unquam audivit? Denique ut B. Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ no- tat, in tantum processerat temperantia et continentia sanctorum Catholicæ fidei chri- stianorum, ut restringenda nonnullis et ad humanos fines revocanda videretur : usque adeo supra hominum illorum animos eva- sisse ab iis etiam, quibus id displicet, indi- catur. Utinam dignarentur Hæretici, et qui inter Catholicos perditæ et corrupte vivunt, legere vitas sanctorum : sane non multum nobis in eorum conversione laborandum es- set. Plus enim omnino loquuntur, et magis virtutem persuadent simplices illæ historiæ, facta et exempla sanctorum, quam omnes conciones. Scio ego aliquos, qui millies con- ciones audierant, et libros multos legerant, et tamen semper erant iidem : rogati deinde ut vitas sanctorum aliquando legerent, asper- nabantur initio, et tamen poste aubi ceperunt, brevissimo tempore toti mutati viri sanctis- simi et perfectissimi facti sunt. Habetis Atha- nasium, Hieronymum, Sulpicium, Palladium, Theodoretum, Gregorium Romanum, Grego- rium Turonensem, Bedam, Metaphrastem, et nuper Lippomanum et Surium, qui vitas sanctorum vel ipsi conscripserunt, vel ab aliis scriptas collegerunt. Ab eis petant solidum cibum animæ, qui in fide viva et vera pro- ficere desiderant, Theologi et doctores hæ- reses refellunt argumentis verborum : sancti vero, quorum vitas vos legere cupio, easdem refellunt argumentis factorum. Illi quasi di- gito et voce demonstrant, quæ sit via, quæ ducit ad cœlum : isti viam ipsam ingrediun- tur, et nos suis passibus et vestigiis multo facilius et fidelius docent.

Conferte modo, si placet, cum tantis et talibus prædicatores paganismi vel hæresum et sectarum inventores. Qui fuerunt prædi- catores paganismi? Nonne turba quædam Poetarum, hoc est, hominum levium, men- dacium, flagitiosorum : qui ut vitia et sce- lera hominibus commendarent, deos quos- dam omnibus vitiis coopertos induxerunt, et eorum furta, et adulteria, bella, lites, con- tentiones, dolos, fraudes, mendacia cum can- tu et versibus, ad nos detulerunt, ut quis-

quis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes deos imitatus videretur? De Mahumete tametsi multa haberem omnino turpia et horrenda, quæ referrem, tamen quod secta illa, ut alias ostendimus, nihil sit aliud quam monstrum quoddam ex Judaismo, Arianismo, Nestorianismo, Manichæismo et aliis quibusdam hæresibus, et superstitionibus conflatum ut refutatur, satis est si hæreses istæ refellantur. Ad Hæreticos veniam.

Hæresiarchæ igitur nonne omnes ambitiosi, omnes superbi, omnes impuri, omnes flagitiosi fuerunt? nonne omnes sicut perditæ vixerunt, ita quoque misere perierunt? Consideremus initium, medium et finem cursus præcipuorum hæresiarcharum. Quantum ad initium, quod si vobis ostendam omnes præcipuos hæresiarchas vel ambitione, vel contentione, vel invidentiâ, vel denique privato aliquo affectu stimulatos de Ecclesia recessisse, an non tunc apertissime constabit eorum sectas non a Deo esse sed a Diabolo? Aspiciamus decem primarios et celeberrimos hæresiarchas. Nam de omnibus dicere angustiae temporis non paterentur.

Quis princeps fuit omnium Hæreticorum? Si Hegesippo et Eusebio credimus, Thebulus fuit. At is, ut ex Hegesippo refert Eusebius, ideo hæresim excogitavit, et Ecclesiam usque ad illa tempora virginem corrumpere tentavit, quod in petitione episcopatus repulsam passus esset. Superbia igitur atque ambitio initium hæresibus dedit.

Quis fuit deinde secundus? Simon Magus. At is pecuniis emere voluit pontificiam auctoritatem Spiritum sanctum communicandi: cum ei hoc non successisset, hæresim fabricavit.

Quis tertius? Valentinus. At cum egressum de Ecclesia et hæresiarcham factum, quod alium vidisset adeptum episcopatum, quem ipse ambiebat, testatur Tertullianus in lib. quem adversus hujus Valentini hæresim conscripsit.

Quis quartus? Marcion Ponticus. At is propter stuprum virgini illatum ab Ecclesia communione præcisus, Romamque profectus, non solum absolutionem petiit, sed etiam præfecturam Ecclesiasticam ambivit, quam cum non impetrasset, Romanis Presbyteris indignabundus ait: « Ibo igitur et Ecclesiam vestram scindam. » Atque ab eo tempore hæresim suam pestilentissimam et perniciosissimam disseminare cœpit. Rem

ita se habere partim ex Tertulliano de præscriptionibus adversus hæreticos, partim ex Epiphanio in hæresi Marcionis facile cognosci potest.

Quis fuit quintus? Montanus. At eum refert Theodoretus l. iii de fabulis Hæreticorum, sola cupiditate primum locum obtinendi, hæresim suam condidisse.

Quis fuit sextus? Novatianus. At eum maximo desiderio Romanum episcopatum flagrasse, et cum eum adipisci non potuisset, simul hæresim et schisma in Ecclesiam induxisse, refert Eusebius ex epistola quadam B. Cornelii l. iv. hist. Ecclesiasticarum.

Quis septimus? Arius. At is quoque auctore Theodoro initio l. iv. de fabulis Hæreticorum, invidentiæ stimulis agitatus, quod S. Alexandrum compresbyterum suum ad episcopatum evectum et sibi prælatum videret, occasionem accepit de Ecclesia recedendi.

Quis octavus? Macedonius. At is nonne eo, quod episcopatu Constantinopolitano ab ipsis Arianis privatus fuisset, ut injuriam suam ulcisceretur, novam hæresim excogitavit?

Quis nonus? Nestorius. At enim quis ignorat quanta simulatione et hypocrisi episcopatum Constantinopolitanum ambierit? Refert enim Theodoretus l. iv. Fabularum hæreticarum, cum multos annos, et colore vestium et pallore vultus et verborum compositorum artificio et omnis sanctitatis simulatione, se in animos et benevolentiam vulgi in eum finem insinasse.

Quis decimus? Martinus Lutherus, auctor et parens omnium Hæreticorum nostri temporis. At is nonne in Lipsica disputatione vocem illam emisit, se nec propter Deum incepisse nec propter Deum cessaturum? Quid clarius? quid apertius? quid illustrius? Deinde in epistola illa notissima ad Argentinenses; nonne diserte affirmat, se non Christi amore, sed papæ odio inflammatum tragœdiam illam suam excitasse? Unde vero odium illud primo conceperit, omnibus notum est, nimirum ex ambitione et avaritia. Quod enim munus publicandarum indulgentiarum, unde monasterium ejus honorem et lucrum referebat, ab eo ad prædicatores translatum fuisset, ideo Lutherus injuriæ et jacturæ illius impatiens contra indulgentias primum, deinde contra Pontificem, postremo contra fidem et omnia Christiana dogmata scribere, docere et prædicare cœpit. Hæc igitur de primordiis hæreseon.

Jam in reliqua vita si quis omnia omnium hæresiarcharum scelera prosequi vellet, immensam orationem susciperet : attingam solum pauca paucorum, ex quibus facile de cæteris judicari possit. Initio quanta, quæso, fuit omnium hæresiarcharum, sed præcipue Lutheri et Calvini jactantia? Simon magus se Deum esse jactabat : testis Irenæus lib. 1. contra hæreses. Menander Simonis discipulus se missum esse Salvatorem mundi assebat; teste Eusebio lib. v Historiarum. Carpocratianorum aliqui se Domino Jesu æquales, aliqui etiam majores et potentiores prædicabant; teste Theodoretto lib. 1 de fabulis Hæreticorum. Montanus se Spiritum sanctum Paracletum; testis magnus Basilius lib. 11 in Eunomium. Noetus se Moysen et fratrem suum Aaronem; testis Epiphanius in hæresi ejusdem. Manichæus se quoque Spiritum sanctum, sicut olim Montanus, faciebat : testis Augustinus lib. de Hæresibus. Nestorius se primum et solum Scripturas probe intellexisse, et omnes Patres, Martyres, et Confessores totamque Ecclesiam ante se errasse prædicabat; ut Vincentius Lirinensis in commonitorio testis est. Arium, Dioscorum, Eutychem incredibili superbia Patres contempsisse, ex prima actione septimæ Synodi cognosci potest. Ac ut ad nostros veniamus, num Lutherus se os Christi, et Heliam tertium, Osiander Enoch secundum, Thomas Muncerus Gedeonem, Servetus unicum orbis prophetam, David Georgius verum Messiam, alii novos Prophetas, Apostolos, Evangelistas se esse prædicare erubuerunt? Num Lutherus in libro contra regem Angliæ Henricum, et alibi sæpe, non ait : « Divina majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, si mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent? Augustinus et Cyprianus, sicut omnes electi errare potuerunt et erraverunt. » Et rursum : « Ego vero adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, pono non antiquum Ecclesiæ usum, sed unius majestatis æternæ verbum et Evangelium. » O venter piger! mala bestia! Quasi vero sancti Patres et sancti Angeli et antiquus Ecclesiæ usus contra verbum Dei, et Evangelium pugnarent? A que ejusmodi verba tumida, inflata, superba, in singulis paginis librorum ejus reperiuntur. Num Calvinus in libro de Cœna Domini, non aperte confitetur, omnes veteres missam sacrificium appellasse et tamen

inquit : « Ego minime probo. » Num in Institutionibus non ait : « Hæc fabula de limbo Patrum, ad quos liberandos Christum descendisse narrant, tametsi magnos habeat auctores, nihil tamen aliud quam fabula est? » Nonne ibidem in tantum superbiæ excessum erupit, ut B. Hieronymum asinum appellare non dubitaverit? O virum sapientissimum Calvinum, qui plus videre potuit solus, quam omnes Patres et tota simul Ecclesia! et cujus comparatione B. Hieronymus, alioqui doctor maximus et sanctissimus, nihil aliud quam asinus est! O Dei amicum singularem, cui tandem revelatum est fabulas fuisse, quas hactenus Ecclesia pro veris dogmatibus habuit!

Sed ut ad Lutherum parumper redeamus, exstat liber quidam de actis in conventu Wormatiensi, ubi ab imperatore Carolo et reliquis Germaniæ principibus, Lutheri causa initio cognita fuit. In eo libro miris laudibus attollitur Lutherus, et cum nomen potentissimi imperatoris semper fere nudum ponatur, ut, « Carolus hoc dixit, Carolus illud egit; » cum de Luthero mentio est alias scribitur, « Doctor Martinus, Lutherus pro sua incredibili humanitate et comitate benigne respondit : » alias, « Benignissimus pater benignissime respondit. » Quis, obsecro, librum illum conscripsit? Non alius, quam Lutherus. Credibile non videtur, sed tamen est ita. Finxerunt igitur unquam poetæ talem Thrasonem, qualem se Lutherus reipsa nobis exhibuit? Tametsi enim liber sine nomine auctoris prodierit, certum est tamen eum fœtum esse Lutheri. Nam in illo ipso libro Lutherus commentitiæ personæ oblitus quodam loco de se ita ait : « His itaque actis, imperii actor aspericribus verbis objurgans, ait nihil me ad rem ipsam respondisse, nec debere ab œcumenicis semel Synodis definita a me rursum in quæstionem vocari : proinde expectari a me planum et simplex responsum, utrum erroribus renunciare vellem, nec ne. Tum ego ita respondi : « Quid vobis videtur? Potest ne horum superbia majore arrogantia fastuque ullis verbis amplificari? An non toti pleni erant eo spiritu, qui est *Rex super universos filios superbiæ*? An non Spiritu sancto prorsus vacui, qui *Superbis resistit, humilibus dat gratiam*, et non requiescit, nisi super humiles et contritos et timentes sermones Dei?

Jam vero quid de maledicentia et scurrilitatibus, de convitiis et verborum turpitudinibus dicemus? Vix una sententia integra in libris eorum sine conviciis et maledictis reperitur, Lutherus vero loqui non poterat, nisi tertio quoque verbo porcos, asinos, diabolos, stercora, merdas nominaret, ut peccus ejus quasi putrefacta sentina vel immundissima latrina nihil nisi teterrimos foetores spirare posse videretur. Unde merito aliqui Lutherum stercorem prophetam appellandum esse definierunt. Certe non toties Apostolus Paulus et sancti Patres nostri nomen Dei et Christi, quoties novi isti Evangelistae nomen Diaboli in suis voluminibus reliquerunt: Nec mirum, *Ex abundantia enim cordis os loquitur.*

Et non minus isti Diabolo et Angelis ejus, quam sancti Patres Deo et beatis spiritibus familiares erant. Et Lutherus quidem satis ingenuè in suo libro de Missa singulari confitetur, inter se et Diabolum magnum intercessisse familiaritatem, et se cum eo amplius, quam unum modium salis comedisse, et eo magistro ac doctore multa didicisse, Zwinglius quoque non obscure, in libro, quem Eucharistiae supplementum inscripsit, se nocturno quodam spiritu in argumentis contra Sacramenta excogitandis adjutum esse docet, quem ater esset an albus, dignoscere non potuerit. Sed quis ambigat, atrum, tartareum et teterrimum fuisse? Angelus enim lucis claritatem suam non abscondit, neque mentem, quam visitat, in horrore et tenebris deserit. Porro Calvinus ad Bucerum scribens, aperte testatur, non esse ingenii, sed genii sui morem nunquam in scribendo a convitiis et maledictis abstinere.

Aliud vitium omnibus haeresiarchis, tam veteribus, quam novis commune fuit, quod fraudibus, dolis, technis, fictis miraculis, apertis mendaciis et Scripturarum corruptellis, sectas suas promoveri semper studuerint. Cum Ariani aboleri vellent vocem illam *ὁμοούσιον*, qua divinitas Christi et majestas asseritur, ut ex Ruffino lib. x. historicarum c. 21 intelligi potest, ab Episcopis Latinis linguae Graecae imperitis in Ariminensi Concilio quaerebant; num in Christum an potius in Homousion credere vellent: quasi tantum interesset inter Christum et Homousion, quantum inter Christum et Antichristum: ut eo dolo Catholicos Episcopos circumvenirent, sicut etiam circumve-

nerunt. Dolus item Apollinistarum, ex eodem Ruffino in Apologia pro Origine notissimus est. Cum enim aliquando librum quemdam B. Athanasii a Catholicis, cum finibus disputabant, accepissent mutuo, omnia loca, quae contra se faciebant, deleverunt. Ac deinde incredibili versutia rescripserunt, ut non tam ab Athanasio posita, quam a nostris supposita, et librum illum non Haeretici sed Catholici corrupisse ac depravasse viderentur. Arianos verba illa de Joannis Evangelio delevisse, *Spiritus est Deus*, testis est fide dignissimus Ambrosius lib. iii. de Spiritu sancto. Marcionem ex omnibus Scripturis, ea quae contra suam haeresim faciebant abrasisse, testes sunt Irenaeus lib. i. contra Valentinum et Tertullianus lib. v. contra Marcionem; et Cyrillus in utraque ad Successum epistola, conqueritur Epistolam B. Athanasii ad Epictetum, ita Nestorianos corrupisse, aliis detractis, aliis suppositis. ut jam nihil aliud, quam haeresim Nestorianam sonaret. In sexta Synodo actione nona ab ipsis Romani Pontificis legatis plane convicti sunt Haeretici, multa loca vel sustulisse vel corrupisse in libris sanctorum Patrum, Athanasii, Ambrosii atque Chrysostomi. At Lutherorum et Calvinistarum mendacia, doli, fraudes, corruptelae pene sunt infinitae. Unde Hieronymus Emserus praefatione annotationum in novum Testamentum Lutheri, constanter profitetur, Martinum Lutherum non solum omnes libros, sed omnia fere capita Bibliorum corrupisse, ac fere mille quadringentos errores Haeticos et mendacia immiscuisse. Ac ut non eamus procul, nonne in epistola hodierna, quam explicaturi sumus, abstulit illa verba: *Ut abstineatis vos a fornicatione?* Et merito sane. Nimis enim aperte pugnabant cum illo dogmate lutherano: *Si non vult uxor, veniat ancilla.* Itaque extingui debuerunt. Et in epistola Jacobi, quam tamen stramineam appellat; nonne illa verba; *Ostende mihi fidem tuam sine operibus.* Lutherus de more depravavit: *Ostende mihi fidem cum operibus?* In epistola ad Romanos, ubi legimus: *Arbitramur hominem justificari per fidem:* nonne ipse corrupit: *Arbitramur hominem solum justificari per fidem?* Cumque amicus quidam quaereret, cur addidisset illam vocem *solum* arrogantia intolerabili respondit: « Si papista tuus, inquit, multa vult garrere de hac voce *solum* ei confestim respondeo: Doctor Martinus Lutherus vult

sic habere, aitque Papistam et asinum esse unum. Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum esse discipuli, sed magistri ac iudices. » Surius pagina 261. deinde sectarii, nonne omnes miseris populis persuaserunt, ea nos credere, quæ nunquam somniavimus? et multa esse nuper inventa, ut ordines minores, sanctorum invocationem, imaginum venerationem? quæ tamen in libris veterum passim inveniuntur. Nonne fictis miraculis (quod alias ostendimus) fidem suam propagare voluerunt? Nonne, ut suis persuaderent, se quoque magnum numerum sanctorum Martyrum et Confessorum habere, et Foxus et alii martyrologia composuerunt, ut ea omni genere nebulonum repleverunt? Unum dumtaxat exemplum proponam. Certe Foxus hominem quemdam nomine Guilelmum Cubrisium in numerum sanctorum Martyrum retulit. Et sane si sciret vulgus Hæreticorum, quis Cubrisius ille fuerit, nihil dubito, quin statim totum martyrologium laceraret. Ille enim, ut ex ipsa ejus confessione cognosci potest, ideo vivus adustus est, quod assereret Christum non venisse mundi redemptorem, sed futurum mundi deceptorem, et nomen Christi fœdum esse nomen, et illud se ubicumque in libris reperisset, destruxisse, et omnes, qui in nomine Christi crediderunt, ad gehennam esse damnatos. Denique nunquam se Christi nomen esse confesurum. Ecce vobis qualem Dæmonem pro sancto colendum Martyre proposuit ille, et quibus dolis cæteri populos decipiunt. Quæso vos, potestne ista perfidia ullo modo excusari? Etiam si vera esset doctrina Hæreticorum, num fictis prodigiis, apertis menda-

ciis, Scripturæ corruptelis eam confirmare debuerunt? Nonne satius est millies obmutescere, quam semel mentiri? Quid unquam tale in libris Catholicorum invenerunt? Quod erit unquam opus Diaboli, si hoc non est?

Sed ut ad extremam orationem veniamus, numquid exitus Hæreticorum ab eorum vita unquam discrepavit? Nullo modo. Horrendum Simonis, Manichæi, Arii interitum alias recensuimus. Martinus Lutherus nonne sicut Epicureo more vixit, ita quoque more Epicureo extinctus est? Nam cum nocte quadam optimam cœnam sumpsisset, sicut semper solebat et fabulis et facetiis omnibus convivis risum movisset, in lecto molli ac pretioso, ut ille quondam dives epulo, post paucas horas ore contorto animam Diabolo reddidit. Quis unquam sanctorum ita mortuus est? Calvinum nonne viri fide dignissimi retulerunt, et scripserunt, a vermibus consumptum expirasse, sicut olim Antiochum et Herodem? Zwinglium nonne in bello, quod Catholici Helvetii cum Hæreticis Helvetiis pro fide felicissime gesserunt, misere trucidatus est? Oëcolampadius nonne Zwinglii morte audita post triduum repente obiit? Carolstadium nonne ipsi Basileenses Ecclesiastæ, in epistola, quam de ejus obitu ediderunt, a Diabolo occisum volunt? Habetis igitur quales prædicatores Ecclesia, et quales Hæreticorum synagogæ semper habuerunt. Inter quos tantum interest, quantum inter diem et noctem, inter lucem et tenebras, inter Deum et Diabolum, inter Christum et Belial, inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter aurum et carbonem.

CONCIO X.

DE COMPARATIONE VETERUM ET RECENTIUM HÆRETICORUM, QUANTUM AD FIDEM.

SYNOPSIS

Christianissimum imperatorem Theodosium imitatus auctor, duabus subsequentibus concionibus, fide et moribus tam Catholicorum et Hæreticorum veterum comparatis, hæreticos convincere aggreditur. Atque Novatorum hæreses de fide sine operibus, de libero arbitrio, de Deo causa peccati, de resurrectione universali, de realitate Christi in Eucharistia, de humanitate Christi, de incarnatione ejusdem, de pœnitia et confessione tollenda, de SS. Trinitate, de Baptismi necessitate, de dignitate sacerdotum, de precibus pro mortuis offerendis, de virginitate, de sanctorum invocatione, de peccato originali et justificatione, de omnipotentia Christi, de usu Eucharistiæ, de Deo passo, de sanctorum imaginibus, de consubstantialitate Filii cum Patre: has, inquam, hæreses omnes veterum hæreticorum, et quorum fuisse deliramenta jamdudum condemnata, dilucide disseritur. D. Hieronymus a calumnia Lutheri, de verbo Homousion, vindicatur. Quam bene conveniat Luthero et Calvino cum Ario in multis apparet. Qua ratione ex falsis hæreticorum dogmatibus in pejus semper ruat mundus: adeo ut misero huic nostro ævo Diabolus omnibus vinculis solutis libere grassari videatur, ut eleganter, sic vere demonstratur.

Quo consilio senior Theodosius, Christianissimus ac potentissimus imperator, et ideo potentissimus, quia Christianissimus, aliquando in Hæreticis profligandis usus fuisse legitur; eo mihi potissimum, auditores opti-

mi, utendum esse in tam multis, et tam variis diversorum hæreticorum erroribus refellendis hac nostra tempestate videtur. Is enim, ut Socrates in quinto libro historiarum scriptum reliquit, cum videret propter Arium, Eunomium et Macedonium Ecclesias Orientis in sectas atque hæreses innumerabiles esse distractas, patronos singularum sectarum ad se vocari jussit, atque ab eis quæsivit, num eos magistros ac doctores audire ac sequi parati essent, quos ante exortam hæresim Arianam catholicos atque orthodoxos fuisse, et Ecclesiam Dei probe administrasse constaret? Ea vero sola interrogatione admirabile est, in quantas angustias Christianus imperator turbam illam hæreticorum conjecerit. Nam neque judices illos ab imperatore propositos accipere conscientia profanarum novitatum eos patiebatur: neque rursus eorum judicium recusare ulla vel justa vel apparente ratione poterant. Ad eundem igitur modum nos hodie et oratione sequente cum Hæreticis nostri temporis agemus. Comparabimus enim fidem et mores, tam Catholicorum quam Hæreticorum recentium, cum fide et moribus Catholicorum et Hæreticorum veterum. Nam fides et mores Ecclesiæ veteris et veterum Hæreticorum (quod vos meminisse puto) sunt duo argumenta pene postrema ex illis duodecim, quæ vobis in concionibus hujus anni explicanda suscepimus. Et si ostendere poterimus, fidem, religionem, vitam, mores Lutheranorum, Zwinglianorum, Anabaptistarum, Calvinistarum, non similia, sed prorsus eadem esse cum fide, religione, vita, moribus veterum perditissimorum et millies damnatorum Hæreticorum, tum demum petemus, ut sicut illos Hæreticos omnes communibus votis execramur, anathematizamus,

æternis cruciatibus addicimus, ita novos istos, qui eandem fidem, eandem religionem, eosdem mores coluerunt ac tenuerunt, pari anathemate ac supplicio dignos judicetis. Et contra fidem ac religionem Catholicæ Ecclesiæ, quæ nunc est, tamquam rectam et piam retinendam et conservandam censeatis, quam sancti illi Patres olim tenuerunt et coluerunt, quos tamquam vere pios et orthodoxos omnes hoc tempore tam Catholici, quam Hæretici amplectimur et veneramur.

Ut igitur de fide primum, deinde de moribus dicamus, quod Lutherus nostris temporibus docuit et tamquam fundamentum quoddam suæ doctrinæ esse voluit, « Fidem sine operibus ad salutem sufficere, et tam divitem esse hominem Christianum, ut etiam volens perdere non possit salutem suam quantiscumque peccatis modo nolit credere : » certe olim omnino idem pseudoapostolis et Eunomiani docuerunt. De pseudoapostolis ita loquitur Augustinus in libro de fide et operibus, c. 14. : « Jam illud excutiendum est a cordibus religiosi, ne mala severitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint : bene autem vivere, et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam obscuris sententiis apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere. » Et paulo infra : « Quoniam ergo inquit, hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maxime dirigunt intentionem, et vehementer adstruunt, fidem sine operibus nihil prodesse. Sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum credimus, sed eam salubrem planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. » Hæc Augustinus, eandem hæresim et jam Simonismagi fuisse, testatur B. Irenæus libro 1. contra Valentinum, capite vigesimo. Eunomium vero animo et corpore leprosum, et omnium pene Hæreticorum scelestissimum, D. Epiphanius initio libri tertii contra hæreses, et B. Augustinus de hæresibus, cap. 55 tradunt ita inimicum bonis operibus fuisse, ut diceret, fidem solam sufficere : opera vero usque adeo non necessaria, ut enim scortationes et alia peccata nihil noceant, modo homo credat. Quod nonne est idem cum eo, quod Lutherus ait : « Non posse hominem Christianum perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere ? Itaque Lu-

therani se proles esse pseudoapostolorum quos Apostoli ipsi damnaverunt, et Simonis atque Eunomii discipulos, nisi frontem omnino amiserint, negare non possunt.

Rursum vero, quod Lutherus et Calvinus, et sectarii pene omnes docent, « hominem non esse liberi arbitrii, et omnia absoluta necessitate evenire, » quod est alterum novæ doctrinæ fundamentum : olim idem omnino docuerunt primo Simoniani, teste D. Clemente lib. III Recognitionum ; deinde Manichæi, teste D. Hieronymo præfatione in Dialogum suum contra Pelagianos.

Quod Wicleffus, Lutherus, Melancton, Calvinus et cæteri docent : « Deum vere proprie non permittendo, sed efficiendo causam esse omnium peccatorum », olim Simon magus docuit, teste Vincentio in commonitorio : deinde etiam Florinus, teste Eusebio lib. v historiarum. c. 20.

Quod libertini et Servetus in Gallia, vel ipso teste Calvino, « Corporum resurrectionem futuram esse negant », hæresis est antiquissima, quam Apostolus Paulus in Hymenæo et Phileto, et B. Epiphanius in Simone mago et Menandro reprehendunt.

Quod Sacramentarii docent, « Sacrosantam Eucharistiam non esse veram carnem Domini », idem iisdem verbis quidam perditii homines initio nascentis Ecclesiæ docuerunt, quos Ignatis Joannis Apostoli discipulus refellit, teste Theodoreto dialogo 3. qui inscribitur *Impatibilis*.

Quod nonnulli Anabaptistarum docent, « Christum solum esse hominem, non etiam Deum, et antequam de Virgine nasceretur, non fuisse, » olim Ebionitæ, Paulus Samosatenus, et Photinus docuerunt.

Quod rursum Anabaptistæ docent, « Christum de Virgine Maria nihil sumpsisse, sed corpus vel cœleste, vel ex elementis habuisse et per Virginem tamquam per rimulam aut per fistulam transisse, » quid est aliud, quam ad veritatem Verbi Dei et Christianam religionem penitus abolendam, impiorum Doctorum, Valentini et Apellis, extinctos revocare furores et horrenda deliria innovare ? Nam eorum Hæreticorum ista fuisse somnia testatur Tertullianus lib. de Præscriptionibus Hæreticorum. Neque vero putetis istum Anabaptistarum furorem esse sopitum. Nondum annus præterit, ex quo (in parte quadam Germaniæ (quod sane pudet referre) Anabaptistis publica facta fuit potestas, de ista quæstione disputandi, an substantiam carnis suæ

Christus ex Virgine Maria, an aliunde assumserit? Ecce quo nos isti novatores deduxerunt, ut jam publice inter Christianos disputetur, an Christus sit homo et Filius Mariæ? Sed pergamus ad cætera.

Quod pœnitentiam et confessionem sectarii hodie tollunt, idem olim Montanistæ et Novatiani fecerunt, teste B. Hieronymo in epistola ad Marcellam de erroribus Montani, et Theodereto lib. III de fabulis Hæreticorum.

Quod Michael Servetus, quem Calvinus, tametsi alioqui condiscipulum suum, extremo supplicio affecit, aperte sacrosanctam Trinitatem impius negavit, et quam sublimes in cœlo Spiritus Seraphini ter adorandam esse noctes et dies profitentur, ipse homo impurus et blasphemiae spiritu plenus, triceps monstrum ac cerberum quemdam tripartitum, sed et diabolicum phantasma et illusionem Satanæ, et deos imaginarios tres Dæmoniorum spiritus, et Geryonis monstrum audet appellare: unde in Transilvania existunt hodie ministri, qui B. Augustinum et alios veteres, qui tres veras et subsistentes personas in Deo statuunt, Trinitarios et Sophistas vocant: nonne hæc est ipsissima hæresis Noethi et Sabelli, quam Ecclesia semper exhorruit? et quam D. Basilius, Augustus, omnes Patres et omnia Concilia damnaverunt.

Quod Lutherus et Calvinus præterea baptismum aquæ non vult esse necessarium, nonne iisdem verbis idem blasphemabant et docebant Manichæi? De quibus illud etiam Theodoretus refert, libro de fabulis Hæreticorum, egregie videlicet eos præstigiis uti consuevisse, et scelerata quædam mysteria atque orgia habuisse, quibus ita auditores suos dementabant, et Satanæ possidendo tradebant, ut omnino ægre ac difficile converti possent. Quæ omnia quis ambigere potest, non minus in nostros Anabaptistas, quam in Manichæos convenire? Nam quis ignorat, habere Anabaptistas sua secreta, sua orgia, suas incantationes, quibus ita se Dæmonibus tradunt, ita ab eis possidentur, ut sint ipsi omnium Hæreticorum obstinatissimi, licet nulla extiterit, unquam secta turpior aut absurdior? Sed pergamus.

Quod Lutherus docuit, « Etiam pueros et feminas esse Sacerdotes », et Anglicana synagoga non solum feminam, sed feminam spuriam et Hæreticam, summum caput Ecclesiæ suæ Anglicanæ esse docent: nonne idem

omnino olim Pepusitæ docuerunt: testes sunt Epiphanius et Augustinus in catalogo Hæreticorum.

Quod sectarii hodie docent, « Non esse pro mortuis suffragium offerendum, nec statuta Ecclesiæ jejunia observanda », nonne Ariani idem prorsus ante mille annos docuerunt? Nonne propterea Hæretici ab Ecclesia habiti sunt? Non idcirco Epiphanius et Augustinus eos in catalogo Hæreticorum retulerunt?

Quod Lutherus docuit, « Virginitatem non præstare matrimonio, peccata esse paria, omnes æque sanctos, jejunia nihil prodesse », nonne olim docuit Jovinianus Stoicus simul et Epicureus, quem B. Hieronymus duobus gravissimis libris confutavit?

Quod Lutherani, Zwingliani, Calvinistæ, omnes sectarii simul contra sanctos et eorum reliquias fremunt, et nec eos tamquam intercessores et advocatos apud Deum invocari, nec etiam honorari volunt: nonne eodem furore idem voluit olim Vigilantius, cujus audaciam B. Hieronymus, acerrimus veritatis propugnator, libro adversus eum doctissime et eloquentissime scripto, respuit et fregit? Quamquam Centuriatores Magdeburgici pro sua in Deum et sanctos pietate, incredibili metamorphosi Vigilantium vel potius ebrium Dormitantium, Divo Hieronymo antepone non verentur, et non tam Vigilantium a Beato Hieronymo confutatum, quam B. Hieronymum a Vigilantio emendatum videri volunt: et tamen indignantur, si eos novatores appellemus. Quid, quæso, est novare et mundum invertere, si hoc non est? Quis unquam his mille annis audivit non Vigilantium Hæreticum et B. Hieronymum Catholicum sed B. Hieronymum Hæreticum et Vigilantium catholicum fuisse? Nonne hac lege etiam magnum Leonem Hæreticum, Eutychem Catholicum: B. Cyrillum Hæreticum, Nestorium Catholicum; B. Augustinum Hæreticum, Pelagium Catholicum: D. Basilium Hæreticum, Enomium Catholicum: B. Athanasium Hæreticum, Arium Catholicum; Irenæum Hæreticum, Valentinum Catholicum; Cyprianum Hæreticum, Novatianum Catholicum; ac breviter B. Petrum Hæreticum, Simonem magum Catholicum faciemus? Sed ad seriem orationis redeamus.

Quod Zwinglius, Bucerus, Calvinus et quidam alii volunt, « filios Christianorum

nasci sine peccato et hæredes regni, et posse hominem naturæ viribus sibi beatitudinem æternam comparare, » sicut Catonem et Scipionem putat Zwinglius comparasse; nonne est hæresis Pelagiana, quam D. Augustinus toto fere septimo tomò operum suorum expugnat?

Quod Lutherus epistolam ad Hæbræos exponens asserit, « Christum non esse hominem omnipotentem, » ex quo sequitur non esse hominem Deum; atque « duas esse in Christo personas, » unde non desunt hodie, qui dicant sanctam Mariam non esse Dei genitricem, nonne est ipsa hæresis Nestoriana, quam Ecclesia universa in prima Ephesina synodo damnavit.

Quod multi Lutheranorum docent, « non esse corpus Domini in Eucharistia extra sumptionem et usum Sacramenti », nonne idem olim duo docuerunt, quos B. Cyrillus in epistola ad Calosirium insinare affirmat?

Quod Lutherus in libro de Conciliis, « Christi divinitatem passam esse » docet; et Servetus ac Schwencfeldius, et alia quædam plusquam insana capita, naturam Christi humanam ac divinam confundant, nonne est hæresis Eutychiana, quam Synodus Chalcedonensis omnium maxima et illustrissima confutavit?

Quod Calvinistæ tanto furore sæviunt in sacras sanctorum imagines, et omnem penitus memoriam crucis Christi, et nostræ liberationis sublatam videre vellent, nonne ille idem furor est et impietas, quæ ante annos octingentas in Oriente grassabatur, et contra quam Synodus Nicæna secunda frequentissima et sanctissima convenit?

Quid jam de Ariana peste dicemus, quam ad ultimum tamquam omnium gravissimam et perniciosissimam reservare voluimus? Certe Arii Hæreticorum omnium pestilentissimi et contra quem Synodus prima Nicæna antiquissima habita est, Hæresis præcipua fuit, Filium Dei non esse homousion Patri, hoc est ejusdem naturæ atque essentialiæ cum Patre: testes sunt Augustinus et Epiphanius ac pene omnes Patres. Nullus enim fere est veterum, qui itam hæresim non confutaverit. Porro blasphemiam istam, quæ totam religionem Christianam evertit, nonne Luthero et Calvino, et eorum discipulis placuisse facillime demonstrari potest? Primus Lutherus contra Jacobum Latomum virum eruditissimum scribens, nonne ait:

« Anima mea odit hoc verbum *Homousion*? » Quid, quæso, vel sentiret vel diceret aliud Arius, si ab inferis redivivus adesset? Nam tota illa tragœdia, quæ Ecclesiam misere fœdavit ac vastavit, propter hanc unam vocem excitata est, cum Patres Catholici nihil aliud suis libris et conciliis conarentur, quam hanc sententiam stabilire, quæ Christum homousion Patri, hoc est, Deum verum, Patri æqualem, consubstantialem esse docet. Hæretici contra nihil aliud decem conciliabulis suis quin, etiam armis et exercitibus molirentur, quam hanc vocem abolere, et non solum de symbolo et Conciliis, sed etiam de dictionariis tollere. Unde etiam Catholicos hoc nomine Homousianos probrose vocitabant. Sed audite inauditam impietatem et calumniam ac mendacium perniciosissimum ejusdem Lutheri, in eodem illo contra Latomum libro, non contentus dixisse: « Anima mea odit hoc verbum *Homousion*, » addit etiam D. Hieronymum hanc ipsam vocem recipere non voluisse, quod nescio quid veneni latere in syllabis arbitraretur. Quid faciemus hominibus istis, qui non sciunt causam suam tueri, nisi mendaciis? Nam D. Hieronymus in illo ipso loco, quem Lutherus adducit, qui est in epistola ad Damasum de Hypostasibus, sæpius recipit, amplectitur, prædicat, homousion Trinitatem: venenum autem latere aliquod in syllabis arbitratur, non vocis « Homousion, sed vocis Hypostaseon. » Sic enim loquitur: « Proh dolor, post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum præsule et Campensibus novellum a me homine Romano nomen exigitur: qui, quæso, ista Apostoli prodidit? Quis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogemus, quid tres hypostases posse arbitretur intelligi: tres personas aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet: « Ecce auditis ubi venenum latere dicat scilicet in nomine « Hypostasis, » quod est ambiguum, et substantiam et personam significare potest. Ideo enim cupiebant Ariani tres personas, très hypostases dici, ut tres substantiæ in Deo esse putarentur, atque adeo homousion tolleretur. Itaque tantum abest, ut D. Hieronymo vox « Homousion » displicerit, ut potius solo metu, ne ea vox nobis ab Arianis eriperetur, très

personas, tres hypostases dicere formidaverit. Quæso vos, quale scelus est hoc, simul B. Hieronymum, Hæreticorum malleum, mendacio Arrianum facere, et ea calumnia simplicium animos circumvenire? Quid? Quod non solum nomen « Homousion, » sed etiam nomen « Trinitatis » Luthero displicuit, ut ipse confitetur, et ex Germanorum litaniis illam pulcherrimam et antiquissimam precandi formulam submovet: « Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis. »

Sed ad Calvinum veniamus. Is primum, quod magni criminis suspicione non vacat, cum in Genesim et in Joannem scribit, alio detorquet testimonia, quæ fidem sanctissimæ Trinitatis et divinitatis Christi non parum illustrant. Deinde in Synodo quadam Lausannensi (ut Petrus Carolus, qui eidem Synodo interfuit, ad cardinalem Lotharingum scripsit) confiteri nunquam voluit, Christum Deum esse de Deo vel ex substantia Patris: imo vero pulcherrima et significantissima illa verba Symboli: « Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, » absurdam et ridiculam battologiam appellavit. Nomen Trinitatis quod Ciceroni esset insuetum, non probavit; Symbolum Nicænum, contra Arianos ante mille ducentos annos editum minime recepit: Symbolo B. Athanasii se neque credere, neque discredere ait, donec illud ad Scripturarum normam examinasset. Quid quæso, unquam magis fecerunt vel dixerunt Ariani? Sed quando horum nihil esset; quo pacto Calvinum ab Ariana impietate excusare poterunt, cum ille disertis verbis velit illa verba Pauli: *Tunc ei ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*, ad utramque Christi naturam, esse referendam? si docet Calvinus secundum utramque naturam divinam et humanam, Christum Patri esse subiciendum, quomodo non docet Christi divinitatem etiam esse diversam a Patris divinitate, atque adeo Deum Filium Deo Patri esse minorem, quæ est ipsissima hæresis Ariana?

Itaque videtis quo Novatores isti tendant. Ab indulgentiis incepterunt, et paulatim eorum rem deducunt, ut Trinitatem, Incarnationem, omnia, mysteria omnia Sacramenta nobis tollant, mundum faciant arianum, et Christi religionem penitus extinguant. Nam ex istis fontibus processerunt, qui nunc aper-

te prædicant, unum et solum Deum esse Patrem, et Christum Dei Filium Deo Patri minorem, et propterea Symbolum beati Athanasii, Symbolum Sathanasii contumeliose vocant. Porro Arianismus nonne aperte ducit in Paganismum, qualem jam in Polonia excitatum audimus, ubi non desunt, qui docent esse tres omnipotentes, tres æternos, tres essentias, tres deos? Ex Paganismo vero nonne in atheismum veniemus? Iste scopus, iste finis, illud propositum Satanæ est, ut tandem Christianos homines atheos efficiat, qualis fuit, Luthero teste, Carolstadins, qui tamen est pater omnium hujus temporis Sacramentorum. Graviter enim Lutherus asseruit, usque adeo Carolstadium atheum fuisse, ut nullum esse crediderit, neque in cœlis, neque in terris Deum. Et nondum intelligunt misere seductæ Germania et Gallia, quos spiritu ducantur stulti atque impii pseudoprophetæ, qui eas depererunt? Qui si stulti atque impii non essent, non ita temere in primos ac præcipuos fidei articulos, quibus æternæ salutis nostræ summa continetur, impingerent: neque e Satanæ spiritu eadem nobis profana dogmata depromerent, quæ blasphemi olim Hæresiarchæ, totius orbis judicio sæpe damnati, ad fundamenta religionis atque omnis doctrinæ Christianæ prima fundamenta evertenda sacrilege fabricarunt. Quis non credit, Satanam hoc tempore vinculis esse solutum omnibus, qui adversus Dominum et Christum ejus tam aperto Marte, tanto rerum successu grassatur, et per suos istos satellites et ministros, tantis ludibriis Deum immortalem afficit omnemque subsannat Ecclesiam? Et hæreses quas olim diversis temporibus excitavit, nunc omnes simul instaurat, ut quo minus temporis in suo regno sibi superesse videt, eo studiosius in hoc unum totus incumbat, ut quod Paulus vocat *Mysterium iniquitatis*, in suis filiis uterque Antichristi præcursoribus strenue operetur.

Sed finis sit. Jam enim nisi fallor intelligitis, fidem Hæreticorum veterum et novorum eadem prorsus fuisse; sicut patrem eandem spiritum seductionis et mendacii omnes habuerunt; ac proinde eadem nos ratione Lutherum, Zwinglium, Calvinum et cæteras pestes execrari debere, qua Simonem, Manichæum, Arium et alia vetera monstra atque portenta execramur.

CONCIO XI.

DE MORIBUS HÆRETICORUM VETERUM ET NOVORUM

SYNOPSIS

Moribus potissimum Hæreticos a catholicis discerni affirmatur; atque ad morum comparationem institutam nostrorum Hæreticorum cum veteribus descenditur. Omnes hæreticos Ecclesiam Romanam oppugnasse, testimoniis S. Augustini, Optati Milevitani, Ambrosii et Hieronymi confirmatur; quod idem Hæreticos nostri sæculi facere ostenditur. Atque hinc hanc veram esse Ecclesiam, supra petram portas inferi et insultus hæreticorum spernentem fundatam, evidenter concluditur. Hæreticos solummodo verbum Dei scriptum recipere probatur; ubi de traditionum necessitate et energia multa interserunt, et variæ cæremonicæ per traditionem acceptæ enarrantur. Quod Hæreticis solemne sit scripturas rejicere, receptas vero mutilare et depravare, id quod vel in uno Luthero manifestum sit. Scelera et immanitates quæ veteribus hæreticis cum recentioribus sunt communes, ex fide dignis auctoribus longa narratione adducuntur; ubi Arianorum et Donatistarum crudelitas præsertim describitur, quam Lutherani et Calvinistæ si non superant, saltem adæquare deprehenduntur.

Quæ duæ res in Ecclesia Catholicos ab hæreticis hoc tempore maxime secernunt, eadem ambæ ab ipso Christi Servatoris adventu eosdem ab omnibus sectis separaverunt, sapientia et justitia, fides et mores. Quemadmodum enim, optimi auditores, semper Ecclesiæ Catholicæ sapientia cum Hæreticorum ignorantia, veritas cum erroribus, fides cum infidelitate pugnavit: ita

quoque semper Ecclesiæ probitas, integritas, innocentia, pudor, humilitas, gravitas, cum hæreticorum sceleribus, corruptelis, flagitiis, impudentia, arrogantia, levitate confligit. Ac fidem quidem vel perfidiam potius veterum Hæreticorum, cum opinionibus variis atque hæresibus, quæ hoc nostro calamitosissimo tempore in Europa grassantur, comparavimus superiori oratione, et satis, nisi fallor, ostendimus, nihil modo sectarios docere, quod non ante mille annos in suis primis auctoribus, illis blasphemis hæresiarchis, quorum nunc vix nomina supersunt, orbis totius judicio Ecclesia universa damnaverit. Hodie, sicut promisimus, mores Hæreticorum veterum cum moribus Hæreticorum novorum conferemus, ut omni ex parte similitudo appareat, nec ullus dubitare possit, quin Hæretici isti novi ejusdem Sathanæ soboles sint, cujus prisca illi quondam fuerunt.

Ut igitur a primo ordiamur, nihil communius Hæreticis fuit, quam Romanam Ecclesiam atque Apostolicam fidem insectari atque odisse. Neque mirum. Nam etiam fures prætorem et iudices oderunt. Præterea novit Dæmon, ubi sit fundamentum Ecclesiæ: ubi sit arx religionis, ex qua fontes cœlestis sapientiæ deriventur; itaque semper eo suas acies, sua arma, suos arietes direxit. Testimoniis plurimis abundare possemus, si vel temporis brevitatis pateretur vel causa flagitaret: sed quoniam neque licet, neque volo nimium immorari, contentus ero, si in singulis capitibus explicandis, paucos graves et probatos testes adhibuero.

Pro deat imprimis beatissimus et doctissimus Augustinus. Is enim in libro secundo contra litteras Petiliani, capite quinto, ita hæreticum Donatistam alloquitur: « Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in

qua Petrus sedit, et in qua hodie Anastasius sedet? Quare appellas cathedram pestilentiae Cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui et non facere, numquid Dominus Jesus propter Pharisæos, de quibus ait: Dicunt et non faciunt, cathedræ, in qua sedebant, ullam injuriam fecit? Nonne illam cathedram Moysi commendavit, et illos servato cathedræ honore redarguit? ait enim: *Super cathedram Moysis sedent: quæ dicunt, facit: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim et non faciunt.* Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedram Apostolicam, cui non communicatis. » Hæc ille. Cum quo et sanctum Optatum Milevitanum conjungere possumus, qui in libro contra Parmenianum, his verbis Donatistas hostes fuisse cathedræ Apostolicæ docet: « Claves salutares, inquit, accepisse legimus Petrum scilicet nostrum: unde ergo est, quod claves vobis, Donatistæ, usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris præsumptionibus, et audacis sacrilegio militatis? » Hæc Optatus. Porro B. Ambrosius oratione funebri in Satyrum fratrem suum: « Advocavit, inquit, ad se Episcopum (de Satyro loquitur) nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque, ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, Ecclesia Romana conveniret? » Itaque iidem tunc erant, B. Ambrosio teste Episcopi Catholici, qui cum Romana Ecclesia conveniebant: iidem Hæretici, qui ab ea dissentiebant. Ad damus his tribus et quartum testem beatissimum Hieronymum, cujus est illa præclara et omnibus nota vox: « Qui cathedræ Petri jungitur, meus est. » Beatus igitur Hieronymus Marcellæ Epitaphium describens, ac de B. Athanasio et B. Petro ejus successore loquens, affirmat duos illos sanctissimos et doctissimos Alexandrinos Patriarchas hæresim Arianam fugientes, se ad Romanam Ecclesiam tamquam ad tutissimum suæ communionis portum contulisse. Ex quo facile intelligimus, quantum Romana Ecclesia et hæresis Ariana, eo tempore dissiderent: quandoquidem hostes Arianorum omnium accerrimi et maximi ad Romanam Ecclesiam, tamquam ad opposita castra, vel, ut loquitur Beatus Hieronymus, tamquam ad portum tranquillissimum et tutissimum confugerunt.

Jam vero nostri temporis Hæreticos eodem odio vel graviori, Ecclesiam Romanam

insectari nemo est qui nesciat. Nam et Berengarius Sacramentariorum primus parens, ita Romanam Ecclesiam insectatur, ut Leonem nonum « sanctissimum et reverendissimum Ecclesiæ Dei speculum (ut verbis utar Guilmundi, qui eo tempore floruit et scripsit) summum non Pontificem, sed pontificem atque pulpificem contumeliose vocaret. » Lutherani vero et Calvinistæ atque sectarii cæteri, Arianorum et Donatistarum verissimi hæredes, non alia de causa non Papistas nominandos censuerunt, quam quod Apostolicæ Sedi cum Athanasio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino; Optato et cæteris sanctis Patribus adhæreamus.

Sed scitis quid hoc suo in Romanam Ecclesiam odio faciant omnes hæretici? Nihil aliud, quam ut quasi certissima quadam nota intelligamus, Romanam Ecclesiam, veram veri Dei esse Ecclesiam. Nam ut D. Augustinus in libro primo de Symbolo ad Catechumenos sapienter admonuit; « Ea sine dubitatione vera Ecclesia est, quæ contra omnes hæreticos pugnat, et quam omnes hæreses impugnant, sed non expugnant: quod fundata supra firmam petram nunquam ruat, neque adversus eam portæ inferorum prævalere possint. » Porro notam istam Romanæ Ecclesiæ optime convenire, iste ipse Hæreticorum omnium in eam unam furor et rabies satis docet. Evolvite indices Hæreticorum, tam veterum quam recentium: legite diligenter historias atque Concilia et perspicue intelligetis, nullam hæresim unquam extitisse, quæ se a Romanæ Ecclesiæ communionem non separaverit, et quam Romani Pontifices, vel per se vel per Concilia quibus vel ipsi vel eorum vicarii præfuerunt, non damnaverint. Itaque Romana Ecclesia quasi firmissimus quidam scopulus, in isto vastissimo hujus mundi Oceano, sempersteminet, atque ad eam variarum hæresum tamquam tumentes atque spumentes fluctus, spiritus Satanæ impulsus, singulissæculis alliduntur et franguntur. Irruit in eam hæresis Simoniana, fluctus ingens sane et horrisonus; sed statim alliditur et frangitur. Irruit hæresis Ariana: alliditur et frangitur. Irruit hæresis Nestoriana: alliditur et frangitur. Irruit hæresis Eutyhiana, hæresis Pelagiana, hæreses cæteræ; sed omnes cum magno fragore ac sonitu ad eandem petram tandem alliduntur et franguntur. Quare Hæretici quanto magis contra Ecclesiam istam fremunt, tanto magis intelligentibus et sapien-

tibus clamant, eam veram Ecclesiam esse, nosque magis ad eam impellunt atque compellunt, ut cum B. Augustino dicamus: « Dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per Episcoporum successionem frustra circumlatrantibus Hæreticis culmen majestatis obtinuit? » Sed jam ad alios Hæreticorum mores veniamus.

Secundo loco omnibus veteribus hæreticis commune fuit, a traditionibus, a Conciliis, a Patribus ad Scripturas appellare, atque adeo solum verbum Dei scriptum velle recipere. Ita Valentinus et Marcion Hæretici vetustissimi fecerunt, testibus Irenæo libro tertio contra hæreses et Tertulliano libro de præscriptionibus Hæreticorum. Ita Arius et Aërius, teste Epiphanio in hæresibus eorundem. Ita Nestorius, Eutyches, Dioscorus et Iconomachi, teste Ancyrano Basilio, cujus oratio in septima generali Synodo scripta continetur. Sed audiamus ipsa verba unius ex primis satrapis Arianorum, quæ cum audierimus, non tam prisicum illum Arianum, quam novum aliquem Lutheranum nos audivisse existimabimus. Beatus igitur Augustinus initio libri primi contra Maximinum, ipsum Maximinum Episcopum Arianorum loquentem, et fundamentum doctrinæ suæ jacentem introducit: « Maximinus dixit: si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus. Hæc vero voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur, cum ipse Dominus moneat nos, et dicat: *Sine causâ colunt me, docentes mandata et præcepta hominum.* » Hæc ille. Quas voces eadem nonne frequentissime usurpavit Lutherus? Nonne eadem sunt hodie, et fuerunt semper omnium sectariorum? Nonne Lutheri secta exoriente, in monentis et in vestibus magnis litteris in Germania scribebatur: « Verbum Domini manet in æternum? » Quamquam stulti sunt et ridiculi omnes Hæretici, qui verbum Dei ad solas Scripturas alligare volunt, et quicquid scriptum non est, id non verbum Dei, sed mandata et præcepta hominum vocant. Quasi vero barbaræ gentes, quibus prædicatum est Evangelium, et Scripturas numquam viderunt, verbum Dei non habuerint? de quibus ita B. Irenæus in tertio libro contra hæreses, capite quarto: « Quid, inquit, si neque Apostoli quidem Scripturas nobis reliquissent, nonne oportebat ordinem sequi traditionis qua tradiderunt iis, quibus

Ecclesias committebant? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine caractere, vel atramento scriptam habentes per Christum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes: quibus si aliquis annuntiaverit ea, quæ ab hæreticis adinventata sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. » Hæc est vis traditionis, quæ non sicut verbum scriptum adulterari aut corrumpi potest. Quid? Quod si traditiones, necessario etiam, ut Magnus Basilius testatur, scripturas ipsas repudiare debemus? Nec enim alio modo, quam traditione, quæ sint veræ Scripturæ, quod sit verum Evangelium, quæ sint veræ epistolæ Apostolorum scimus. Cur Epistolam ad Romanos recipimus, et epistolam ad Laodicenses non recipimus, cum utraque exstet, et epistolæ cujusdam ad Laodicenses meminerit Apostolus in Epistola ad Colossenses: Epistolæ autem ad Romanos nunquam meminerit? Certe vel sunt omnes Scripturæ rejiciendæ vel omnes etiam apocryphæ recipiendæ, vel ad traditionem non scriptam recurrendum. Magnum igitur Basilium audiamus: « Dogmata, inquit capite 27 de Spiritu sancto, quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, et nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet. Si enim aggredieremur non scripto proditas consuetudines, velut non magnam vim habentes, rejicere, imprudentes etiam ipsis evangelii partibus damnum inferemus. » Deinde traditiones nonnullas enumerans illa ipsa ponit, quæ Hæretici nostri temporis volunt incredibili mendacio, heri aut nudiustertius excogitata fuisse: quod signamur cruce, quod aquam benedicimus, quod item oleum beneditimus quod Baptismum percepturi renuntiamus diabolo, et angelis ejus, quod ter mergimur in sacrum fontem, quod post baptismum sacro chrismate inungimur, quod genibus flexis oramus, quod in altaris sacrificio sacrosanctam Eucharistiam populo ostendimus, et certis verbis adoramus, quod post Pascha quinquaginta dies lætitia spiritali transigimus, quod templa atque oratoria orientem versus fabricamus. Hæc atque hu-

jusmodi non commenta nova, ut hæretici delirant, sed antiquas traditiones affirmat magnus Basilius : sicut etiam quod pro defunctis sacrificium offerimus, et quod diebus dominicis non jejunamus, quod summa diligentia cavemus, ne corpus dominicum in terram decidat, traditiones sunt Apostolicæ, teste Tertulliano in libro de corona militis. Quod unam quadragesimam observamus, traditio est Apostolica, teste B. Hieronymo in Epistola ad Marcellum, de erroribus Montani. Quod erueem et imagines Christi et sanctorum veneramus, traditio est Apostolica, teste Joanne Damasceno libro quarto de fide, capite tertio. Atque idem de aliis Ecclesiæ Catholicæ observationibus ostendere possemus. Itaque videtis, qui hoc tempore eum antiquis Hæreticis traditiones formidantibus et ideo repudiantibus : et qui cum antiquis Catholicis traditiones recipientibus et venerantibus, conveniant.

Tertio loco priscis hæreticis commune fuit, ex ipsa divina Scriptura eos dumtaxat libros recipere, qui contra ipsorum hæresim non faciabant, et illos ipsos egregie corrumpere ac depravare. Ista fuit semper admirabilis diaboli versutia. Initio Hæreticis persuasit, ut Scripturam solam pro verbo Dei reciperent, atque hoc modo magnam partem sanæ doctrinæ eis eripuit. Deinde iisdem persuasit, ut modo unum librum, modo alium de corpore sanctorum Scripturarum resecerent, et hoc modo aliam partem verbi Dei ab illis abstulit. Persuasit postremo, ut ad suas opiniones eommode defendendas, illos ipsos libros, quos recipiebant, variis in locis sine ullo scrupulo depravarent, atque ita tandem iis, qui tantopere de verbo Dei gloriantur, solum et nudum nomen verbi Dei Diabolus reliquit : et tamen ipsi hæc non intelligunt, sed pergunt in suam perniciem insanire ac furere, et seipsos et multos alios præcipitare, quo spiritus deceptionis atque mendacii eos eompellit. Hæc ita se habere nullo negotio demonstrari potest : nam totum instrumentum vetus rejecisse Cerdonitas et Manichæos testatur D. Augustinus de Hæresibus capite 21 et 46. Ex quatuor Evangelistis solum B. Matthæum recepisse Ebionitas, Marcionitas vero solum Lucam, testis est Irenæus libro primo contra Valentinum. Acta Apostolorum et omnes epistolas B. Pauli Severianos repudiasset, testis est Eusebius libro quarto Historiarum Ecclesiasticarum. Denique Evangelium secundum Joannem et Apocalypsim

rejecisse Alogianos, testis est D. Augustinus de sermone Domini in monte cap. 40. Jam istam ipsam viam ambulasse Lutherum, eamque suos discipulos docuisse, non alio, quam ejus testimonio confirmabimus. Primo enim in sermone quodam, de Moyse, quem anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Wittembergæ dicitur habuisse, ita in vetus Testamentum insanivit, ut decem præcepta recipi non velit : et ridiculis argumentis omnino contendit probare, nihil ad nos Moysen pertinere, ita ut qui eum sermonem legit, non hominem Christianum, sed vel Turcæ nescio quem, vel Cerdonem aut Manichæum loqui putet. Deinde præfatione in novum Testamentum, ita Evangelia Marci, Matthæi et Lucæ contemnit ac despicit, ut admirabile sit. Monet in primis ut falsam opinionem aboleamus, quod sint quatuor Evangelia. Deinde addit, Joannis Evangelium esse unicum pulchrum, verum ac principale Evangelium, aliisque tribus longe ac longe præferendum et anteponendum : adeo ut etiam Pauli et Petri epistolæ, longe præcedant tria illa Evangelia Matthæi, Marci et Lucæ. Qualis est hæc blasphemia, auditores? Nonne satis aperte tria Evangelia repudiare videtur? Nam qui opponit Evangelium Joannis aliis tribus, et cum affirmat illud nunc esse unicum, pulchrum, et verum, nonne simul docet alia tria nec esse pulchra nec vera, ac ne Evangelia quidem? Quid? Quod in sermone Pharisæo et publicano beatum Lucam aperte irridet ac reprehendit, quod ubique resonet opera? Quid? Quod perspicue et sine involueris libros Machabæorum, epistolam ad Hebræos, epistolam beati Jacobi, secundam Petri, secundam Joannis eripuit? Quid? Quod illos ipsos libros, quos eis permisit, mille modis depravavit? Ecce igitur vobis, ad quantas angustias verbum Dei illi redegerunt. Qui tamen nihil in ore habent, aliud, quam verbum Dei, verbum Dei. Non sic Ecclesia Dei vivi, non sic : sed integrum canonem sanctarum Scripturarum ab initio recepit, et ad hanc usque diem conservavit. Illum enim ipsum numerum librorum sanctorum, quem ante annos mille, in Concilio Carthaginiensi tertio Ecclesiam recepisse videmus, etiam nostris diebus in Concilio Tridentino et non diu ante in Florentino recepit.

Jam quarto loco illud, auditores, commune ac vulgare fuit Hæreticis antiquis ac præsertim Donatistis et Arianis, quod

nostris Lutheranis ac Calvinistis familiarissimum semper fuisse, ac esse non audivimus sed vidimus : non legimus, sed experti sumus : nimirum seditiones excitare, altaria evertere, Sacramenta polluere, calices vendere, Sacerdotes interficere, templa spoliare. Audite quid magnus Athanasius in historia de vita et gestis magni Antonii dicat : « Post annos duos, inquit, sæva Arianorum irrupit insania : tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc divinorum temeratio vasorum, tunc pollutis Ethnicorum manibus sacra polluta sunt mysteria. Proh scelus, horret animus replicare, quæ gesta sunt : Virginum matronarumque ereptus pudor, sanguis ovium Christi in templo effusus veneranda respersit altaria. » Hæc B. Athanasius. Qui similia, vel etiam majora et graviora de Arianorum crudelitate refert in Apologia pro fuga sua. Porro iidem Ariani ut crudelitatem impudentia cumularent, post hujusmodi cædes, ut lib. iv Historiarum refert Theodoretus, unum aliquem in ipso templo totum nudum ad suggestum mittebant, qui ita ad impudicitiam et turpitudinem hortabatur, ut non in templo, sed in prostibulo tamquam Veneris orator ad meretrices verba facere videretur. Audite quid sanctus Victor initio libri primi de Wandalica persecutione de iisdem Arianis dicat : « In Ecclesiis, » inquit, « basilicisque et cœmeteriis ac monasteriis sceleratius sæviebant. Quanti tunc ab eis præclari Pontifices, et nobiles Sacerdotes diversis pœnarum generibus extincti sunt, ut traderent, si quid auri vel argenti proprium vel Ecclesiasticum haberent. Et dum hæc, quæ erant, urgentibus pœnis facilius proderentur, iterum crudelibus tormentis oblatores urgebant, aut manentes quamdam partem, non totum esse oblatum : et quanto amplius dabant, tanto amplius quempiam habere credebant. Alii palorum vestibus ora reserantes, fœtidum cœnum ob confessionem pecuniæ faucibus ingerebant. Nonnullos in frontibus et tibiis nervis remugientibus torquendo cruciabant. Plerisque aquam marinam, aliis acetum, amuream liquamenque, et alia multa atque crudelia sine misericordia porrigebant. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia Sacerdotatis crudeles animos mitigabat : quin imo exaggerabatur ira furoris, ubi honorem conspexerant. Sed etiam parvulos ab uberibus rapiens maternis barbarus furor insontem infantiam elidebat ad

terram. Alii parvulum pedibus tenentes a meatu prorsus naturali usque ad arcem capitis dissipabant. » Et paulo infra : « Tempore, » inquit, « quo Sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes Ariani maximo furore corpus Christi et sanguinem pavimentis sparserunt, et illud pollutis pedibus calcaverunt. » Hæc B. Victor. Cujus tres libri de Wandalica persecutione nihil fere aliud continent, quam hujusmodi crudelia atque horrenda facinora Arianorum, qui pro fide quidem se pugnare dicebant, sed interim re ipsa pro auro atque argento, et suis explendis libidinibus, ut audivistis, pugnant. Quorum Calvinistæ sicut fidem imitantur, ut superiori oratione docuimus, utrum etiam mores exprimant, res ipsa clamat. Sed duo verba de Donatistis prius.

Audite quid sanctus Optatus libro sexto contra Parmenianum de impietate Donatistarum dicat : « Quid est, » inquit, « altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi? Hæc omnia furor hic aut rasisit aut fregit aut removit. Atque hoc immane facinus geminatum est dum fregistis et calices Christi sanguinem portatores, quorum species revocastis in Massas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quas nec emptores eligere voluistis, sacrilegi dum inconsiderate vendidistis : emerunt forsitan in usum suum sordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium ! O facinus inauditum, auferre Deo, quod idolis præstes, subducere Christo, quod proficiat sacrilegio ! » Sed audiamus postremo quid B. Augustinus in psalmo decimo de iisdem Donatistis dicat : « An forte dices, » inquit, « quod scriptum est : *Ex operibus eorum cognoscetis eos* ? Video plane mira opera, quotidianas violentias Circumcellionum sub Episcopis et Presbyteris ducibus circumquaque volitare, et terribiles fustes Israelis vocari. » Idem in e pistola quinquagesima ad Bonifacium comitem : « Taceo », inquit, « crudelissimas cædes, et domorum deprædationes, per nocturnas aggressiones, et incendia non solum privatorum habitaculorum, sed etiam Ecclesiarum, in quas flammæ non defuerunt, qui etiam codices dominicos mitterent. » Et paulo ante : « Episcopum, » inquit, « Vagiensem stantem ad altare irruentes horrendo impetuet furore crudeli, fustibus et hujusmodi telis, lignis denique ejusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt. »

Audistis quid Hæretici veteres olim fecerint et quomodo Evangelii ac religionis prætextu misere Ecclesias fœdaverint ac devastaverint. Quæ omnia solis mutatis nominibus, nonne ita in novatores conveniunt, ut illi veteres Lutherani et Calvinistæ, isti novi Ariani et Donatistæ dici posse videantur? Nonne Lutherus aliquando serio asseruit, eam indolem esse Evangelii, ut bella et seditiones moveat? Nonne occasione lutheranarum seditionum Hungariam regnum florentissimum et Christianæ reipublicæ pernecessarium amisimus? Nonne occasiones earumdem seditionum Turcarum imperatorem Viennam usque cum innumerabili exercitu traxerunt, et in magnam spem totius Europæ occupandæ erexerunt? Nonne in Germania propter Lutheranas seditiones brevissimo tempore supra centum millia rusticorum cæsa sunt? Nonne monasteria atque castra tam multa vexata, direpta, eversa in tota Germania, ut in sola Franconia aliqui ad trecenta numeraverint? Nonne Zwinglii dictum celebratur: « Evangelium vult sanguinem »? Nonne vere sanguinarii Zwinglii Evangelium omnem Helvetiorum regionem cædibus et sanguine replevit?

Sed ad Gallos veniamus. Nonne in ipsa urbe Parisiorum ante annos decem furentes per plateas scelerati Calvinistæ strictis gladiis personabant: « Evangelium evangelium »? Quot fana, quot monasteria, quot pagos, quot oppida spoliaverunt ac diripuerunt Calvinistæ? Quot in locis altaria everterunt, sacros calices rapuerunt, sacras imagines confregerunt, sanctorum reliquias disperserunt? et quorum sanctorum? Illustrissimorum, maximorum: B. Irenæi, B. Martini, B. Hilarii, combusserunt, et in aquas vel cloacas abjecerunt. Sacramenta cœlestia ad terram sparserunt, pedibus conculcaverunt, avibus objecerunt, globis tormentariis petiverunt. Quid vero de cædibus horrendis, et ipsa crudelitate crudelioribus dicemus, quas vel ad pecunias extorquendas vel ad vires experiendas vel ad delectationem et voluptatem capiendam in infinitis locis exercuerunt? Nonne infantes, ut olim Ariani, medios dividerunt? Nonne Sacerdotum vultus excoriarunt? Nonne eorum capita uno ictu in duas partes secuerunt? Nonne auricas Ecclesiasticorum pro monilibus et torquibus gestaverunt? Nonne aliquibus, viventibus et

videntibus viscera lento gradu explicuerunt? Nonne plurimos ad stipitem alligatos ictibus bombardarum animi gratia petiverunt? Nonne multos in puteos conjecerunt? Nonne aliquos etiam vivos sepelierunt? Nonne Sacerdotem quemdam in Cenomarum civitate amputatam sui corporis partem pudendam devorare coegerunt: ac deinde vi ventrem aperuerunt, ut videre possent, num concoqueret edulium hujusmodi stomachus humanus? Nonne prope Aureliam cum ingenui aliquot pueri in turri cujusdam Ecclesiæ metu Calvinistarum latitarent, impiissimi Calvinistæ eos simul cum Ecclesia combusserunt, et aliquos fuga per fenestras elapsos iterum in incendium vivos rejecerunt? Nonne ista omnia et multo plura, quæ nunquam recenseri possent, adhuc hodie vivos et oculos testes habent? Nonne crudelitatem omnem tyrannorum barbarorum, immanium ferarum atque etiam Dæmonum ipsorum superant? Omnes omnium qui fuerunt unquam tyrannorum annales ac historias legite, nec non omnes, seu barbarorum, seu Hæreticorum res crudelissime gestas, tragicas item poetarum fabulas ac fictiones quas ad homines terrendos excogitaverunt, speluncas atque antra tigridum, ursorum, leonum, perlustrate, nulla profecto unquam, nec inter homines, nec inter feras, nec inter ipsos infernales Dæmones talia crudelitatis exempla reperietis: ut jam mihi meliores et humaniores anthropophagi et tigrides vel etiam Dæmones, quam Calvinistæ videantur: tantum abest, ut eis vel micam religionis divinæ aut Christianæ pietatis tribuendam censeam. Neque vero putetis esse jam cædibus Calvinistas satiatos. Nondum est biennium, ex quo quadraginta simul fratres meos, ac deinde post aliquot menses quindecim aut sedecim ejusdem nostræ Societatis inter Lusitaniam et Brasiliam interceptos, eo nomine, quod ad Barbaras nationes Christianæ fidei propagandæ causa navigarent, multis vulneribus confectos in mare projecerunt, ut duplici morte interirent, et simul ferrum et aquas experirentur.

De Anabaptistis nihil dicam, sola historia illa tragica Monasteriensis, quam omnes noverunt, satis docet, Anabaptistas, si semel caput attollere permittantur, decies Calvinistis truculentiores et crudeliores futuros.

CONCIO XII.

DE MORIBUS HÆRETICORUM, EFFICACIA DOCTRINÆ CATHOLICÆ ET TESTIMONIO ADVERSARIORUM.

SYNOPSIS

Prosequitur alios hæreticorum mores : atque enumeratis in priori concione quatuor præcipuis jam quinto loco ponit, quod omnibus hæresibus sit commune in plures sectas dividi, quod et testimonio et experientia notum fit. Deinde in illo quoque hæreticis convenit, quod omnes dicant Ecclesiam errasse. Præterea quod omnes odio Valiniano prosequantur Monachos et qua de causa illud; ubi vitæ monastica laudes S. Augustini auctoritate asseruntur. Quod vero nostri hæretici ordinibus omnibus careant, non modo a catholicis, sed et a veteribus hæreticis discrepare videntur. Transitur deinde ad reliquas duas veræ Ecclesiæ notas : efficaciam scilicet doctrinæ Catholicæ et testimonia inimicorum. Quanta itaque sit efficacia Catholicæ doctrinæ (quam non in verborum lenociniis consistere variis similibus probatur), ex gestarum rerum Philosophorum veterum cum Catholicorum actibus comparatione dilucide manifestatur. Aliquot Ethnicorum de christiana probitate testimonia, simul et causæ, cur nulli a lege Catholicorum abhorreant, afferuntur. Tandem per brevem anacephalcosin superiorum concionum argumenta repetuntur ac proinde duodecim veræ Ecclesiæ et totidem hæreticorum notæ enumerantur. Quam magnum sit donum vera fides et quantopere oporteat vitare hæreticos, historia ex Theodoro adducta ac solutari adhortatione docetur.

Die dominica propter quamdam altaris dedicationem, quæ in hoc templo celebratur, concio haberi non poterit, sicut etiam, si

meministis, duobus superioribus annis eadem de causa, eo die intermissa est. Itaque proxima concio in dominicam palmarum differetur, atque in ea, Deo bene adjuvante, aliquid de Passione Domini disseremus, et fortasse septem verba, quæ in cruce Dominus locutus est, breviter explicabimus. Hodie vero in posteriori parte nostræ orationis, ea, quæ ad argumenta contra hæreticos pertinent, necessario absolvenda putavimus : tum quod sequentes orationes temporis, in quod incidunt, celebritas, totas sibi jure suo vendicet : tum etiam, quod epistola hodierna ita sit obscura et magnis quæstionibus implicata ut melius in gymnasiis scholastico more, quam in concione, oratione ista populari explicari possit.

Ut igitur ad primum institutum redeamus, explicuimus quatuor præcipuos mores, tam veterum, quam recentium Hæreticorum. Quinto loco commune priscis Hæreticis fuit, statim in ipso initio in sectas varias ac inter se penitus dissentientes dissecari. Nam de Valentiniano testatur B. Irenæus libro contra hæreses primo, non fuisse inter eos duos aut tres, qui de rebus iisdem eadem responderent. Arianos statim in Acacianos, Eunomianos et Macedonios fuisse divisos, omnibus notum est. Sicut etiam Manichæos in Catharistas, Macharios et proprie dictos Manichæos. Porro de Donatistis, ut omittam cæteros, de quibus alias disseruimus, ita loquitur Augustinus l. III c. 4 contra epistolam Parmeniani : « In ipsa, inquit, Africa dicant Donatistæ Carthaginenses, vel quicumque sunt in civitate Carthaginis, quot partes per Numidiam et Mauritaniam factæ sunt de ipsa parte Donati? » Et rursum lib. I de Baptismo contra Donatistas, c. 6 hæresim Donati in multa minutissima frusta

concisam suo tempore fuisse commemorat. De nostri temporis Hæreticis non est necesse dicere. Quis enim ignorat, ad hanc diem ferme ad centum sectas varias ac diversas excrevisse familiam Lutheranorum quando unquam magis, quam hoc tempore enituit nota falsi Evangelii? Credo sane posteri nostri vix credent spatio annorum quinquaginta hæresim unam in centum hæreses diversas distrahi aut dissecari potuisse. Itaque quod magnus Basilius oratione de opere sex dierum de Philosophis affirmat sufficere eos inter se ad suam ipsorum eversionem dissidere, cum quod unus asserit, alter continuo neget, id nos multo majore ratione de hæreticis dicemus.

Sexto loco Hæreticis veteribus commune fuit, cum ad argumenta Doctorum Catholicorum respondere non possunt, impudenter asserere totam Ecclesiam ante se errasse vel etiam funditus interiisse: id Nestorium consuevisse dicere, testatur Vincentius in commonitorio. Idem B. Augustinus de Unitate Ecclesiæ c. 12, Donatistis attribuit: « Isti, inquit, vel fallaciter agentes colligunt de Scripturis talia, quæ vel in malos bonis usque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi Judæorum dicta reperiuntur: et volunt ea detorquere in Ecclesiam Dei, ut tanquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur. » Hæc ille de Donatistis. Quæ eadem non minus in nostros Lutheranos et Calvinistas, quam in Donatistas veteres conveniunt. Cum enim Catholici rogant, ubinam esset Ecclesia antequam Lutherus nasceretur, non pudet eos respondere, eam tunc extinctam ac sepultam in tenebris, nescio quibus, jacuisse: quæ est apertissima et maxima blasphemia contra Dominicam promissionem: *Rogavi, inquit Dominus, pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Et rursum: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Porro septimo loco Hæreticis veteribus commune fuit summo odio Monachos et monasticam vitam insectari. Nam ut omittam Arianos, qui etiam ipsas solitudines locaque deserta penetrabant, ut Monachos caperent atque occiderent, quique ut Ruffinus est auctor l. ix Historiar. c. 3. aliquando tria simul monachorum millia delere aggressi sunt. Audite quid B. Augustinus in Psalmo cxxxii de Donatistis dicat: « Quando vos, inquit, recte hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, ut erubescendo salven-

tur, illi nobis insultant de monachis. Primo si comparandi sunt, vos videte. Quid opus est, ut verbis nostris comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen Monachorum? Quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum? » Certe videtis quorum sint proles ii, qui hodie tanto furore bacchantur in Monachos, ut ne nomen quidem audire sustineant. Alia fuit Ecclesiæ veteris religio, alia devotio, alia pietas, quæ monasticam vitam ab Apostolicis temporibus semper est admirata. Sane encomia antiquorum Monachorum talia in libris sanctorum Patrum passim leguntur, ut nonnullis etiam nimia videantur: « Quis, inquit D. Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ, non illos miretur et prædicet? qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intensissimam in Deum gratissimum munus offerunt, a quo ista posse meruerunt. Nemo quicquid possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. » Hæc Augustinus. At Hæretici semper torvis oculis monachos aspexerunt. Sed cur, quæso? Quid eis nocuerunt? Quid rapuerunt? In quo tandem offenderunt? Nonne si saperent, magnas gratias monachorum regno (ut ipsi vocant) agere deberent? Nam si Monachi non fuissent, nunquam ipsi fortasse suum Apostolum Lutherum, nec tam multos alios Prophetas et Evangelistas habuissent. Sed video quis Hæreticos in tam acerbum odium contra Monachos impulerit, nimirum spiritus ille mendax, qui, ut ait apud Athanasium magnus Antonius omnes Christianos vehementer odit, sed Monachos et Virgines Angelorum vitam in terris imitantes, tolerare non potest.

Octavo et postremo loco commune est novis Hæreticis, neque Episcopos, neque Presbyteros, neque Diaconos, neque Ordines habere, in quo non solum a catholicis, sed etiam ad Hæreticis veteribus discrepant. Nam cum ante hoc semper omnes, tam Catholici, quam Hæretici nostri temporis cum fide et religione etiam nomina religionis amiserunt. Et sicut ex Christianis Lutherani, vel Calvinistæ ita

etiam ex Episcopis superintendentes, ex Presbyteris ministri facti sunt: At cur, obsecro, ista nomina rejecerunt? Num ea in sacris litteris non invenerunt? Certe superintendentes in Scripturis sacris nunquam legi: at Episcopos, Presbyteros, Diaconos in Apostolicis Actis, et in Epistolis B. Pauli passim legi. Audite vero quod B. Ignatius Apostolorum discipulus ad Antiochenses scribat, quorum ipse Episcopus erat: « Saluto, inquit, sanctum Presbyterum vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas atque confessores: saluto pudicissimas virgines: saluto plebem Domini a minimo usque ad maximum et omnes sorores meas in Domino. » Porro Ecclesia Romana tempore B. Cornelii Pontificis et Martyris, ut Eusebius l. vi. Historiarum auctor est, Presbyteros viginti quatuor, Diaconos septem, Subdiaconos septem, acolytos quadraginta duos, exorcistas, lectores et ostiarios simul quinquaginta duos, viduas cum pauperibus mille quingentas habuit. In libris autem sanctorum Patrum fere non est pagina, in qua Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi et ordines cæteri, sed et Sacerdotes, quod nomen Hæretici maxime execrantur, non cum honore nominentur. Quare perspicuum est, novatores et sectarios nostri temporis, qui nihil horum habent, et materiam, et formam, et rem, et nomen, et fidem, et mores antiquæ et Christianæ vitæ religionis penitus amisisse.

Habetis hactenus argumenta decem, quibus ostendere volumus (ac ni fallor ostendimus), solam Catholicam ac Romanam Ecclesiam veram veri Dei Ecclesiam esse. Reliqua sunt duo, undecimum et duodecimum, efficacia nostræ doctrinæ et testimonium atque approbatio inimicorum, quæ tribus verbis expediti possunt.

Una igitur ex præcipuis ac singularibus Catholicæ doctrinæ laudibus, efficacia est: Si quidem *Lex Domini immaculata* a convertit animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstat parvulis. Et: *Sermo Domini vivus est et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Scripturæ profanæ quasi statuæ quædam sunt magno laborate artificio et optimis coloribus depictæ; sed mortuæ spiritum vitæ, et sensum ac motum nullum habent, et species illa externa externos hominis sensus nonnihil oblectat, præterea nihil. At vero

Lex Domini immaculata, non tam pompa aut lenocinio verborum, non numeris et coloribus, sed Spiritu Dei vivi, quem in se habet, convertit animas, illustrat mentes, accendit voluntates, erigit homines ad Deum, omnia caduca et mortalia contemnere facit. Quam multi una sola sententia hujus Scripturæ lecta vel audita, perfecte ad Deum conversi sunt? Hoc de B. Antonio, hoc de B. Augustino, hoc de B. Benedicto, hoc de multis aliis legimus. Nunquam experti estis, non posse vos legere Scripturam illam, ac præsertim extremam partem Evangelii Joannis, quoniam cor in lacrymas melleas, ac dulcissimas liquefiat? Unde tanta virtus eorum verborum? Non est ibi rhetorica Tullii, sed rhetorica Spiritus sancti, quæ non indiget luminibus orationis, neque coloribus, aut numeris ad movendum. Rhetorica Tullii tota est externa, sicut etiam sapientia mundi tota est in superficie, intus vero nihil habet: at omnis decus divinæ rhetoricæ ab intus est. Itaque sicut margaritæ et uniones, qui tanti ab hominibus fiunt, vilissimæ testæ innascuntur, eaque nutriuntur, augentur et occultantur; et lapides pretiosi gemmæque clarissimæ quæ ornandis regum capitibus destinantur, atio quodam abjectissimo atque obscurissimo lapide vestiuntur: et aurum atque argentum, aliaque metalla, quarum antiore homines fere insaniunt, terra atque arena, quibus nihil est vilius, obteguntur: et sicut aurum, poste aquam impressis notis, regioque caractere obsignatum est non in aureis oculis conditur, sed in thecis ligneis aut coriaceis conservatur: denique sicut animus humanus, quo nihil in rebus creatis præstantius, atque excellentius reperitur, non in corpore aliquo sidereo ac cælesti, vel certe aureo aut argenteo; sed in luteis et moribundis membris a Deo artifice sapientissimo inclusus est: ita quoque sensus illi arcani et divini, sublimissimi atque efficacissimi divinarum Scripturarum simplicibus et planis, nulleque fuco vitiatis verbis contineri debuerunt.

Si vero Catholicæ doctrinæ vim et efficaciam plane cognoscere desideratis, conferte Christiana tempora cum antiquis illis temporibus quibus ubique florebant ac regnabant doctrinæ Philosophorum: si tunc vel unum hominem vidissent opes et honores continere, totus mundus admirabatur: ita ut unius Epicteti lucernam tribus millibus drachmarum, ob vitæ admirationem,

venditam fuisse Lucianus tradat. At christianis temporibus, doctrina Evangelii coruscante, quot millia hominum id fecerunt, et quotidie faciunt? Tunc si unus aut alter cælibem vitam ducere visus fuisset, instar prodigii erat: at christianis temporibus quot millia non virorum solum, sed etiam feminarum nobilium, divitum, juvenum solo Christi amore castissimam vitam vel in virginitate vel in viduitate duxerunt? Tunc si unum aliquem fortiter mortem oppetere contigisset, omnes stupebant, atque is omnium ore celebrabatur: at Christianis temporibus quot millia vel potius quot millium millia sanctorum Martyrum omnium generum et omnium ætatum non solum fortiter, sed etiam alacriter, pro Christo cruces et ignes et bestias et gladios toleraverunt? Hæc igitur est virtus et efficacia catholicæ doctrinæ. Non habent quidem hæreticorum synagogæ heroicæ illas virtutes, non habent homines, qui patrem et matrem, fratres et sorores, domos aut agros juxta Christi consilium relinquunt: non habent eunuchos, qui se castrare voluerunt propter regnum Dei: sed Ecclesia Catholica habet, velint nolint Hæretici: habet etiam hodie multa millia Sacerdotum, sanctorum religiosorum, sanctissimarum virginum, qui non verbis sed factis hæreticos refellunt, et operibus ostendunt Deo adjuvante posse fieri, quod Hæretici non posse fieri blasphemant. In una sola Florentia oppidò Italiæ non ignoto, non pauciora quam sexaginta virginum numerantur monasteria, et in plerisque ducentæ aut trecentæ, vel etiam plures virgines Deo sacræ Angelicam vitam et puritatem æmulantur.

Venio nunc ad duodecimum et postremum argumentum. Tanta vis est, auditores, veritatis et sanctitatis, quæ in sola Ecclesia Catholica reperitur, ut eam etiam hostes nostri approbare et laudare cogantur: *Non enim est Deus noster, ut dii eorum, et inimici nostri sunt iudices*: nota est Plinii secundi epistola ad Trajanum, qua innocentiam christianorum, quos ipse ex Trajani præcepto variis suppliciis afficiebat, attestatur: atque affirmat Christianos non esse fures, non adulteros, non parricidas, non seditiosos; in hoc solum peccare, quod horis antelucanis Deum hymnis et laudibus celebrent; quodque Christo semel datam fidem usque ad mortem constantissime servant. Nota est etiam epistola Marci Aurelii sapientissimi imperatoris ad senatum populumque Roma-

num, qua suorum deorum imbecillitatem, et Christi potentiam, quam ipse Germanico bello expertus fuerat luculenter ostendit. Refert quoque Tertullianus in Apologetico, ita prospectam fuisse Christi persecutoribus innocentiam Christianorum, ut licet in omnes sævirent, et passim necari juberent, nollent tamen discuti causam eorum quod certo scirent, eos nullius criminis convinci posse. B. Antonium, B. Hilarionem etiam Ethnicum venerabantur, ut B. Athanasius et B. Hieronymus tradunt. Sultanus cultor Mahometis, cum ad eum B. Franciscus Evangelii prædicandi causa navigasset, incredibile est, quam vehementer sancti illius Christi servi sanctitatem et innocentiam admiratus et veneratus sit, ut vere tunc dicere liceret: *Non est Deus noster, ut dii eorum, et inimici nostri sunt iudices*. Hodie quoque in orbe nuper invento, cum vident Ethnicum novorum Christianorum religiosam gravitatem, modestiam, sobrietatem, castitatem, charitatem, patientiam, mundi contemptum et longe alios esse mores, aliam sanctitatem, aliam severitatem Christianorum Sacerdotum, quam Sacerdotum idolorum, admirantur, obstupescunt, convertuntur, et dicunt, vere non est Deus sicut Deus Christianorum. Denique nemo unquam inventus est, qui lege nostra diligenter perspecta, non eam laudaverit atque probaverit. Nec ullus unquam serio studiosus ac sollicitus fuit salutis suæ, quin tandem Christianam religionem non elegerit et eam omnibus sectis et superstitionibus non prætulerit.

Quod si multi nihilominus legem nostram oderunt et ab ea vehementer abhorrent, in causa sunt primum corrupti et depravati mores nonnullorum Christianorum: quod si secundum legem nostram, si secundum Evangelium viveremus, o quam facile esset Ethnicos omnes et hæreticos, vel convertere vel confundere, ut neque os aperire contra Ecclesiam et religionem nostram auderent. Sed quia nos perditæ vivimus, et qui legem nostram ignorant, putant ea, quæ nos facimus contra legem, lege jubente aut permittente fieri, ideoque ipsam tamquam fontem et radicem vitiorum nostrorum execrantur. Deinde sunt etiam in causa innumera mendacia, quæ Diabolus per suos ministros semper spargere consuevit. Cur initio nascentis Ecclesiæ nonnulli Christianos maximo odio persequantur? Quia Dia-

boli opera sparsum erat in vulgus, Christianos caput asini adorare atque adeo idolatras esse. Cur hodie multi simplices Hæretici pontificem ut Antechristum, Ecclesiam ut Babylonem detestantur? Quia præcones novi Evangelii miseris populis persuaserunt, nos Evangelium abjecisse, nec aliud quam humanam sapientiam et sophistarum quæstiones explicare: sanctos homines Deo relicto solum invocare: imagines pro Deo colere: Christi passionem contemnere: propriis operibus velle gratiam et justificationem promereri, ut gratia jam non sit gratia, sed merces. Præterea nos multa introduxisse, quorum veteres nunquam meminerunt, ut oblationem pro defunctis, signum crucis, sanctorum invocationem, cultum imaginum, benedictionem aquæ et olei, et quædam alia. Quæ sunt omnia apertissima mendacia et crassissima, sane tam crassa, ut pene manibus tangi et sentiri possint. Nam paulo ante ex Magno Basilio ostendimus ista omnia esse Apostolicas traditiones: et tamen ita sunt alte in animis eorum infixæ, et tam firmas radices jecerunt, ut etiam si nos audiant aperte clamare et jurare nos non ita credere, non eam esse Catholicam doctrinam, ista esse mendacia, etiamsi videant nos innumeris testimoniis Scripturarum, Patrum ratione nostra dogmata confirmare, tamen non credunt et malunt de nobis suis deceptoribus quam nobis ipsis credere, etsatis fortiter omnia nostra argumenta se refellere putant, si dicant: « Tu es Papista, ergo asinus, asinus non novit argumentari, ergo tuum argumentum nihil valet. » Sed aperiant miseri oculos, deponant falsam persuasionem, intelligant quid Ecclesia semper docuerit, et videbunt se vehementer deceptos, et in causa æternæ salutis sibi ab ipsis pseudopropheta egregie fuisse impositum.

Habetis ergo argumenta duodecim, quorum singula sufficiunt ad hominem Catholicum in sua fide confirmandum, et hæreticum a sua perfidia convertendum, nisi sponte velint lumini ac veritati oculos claudere. Si quis hic est inter nos, qui vel sinistre sentiat de fide vel certe hæsitet ac dubitet, eum ego per salutem animæ suæ oratum volo, ut depositis passionibus atque affectionibus privatis, quæ et oculos sapientum caligare faciunt, solo studio veritatis atque amore illius, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, ista duodecim argumenta diligenter consideret: cogitet

ostendisse nos atque apertius et prolixius ostendere paratos, si opus sit, Catholicam atque Apostolicam Ecclesiam, cujus pastor est Episcopus Romanus, primo esse antiquissimam, nec ullum ejus auctorem inveniri, nisi Deum. Deinde toto orbe aliquando diffusam fuisse juxta vaticinia Prophetarum, et hodie quoque magnam partem Europæ, Asiæ et Africæ obtinere. Tertio, nunquam penitus defecisse, tametsi Judæi, Pagani, Hæretici, Philosophi, Imperatores, Tyranni eam sæpe delere atque extinguere aggressi sint. Quarto nunquam secum pugnassee, neque contrarium docuisse, licet multa in multis conciliis variis temporibus definierit. Quinto, nihil unquam coccuisse, quod vel cum certa ratione vel cum honestate et probitate morum pugnet. Sexto, miraculis maximis et innumeris omnibus sæculis enituisse, et hoc nostro sæculo enitere. Septimo, prophetico lumine, dono videlicet prævidendi et prædicendi futura, omnibus quidem sæculis, etiam hoc nostro, præditam atque ornatam fuisse et esse. Octavo, prædicatores ac propagatores nostræ legis viros fuisse ita excellentis et eximiæ sanctitatis, ut certum sit eos, nisi Dei homines esse nullo modo potuisse. Nono, eandem prorsus fidem et religionem Ecclesiam Romanam modo colere, quam ante mille annos vera Christi Ecclesia coluit. Decimo, eosdem esse mores Ecclesiæ, quæ nunc est, et veteris Ecclesiæ: tametsi hæc duo argumenta propter angustias temporis explicare non potui, sicut veluissem. Undecimo, doctrinam nostræ Ecclesiæ esse efficacissimam. Duodecimo, etiam hostes atque inimicos nostræ Ecclesiæ veritati et innocentie attestari.

Cogitet deinde, ostendisse nos et rursum ostendere et defendere paratos, si opus sit, omnem hæresim atque adeo omnia dogmata Lutheranorum, Anabaptistarum, Calvinistarum esse nova, et nullo modo a Christo sed a Lutero incepisse. Deinde, nunquam vel unam integram provinciam aut regionem occupasse. Tertio, antiquas hæreses omnes defecisse nunc vero non continuari, sed excitari, et quasi ab inferis revocari. Quarto, hæresim omnem, sed maxime Lutheranorum, perpetuo secum pugnare, atque de una et eadem re contraria loqui. Quinto, omnem hæresim semper aliquid docere rectæ rationi et bonis moribus adversum. Sexto, Hæreticos, ac præsertim nostri temporis, nullis miraculis, nisi fictis et simulatis clarere.

Septimo, hæreticos multa prædicere futura, et nihil eorum evenire, quod in Luthero et Lutheranis pene manibus tangi potest. Octavo, hæresiarchas omnes fuisse viros pessimos : id quod in nostris omnes norunt, siquidem ipsa fæx orbis Christiani homines apostatæ, sanguinari, rapaces, ambitiosi, voluptarii ad eos defecerunt. Et deinde non alio modo, quam mendaciis, fraudibus, Scripturarum corruptelis et falsis miraculis sectas suas promovere voluerunt. Quæ sunt omnia solis luce clariora. Nono Hæreticos nostri temporis easdem hæreses doceré ac docuisse, quæ olim Simon Magus, Manichæus, Arius, Nestorius et cæteri docuerunt quos omnes communibus votis merito execramur. Decimo, eosdem nostros novatores eorumdem veterum Hæreticorum perditos mores et scelera, atque flagitia et horrenda facinora non solum imitari, sed etiam superare. Undecimo, doctrinam Hæreticorum sterilem, atque inefficacem esse. Duodecimo, Hæreticos solum a seipsis testimonium habere, cæteris vero omnibus hominibus, etiam Turcis et Paganis merito esse invisos. Ista si cogitent et serio cogitent, perpendant, examinent, invenient profecto extra viam salutis omnes eos ambulare, qui ab Ecclesia antiqua et catholica atque Apostolica recesserunt. Atque hæc quidem ad Hæreticos.

Vobis vero, auditores, id quod sæpe a me audistis, in memoriam revocabo, ut cogitatis donum Dei maximum et singulare esse donum fidei veræ et ejus tamquam sponsæ pulcherrimæ et charissimæ, ardentissimi amatores ac plane zelotes esse velitis. Non sine causa sancti Patres, nec loqui quidem cum Hæreticis audebant. Magnus Antonius apud Athanasium nunquam amicabilia verba Hæreticis dixit : discipulis vero suis præcepit, ut ne prope quidem Hæreticos unquam accederent, non secus atque prope eos accedere formidamus, qui peste laborant. Et sane hæresis pestis perniciose et contagiosa adhæret verbis, adhæret libris, solo colloquio inspiratur. Quo circa libros, colloquia, familiaritatem omnium Hæreticorum fugere debemus, et magno odio prosequi, non quidem

homines, sed pestem, sed hæresim, sed vitia illorum.

Scribit Theodoretus pulcherrimum et imitatione dignissimum exemplum. Cum aliquando Valens hæreticus imperator episcopum quemdam sanctum nomine Eusebium in exilium eiecisset, et Eunomium Hæreticum in ejus locum suffecisset, populus vero urbis illius retinens salutaria monita antiqui et veri pastoris Eusebii, Episcopum Hæreticum nunquam adiit, nunquam audivit, nunquam salutavit, tametsi sciret hominem humanissimum et mitissimum esse. Concionabatur Hæreticus, sed scamnis et parietibus. Deinde cum Episcopus idem Hæreticus in balneis publicis se lavisset, nullus deinceps in iis balneis lavari voluit, donec totam aquam, quæ Hæreticum tetigerat, eiecisset. Cumque Eunomius ita solitarius, et omnibus exosus vivere non posset, sponte sua discessit. Ariani rursum alium Episcopum Hæreticum nomine Lucium eo mittunt : sed populus in priori sua constantia et Catholicæ fidei soliditate perseveravit. Cumque aliquando Lucius Hæreticus asello insidens per forum transiret, accidit ut pila lusoria, qua tunc multi pueri in eo foro ludebant, pedem aselli tangeret, quo Hæreticus utebatur : statim pueri omnes exclamantes pilam arripuerunt, et maximum ignem extruentes in medias flammæ eam conjecerunt. Iste fervor, iste zelus, ille ardor fuit veteris Ecclesiæ. Hunc si Germani, si Bohemi, si Angli, si Galli imitari voluissent, aliam faciem Ecclesiæ videremus. Sed quoniam illi stulti fuerunt, nos eorum saltem exemplo sapiamus : et præsertim adolescentes caveant sibi a libris prohibitis, fugiant colloquia eorum, quos male de religione loqui audiunt : sciant hæreses, quæ grassantur hoc tempore, esse omnium quæ unquam fuerunt, pestilentissimas : intelligant amicitiam cum Hæreticis, esse suam certissimam perniciem ; atque ita ab eis caveant, ut ipsi Domino fidem in baptismo datam servant, et ipsis Dominus gloriam et beatitudinem sempiternam largiatur, Amen.

CONCIONES
DE TRIBULATIONE

CONCIO PRIMA.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Auctoris propositum et occasio harum concionum loco exordii indicatur; simul et objectioni occurritur, cur de tribulatione tempore calamitoso agatur, et quanta undique sit miseriarum abundantia ostenditur. Tribulationis etymon a planta ejusque definitio cum suis rationibus assignatur, et quanta sit tribulatio amissio Dei declaratur Aliud insuper etymon hujus voculæ, a genere quodam vehiculi. triticum a paleis segregantis et trituran-tis ductum, tribulationi accommodatur, quæ et ipsa bonos a malis separat, quod testimonio S. Cypriani et aliorum comprobatur. Quid prosint et quomodo invaluerint hæreses nostri temporis in prima parte absolvitur.

In secunda parte duplex tribulatio ex sacris literis colligitur, præsentis nimirum et futuræ vitæ; hæc æterna, illa temporalis. Enumerantur deinde varicæ tribulationes temporales quarum plurima multitudo hominem obruit, quales sunt a parte sensuum externorum, tum a parte intellectus, memoriæ et voluntatis. Postea enumerantur ea, quæ extrinsecus turmatim ingruunt a sole, a terra, ab Angelis et Dæmonibus. Omnium vero præcipuæ tribulationes sunt tres, pestis, fames, bellum, quæ cum sua amplificatione ad finem usque extenduntur.

Cum a Deo, patre orphanorum et iudice viduarum, optimi auditores, hodierna die, humili prece flagitarem, ut qui justo suo iudicio calamitosam hanc regionem, tam insignem alioqui partem hæreditatis suæ adeo graviter nostris diebus castigari et flagellari voluit, idem ipse mihi ad dicendum argu-

mentum inspiraret, quo auditores meos in tanto patriæ luctu aliqua saltem ex parte consolarer, occurrit animo in primis ista ipsa communis patriæ calamitas, de qua si accurate dicerem, videbam facile futurum, ut inde ingentem mœrorem ac detrimentum non exiguam jamdudum cœpimus, inde non minorem utilitatem et consolationem caperemus. Neque enim frustra scriptum legimus: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Et: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam:* Deus enim more sapientis medici, non vulnerat, nisi ut sanet: neque perdit, nisi ut servet: vulnerat carnem, ut sanet mentem: perdit corpus, ut servet animam. Itaque statui, auctore atque adiutore Deo, hodierna et sequentibus Dominicis diebus ad ferias usque paschalis, octo vel decem orationibus de tribulatione disserere. Ac primum de nomine ac natura tribulationis: deinde de multiplici earum genere et varietate: tum de causis et effectibus; postremo de remediis atque armis tribulationum dicere.

Sed erunt fortasse nonnulli, qui dicent, quid opus est in tam tristi oratione versari? An satis tibi non esse videtur, si tribulationes continuo patimur, nisi etiam earum, tam crebra commemoratione molestia nos afficias et afflictos magis affligas? Atque, auditores, non ideo de tribulatione disserere instituimus, ut affligamus afflictos, sed ut eos potius consolemur: *Dominus dedit mihi linguam eruditam,* inquit Isaias, *ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* Scriptura divina est hæc lingua, cujus eloquia dulciora super mel et favum, mirifice recreant et consolantur exules filios Adam.

Quocirca magnus ille Jonathas, Judæ Macchabæi frater, in angustiis illis maximis acerbissimorum bellorum, quæ libri Macchabæorum continent, Scripturarum assiduam lectionem tanti faciebat, ut Spartiatis scribens affirmaret, se sanctorum librorum consolatione contentum nulla re alia indigere. Itaque nostra hæc de tribulatione suscepta disputatio, propterea quod tota de fontibus Scripturarum deprometur, tristis aut ingrata nullo modo esse poterit. Quod si etiam nonnullis tristis videretur, tamen jam ab Apostolo et ab ipso Domino edocti sumus, non continuo prætermittendum esse id, quod tristitiam aliquam afferat, si modo salutis animarum expediat. *Sed quia hæc dixi vobis, ait Dominus, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam.* Et Apostolus Paulus: *Et si contristavi, inquit, vos in epistola, non me pœnitet: et si pœnitet, videns quod epistola illa (et si ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.* Salutaris tristitia quæ revocat a peccando et hominem de iniquo justum ac de impio facit sanctum. Quæ cum ita sint, nihil est, quod tristitiam ex orationibus de tribulatione metuamus. Vel enim non tristabimur omnino, vel si tristabimur, tristitia nostra, non tristitia hujus sæculi erit, quæ exsiccat et consumit corpus, et animam occidit: sed tristitia secundum Deum, tristitia sancta et salutaris, quæ lætam et pinguem et divitem efficit animam, quæ pœnitentiam, sollicitudinem, studium, ardorem, sanctimoniam parit.

Neque vero solum non injucunda, nec insuavis, sed etiam utilis et fructuosa disputatio erit. Nam si cæteris in rebus sapiens arte quadam opus habet, qua seipsum gubernet et regat, quanto magis in rebus adversis, quæ tantam vim habent ad humanum animum dejiciendum ac prosternendum, ut hinc hæreses, hinc desperatio, hinc furta, hinc adulteria, hinc homicidia, hinc omnia scelera nata esse videantur: et qui-

bus ita homines omnes abundant, ut sive magni, sive parvi, sive mediocres, sive divites, sive pauperes, sive clari, sive obscuri, sive privati simus, semper plus calamitatis, quam felicitatis habeamus. Siquidem ab eo die, quo dictum est: *Maledicta terra in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi*, nulla unquam terra inventa est, quæ spinarum et tribulorum ferax non fuerit: frumenti penuriam et vini et olei et fructuum cæterorum charitatem sæpe videmus, certe penuriam tribulationum nunquam vidimus si mali sumus, ambulamus *Vias difficiles*, lassamur *in via iniquitatis et perditionis*, ut Sapiens ait, si boni, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*, ut in Actis Apostolorum legimus. Denique Spiritus sanctus ait: *Occupatio magna creata est omnibus, et jugum grave super filios Adæ.* Quamdiu? *A die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Nullusne excipitur? Nullus omnino. *A residente, inquit, super sedem gloriosam usque ad humilitatem in terra et cinere: ab eo, qui utitur hyacintho et portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo.* Itaque nullus excipitur, non magnus, non parvus, non dives, non pauper, non justus, non peccator, et sæpe qui beatissimi et felicissimi nobis videntur, ii magis quam cæteri cruciantur. Cum igitur magnæ sint vires tribulationum, et earum tanta sit ubique copia et necessario nobis per medias acies terrorum et periculorum transeundum sit, optimum erit si earum naturam et varietatem, causas etiam et effectus perdiscamus, atque ad eas superandas arma nobis de armamentario Scripturarum divinarum comparemus.

Tribulationis vocabulum, ut a nomine et definitione exordiamur, licet apud auctores profanos perraro legatur, tamen in sanctis voluminibus frequentissimum est, et vel a tribulo vel a tribula vel ab utroque deducitur. Est autem tribulus herba quædam spinis minutis, et præduris instructa, a qua veteres, qui fere nudis pedibus incedebant, et eam herbam non facile ab aliis internoscebant frequenter lædebantur. Inde punctio illa tribulorum, quam acutus quidam sensus doloris sequebatur, tribulatio nominata est. Atque ab eo uno genere molestiæ nomen tribulationis postea translatum est ad omnem afflictionem significandam, quam homines et animantia cætera patiuntur, vel

cum proprio bono spoliantur, vel contrarium malum recipere atque amplecti, velint nolint, compelluntur. Habent sensus omnes atque vires animantium, propria quædam atque naturæ suæ consentanea bona; ut sensus videndi pulchros colores: sensus audiendi bonos concentus: sensus olfaciendi suaves odores: sensus gustandi jucundos sapes: et de cæteris ad eundem modum: quæ cum præsentia esse sentiunt, extenduntur, dilatantur, aperiuntur, ut ea videlicet tota recipiant: cum vero vel absunt ea bona vel eorum contraria inferuntur, mox contrahunt sese et in angustum deducunt. Videmus sæpe limaces, testudines aliosque vermiculos terræ, cum forte in aliquo loco solis radiis exposito jacent: simul atque gratum quemdam ac suavem calorem sentire incipiunt, extendi, dilatari, aperi, explicari: at si ab aliquo pungantur aut feriantur, subito contrahi, atque ad exiguum et angustum redigi, quantum possunt. At ut de hominibus potius quam de vermibus loquamur, quo tempore feriæ dedicationis Ecclesiæ vel bacchanalia appropinquant, et jam homines de choreis, de larvis, de lusiis, de potationibus, de conviviis loqui incipiunt, nescio quomodo humanus animus gaudet, dilatatur, expanditur, sese et omnes sicus ac latebras suas explicat; at cum festis lætisque diebus recedentibus, jejuniarum ac pœnitentiæ dies adveniunt, contrahit se, et in seipso, quasi angulum ubi se abscondat, et latebras quærit. Hinc est illud quod vulgo dici solet, tribulationem sequuntur angustia. *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum*, ait Apostolus Paulus. Et rursum alio loco: *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis*. Et regius Psaltes: *Tribulatio et angustia invenerunt me*, et elegantissime alibi cum tribulationem in consolationem mutatam significare vellet: *In tribulatione*, inquit, *dilatasti mihi*: nam cum tribulatio angustias, consolatio dilatationem efficiat, quid est, *In tribulatione dilatasti*, quam tribulationem in consolationem commutasti?

Illa igitur afflictio atque molestia, quæ ex præsentia mali vel ex absentia boni generatur; et contrahit atque in angustum animum deducit, tribulatio nominatur. Ex qua definitione facile potest intelligi, quod si integros sensus haberemus, nulla nobis gravior tribulatio videretur, quam Deum amittere. Quanto enim bonum est majus et præstantius,

quod amittitur, tanto tribulatio major, quæ jacturam illam sequitur, videri debet. Quid enim perdis, cum perdis pecunias? Modicum terræ. Quid perdis, cum perdis honores? Modicum fumi. Quid perdis, cum morbo laboras? Modicum sanitatis. Quid perdis, cum filius moritur? Vermiculum unum, qui ea lege natus est, ut aliquando moreretur. An non tristaris et tribularis cum ista perdis? Certe ita. Tu igitur res vilissimas perdis, et vehementer doles: perdis vero Deum, summum et sempiternum bonum, et nihil doles? Quid hoc aliud tibi significare videtur, quam quod sensus corruptos, quod palatum cordis depravatum habeas, et idcirco amarum dulce et dulce amarum esse putes? Hinc igitur Deus, medicus animarum optimus et sapientissimus, tribulationes multas quasi potiones amaras, nobis dari jubet. Aufert tibi divitias, aufert honores, aufert sanitatem, aufert uxorem et liberos, quos tantum diligimus, ut hinc disceremus, quam sit grave atque amarum Deum amittere, qui istis rebus omnibus multo est melior atque utilior. Denique parvas tribulationes immittit, ut a magna tribulatione nos liberet, et anima hoc intelligens ad Deum serio convertatur, illi soli adhæreat, atque in eo tamquam in portu aliquo tranquillissimo atque tutissimo conquiescat.

Jam vero tribula, vel tribulum, genus est vehiculi, quo in aræa frumenta teruntur, atque a paleis separantur: et sic poeta:

« Tribulæque trabæque, et iniquo pondere rastra. »

Et Scriptura: *Populum, qui erat in Rabba, eduxit David, et fecit super eos tribulas et trahas et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur et contererentur*. Et capite sequenti dixit Ornam ad David: *Ecce*, inquit, *do boves in holocaustum et tribulas in ligna et triticum in sacrificium*. Porro a tribula tribulationis nomen aptissime deducitur, tum quod tribulatio instar cujusdam tribulæ, dum premit ac terit, simul etiam purgat: tum quod tribulatio non minus bonos a malis separat, quam triticum a paleis tribula sejungit. Pacis ac prosperitatis tempore omnes Christiani esse videntur, et Deo gratias agere eumque laudare noverunt; at si communis ac publica tribulatio occiderit, qualis est pestilens morbus, qualis caritas annonæ, qualis aquarum eluvio, ut ea fuit, quam initio hujus anni passi sumus, tum demum boni separantur a

malis, tum veri et probi servi Dei noscuntur. Tum enim videre est aliquos, qui ponunt in cœlum os suum et blasphemis atque sacrilegis maledictis impatientiam suam testantur: et contra aliquos, qui ad exemplum S. Jobi nihil loquuntur aliud, quam, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum, et: Si bona suscepimus de manu Domini mala autem quare non sustineamus?* Augustinus libro primo Civit. cap. 8. «Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat: sic in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant boni autem precantur et laudant.» Ita omnes Ecclesiæ persecutiones nihil aliud, quam tribulæ quædam videntur fuisse, quibus Deus aream suam purgare voluit. Nam ut Cæsariensis Eusebius et B. Martyr Cyprianus annotarunt, quando longa pax datur Ecclesiæ, semper paleæ multiplicantur. Paulatim enim inertia, dissolutio, torpor irrepunt: deinde subintrant etiam vitia graviora, fornicationes, comessationes, ebrietates: postremo, nullum crimen excluditur, non usuræ, non simoniæ, non adulteria, non paricidia, non sacrilegia. Quid tum agit divina censura: tribulas immittit in aream suam, laxat habenas hostibus Ecclesiæ, Ethnicis, Hæreticis, Dæmonibus ut triticum a paleis separetur, et qui probati sunt, manifesti fiant. Audite Beatum Cyprianum de suis temporibus disserentem, et simul de nostris temporibus cogitate: «Quia, inquit, traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, et pene dixeram dormientem censura cœlestis erexit: studebant augendo patrimonio singuli et obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba est viris, in feminis forma fucata: adulterati post Dei manus, oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium, callidæ fraudes, circumveniendis fratribus, subdolæ voluntates. Non jurare tantum temere, sed ad hoc etiam pejerare. Præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus sibi invicem dissidere. Episcopi plurimi, quo: et ornamento esse oportet cæteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe

deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, » et quæ sequuntur. Quæ quidem eo pertinent, auditores, ut intelligamus, multum paleæ pacis tempore in area dominica extitisse. Audite vero, quid persecutione succedente, et tribula aream expurgante factum sit. «Ad primum, inquit, statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam perdidit, nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. Non expectaverunt saltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti: ultro ad forum currere, ad mortem sponte prope-rare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent.» Hæc B. Cyprianus. Quæ quidem omnia nostris diebus numquid non vidimus sæpe, et adhuc etiam videmus? Certe antequam graves istæ tribulationes orirentur, quas Lutheri et Zwinglii et aliorum pseudopphetarum hæreses attulerunt, tantum erat paleæ in Ecclesia, quantum area vix capi et contineri poterat. Nulla prope erat in judiciis Ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris litteris eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum recta erat religio, parumque aberat, ne Christus a Christianorum cœtibus et conventibus excluderetur. Eximius ille et sacri ordinis decor pene perierat: vilissimo cuigque ludibrio erant Sacerdotes, a populis contemnebantur, despiciebantur, gravi diuturna que laborabant infamia: multa beneficia simul possidere, canes et equos bonis Ecclesiasticis alere, concubinam domi retinere, vix peccata esse putabantur. Ebrietas autem etiam laudabatur. Sacramenta vero cœlestia, panis ille divinus et quotidianus, ita venerat in oblivionem, ut si quis sæpius, quam semel in anno eo refici vellet, tamquam nimis sanctus et hypocrita notabatur. Sed et ipsa divina atque tremenda sacrificia debito cultu atque honore indignissime privabantur. Itaque Dei justitiam, ut ad tanta corrigenda delicta remediis superioribus uteretur, et solitas tribulas per aream circumduceret, nostra flagitia coegerunt. Et quantum paleæ de area dominica avolarit, quantumque inde Ecclesia revelata sit, hæresibus ortis, jam videmus. Nam qui facile de Ecclesia exierunt, atque ad Hæreticos defecerunt, qui

Christo et ejus vicario derelicto, vel Luthero vel Calvino vel aliis pseudoprophetae se adjunxerunt, quid aliud quam paleæ erant? Erant certe etiam ante paleæ, erant homines leves parati circumferri *Omni vento doctrinæ*, sed ventus deerat, qui eos circumferret. Erant jam antea ventris et Veneris cultores, et perlibenter accepissent, jejunia non prodesse, virginitatem non licere, confessionem non requiri, inutilem et supervacaneam esse satisfactionem, sed nemo eis ista prædicabat. Quid igitur mirum, cum ventus ab Aquilone exortus aream dominicam perflare cœpit, si multæ paleæ extra aream evolaverint? Atque utinam jam finis esset: utinam qui remanserunt area omnino purgata ad acervos tritici omnes pertinerent, brevi enim flagellis ac tribulis remotis tribulationem exortam conquiescere videremus. Sed quoniam iidem sumus, qui semper fuimus, et morum emendationem vel exiguam vel nullam videmus, ego quidem vehementer metuo, ne gravibus istis incommodis, quæ hactenus passi sumus, etiam graviora succedant. Sed paulisper quiescamus.

PARS SECUNDA.

Exposuimus breviter, quid tribulatio sit, nunc de generibus, de multitudine, de varietate tribulationum pauca dicenda sunt. Atque in divinis quidem litteris tribulationum duo genera nefariis scelestisque hominibus parata esse legimus: unum æternarum in gehenna; alterum temporalium in hoc sæculo: *Via peccantium complanata lapidibus et in fine illorum inferi et tenebræ et pœnæ*. Quibus verbis utrumque genus tribulationis breviter Sapiens complexus est. Nam veluti, si reus quidam per iter asperum ac molestum ducatur ad crucem duo genera tormentorum experitur, laborem itineris et cruciatum mortis: ita etiam hic quidem in terris vita perditorum hominum quasi via quædam est *Complanata lapidibus*, id est, dura, difficilis, laboriosa; atque hæc est tribulatio prior. Deinde post mortem in gehenna manent eos *Inferi, tenebræ et pœnæ*; quæ est tribulatio posterior. Vultis idem alio modo ab eodem Ecclesiastico audire? *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas*. Magna profecto vis est peccatorum, quæ tamen tanta facilitate perpetrantur. *Omnis, inquit, iniquitas, quod-*

cumque lethale crimen, quamvis exiguum et leve nobis videatur: una fornicatio, una ebrietas, vel etiam unum fornicationis et ebrietatis desiderium, si libera consentiente voluntate plenum perfectumque sit, quasi gladius quidam est bis acutus atque uno ictu duo vulnera peccatori infligit: unum est pœna ac tribulatio temporalis, alterum cruciatus ac supplicium sempiternum. Atque ea est plaga, cujus *Non est sanitas*. Nam *In inferno nulla est redemptio*. En quam lethale venenum bibunt, qui vel semel lethale crimen admittunt.

Sed ne solus Ecclesiasticus duo ista tribulationum genera nobis comminari putetur, audiamus etiam unum aliquem ex Prophetis. *Quid cogitatis, inquit Nahum, contra Dominum? consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio*: hoc est, duo sunt quidem genera tribulationum; sed tamen, qui hoc sæculo non ob scelera sua priorem tribulationem patietur, is certe in sæculo futuro posteriorem non sentiet. Nam *Non consurget duplex tribulatio. Recordare, fili, inquit Abraham, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Addamus adhuc si placeat unum testimonium: *In sex, inquit, tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum*. Quæ sunt sex tribulationes? Omnes angustiae atque ærumnæ et calamitates hujus vitæ. *Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua; septimo autem die sabbatum Domini est. Non facies omne opus in eo*. Quæ est tribulatio septima? Cruciatu gehennæ, et supplicium illud horrendum, quod eos manet, qui post hanc vitam ad sabbatum beatorum non pervenient: quod quidem propterea septimum dicitur, quia eo ipso tempore impios cruciabit, quo beati in cælum sabbatum agent, et tamdiu durabit, quamdiu sabbatum beatorum durabit.

Habemus igitur ex divinis litteris, alias esse temporales, alias æternas tribulationes. Ac temporales quidem tot sunt, ut eas nullus, quamvis perfectus arithmeticus enumerare possit: non tot sidera lucent in cælo, neque tot pulveris grana jacent in littore maris, neque tot floribus aut frondibus prætata vel nemora vestiuntur in vere, quot generibus calamitatum atque ærumnarum obruitur quotidie ac pene suffocatur generatio filiorum Adæ. At si præsentibus tribulationibus ægre numerari possunt, quid agemus

cum futuris, quæ non modo mensuras numerorum vincunt, sed etiam temporum spatia ita superant, ut cum ipsa æternitate contendant? Res est sane admirationis ac stuporis plena, quod vilem hunc abjectumque vermiculum Deus tot ærumnarum procellis ac tempestatibus jactari voluerit, ut si partes et membra corporis ejus percurras, in oceanum tribulationum a planta pedis usque ad verticem capitis immersum videas. Si vires ac potentias animæ ejus respicias, nullam prorsus invenies, quæ etiam hic in terris suam gehennam non patiatur. Si ea, quæ ipsum circumstant, intuearis, cælum et terram, elementa, cætera animantia bruta, Angelos, Dæmones, omnia videas contra unum hominem quodammodo conspirasse, ut quasi in centro spheræ, tamquam scopus quidam constitutus videatur, quo ex omni parte omnium rerum creaturarum tela dirigantur. Considera sensum tangendi, quot genera februm, apostematum, ulcerum, plagarum, eum affligunt? At si multæ sunt ægritudines, multa quoque sunt remedia. Ita est factor. Sed qualia tandem sunt ista remedia? Num vel unum invenitur, quod nos vehementius, quam ipse morbus, hominem ægrotum vexet? Inedia, pharmaca, potiones amaræ, venarum incisiones, membrorum adustiones, dentium evulsiones, remedia morborum sunt: ut jam ego non mirer, si C. Marius, ut Plutarchus est auctor, posteaquam varices unius cruris sibi secari magna constantia passus esset, alterum crus curari noluit; sed ait: « Non est dignum tanto dolore remedium. » Neque solum cum ægri sumus, sed etiam cum valemus, multum patimur. Nam si æstas est, immodicus calor languere non cogit: si hiems, immodicus frigus, nives, pruinae, glacies nos torquent. Deinde sensum gustandi modo fames, modo sitis, modo cibaria incondita, amara, acida, falsa discruciant. Sensus olfaciendi, quot foetores, quot graves anhelitus, interdum patitur? Sensus audiendi, quot injurias, quot maledicta, quot mala nuntia audit, quæ veluti acutissimi mucrones usque ad intimum cordis penetrant? Sensus videndi, quam multa quotidie cernit, quæ non vellet? Quam multa vellet, quæ non cernit? Quam multa etiam grata et pulchra videt, quæ habere non potest? Et quanto attentius in ea defigitur, tanto magis cor desiderio vulneratur, uritur, torquetur. Sensus interni quam frequenter vanis imaginibus, spectris, somniis,

phantasmatibus deluduntur? Quam sæpe nulla de causa cum in tenebris vel in cæmeterio vel in nemore aliquo soli versamur, adeo terribilia monstra ac spectra sibi animus fingit, ut erigantur capilli, frigidus sudor toto corpore manet, ac sæpius ad mortem usque timeamus. Jam intelligentia, portio animi tam illustris, quanto labore, quanto tempore naturas rerum etiam vilissimarum vix perdiscit: quam sæpe decepta errorem pro veritate complectitur? experiuntur homines docti, quam vere scripserit Salomon: *Hanc occupationem pessimam, id est, laboris et afflictionis plenam, dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea: et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio usque ad finem.* Sed major adhuc miseria practicam intelligentiam occupatam tenet, de ea mille immanissimas cogitationes suscipit, vel chimæras potius sibi fingit, ac mille artes, mille rationes, mille vias excogitat quibus ad gradus altiores ascendere, et in opinione atque existimatione hominum crescere possit. Memoria custos et thesaurus omnium rerum, quam frequenter nos eludit? Quam sæpe in medio cursu oratores destituit? Cui non aliquando contingit, ut id quod maxime cupit, et quod alias sponte sua occurrisset, recordari nullo modo possit? Veniamus ad voluntatem. Quis, quæso, unquam enumeret appetitus varios, amores, odia, suspiciones, zelotypias, spes vanas, invidentias, timores, molestias voluntatis humanæ? Nihil sine formidine aggredi audet. Si male agit, timet iudices, exilium, verbera, ignominiam, cruciatus: si bene agit, timet linguas maledicorum atque invidorum: Quid iste dicet? quid iste cogitabit? postremo timet mortem, videt se omnia relicturum, quæ diligebat, vellet saltem filios divites relinquere: relinquit onustos ære alieno. Itaque undique miserrimus filius Adæ aquis tribulationum immersus, qua exurgere possit omnino non videt.

Sed parum esset si omnis hominis labor ac difficultas ex interna infirmitate ac debilitate sensuum et membrorum ejus proficeretur, nihilque iis, quæ extra hominem sunt, timeri oporteret. Verum ut initio dicebamus, cælum, terra, aqua, ignis, aer, animantia, Dæmones, Angeli, mundus denique totus contra genus nostrum post Adæ peccatum conspirasse atque arma sumpsisse videntur. Ille clarissimus fulgor, quem solem

nonnumquam, nonne aliquando radiis suis ita sævit, ut omnia excoquat atque adurat? Aliquando adeo procul a nobis recedit, ut omnia frigore constringi atque emori patiatur. Terra vero, quæ nostra communis parens esse dicitur, quot homines quotidie suis præcipitiis, voraginibus, tremoribus, hiatibus, ruihis absorbet? Quid de mari et de ejus filiis fluminibus et lacubus dicemus? Quanto in metu sunt qui navigant mare? Quam ægre evadunt naufragium? Quam sæpe mortem ante oculos obversantem vident? Deinde quot piratæ? quot scopuli? quot vada? quot brevina? quot Syrtes? quot Charybdes? quot loca periculosissima atque importunissima reperiuntur in mari? Ut omittam quantæ sint miseræ, videre se per alienum elementum, quasi ligneo carcere inclusum, ad arbitrium ventorum pendere de fluctibus, et semper jactari atque agitari potius quam duci? Porro flumina quantas sæpe clades afferant civitatibus, ante annos ferme 19 tota prope Italia, maximo suo incommodo sensit. Quid vero initio hujus anni, tam exiguus fluvius in hac urbe fecerit, vos melius nostis. Ignis et aer elementa tam necessaria, quid mali non pariunt, cum Dei Omnipotentis jussu contra homines irascuntur? Quam est horrendum cum domus aut civitas aliqua igni corripitur, haurire tetrum illum odorem, videre volantes globos illos flammaram, sonitum et fragorem elementi furentis audire? At vero aer, qui frequenter levi de causa corrumpitur, et nebulas, caligines, pestes, ægrotudines generat? et nimbi, grandines, procellæ, fulgura, tonitrua unde nobis existunt, nisi ex aere? Neque vero animantia bruta principem suum hominem reverentur: nec solum ursi, tigres, leones, serpentes, sed etiam muscæ, culices, pulices et alia minutissima animalia, ita hominem vexant, ut nullam ei quietem impertiant. Atque utinam sola bruta animalia nobiscum bellum gererent et nihil homines ab hominibus timeremus. Verum non ita se res habet; nam præterquam quod nec terræ, nec maria, nec loca deserta, nec publicæ plateæ, nec privatæ domus, a furibus, a latronibus tutæ sunt: nullum fere habet homo majorem et potentiorum et crudeliorem inimicum, quam alium hominem. Nonne propter levissimas injurias verborum, propter parum terræ, propter opiniones honorum occiduntur homines? Quid? Quod non solum hostes, sed etiam amici, et

pacis ac justitiæ defensores in homines sæviunt? Neque aliter fieri potest. Quid enim tot carceres, tot patibula, tot rotæ, tot alia infinita genera suppliciorum sibi volunt? Et quot præterea sollicitudinibus et curis propter uxorem, filios, fratres, aliosque conjunctos et necessarios homines cruciantur? Si eos oderis, odium te torquet: si amas, amor te consumit. Qui filiis caret, angitur habendi desiderio: qui habet, angitur amittendi metu. Neque solum corporeos hostes, quos videre, et evitare nobis licet, sed quod multo est infelicius, etiam incorporeos, a quibus videmur, et quos videre non possumus, habemus Dæmones enim, qui versutissimi, crudelissimi et potentissimi numero et viribus sunt nihil aliud negotii videntur habere, quam tentandi, decipiendi, vexandi, tribulandi, præcipitandi miseros filios Adæ. Sancti etiam Angeli nonnumquam Dei jussu in homines arma capiant: Angeli Sodomam et Gomorram everterunt: Angeli tot cladibus Ægyptum affecerunt: Angeli tot millia in castris Sennacherib trucidaverunt: Angeli cum Josue contra Chananeos et Jebusæos; cum Macchabæis contra Lysiam, et exercitum ejus pugnaverunt: Angeli denique tempore junioris Theodosii circiter centum millia Sarracenorum in flumen Euphratem præcipitaverunt.

Sed ut ad epilogum aliquando tandem veniamus quamquam humanæ tribulationes nullo numero comprehendi possunt, tria tamen sunt quasi capita quædam, et tamquam fontes tribulationum, pestis, fames, bellum. Pestis ejusmodi tribulatio est, ut brevissimo spatio temporis creberrimas urbes desertas efficiat. Tunc unus alium juvare non potest, tunc nihil divitiæ, nihil honores, nihil parentes et affines possunt: tunc multi sine Sacramentis, sine ulla consolatione atque auxilio spirituali, quasi canes aut equi moriuntur. Fames deinde magnum flagellum Dei est, cum vides tibi victum deficere, nescis quo te vertas, sentis te mori sine morbo, nec remedium ullum adhibere potes. Inde videlicet multi ad furta, ad homicidia, ad sacrilegia adducuntur. Inde multæ ad pudicitiam suam vendendam, et prostituendam impelluntur. Inde quod gravissimum atque acerbissimum est, contra omnia jura naturæ, aliquando matres proprios filios devorare coguntur. Bellum postremo quid mali non parit? Agrorum vastationes, urbium populationes, fortunarum

direptiones, stupra, caedes, incendia, nonne fructus bellorum sunt? Quam multi in hac afflicta et calamitosa regione ante unum annum divites erant, qui nunc sunt pauperes? Quam multi filios et fratres habebant, qui modo non habent? Quid? Quod bellum, ut plurimum pestem et penuriam post se reliquit? Hæc omnia mala atque incommoda, auditores, Deus partim immittit, partim permittit, tum ut discamus, unde omnia bona nobis proveniant, tum ut bonis rebus, quas Deus ad utilitatem nostram creavit, nos in nostram perniciem non abutamur. Nos enim sæpe cum floremus et bonis omnibus abundamus, id totum vel naturæ vel fortunæ vel industriæ nostræ tribuimus. Quid igitur Deus? Ego, inquit, ea tibi dederam, tu vero me auctorem non agnoscis? En illa tibi rursum auferam, ut incommodo tuo discas, quis auctor et donator bonorum sit omnium. Nos item cum divitiis et honoribus atque aliis bonis affluimus illis uti nescimus, sed ad convivia, ad ebrietates, ad scortationes illis abutimur. Quid igitur Deus? Ego, inquit, tibi divitias dederam, ut inde gradus efficeres, quibus in cœlum ascenderes: ut faceres tibi *Amicos de mammona iniquitatis*, ut vestem gloriæ et locum aliquem in cœlo comparares: tu vero contra gradus tibi facis ad gehennam, et tam-

quam insipientissimus mercator, nihil emis, nisi funem, quo teipsum suspendas. En igitur auferam tibi divitias, auferam dignitates, ut quando dives et honoratus cœlum intrare non potes, saltem pauper et obscurus ingrediaris. Et nos quidem, auditores, vere nulla re alia, quam plagis et verberibus digni sumus: tamen si ad pœnitentiam, ad sobrietatem, ad humilitatem serio convertamur sperandum est omnino, Deum nostrum, qui pius et misericors est, *Et præstabilis super malitia*, tandem aliquando benedictione maledictionem mutaturum. Nec enim ignoratis, quod patriarcha Jacob aliquando fecerit, cum magnopere metuebat, ne maledictionem pro benedictione a patre reciperet, nempe consilio matris indumenta mutavit, et indutus vestibus primogeniti ad Isaac patrem suum accessit, atque ea demum ratione benedictionem pro maledictione reportavit. Ita nos, auditores, licet flagellis et tribulationibus dignissimi simus, tamen si vestes mutemus, si filii primogeniti, id est, Christi Servatoris nostri indumenta sumamus, quæ sunt innocentia, castitas, sobrietas, cæteræque virtutes, dubium non est, quin benedictionem pro maledictione capiemus et omnes plagæ tribulationum ac flagella cessabunt, quod nobis concedat, qui est in sæcula benedictus. Amen.

CONCIO II.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

De causis tribulationum verba factururus, Deum effectricem causam illarum constituit, idque sacræ Scripturæ testimoniis confirmat; et quibus plerumque instrumentis Deus nobiscum quasi velletur, indicat. Duæ deinde statuuntur tribulationum origines divina providentia et peccatum; ubi similitudinibus et auctoritatibus veteres Philosophi providentiam Dei negare ausi, redarguuntur. Duplex docetur esse ratio, qua nos Deus cruciat, vel iis scilicet, quæ sine sua culpa nocent; vel iis, quæ non nisi peccando id uigunt, atque hæc suis exemplis illustrata proferuntur. Deum non esse causam peccati ostenditur: tribus tamen modis Deum ad malum concurrere, nimirum cooperando in bono malis conjuncto, permittendo fieri malum, et ex patrato malo majus bonum eruendo, adductis similitudinibus probatur, et auditores in spem boni eriguntur.

Pars posterior pulchre, ut omnia, docet hominem, licet in summis gratiis sit creatus tamen ob inobedientiam morti obnoxium factum, quæ est pæna omnium severissima; præsertim cum non possit evitari: Atque hinc necessariam esse ad illam præparationem affirmatur. Peccatum non modo mortis, sed et omnium aliarum calamitatum esse causam astruitur, ubi multis aggregatis exemplis docetur, quod calamitates publicas semper præcesserit peccatum, uti et in nostri temporis moribus illud demonstratur. Inde epilogus graviter peccata, maxime vero frigidam quadragesimalis jejunii observationem, taxat.

Ingressi Dominica superiore de tribulatione disputationem eo animo sumus, auditores optimi, ut toto hoc sacro inediæ tem-

pore, quod est si quod aliud tempus sanctæ tribulationis, in ea versaremur et eam si ullo modo fieri poterit, octo vel decem orationibus absolveremus: et quamquam nobis multa occurrebant, quæ de tribulatione dici potuissent, nos tamen ea, quæ hoc tempore dicenda esse duximus, ad quinque quasi capita revocavimus: Naturam, varietatem, causas, effectus, remedia sive arma tribulationum. Ac de natura quidem et varietate diximus concione superiore, nunc de causis, Domino adjuvante, dicemus.

Quænam igitur est efficiens causa tribulationum? Deus. Ita enim sacræ litteræ ubique nos docent. *Bona et mala*, inquit Ecclesiasticus, *vita et mors, paupertas et honestas, a Deo sunt.* Et apud Isaiam: *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Et Amos nonne magna voce clamat: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus?* Denique ut alia, prope infinita testimonia prætermittam, sanctus ille Job, cum omnes suas opes, cum omnes filios et filias, cum ipsam corporis sanitatem una die perdidisset, cum eam jacturam partim a Sabæis, partim a Chaldæis, partim ab igne, partim a vento Dæmonis arte concitato se accepisse didicisset, num forte dixit, Dominus dedit, Diabolus abstulit? Minime vero. Sed quid? *Dominus dedit*, inquit, *Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Neque rursum ait: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala de manu Diaboli quare non sustineamus?* Non ita vir sanctus et sapiens locutus est: Sed: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala de ejusdem videlicet manu, quare non sustineamus?* Quamobrem, auditores, sive grandis, sive pruina, sive aquarum eluvio, sive nimbi, sive procellæ, sive fures, sive latrones, sive Ethnici, sive Hæretici, sive Angeli, sive Dæmones, sive cælum, sive ter-

ra, nos cruciet quovis modo, et undecumque tribulatio veniat, ille nobis metuendus, ille orandus, ille placandus est, cujus imperio res omnes creatæ, sive volentes, sive nolentes obsequuntur. Ipse est, qui armat *Creaturam ad ultionem inimicorum*. Pro ipso pugnat orbis terræ *Contra insensatos*. Denique *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*, cum in homines irascuntur et sæviunt, quid aliud, quæso, *Faciunt*, quam *verbum ejus*? Scribit in Recognitionibus B. Clemens, Deum in die ultimi judicii quasi generali conflictu, quam flagitiis et sceleribus hominum perditorum pugnaturum, et tunc futuram magnam illam tribulationem, quam Dominus tanto ante prædixit, qualis neque fuit ab initio, neque postea erit. Sed interim ne forte putent homines, Deum semper dormire, ut idem Clemens ait, frequenter ad nos cum suis militibus excurrit, et brevibus præliis nunc uno in loco, nunc alio aliqua clade hostes suos afficit. Ponamus exemplum unum aut alterum. Corruptitur interdum aer, generatur inde pestis, quæ brevissimo tempore multa millia hominum assumit. Alio tempore oritur bellum inter duos reges, et omnia stupris et rapinis, cædibus atque incendiis replentur. Rursum alias nivibus liquefactis intumescunt flumina, et magna detrimenta civitatibus adferunt. Crebro item cum arbores ubique florent, et in agris virentes segetes magnam spem ubertatis ostendunt, repente aquilonibus flantibus gelu et frigore omnia constringuntur, et pereunt. Quid ista esse putatis? Solum res quasdam naturales, cæli ac planetarum effectus? Ita sane philosophantur, qui Deum ignorant: sed revera secundum oracula Prophetarum, milites Dei sunt, qui cum vitiis nostris confligunt. Idcirco vero perpetuo tribulationes istæ non durant, neque mundum totum evertunt, quia tempus generalis conflictus nondum venit. Itaque imperat Deus pesti, penuriæ, aquis, pruinis, frigoribus ut sint quasi equites quidam levis armaturæ et cum ad nos celeriter excurrerint, seque nobis ostenderint, et aliquo damno atque incommoda nos affecerint, gradum paulatim revocent, et in castra se recipiant. Sed potentiam suam Deus eo potissimum ostendit, quod non strenuis militibus, sed muribus, culicibus, muscis, maximas potentissimasque gentes debellare solet. Hinc Ægyptum non ursis et leonibus, sed muscis et ranis et locustis devastavit. Hinc Azotum, ut liber primus Regum narrat, murium mul-

titudine pene totam delevit. Hinc mœnia urbis Jericho, non arietibus vel magnis globis bombardarum, sed solo clangore sacerdotalium tubarum evertit. Hinc etiam tempore Gedeonis lagenarum complosione tubarumque sonitu castra Madianitarum fudit. Hiuc ad preces Episcopi Jacobi, Nisibin urbem a diuturna obsidione solis culicibus liberavit. Nam ut Theodoretus scriptum reliquit, cum Sapor rex Persarum eam urbem obsideret, Episcopus ejus loci B. Jacobus a Sancto Ephrem Syro aliisque piis viris rogatus conscendit mœnia, et ut vidit multitudinem barbarorum tanquam locustas omnia quaquaversum replevisse, id unum a Deo precatus est, ut minutissimis animalculis quales sunt culices, tumorem eorum comprimeret et superbiam cohiberet. Repente vero immisit Deus quasi nubes et examina culicum in exercitum barbarorum, qui nares equorum et elephantorum ingressi, mox eos huc atque illuc sine ordine currere, bacchari, furere, et tota castra turbare ac dissipare in puncto temporis coegerunt. Habemus igitur Deum efficientem causam esse tribulationum.

Sed quænam est via, quæ porta, per quam tribulationes in orbem terrarum intrarunt? Duas, auditores, video esse quasi portas, quibus tribulatio ad nos venit: una est providentia Dei: altera peccatum, ac præcipue primum illud quod in paradiso a parentibus humani generis commissum est. At ut de providentia, quæ prior est, prius etiam disseramus, non defuerunt olim Philosophi, si tamen eo nomine digni sunt, qui omnem providentiam ac procurationem rerum humanarum a Deo sustulerunt, quorum princeps (ut Lactantius docet) Democritus et Epicurus videntur fuisse. Quoniam enim in otio vivere, et vacare ab omni munere pulcherrimum quiddam esse judicabant, atque adeo pulchrum, ut in eo potissimum summum bonum collocarent, propterea ne miserum Deum facere viderentur, si ei totius mundi procurationem imponerent, ab omni eum mundi gubernatione atque administratione suis sententiis liberaverunt. Quam præclaram philosophandi rationem Lutherus quoque et posteri ejus amplexi, quoniam durum ac difficile esse censebant, certis diebus a carnibus se abstinere, Sacerdotes et Monachos uxores non ducere, peccata per confessionem et poenitentiam expiare, docere cœperunt, nihil horum a Deo esse profectum: Neque id solum, sed Deo etiam ista omnia displicere.

Perversi philosophi isti sunt, auditores, qui secundum suas cupiditates Dei voluntatem metiuntur : ad quem modum, si ratio esset in belluis, quælibet sibi similem Deum esse contenderet. Longe aliter Prophetæ, aliter Apostoli, aliter Deus ipse nos docuit. Et quidem tantum interest inter Philosophorum et Prophetarum de Deo cognitionem, ut B. Justinus sapienter annotavit, quantum inter duos homines, qui de sententia regis contenderent, et eorum alteri rex ipse mentem suam aperuisset, alter regem ne vidisset quidem unquam sed ex suo sensu, de sensu regis divinare vellet. Ita enim Philosophis laborantibus in investigatione veritatis, et ex motibus, signis, conjecturis, effectibus de Deo judicantibus, atque inde et contrarias vias abeuntibus, Deus Apostolos et Prophetas elegit, et alios scriptores sanctos quibus seipsum inspiraret, eosque docuit, se rerum omnium etiam vilium et minutarum curam gerere, et sine labore, sine molestia, sine sollicitudine, sine faticatione, summa quadam pace et tranquillitate res omnes creatas conservare, dirigere, gubernare. Audi Prophetam Ezechielem : *Iniquitas, inquit, domus Israel, et domus Juda magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione.* Quamobrem? Rogo, quæ hæc iniquitas? *Dixerunt enim, inquit, Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. Igitur et meus non parcat oculus, neque miserebor.* Et quam graviter ostenditur Deus perniciose hæresi, quæ divinam providentiam tollit? Audi Sapientem : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est ei cura de omnibus.* Et : *Attingit igitur a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et alibi : *Tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat.* Audi verbum ipsum Patris ore proprio divinam providentiam prædicans : *Nonne duo passeret asse veneunt, et unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro? vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt?* Quid? Quod non Scripturæ solum, sed et ordo iste pulcherrimus quo res tam varias, tam dispares, tam diversas, tam inter se naturis et locis dissidentes gubernari cernimus, providentiam aliquam in mundo esse clamat? Veluti si citharam aliquam (ut ait Magnus Athanasius) audires e longinquo vario æquabiliter concentu resonantem, etiamsi citharædum non videres, tamen statim intelligeres, eam non per se moveri, nec ab aliquo mure, aut fele, sed ab homine,

eoque docto et perito pulsari : et si currum vel navim procul cerneres summa quadam ratione atque ordine procedere saxa declinare, vias meliores eligere, etiamsi aurigam vel magistrum navis non videres, esse tamen et aurigam, qui currum, et nautas, qui navim, dirigerent, minime dubitares.

Cum igitur extra controversiam sit, mundum hunc universum divina providentia gubernari, quonam pacto, quæso, ratione providentiæ Deus auctor tribulationum dici debet? Duobus modis. Interdum iis homines cruciat, quæ sine ulla sua culpa aliis nocent : interdum iis, quæ non nisi peccando id agunt. Quod attinet ad primum modum, multa sunt exempla : cum ignis domum comburit, cum lupus devorat agrum, cum pestis hominem occidit, nulla sua culpa id faciunt, at non sine providentia Creatoris. Quare sine culpa? Quare non sine providentia? Sine culpa, quia, naturam sequuntur suam : non sine providentia, quia naturæ leges a divina providentia datæ sunt. Etenim Deus, ut B. Justinus et B. Augustinus docent, duo genera rerum in hac universitate esse voluit : unum temporalium, alterum æternarum. Et quidem res æternæ, ut Angeli, ut cœli et sol et luna, et stellæ cæteræ, generatione non egent, ut conserventur. Sicut etiam homines cum adepta corporis immortalitate, æquales Angelis erunt, neque nubent amplius, neque nubentur. Res vero fluxæ et caducæ, quæ diutius permanere non possunt, ortu atque interitu opus habent, ut aliis recedentibus, aliæ succedant, et eo modo si non res singulæ saltem singula rerum genera conserventur, non secus atque in oratione fieri videmus, ubi non omnes voces sonant atque audiuntur simul, id enim fieri non potest, sed ordine quodam aliis abeuntibus, aliis venientibus oratio conficitur. Est vero in hoc genere rerum ejusmodi ordo a divina providentia constitutus, ut semper debilius potentiori cedat, atque ad eum modum unum alatur et conservetur ex alio. Leo fortior est ovis, igitur jure suo devorat ovem, et conservatur. Ovis fortior est herbis, igitur jure suo pascitur herbis, et conservatur. Herbæ terræ sunt fortiores, igitur jure suo succum trahunt ex terra, et conservantur. Pari ratione cum dolles capite vel pede, ille dolor ab humore quodam efficitur, qui est potentior et fortior corpore tuo, atque idcirco sine culpa sua optimo jure dominatur, et vincit : ea est enim lex æqua et bona providentiæ Dei.

Veniamus nunc si placet ad alterum modum, quo utitur Deus ad homines cruciandos, non sine culpa eorum, qui cruciantur. Cum latrones in silvis viatores vel spoliant, vel occidunt : cum hæretici nostri temporis more veterum persecutorum Sacerdotes et Monachos vexant : cum avari mercatores qui usuris multos pauperes de divitibus, et multos mendicos de pauperibus faciunt : cum iudices et advocati lites semper protrahendo miseros homines ad extremam paupertatem redigunt : cum petulantes juvenes parentum pecunias in sphæristeriis perdunt : cum aliqui bis nequam non contenti soli perire, etiam alios a proposito pie sancteque vivendi revocant vel impediunt, magnæ certe tribulationes, sed non sine gravi culpa eorum accidunt, qui auctores earum existunt : dum enim hæc agunt, Dei legem non solum non servant, sed etiam violant. Nec enim Deus tantum non præcipit, sed aperte etiam prohibet furta, homicidia, usuras, iniquitatem, petulantiam, improbitatem. Num igitur ista sine providentia divina fiunt? Nullo modo. At quo pacto fieri potest, ut se Deus in ejusmodi sceleribus immisceat? Tribus modis. Primum cooperando in eo, quod bonum est : deinde permittendo fieri, quod est malum : postremo ex patrato jam malo majus aliquod bonum eruendo.

Sed antea tamen quam hoc explicemus, a nostra oratione immanis ista blasphemia removeatur, qua novi Evangelistæ, Melancthon et Calvinus, Evangelium suum ornare voluerunt, quod Deus sit auctor peccatorum : Deus enim, qui summum ac sempiternum est bonum, peccati auctor esse non magis potest, quam humor exsiccare, quam frigus calefacere, quam æstus refrigerare : *Mundi sunt oculi tui*, inquit Sanctus Habacuc, *ne videas malum, et respicere ad iniquitates non poteris. Odio sunt Deo impius et impietas ejus*, ait Sapiens. Deinde quis prohibet peccata? Deus. Quis punit in hoc mundo peccatores? Idem Deus. Quis illis in sæculo futuro paravit gehennam? Nonne Deus? Et unde igitur incredibile est auctorem esse peccatorum Deum? Absit omnino, absit ab animis et vocibus piorum tam immanis blasphemia. Sed tamen tribus illis modis quos diximus, sceleribus hominum se interserit Dei providentia.

Primum cooperando in eo, quod bonum est. Nihil enim est tam malum, quod aliquod bonum conjunctum non habeat, et nullum est tam exiguum bonum, quod a Deo, fonte

et Oceano bonorum omnium, non sit. Accipe hominem claudum, ut hoc exemplo rem totam illustrem. Quid est hominem claudicare? Est ambulare, sed perverse. Ambulare bonum est, perverse malum. Unde homo habet illud bonum, quod ambulet? Ab imperio voluntatis, a spiritibus, musculis, nervis aliisque instrumentis animæ motricis. Unde illud malum, quod perverse? Num a voluntate? Non certe. Mallet enim, si posset non claudicare. Unde igitur? A tibiæ nimis brevis vel nimis curvæ perversitate. Ad eundem modum cum latro viatorem occidit, et manum extendit, gladiumque vibrat, et eum perimit, quem non debet. Quod igitur manum extendat et gladium vibrat, et bonum est, et a Deo est. Alioqui etiam carnifex et milites peccarent, cum simili ratione manus extendunt, et gladios vibrant. Quod vero eum perimit, quem non debet, malum est, et non a Deo, sed a sola hominis iniqua et perversa voluntate est, quam quidem Deus nec impellit, nec hortatur, nec juvat ad malum ; sed tamen permittit agere, quod cupit : qui est secundus modus, quo se Deus in peccatis admiscet. Et quamquam posset malum non permittere, et si non permitteret, non fieret ; tamen quia humanam voluntatem liberam creavit, et ut magnus Dionysius docet, non est Dei corrumpere, sed conversare naturas : « Melius esse judicat, » ut verbis utar D. Augustini, « de malis bona facere, quam nulla mala esse permittere. » Et hic est tertius modus, et postremus, quo in peccatis locum providentia Dei habet. Quare tu patris domi tuæ ligna comburi? Quia vides majora bona inde tibi nasci, quam sit damnum illud paucorum lignorum : nempe inde coquantur cibi, calefiunt homines, illustratur domus. Pari ratione Deus numquam peccata ulla esse sineret, nisi tam esset potens ut valeret, tam prudens ut sciret, tam bonus ut vellet majora bona ex iis efficere. Quod majus malum esse potuit, quam tot Prophetas, tot Apostolos, tot Martyres, et Christum ipsum verum Filium Dei occidi? Num Deus impedire non potuit? Facillime. Sed noluit. Et nunc quantam gloriam et felicitatem ipsis, qui passi sunt, quantam laudem et honorem Deo, pro quo passi sunt, quantam salutem, quanta commoda quanta, commoda, quanta emolumenta toti mundo mortes et passiones eorum attulerunt? Nec unquam Ecclesia persecutiones Ethnicorum vel Hæreticorum passa est, quin effecta sit clarior, illustrior, melior,

doctior, vigilantior, ac demum tamquam aurum in fornace purior non exierit. Quæ cum ita sint, hoc etiam tempore, auditores, licet omnia sacra et profana misceri, et sursum ac deorsum ferri videamus, sperandum est tamen, cum non sit abbreviata manus Domini, ex tantis malis magnum aliquod bonum Deum esse effecturum, et post tam sævas tempestates et procellas aliquando quietem et serenitatem redituram.

PARS SECUNDA.

Duas esse dicebamus quasi vias, vel portas, quibus ad nos ingrediuntur tribulationes, providentiam Dei et peccata nostra. De priore jam diximus, nunc de posteriore dicamus. Homo igitur, si naturam ejus dumtaxat considerare velis, talis initio creari debuit vel certe potuit, quales sunt res cæteræ, quæ secundum legem divinæ providentiæ ærumnis, et calamitatibus, et ipsi morti obnoxii sunt : cum semper infirmior ac debilior a potentiore et fortiore consumatur : sed tamen voluit Deus singulari gratiæ beneficio hominem ita creare armatum atque instructum, ut posset, si vellet, et morte et miseris esse superior. Itaque sicut carnes, quæ natura sua facile corrumpi solent, arte quadam condiuntur sale et conservantur : sic etiam hominem per se ac natura sua mortalem et fragilem, Deus mirabili quodam artificio gratiæ suæ sale ita condidit, ut si salem illum retinere vellet, neque unquam moreretur, neque ullas ærumnas vel calamitates pateretur. Poterat vero salem retinere, si mandatum, quod acceperat, quod unum et facillimum erat, conservare voluisset. Quis hoc docet? Spiritus sanctus. Sic enim loquitur apud Ecclesiasticum : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui : adjecit mandata et præcepta sua : si volueris mandata servare, conservabunt te.* Verum noluit Adam servare mandata. Quid igitur Deus? Itane, inquit, durum est tibi salem retinere? Non vis mandata servare, nec illa conservabunt te. More igitur rerum cæterarum naturæ tuæ relictus corrumperis, et putresces. Nam *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Atque eo die totum humanum genus una sententia adjudicatum est. Magnum profecto judicium, et quod unum abunde sufficeret, si oculos cordis apertos et putgatos haberemus, ad omnem peccati gra-

vitatem et magnitudinem aperiendam. Severa illa sententia fuit, qua Deus Pharaonem cum omnibus curribus, et equitibus suis, ita fluctibus Erythræi maris involvit, ut ne unus quidem evaserit : severior adhuc fortasse illa, qua Sodomam et Gomorrhæam et alias nonnullas civitates igne et sulphure demisso de cælo conflagrare voluit : severissimo vero illa, qua totum orbem temporibus Noë, et omnes homines, qui tunc videbant, iis exceptis qui in arca erant, aquis diluvii interfecit ; sed nulla sententia, nullum judicium cum isto comparari potest, quo propter unum Adæ peccatum omnes homines, qui unquam futuri essent, etiamsi mundus mille myriades annorum permaneret, certissima morte condemnati sunt. Grande certe peccatum immanæ scelus, quod tam severa atque atroci sententia puniri debuit. Scribit quidem Galenus, nescio quem extitisse, qui re remedium contra mortem habere profiteretur : at ille idem seipsum suo remedio liberare non potuit. Scribit quoque Tertullianus, Menandrum Hæreticum jactare solitum fuisse, omnes qui suo baptismo abluerentur, mox evasuros immortales. Verum ne ipse quidem suo tam potenti baptismo mortem suffocare potuit. Nam et ipse mortuus est, et discipuli ejus omnes mortui sunt : nec solum isti, qui mille mortibus digni erant, sed omnes etiam Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes Apostoli mortui sunt. Malus ille Johannes, quo *Major inter natos mulierum non surrexit*, mortuus est. Ipsa Deipara Virgo, omnium rerum creatarum longe optima et sanctissima mortua est. Enoch et Elias nondum mortui sunt, sed morientur tamen. Denique Filius Dei, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, tamen propter aliena peccata et ipse mortuus est. Quare quicquid stulti homines vaticinentur et somniant, nihil certius nobis esse potest, quam quod cum nascimur, sententiam mortis nobiscum afferamus, et si quis omnes similes illis ægrotis, de quorum vita medici omnes jam desperaverunt, sed solum variis potionibus aluntur et sustentantur, ut unum aut alterum diem diutius vivant, et vel testamentum facere vel peccata confiteri Sacerdotibus possint. Ita enim nos omnes, non ideo comedimus, bibimus, dormimus, ut nunquam moriamur : id enim fieri non potest ; sed ut ad paucos dies vitam nostram producamus, atque interim operibus bonis, eleemosynis, jejuniis, precibus, nos ad mortem præpare-

mus : ut quemadmodum piratæ in medio mari a satellitibus regis comprehensi ad litus perducuntur, ut in patibulis ibi suspendantur, spem vitæ longioris non habent, quam sit spatium illud maris inter navem et litus interjectum : ita nos omnes, qui mare sæculi hujus navigamus, quasi piratæ quidam a ministris divinæ justitiæ jaundum comprehensi, captique tenemur, et cum ad certum quemdam locum ætatis nostræ pervenerimus, ibi sine dubio absque ulla misericordia trucidamur. Et nos hoc scimus, auditores, et tamen in itinere tam funesto libet cantare, libet saltare, libet jocari, libet inebriari, libet luxuriari. Væ miseris nobis. Quid faceremus, si non ad mortem, non ad iudicium illud horrendum et formidabile, sed ad convivium vel ad nuptias pergeremus ?

Habemus igitur, peccatum primi hominis fuisse, quod morti immanissimæ, et teterrimæ belluæ aditum aperuit, quod etiam divinæ Scripturæ non tacent : *Per unum hominem*, inquit Apostolus Paulus, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit*. Et in libro Sapientiæ loquitur Spiritus sanctus, et ait : *Deus creavit hominem inextinguibilem. Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Et rursus : *Deus, inquit, mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum : sed impij manibus et verbis accersierunt illam*, quasi dicere velit, non cupit Deus, ut homines moriantur, sed tamen recte se habet fustis super dorsum asini et aptissime perdent fures in patibulis. Itaque sicut iudex non mentitur, cum ait latroni, non ego te, latro, suspendo, sed furtum tuum est, quod te agit in crucem : sic etiam Deus, licet impios et nefarios homines morte damnaverit, rectissime tamen dicitur, mortem non fecisse, propterea quod nunquam eam in humanum genus immisisset, nisi antea homo peccasset. Jam vero quod de morte dictum est, idem de fame, siti, de frigore, de morbis, de vulneribus, de aliis ærumnis et calamitatibus potest ac debet intelligi. Siquidem omnis exercitus tribulationis, ducem suum atque imperatorem sequens, mortem videlicet, per eandem peccati portam ad nos venit, et sicut de morte legimus in Apostolo, *Stipendium peccati mors* : Ita de tribulationibus cæteris legimus in Proverbiis, *Miseros facit populos peccatum*. Magnus Basilius, et qui eum sequitur B. Am-

brosius, rosas sine spinis ante peccatum fuisse confirmant; postea vero quam propter peccatum terræ dictum est, *Maledicta terra in opere tuo : spinas et tribulos germinabit tibi*, natas quidem esse spinas sine rosis, sed non rosas sine spinis. Ex quo intelligimus, si primus homo non peccasset, habituros nos fuisse sine spinis, sine ulla molestia virentes rosas, multas et magnas voluptates : postea vero quam peccavit, posse quidem nos tribulis, hoc est, tribulationibus variis sine ullo genere florum, hoc est, consolationis abundare; sed ullo flore, ulla delectatione frui, quæ spinam suam molestia admixtam nos habeat, nullo modo posse. Ante peccatum, via quæ ducit ad cælum quasi planities quædam florentissima et pulcherrima : nunc vero post peccatum, mons est arduus et præruptus, spinis, feris, latronibus plenus.

Verum enimvero, auditores, æquum non est, ut solum de primo nostro parente conqueramur : enim propter illud primum, et unum Adæ peccatum dumtaxat, sed etiam propter innumerabilia, quæ addidimus et addimus quotidie, tribulationes ad nos veniunt. Legite sacras omnes et Ecclesiasticas historias, et aperte videbitis, nullas unquam persecutiones, nullas afflictiones, nullas plagas, nulla flagella in Ecclesia extitisse, quibus aditum hominum peccata non præbuerint. Afflixit Deus olim gentem Hebræorum, nunc per Philistæos, nunc per Madianitas, nunc per Assyrios, nunc per Romanos : at semper ante peccaverant, et Deum ad iracundiam provocaverant, ut liber Judicum, libri Regum, liber Tobia, liber Judith et libri omnium Prophetarum docent. Afflixit olim Deus Ecclesiam Christianorum per Nerones, per Domitianos, per Decios, per Diocletianos, per alios tam multos et tam acerbos persecutores : at ex B. Cypriano et ex Cæsariensi Eusebio dominica superiore ostendimus, earum omnium persecutionum causam fuisse vitia Christianorum. Afflixit Deus olim Africam, Italiam, Hispaniam, Galliam, partim per Hunnos, partim per Wandalos, partim per Gothos : at eas plagas peccata hominum exegisse, cum D. Augustinus in epistola, quæ est de afflictionibus piorum, tum Victor Africanus in libro de Wandalica persecutione, constanter affirmant. Afflixit olim Deus, et nunc etiam frequenter affligit populum suum, modo fame, modo bello, modo peste, modo grandine aut pruinis.

modo terræ motibus modo aquarum eluvionibus : at horum omnium causam esse peccata, Magnus Basilius et D. Gregorius Theologus luculenter ostendunt. Afflixit Deus Ecclesiam Græcam per immanes illas et truculentas belluas imperatores vel tyrannos potius Turcarum : at quis ignorat, Græcos in Spiritum sanctum fuisse et esse blasphemos? et cum in Conciliis Lateranensi, Lugdunensi, Florentino errorem suum aperlissimis Scripturarum testimoniis convicti revocaverint, semper tamen ad vomitum suum, more canum, rediisse? Quis nescit Græcorum superbiam nunquam æquo animo Romano Pontifici pastori ac Doctori universorum obtemperare potuisse? Quis item ignorat, apud eos ebrietatem, comessationes, saltationes, aliasque insanias semper regnasse? Et quoniam adhuc hæresis et schisma et corrupti mores apud eos manent, ideo etiam virga Dei et flagellum super eos manet.

Sed ut ad nos ipsos tandem veniamus, afflixit Deus et affligit tot plagis calamitosam hanc provinciam, ut pestem, penuriam, bellum quæ alias seorsim mitti solent, uno tempore in nos irruisse videamus. At nimis est cæcus, qui causas horum malorum non videt. Non est, quod elementa vel sidera, vel homines, vel Dæmones accusemus, cum radix amara tribulationum nostra dissolutio, atque socordia in conservanda et tenenda fide, nostra corrupta ac depravata vita, qua spiritum fere extinximus, nostra scelera atque flagitia, quibus graviter offendimus, fuerint. Nunc enim nihil novi nobis accidit, olim hæc prædicta et prænuntiata nobis sunt. *Si autem, inquit Spiritus sanctus per os David, dereliquerint filii tui legem meam et in iudiciis meis non ambulaverint: si iustitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum:* Et apud Aggæum: *Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: Seminastis multum et intulistis parum: comedistis et non estis saturati: bibistis et non estis inebriati: operuistis vos et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacchum pertusum. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus, et intulistis in domum, et exsufflavi illud. Quam ob causam dicit Dominus exercituum: Quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne*

darent rorem, et terra prohibita est, ne daret germen suum, et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum et quæcumque profert humus; et super homines et super jumenta et super omnem laborem manuum. Alloquitur Propheta sanctus populum Hebræum, eumque vehementer reprehendit, quod cum de ea captivitate Babylonis rediisset, et primum omnium de ædificanda domo Dei cogitare debuisset, ipsi de suis privatis rebus, de suis domibus, de suis vineis, de suis facultatibus cogitavit. Atque ea de causa demonstrat posteriorem calamitatem penuriæ ac sterilitatis accidisse. Quæ tota reprehensio utinam in nos, atque in nostra tempora non aptissime conveniret, auditores. An obliti estis ante paucos annos similia iis, quæ nunc patimur, huic toti provinciæ accidisse? an etiam simul non recordamini, quam celeriter tanti motus et tumultus conquieverunt? Quid igitur cessante tribulatione agere debuissimus? Certe unusquisque pro virili sua parte, emendationi morum, conversioni Hæreticorum, Ecclesiæ denique ædificationi operam dare debuimus ut suus cultus atque honor Deo imprimis, deinde sanctis Sacramentis, templis, altaribus redderetur. Sed numquid fecimus? Numquid non festinaverunt omnes in domos suas, et domus Domini deserta est? Quis danna temporalium bonorum primo quoque tempore resarcire non voluit? At fidei et religionis de morum et pietatis damnis, quam pauci solliciti fuerunt? Cui domus eversa et combusta fuerat, numquid eam iterum ædificavit? Cui arbores succisæ, numquid eas iterum plantavit? Cui pecora vel jumenta sublata, numquid ea iterum sibi comparavit? At num aliqui de instauranda Ecclesia, de sanandis Hæreticis, serio cogitaverunt? Num qui beneficia male parta habebant, ea restituerunt? Num qui de beneficiis Ecclesiæ vivunt, et qui nihil agunt pro Ecclesia, nunc saltem horas canonicas legere inceperunt? Num festi dies, ut Christianos decet, non conviviis, et lusionibus, sed sanctis precibus et lectionibus jam celebrantur? Num avaritia, impudicitia, simonia, ebrietas, aliaque tam multa vitia, quæ nobis antea dominantur, nunc tolluntur vel saltem minuuntur? Num hoc sacrum et venerabile quadragesimæ jejunium sancte et religiose servatur? Exposuerunt quidem episcopi vestri

sancte et sapienter in sua Mechliniensi Synodo, sine periculo lethalis criminis sacrosanctum hoc jejunium non posse violari, sed quam multi enumerantur Lovanii, qui sine ullo scrupulo, solemnissimum, antiquissimum, celeberrimum saluberrimumque hoc jejunium temerare non metuunt?

At, inquis, imo vero, vel omnes, vel pene omnes jejunamus: nam et a carnibus atque ovis nos abstinemus, et semel dumtaxat prandemus in die. Ita est, fateor, semel prandetis; sed cœnatis etiam semel. Minime vero, inquis. Nec enim cœna, sed cœnula vocantur, quam ad vesperam sumimus. At cœnula ista vestra, si talis est, qualem audio, non minus violat jejunium, quam si vocaretur cœna. Intellego enim apud plebsque hoc solum differre cœnulas a magnis cœnis, quod in cœnulis non totæ mappæ

super mensas extenduntur: alioqui et panis, et ficus, et uvæ, et pisces, et olera et alia permulta in cœnulis istis comeduntur, atque interim jejunium sacrosanctum irredetur, et *Propter escam* perit anima, pro qua *Christus mortuus est*. Quid igitur, si rursus plagæ, rursus flagella, rursus tribulationes nobis immittuntur? Nam si prioribus erudiri atque emendari voluissemus, certe posterioribus opus non fuisset.

Quamobrem, auditores, si cessare cupimus tribulationes, ad radicem securim ponamus, emendemus vitam, corrigamus mores, expiemus peccata, serio et ex animo convertamur ad Deum, et tum sine dubio, qui nos juste pro peccatis afflixit, idem ipse pro misericordia et benignitate consolabitur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO III.

DE TRIBULATIONE.

SYNOPSIS

De fructibus tribulationum hæc tertia agit oratio. Atque in primis explicatur, quomodo tribulatio secundum triplicem respectum bonitatem aut malitiam sortiatur, quæ in progressu diligenter enucleantur. Hinc fructus malus tribulationis, quem ista in mala terra producit, triplex assignatur. Primus est jactura bonorum temporalium, ubi multos ob solam apprehensionem falsi mali affligi ostenditur. Secundus est lapsus in omnia vitia, cujus rei potissima docetur esse causa impatientia, quod in ethnicis, fidelibus et omni genere peccatorum probatur. Tertius est obstinatio in malo, quæ et illa originem suam impatientiæ debet. Descenditur deinde ad enumerandos fructus bonos, quos tribulatio in mala terra profert, quorum itidem tres. Primus, quod per tribulationes a certis flagitiis prohibeantur improbi. Secundus, quod providentiam Dei illustrent, et faciant ut aliis exemplo sint, uti historiis sacris et profanis confirmatur. Tertius, quod insuper misericordiam et justitiam divinam arguant quod exemplo solis explicatur et suis rationibus stabilitur.

Parte secunda quinque indicantur modi, quibus Dei providentia bonorum et malorum vitam gubernare posset, et cur ultimo, quo bonis et malis indifferenter bona vel mala indulget, in hoc mundo potissimum utatur, et cur vicissim non cæteris uti velit, causæ assignantur. Præterea quatuor afferuntur causæ, quare Deus impiis sæpe bona temporalia, etsi non donat, tamen permittit: quarum prima est, ob libertatem arbitrii nobis congenitam. Secunda, ob inexhaustam Dei misericordiam, qua variis modis homines ad se trahit. Tertia,

ob justitiam divinam, quam tribus modis exercet. Quarta, ob electorum utilitatem. Tandem spiritualium bonorum, quæ non nisi bonis contingunt, præstantia declaratur, similibusque et exemplis illustratur.

Antequam de fructibus tribulationis, auditores optimi, dicam, ea quæ hoc tempore dicenda arbitror, quæque suo jure postulat ordo nostræ disputationis, exponam breviter; quemadmodum fructus, vel semper bonos vel semper malos, vel nunc quidem bonos, nunc vero malos arbor tribulationis pariat. Etenim aliter de tribulatione judicamus, cum eam secundum se ac naturam suam, et ut a peccato procedit, inspicimus: aliter cum ad ejus auctorem Deum, providentiamque divinam mentem animumque convertimus: et aliter cum ad terram, in quam cadit, hoc est, homines quos ea vel punit vel probat, consideramus. Et si quidem ipsa secundum se ac naturam suam inspicatur, cum nihil sit aliud quam malum, quam dolor, quam molestia, calamitas, afflictio, quæ aliud malum, peccatum videlicet, consequitur, certe nisi malos fructus parere non potest: *Nec enim potest arbor mala bonus fructus facere.* Si vero tribulationis auctor Deus cogitetur, cujus providentia *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter,* et quem optimum et justissimum esse nemo tam est improbus, qui negat, nemo tam imperitus, qui ignoret, tribulationis fructus, nisi boni esse non possunt: *Nec enim potest arbor bona malos fructus facere.* At si terræ varietatem, in quam tribulatio cadit, hoc est, homines bonos vel malos, ad quos mittitur, consideremus, tum pro terræ varietate, varios esse videbimus fructus tribulationis: siquidem una atque eadem tribulatio, idem morbus,

eamdem inopia in homine probo, qui ex tribulatione proficere studet, (quam bonam terram hoc loco nominamus) optimos et dulcissimos fructus facit : in improbo vero, qui nec ad horam patientiam conservare novit (quam malam terram esse dicimus) fructus pessimos et amarissimos producit.

Ut igitur ab his posterioribus, quæ brevius et facilius ostendi possunt, ordiamur, primus amarus fructus tribulationis, quem omnes satis per se noverunt, est jactura ac detrimentum bonorum temporalium. Nulla enim tribulatio est quæ vel opes, vel honores, vel sanitatem, vel parentes, filios, fratres, amicos, vel certe otium, pacem, quietem, tranquillitatem animi non tollat. Interdum enim inveniuntur quidam, qui bonis externis et corpore ita florent, ut in eorum pectoribus nullus locus tribulationi esse posse videatur : sed interim aliqua falsa opinione dedecoris, vel alterius mali, quod se pati credunt, re autem vera ipsi sibi fingunt, et apud se animo et cogitatione vehementer exaggerant, magis cruciantur ac torquentur, quam omnes ægri et mendici suis morbis et doloribus. Exemplum habemus in libro Esther, ubi legimus, Aman fuisse unum de primis principibus regni Persarum, qui cum opibus abundaret, afflueret voluptatibus, gradu honoris et dignitate omnibus ejus regni principibus anteiret, prole numerosissima et pulcherrima felicissimus haberetur, denique auctoritate et gratia tantum apud summum illum orbis monarcham valeret, ut eum ille parentem suum appellaret : tamen quoniam Mardocheus quidam Judæus, et transeunti non assurgebat, neque pileum honoris gratia deponebat, se miserrimum atque infelicissimum esse putabat, atque eo dolore stimulatus, neque noctes, neque dies quiescebat. Ita igitur tribulatio etiam ditissimos et potentissimos quandoque vexat.

Alter fructus multo adhuc pejor et acerbior, est lapsus quidam miserabilis, sive præcipitium potius in omne genus vitiorum. Si quidem hæresis, desperatio, furta, adulteria, sacrilegia, peccata cætera inde fere nascuntur omnia, quod nesciant homines tempore tribulationis patientiam conservare. Quare tam multi olim inter Ethnicos cum Democrito et Epicuro divinam providentiam tollebant ? Quia cum viderent aliquando sceleratis omnia ad votum succedere ; secus autem sibi, et aliis, quos pios et probos esse existimabant, et simul

ejusmodi tribulationem æquo animo ferre non possent, cogitare incipiebant ; hæc non bene se habent : si ulla esset in mundo Dei providentia, quomodo res humanæ non aliter gubernarentur ? Ergo fortuna et casus dominantur in rebus. *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Neque enim solum Ethnici, sed etiam populus Dei aliquando propter tribulationem de providentia dubitavit. Legimus enim populum Hebræum cum aquæ penuriam pateretur, dicere incepisse : *Estne Dominus in nobis an non ?* In libro quoque Judicum, cum Madianitæ, qui erant homines feri et sylvestres, et per agros incerta sede vagabantur, quod etiam Scythæ et Arabes facere dicuntur : cum inquam, Madianitæ essent hostes Hebræorum, et annis singulis ad initium ætatis regiones eorum cum omnibus armentis et gregibus suis ingrederentur, et omnia quaquaversum more locustarum devastarent, apparuit Angelus Gedeoni, atque ait : *Dominus tecum, virorum fortissime.* Cui mox ille respondit : *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia ? Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri ?* Quid ? quod Propheta de seipso scribit : *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei : quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non est respectus morti eorum et firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt ; et cum hominibus non flagellabuntur. Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas ? Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis ?* Parum, inquit, abfuit, quin ego quoque videns tam præclare cum peccatoribus agi, in errorem inciderem, et jam pœnitere inciperet, quod justitiam atque innocentiam tanto studio quæsissem.

Deinde quænam, quæso, fuit origo cæterarum hæresum ? An non meministis quantum multitudinem hæresiarcharum anno superiore, hoc ipso tempore vobis ostenderim, qui non alia de causa novas hæreses condiderunt, quam quod episcopatum obtinere in Ecclesia Catholica non potuerant ? Itaque illis omnibus ambitio tribulationem generabat. Angebantur, cruciabantur, torquebantur, ardebant ascendendi et præsedendi desiderio. Quia vero cupiditatem illam, neque in Ecclesia Catholica explere poterant, neque virtute humilitatis et patientiæ coercere

didicerant, inde quasi amentes ac furentes de Ecclesia sese ejiciebant. En quam facile tribulatio de providentia dubitare facit?

Sed parum esset, si solum fides providentiæ propter tribulationem in discrimen adducerentur, nisi etiam cætera omnia vitia ex isto fonte redundarent. Nam cur tam multi omnibus sæculis inventi sunt fures? quia pauci tribulationem, quam parit inopia, ferre sciunt. Cur tam crebra ubique patrantur homicidia? Quia pauci tribulationem, quam parit iracundia; tolerare noverunt. Cur tot passim admittuntur stupra, incestus, adulteria, sacrilegia? Quia tribulationem carnis, stimulos videlicet concupiscentiæ, et dæmonum tentationes pauci superare didicerunt. Cur nonnulli interdum contra omnem rationem propensionemque naturæ sibi manus inferunt, seque ipsos occidunt? Quia vincendarum tribulationum artem non tenent, sed veluti quidam equi, qui ad quamlibet umbram exterrentur, ut saxum vel truncum declinent, in quævis præcipitia se projiciunt: ita ipsi calamitatem præsentem non valentes ferre, nihil cogitant, quo tandem devenient, si seipsos interimant; sed clausis ad cætera omnia oculis id unum spectant, ut se a tribulatione præsentem quocumque modo eripiant, maluntque a seipsis per mortem fugere, quam tribulationem non fugere, quamquam eo modo fugiendi in aliam tribulationem incidant, a qua fugere nunquam valebunt. Postremo, quod multi maledicta et contumelias in Deum et sanctos evomant, quod magos et divinatores adeant, quod dæmonum opem implorent, seque illis tradant, quid aliud, quam fructus amari et venenati sunt, quos arbor tribulationis de radice peccati procedens in agro sterili ac lapidoso impii pectoris producit?

Jam tertius ac postremus fructus tribulationum omnium pessimus et acerbissimus, obstinatio quædam est, atque obduratio cordis in malo, atque adeo verissimus et certissimus gradus ad gehennam. Nam quemadmodum lutum, quo magis radiis solis excoquitur, eo magis duratur, cum cætera fere omnia ad solem atque ignem admota mollescant, sic etiam homines impii, qui cor non carneum, sed luteum vel lapideum habent, quoad ad ignem tribulationis admoventur propius, eo sæpe indurantur magis. Cujus rei exemplum illustrissimum in Pharaone habemus qui quanto magis flagellabatur, tanto magis indurabatur, donec re-

gnum et filium et vitam et animam amisit. Hi sunt igitur fructus tribulationis, cum in malam terram cadit; spoliat primum temporalibus bonis, deinde trahit atque impellit in omne genus vitiorum, postremo cordis obstinationem operando recto tramite ducit ad gehennam.

Sed quamquam arbor ista tribulationis, auditores, nihil unquam boni pareret in mala terra, si solum ex ipsa terra succum atque alimentum traheret; quia tamen de cælo etiam irrigatur, et rorem percipit providentiæ divinæ, propterea nonnullos etiam bonos fructus in mala terra aliquando producit. Nam et revocat homines impios a certo genere peccatorum, et providentiam divinam illustrat ad magnam aliorum hominum utilitatem, et misericordiam atque justitiam Dei quam longe lateque pateant, ostendit.

Incipiamus a primo. Dico impios homines per tribulationem impediri a certo genere flagitiorum, tametsi in alia quædam per eandem tribulationem impellantur. Duo sunt genera peccatorum: quædam tunc potissimum perpetrantur, cum animus premitur, atque in angustiis et amaritudine quadam se esse videt, qualia sunt odium, ira, invidentia, blasphemiam, homicidia, et hæc quidem tribulatione ut plurimum non minuuntur, sed crescunt. Alia sunt flagitia, quæ cordis dilatationem atque expansionem, gaudium et lætitiâ exigunt, ut crapula, ebrietas, luxuria, saltationes, cantus lascivi, lusiones omnes, atque hæc sunt, quæ tribulatione tamquam severo aliquo judice vel censore adveniente, aut cessant omnino aut saltem magna ex parte minuuntur. Qui enim gravi aliqua tribulatione vexantur, neque tempus, neque animum habent luxuriandi, sæpe etiam neque facultatem. Cur hoc anno Lovanii, Mechliniæ, Antuerpiæ atque in aliis multis hujus provinciæ celeberrimis oppidis, solitum furorem atque amentiam bacchanaliorum non vidimus? Cur nulli in plateis occurrerant ebrii? nulli larvati, nullæ audiebantur citharæ, nulli cantus? Cur nullæ agebantur comædiæ? Cur rara, eaque sobria convivia? Quis istam sapientiam et sobrietatem tantos populos tam repente docuit? An non domina tribulatio? Certe omnes hujus provinciæ doctores et concionatores quamvis eruditi et disertissimi, etiamsi diebus singulis contra bacchanalia disputare vel declamare voluissent, nunquam tantum perfecissent, quantum brevi tempore tribulatio perfecit.

Hunc igitur optimum et suavissimum fructum de arbore amara tribulationis, ille nobis produxit, qui elicere novit *Mel de petra oleumque de saxo durissimo*.

Veniamus ad alterum fructum. Quid præterea tribulatio facit, cum in malam terram cadit? Illustrat, ut dicebamus, providentiam Dei. Nam cum est aliquis homo nefarius et sceleratus, qui vel usuris dives effectus est vel multa Ecclesiastica beneficia per simoniam acquisivit, vel concubinam aut meretricem alit, vel superbe ac tyrannice cum omnibus se gerit, si is casu aliquo in gravem tribulationem incidat, et mendicus ac miser de divite et florente fiat, tunc omnes, qui eum noverunt, dicere inter se incipiunt, en videtis Deum esse in hoc mundo et judicia ejus non semper dormire. Itaque unus punitur et mille trepidant, mille admonentur, mille corriguntur. Denique facit Deus id, quod iudices hujus mundi facere solent. Nollent iudices ullum esse furem et homicidam, qui ultimo supplicio afficiendus esset, tamen quia oportet justitiæ satisfacere, cum aliquis reus illis offertur dicunt: Perditus iste homo omnino debet mori. Quando igitur eum juste liberare non possumus, faciamus, ut publice et cum solemnitate moriatur, ut si cæteris in vita non profuit, saltem aliquid prosit in morte. Itaque primum diem nundinarum expectari jubent, quo maximi concursus hominum ad urbem fieri solent. Deinde in medio foro conspicuum atque editum theatrum extrui, tum circa meridiem his aut ter pulsari maximam campanam totius civitatis; et tum demum in conspectu totius populi producunt reum, eumque manu carnificis cum ignominia, et cruciatu macerant. Pari ratione Deus interdum aliquos manifesta ac publica tribulatione punit, ut cæteri omnes eorum exemplo moveantur et corrigantur. Exempla hujus rei pene sunt infinita in Scripturis sanctis. Ita enim Pharaonem, ita Core, et Dathan et Abiron, ita Nabal Carmelum, ita Jezabel uxorem Achab, ita Antiochum et Herodem legimus fuisse punitos. Sed neque Ethnicis exempla sua defuerunt, quibus providentiam et judicia Dei pene manibus tangere ac sentire potuerunt. Scribit Gregorius Nyssenus initio libri de Providentia, poetam quemdam nomine Ibicum apud Ethnicos fuisse, qui « Cum a quibusdam clam occideretur, et nullum, neque adiutorem neque testem insidiarum haberet, grues forte supervolantes intuens,

dixit: O grues, indices estote, quæso, necis meæ. » Contigit vero non diu post, ut cum homicidæ illi Corinthi publico spectaculo interessent, iterum grues supervolarent, quos illi cum vidissent ridendo inter se dixerunt; Ecce ultores Ibici. Quidam autem eorum, qui prope illos in theatro assederat, qui que Ibicum interemptum fuisse non ignorabat, retulit ad principem, quod audierat. Mox illi comprehensi et quæstionibus admoti crimen confitentur, et extremo supplicio afficiuntur. Scribit quoque Eusebius Cæsariensis, in historia veterum Ethnicorum exstare, cum lex esset, quæ sacrilegos aut præcipites ex alto dejici, aut in mari submergi, aut igne cremari juberet, cumque tres simul perditii homines, Philomelus, Onomarchus et Phaylus Delphicum templum spoliassent, omnes brevi tempore secundum legem divinitus dedisse supplicia. Unum enim cum per aspera scanderet loca, præcipitem decidisse, atque ita esse extinctum: alterum cum secundum littus maris equitaret in profundo lapsum una cum equo periisse, porro tertium sacro igni eodem tempore esse consumptum. Quæ omnia quis nisi amens casu accidisse putabit? Quid? Omnes tres iisdem temporibus propter idem delictum, non aliis suppliciis, quam lex volebat, esse punitos nonne apertissime providentiam Dei scelerum et flagitiorum ultricem esse clamat?

Neque vero providentiam solum, sed etiam misericordiam et justitiam Dei tribulatio illustrat, qui erat tertius et postremus fructus, quem in mala terra producit. Deus enim ut B. Augustinus scribit persimilis esse videtur soli, qui toti mundo prodesse cupiens, omnia loca sua luce complet, sed interim tamen, sicut oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti blandius et tranquillius apparet; ita in oculos ægros, et lippos, quasi tela aspera jaculatur: sic etiam et Deus, qui natura sua optimus et liberalissimus est, initio ingredi in animos nostros et eos totos luce suæ bonitatis perfundere, ac donis et charismatibus divinis implere desiderat; verum, ut videt animam perversam refugere, lippos oculos claudere, ad bona creata converti, tum demum et ipse quodammodo pervertitur: sicut in Psalmo legitur: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris*, hoc est, ita se gerit, ita hominem punit ac tribulat, ut asper et perversus videatur. *Quam bonus Israel Deus*, inquit David; sed quibusnam? *His, qui recto*

sunt corde. Illis enim suavis et bonus est Deus qui recto sunt corde, qui optime cum regula divina consentiunt, quibus omnia placent, quique omnia probant, quæ placent et probantur Deo. At vero iis, qui perverso ac d'storto sunt corde, non potest regula rectissima cordis divini non dura atque aspera videri. Sed hæc est lex æterna, hæc est justitia, hæc est æquitas, ut mali male pereant, et amarum illis detur qui dulce recusant: et qui nolunt benedictionem elongetur ab eis. Et sicut unus clavus altero clavo truditur; et qui venenum hausit, altero veneno curatur; ita venenum culpæ veneno pœnæ tolli debet. Et quoniam pro mensura morbi mensura medicinæ sumatur, necesse est, idcirco tamdiu tribulatio durat, quamdiu peccatum durat. Hinc enim damnatorum tribulatio in gehenna non finitur, quia peccatum eorum numquam finitur. O utinam ad hanc severam Dei justitiam oculos aliquando converteremus. Quis esset ille iudex tam crudelis, tam sævus, tam inhumanus, qui reum aliquem fractis omnibus membris in rota, vel ad ignem ferreis catenis alligatum multos dies vivere sciret, et quotidie eum videret, quotidie audiret, et tamen non misereretur? At hoc ipsum non crudeliter, sed juste facit Deus. Semper enim gravissime foetet in naribus ejus peccatum damnatorum: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Idcirco neque Deus, neque Angeli, neque sancti unquam damnatorum miserentur. Aspice sanctum Abraham adeo ille erat mitis, et misericors, cum hic in terris viveret, ut sexies pro Sodomitis supplicaverit: nunc vero post mortem, quia justitia regnat, nec pro uno divite epulone vel semel unum verbum loqui voluit. Habetis igitur qui sint fructus tribulationis, cum forte in malam terram cadit. Paulisper quiescamus.

PARS SECUNDA.

Exposuimus, cur Deus tribulationibus impios quandoque flagellet: nunc quoniam eadem est disciplina contrariorum, exponemus breviter, cur etiam aliquando multa bona iisdem largiatur. De tribulationibus vero et prosperitatibus justorum dominica proxima Domino volente, disserere incipiemus.

Quinque modis poterat providentia Dei vitam justorum atque impiorum in hoc mun-

do gubernare: vel ita ut justis semper bona impiis semper mala tribueret: vel contra ut justis semper mala, impiis semper bona: vel ut tam justis, quam impiis semper mala: vel tam justis, quam injustis semper bona: vel postremo, ut nullis sive justis sive impiis, aut semper bona aut semper mala; sed confusione ac promixtione quadam, et justis modo bona, modo mala, et impiis modo bona, modo mala largiretur. Ex his quinque generibus sive formis gubernationis, quamquam nulla iniqua poterat videri: et prima non modo non iniqua, sed optima et justissima erat, ut videlicet omnibus justis semper bona: omnibus impiis semper mala tribuerentur, eaque utitur Deus (ut Gregorius Theologus ostendit), in omnem æternitatem, in futuro sæculo, ubi nulli boni non semper beati; nulli mali non semper miseri et infelices erunt: tamen postremam tamquam aptissimam præsentis rerum statui Deus elegit, ut videlicet bona et mala ita confunderet, ut neque res adversæ, neque prosperæ justos aut injustos, satis aperte demonstrarent. « Quis novit, » inquit in eodem loco Nazianzenus, « utrum hic propter malitiam plectatur, ille vero propter virtutem extollatur, et non potius e converso hic propter malitiam exaltetur, quo gravius etiam cadat; ille vero propter virtutem tamquam aurum in camino probetur? Alius igitur in his audax sit et confidens, seu potius nemo sit. Ego omnino supplicium, quod hic irrogatur, pravitatis adscribere non audeo, quemadmodum nec pietati remissionem malorum. Nam est quidem nonnunquam adversitas improborum et prosperitas bonorum, at non semper nec omnino. » Hæc ille. Porro hujus rei, auditores, ratio est, quod status præsens status fidei sit. Nam fide justificamur, ex fide vivimus, per fidem ambulamus, fidei vero status hoc exigit, ut ratio, qua regimur et gubernamur, neque nimis perspicua, neque nimis obscura sit; sed medio quodam modo se habeat, sicut media est aurora inter tenebras noctis et lucem meridiei. Nam si nimis esset clara, non indigeremus fide: si nimis obscura, facile perderemus fidem.

Prima igitur illa ratio gubernandi, ut omnes pii semper floreat, omnes impii in ærumnis et calamitatibus semper versentur, nimis aperta et perspicua est, atque hoc tempore idcirco minus idonea. Siquidem impii, si ita mundus regeretur, salutem desperarent, vel solum timore pœnæ atque spe

præmii temporalis Dei legem servarent. Deus vero non servorum, sed liberorum Deus esse vult, neque coactis atque invitis, sed spontaneis et promptis obsequiis delectatur. Itaque ut intelligant homines bona et mala ista temporalia, non esse ultimum præmium ac pœnam virtutum ac vitiorum : nec semper bonis istis caducis consolatur justos, nec semper contrariis malis castigat et punit injustos.

Jam vero tres, quæ sequuntur formæ gubernandi, secunda tertia, quarta ac secunda potissimum, nimis obscurant providentiam Dei. Quid enim si perpetuo, dum hic vivimus, omnes impios lætos atque alacres volitare, omnes probos miseros atque afflictos lugere videremus, quam gravis esset tentatio infirmioribus? In quanto periculo versaretur fides? Neque enim omnes boni continuo perfecti esse possunt, atque instar Pauli et Francisci toti mundo crucifixi, omnia tanquam sterces arbitrantur propter Christum. Si modo cum aliquando bonos premi, improbos exultare cernimus tot audiuntur ubique querimoniam, parumque abest, ne aliquando dicant : *Estne Dominus in nobis, an non?* Et illud Prophetæ : *Ergo sine causa justificavi cor meum et lavavi inter innocentes manus meas?* Quid tunc fieret? quis patientiam conservaret, quis in fide perseveraret, si semper improbi læti ac felices triumpharent? Quæ cum ita sint, recte B. Augustinus docet, Deum, quamquam semper multa largitur hostibus, quæ negat filiis, ut fidem et patientiam nostram exerceat; tamen sæpe etiam aperte impios flagellare et præmiis afficere pios, ut providentiam suam ostendat : atque ad hunc modum fides nec a nimia luce evacuetur, nec a nimis tenebris extinguitur.

Atque hæc quidem quædam generalis est ratio cur sæpe improbis bona temporalia Deus largiatur. Veniamus nunc, si placet, ad alias magis proprias et particulares rationes.

Quæris, car homines impii, nefarii, hostes Dei qui mille crucibus digni sunt, tam facile ditescant, floreant, omnia, vel pene omnia sua negotia pro voto perficiant? Petis, quo pacto cum ejusmodi tam secundis eventibus impiorum cohæreat providentia et gubernatio Dei? Respondeo primum, impios homines multa sæpe lucrari, possidere ac retinere quæ Deus illis non donavit, sed tantum acquirere atque habere permisit. Num

enim existimas ei, qui usuris et fraudibus dives effectus est, Deum opes, illas donasse? Num injustus est Deus? Num sibi contrarius? Nonne ipse usuras et fraudes prohibet? Non igitur ipse divitias impiis donat, quamquam habere permittat.

Cur autem id permittat, multæ sunt causæ. Prima, quoniam humanam naturam cum arbitrii libertate creavit, et sicut peccatum non tollit naturam, ita nec libertatem. Itaque liberas voluntates pro sua libertate agere sinit; quod maxime decet providentiam summi et sapientissimi moderatoris.

Altera causa est, quam etiam B. Augustinus reddit in eodem loco, ut illam dulcissimam et inexhaustam misericordiam suam ostendat, cujus amplissimus sinus nullos neque bonos, neque malos excludit, ad cujus imitationem nos provocat, cum ait : *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos.* Neque solum in eo Dei misericordia declaratur, quod bona temporalia inimicis suis concedit : sed etiam quod per ea bona tanquam per quædam munuscula, eos ad conversionem et pœnitentiam attrahere atque allicere studet. Nam profecto, si quicquam sapes, apud te cogitare deberes, unde mihi tantæ opes, tanta commoda, tanta affluentia omnium rerum? Domus, agri, servi, pecuniæ? Num ea mecum tuli, cum nascerer? At nudus natus sum. Num illa meo ingenio comparavi? At multi meliori ingenio præditi adhuc in sua inopia remanent. Quid si ego ex patre divite natus sum, quis me de tali parente nasci fecit? Quam multi me justiores et meliores, qui quotidie de pauperibus nascuntur? Deus igitur, Deus est, qui me sua bonitate et benignitate prævenit. Nolo esse ingratus tantis beneficiis, volo deinceps secundum ejus leges vitam meam instituere. Sed alio modo etiam Deus misericordiam suam cum peccatoribus ostendit. Id enim efficit, cum eis bona ista temporalia habere permittit, ut si omnino peccare volunt, saltem minus peccent. Quidam enim reperiuntur, qui si non habeant, unde suæ libidini satisfaciunt, mox ad maledicta se convertunt, vel insidiantur, furantur, occidunt. Quid igitur Deus? Alligemus, inquit, hunc draconem, projiciamus in os ejus hæreditatem, et illas pecunias, licet male partas, tamen eum habere sinamus. Quod si

cum his omnibus ipsius furor non quiescit, non multum oberit, descendet magis pinguis ad gehennam et suis illis erit similis, qui diligenter nutriuntur, ut mactentur pinguiores.

Jam tertia causa est, ut simul cum misericordia etiam justitia ostendatur. Primum enim nullus est tam malus, quin aliquid boni aliquando faciat; Deus autem omnium bonorum remunerator promptissimus et liberalissimus est. Itaque licet posset avaros homines impedire, ne usuris et fraudibus lucrarentur, sinit tamen eos lucrari, ut mercedem suam hic recipiant exigui boni, quod forte gesserunt, quandoquidem post hanc vitam nihil eos, nisi supplicia manent. Itaque D. Augustinus, bonis moribus et artibus Romanorum eximiam illam gloriam tam excellentis imperii, tamquam mercedem quamdam a Deo redditam esse confirmat. Ita quoque propheta Ezechiel exercitui Nabuchodonosor diripiendam Ægyptum traditam fuisse a Deo docet tamquam stipendium quoddam quia pugnauerant contra Tyrum. Deinde ostenditur etiam in eo divina justitia, quod sæpe concedit iratus, quod negaret propitius. Videt Deus aliquem qui unum habet Ecclesiasticum beneficium et posset ex eo commode et quiete et sancte et religiose vivere: interim videt eum non posse quiescere, frequentare curiam, assentari praelatis omnemque lapidem movere, ut adhuc alterum, et tertium obtineat. Quid igitur Deus? Tu, inquit manibus et pedibus quæris perditionem tuam. Age justitiam ostendamus, fiat tibi sicut vis, sentias tuo malo, quæ tu quæris non esse beneficia, sed supplicia. Sinamus eum dorsum onerare sacco beneficiorum, qui cum deprimat ac demergat in gehennam. Postremo illo etiam modo divina justitia declarat, quod sæpe Deus unum impium per alterum punit. Unus malis artibus dives evasit; quid agit justitia et providentia Dei? Permittit alium venire, qui similibus artibus cum spoliat omnibus, quæ sibi pepererat. Sed vide suavitatem ac dulcedinem Dei, qui cum iratus fuerit misericordie recordatur, etiam cum isto rigore justitiæ misericordie lenitatem admiscet. Sæpe enim facit ut qui male agendo peccati turpitudinem agnoscere non poterat, is mala patiendo eam agnoscat, atque inde ad cor per poenitentiam convertatur. Avarus quispiam multo tempore a pauperibus usuras acceperat, et lucri desiderio exæcatus nunquam turpitudinem ejus iniquitatis videre potuerat: deinde justo Dei judicio, ad eam

inopiam et difficultatem redigitur, ut pecunias restituendas cum fœnore petere ipse cogatur, et tum demum peccati fœditatem in animo incipit videre, quam in se videre non poterat. Tunc incipit cogitare ac dicere: bone Deus, quæ est hæc iniquitas tam aperta, ut ego recipiam unum, et exigam decem? Hæccine est charitas Christianorum? Itane proximi in Ecclesia adjuvantur? Cum vero ad seipsum et pro eteritam suam vitam oculos convertit et se quoque talem fuisse olim recordatur, tum vero et seipsum, et plagas ac fœditatem suam agnoscit. Quod vero de avaro diximus, idem de iracundo, de superbo, de lascivo, de ebrioso potest ac debet intelligi.

Quarta et postrema ratio est, utilitas electorum. Nam ut B. Augustinus sapienter monet, præterquam quod prosperitatibus impiorum exercentur et probantur electi; voluit etiam Deus bona hæc temporalia bonis et malis esse communia, ne boni ea tamquam magna Dei munera concupiscant. Videtur enim nobis dicere Deus: Adeone insipientes estis, ut credatis me bona ista temporalia, si alicujus momenti essent, tamen tam impudicis, avaris, ebriosis, tyrannis, latronibus, hostibus meis donaturum fuisse? An ego sapiens et justus non sum? Num ego non dixi: *Nolite projicere margaritas ante porcos?* Quin potius intelligitis, ista peccatoribus tamquam panem et aquam mancipiis dari, vobis autem integram hæreditatem in cœlis, amplissima regna et imperia conservari. Cur igitur tanto studio ista quæritis? cur ita istis in hoc itinere vos oneratis? cur non pauperes conservos vestros in exilio, et collegas futuros in regno convocatis, ac dicitis: Eia fratres, accipite partem oneris nostri, nec enim ista in patria ad quam imus, necessaria erunt, et nos levius et expeditius proficiscemur? Habetis rationes, cur in hoc sæculo sæpe Deus temporalia bona impiis largiatur.

Verum enim vero, auditores, quamquam bona et mala ista exigua, quæ præcipue ad corpus pertinent, Deus confundere ac perimere sæpe voluerit, tamen magna et vera illa bona vel mala, quæ ad spiritum spectant, nunquam miscet, id quod utinam hoc tempore a multis intelligeretur. Quæ sunt, quæso vos, majora et præstantiora bona, animi an corporis? carnis an spiritus? Certe animi, certe spiritus. Nam quemadmodum oculi sanitatem pluris facimus, quam digiti, quia oculus est

digito præstantior; et sicut si mendicus quispiam vehementer verberetur, nemo se opponit; at si filius regis vel leviter tangatur, regnum totum commovetur, quia purpura regia mirifice splendet in oculis hominum, panni vero mendicorum, ut sordes contemnantur: ita quoque animi bona, ut gratia, sapientia, justitia, charitas, virtutes cæteræ, dona et charismata Spiritus sancti multo sunt majora et præstantiora corporis bonis, opibus, voluptatibus, robore, pulchritudine, sanitate. Nam et animus corpore sine ulla comparatione est excellentior: præterea sola animi bona hominem bonum et divitem et beatum et contentum et felicem reddunt.

Atque hæc sunt bona vere bona quæ etiam in hoc mundo non dantur, nisi bonis. Existat hic aliquis, qualis erat sanctus Job vel Lazarus ille mendicus qui totus sit a planta pedis usque ad verticem capitis ærumnis et calamitatibus coopertus; ingredi animum ejus, reperies eum hilarem, tranquillum, quietum, plenum pace, charitate, patientia, gaudio et qui in doloribus invenerit id, quod homines improbi quærunt, et nunquam inveniunt in deliciis. Non legistis in Actis Apostolicis de Paulo et Sila, qui cum virgis cæsi multas plagas accepissent, ac deinde compedibus constricti in teterrimum carcerem conjecti fuissent, media nocte psalmos et hymnos Domino lætissime decantabant? Nec mirum. Ipse enim Apostolus Paulus in tribulationibus suis, non mendaciter dicere solitus erat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Et: Sicut abundant passionibus Christi in*

nobis; ita et per Christi abundat consolatio nostra. Existat deinde hic alius, qualis erat epulo ille purpuratus, vel aliquis Nero aut Decius aut Maximinus, qui corporis et cæteris bonis omnibus abundet; ingredi animum ejus, reperies eum turpulentum, inquietum, et insatiabilem, plenum odio, invidentia, suspicionibus, superbum, elatum: arrogantem, fœtentem denique tamquam omnium sordium sentinam, vel quasi sepulcrum aliquod dealbatum. Ita igitur Deus animi bona, quæ vera et magna sunt bona, non miscet: licet permisceat ea quæ etiam ab Ethnicis fortunæ ludibria appellata sunt, quæ quasi mutuo hic accipitur, quæ velimus nolimus, brevi relinquenda sunt, et quæ nec præmia, nec pœnæ animorum esse possunt. Quomodo enim exiguo poculo Oceani aqua tota contineri non potest; ita gloria, et supplicia animorum, quæ sempiterna esse debent, ad paucorum dierum augustias, quibus nunc vivimus, contrahi non possunt.

Quæ cum ita sint, auditores, fragilibus atque instabilibus bonis contemptis, eo mentem atque animum dirigamus, ubi vera et sempiterna sunt bona. Quid his quadragesimæ diebus, quibus in itinere sumus, nobis contingat, sive malum, sive bonum, sive tribulatio, sive consolatio, sive pluvia, sive serenitas, parum certe curare debemus, modo securi et læti, conscientia benefactorum nos consolante et erigente, ad illam æternam et beatam domum perveniamus, ubi vivitur et regnatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO IV.

DE TRIBULATIONE.

SYNOPSIS

Tractat ista concio de fructibus tribulationis, quando ea in bonam terram cadit; quos tamen fructus cognosci in altera vita, exemplo puerorum sub disciplina viventium, declaratur. Explicato itaque breviter modo, quo ex malo, qualis est tribulatio, aliquid boni fieri possit; tres fructus tribulationis in bonam terram cadentis statuuntur, qui sunt purgare, illustrare, perficere. Ostenditur autem tribulationem purgare triplici modo. Primo peccata diluendo, ubi etiam gravitas peccatorum, quæ tollit, ob oculos ponitur. Secundo, purgatorii pœnas minuendo, id quod simili, sociorum simul hospitium intrantium dilucidatur. Tertio prohibendo ne sordes expurgatæ denuo contrahantur; ubi etiam tres omnium malorum fontes ex epistola Sancti Joannis adstruuntur, quos tribulatio omnes obstruere solet, simul et ab imminente malo præservare: unde ad eam tolerandam æquo animo incitatur.

Pars altera duos reliquos prosequitur propositos fructus: quorum secundus est illustrare. Hinc tribulatio felli Tobix, collyrio Joannis, et solitudini Osee aptissime assimilatur. Docetur tribulationem illustrare, ut videamus quatuor. 1. Quæ infra nos sunt, qualia sunt infernus et res omnes corporales, et quomodo hoc fiat pulchra amplificatione interseritur. 2. Quæ supra nos, ut est Deus, Angeli, et omnes sancti quod in Hebræo populo, Ethnicis, et maxime in Juliano apostata apparet. 3. Quæ circa nos sunt, ut sunt amici et familiares, ubi tribulatio scalæ Jacob, et torculari comparatur. 4. Quæ sunt in nobis ipsis, quid sci-

licet possimus sine Deo, quid item cum Deo. Tertius fructus est perficere, quo loco probatur perfectionem istam in charitate consistere. Tandem Deus, qui nos affligit, fabris, nutricibus, venatoribus et equitibus congruenter assimilatur, ejusque rei causa discutitur.

Tribulationis fructus, auditores optimi, de quibus hodierna die, adjuvante Domino, dicturi sumus, usque adeo copia et nobilitate excellunt, ut ego facile mihi ipse persuadeam, eos a minime prorsus ad plenum intelligi posse, donec ad illam æternam et beatam domum ad quam nunc per ipsas tribulationes tendimus, perveniamus. Etenim simile aliquid nobis contingit, quod pueris evenire solet toto illo tempore, quo subjecti censuræ ac ferulæ præceptorum ac parentum in litterario ludo et labore versantur. Certe enim si quæras a pueris, quid ipsi de virgis et verberibus judicent, dicent, nihil gravius atque acerbius, et quod ipsi magis oderunt in orbe reperiri. Sed propterea de exigua illa molestia, tam inique sentiunt, quod nondum cerant, quam pulchri, et quam suaves non modo flores, sed etiam fructus sapientiæ et eruditionis, de illis duris, ut videntur, atque horridis spinis verberum et virgarum oriuntur. Itaque postea cum ad maturam ætatem perveniunt, et nomine doctrinæ ac morum ubique se commendari intelligunt, et ea de causa nihil sibi, neque opes ad vitam, neque honores ad dignitatem conservandam ac tuendam unquam posse deesse: et simul vident, si metus, et castigatio parentis et magistris defuissent, se neque litteras, neque mores, neque educationem habituros, neque aliud, quam idiotas, quam rusticos, forte etiam quam sicarios et latroneulos futuros

fuisse ; tunc demum ferulæ ac virgæ utilitatem agoscun', et correctoribus et emendatoribus suis magistris et parentibus debitas gratias justasque referunt. Sic etiam nos, auditores, dum in laboribus et tribulationibus quasi in ludo litterario versamur, nihil novimus, nisi gemere et plorare ; at cum in cælo tribulationis finitis in libro divinæ providentiæ legemus, si modo una, modo altera tribulatione tamquam ferula quadam castigari non essemus, fuisse nos cum impiis ad æterna supplicia descensuros : tum certe pretium intelligemus tribulationum : *Tunc implebitur gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.* Tunc securi lætique cantabimus : *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti ; annis, quibus vidimus mala. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Quamobrem recte Apostolus Paulus : *Omnis, inquit, disciplina in præsentem quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris : postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

Sed quamquam res ita, ut diximus, se habeat, et fructus tribulationis non ante plane cognoscere poterimus, quam ad vitam beatorum, omnis miseræ et tribulationis expertem, pervenerimus : tamen hic etiam multum refert, diligenter et sæpe de eis loqui et cogitare, ut earum suavitate atque utilitate confirmati, neque præsentibus calamitatibus frangamur, neque futuras magnopere metuamus, et ex utrisque in vera pietate et religione proficiamus.

Aggrediar igitur ad eos fructus, quos in bona terra, hoc est, in hominibus, qui ex ea juvari cupiunt, tribulatio parit, diligenter explicandos : si tamen antea breviter exposuero, quemadmodum intelligamus, quod dicimus, et sæpe repetendum nobis erit, tribulationem, quæ per se nisi mala esse non potest, bonos fructus facere. Exponit istam loquendi formulam D. Augustinus lib. XIII Civit. c. 4. 5 et 6 quibus in locis docet, mortem et miserias in hominibus sanctis bonos fructus facere ; non ita et jam accipiendum, quasi quod erat antea malum, postea fiat bonum, vel tamquam id, quod est malum, sit per se causa boni : id enim fieri non potest : sed illud ejusmodi sententiis significari, Deum et sanctos homines, occasione malutuntur male etiam bono, ita bonos uti bene etiam malo. Aspiciate et intuemini sanctos Martyres, num illi mortem, extremum malorum, in maximum et excellentissimum bo-

num non convertebant ? At num propterea cædes illa sanctissimorum Martyrum erat bona ? Nullo pacto. Sed Deus erat bonus, qui sua potentia, Martyres erant boni, qui sua patientia illo modo utebantur bene. Sicut etiam non ideo petra est dulcis aut saxum molle, quia Deus sua omnipotentia educit *Mel de petra oleumque de saxo durissimo.*

Quot igitur sunt fructus tribulationis, cum forte in bonam terram cadit ? Tres : purgare, illustrare, perficere : quæ sunt tria illa hierarchica opera, quæ magnus Dionysius in libro de Eccles. hierarchia describit. Incipiamus a primo. Quo pacto tribulatio purgat ? Tribus modis. Nam et sordes peccatorum jam contractas eluit ; et pœnas, quæ sceleribus debentur, minuit ; et ne iterum sordes contrahantur, facit.

Primus igitur et præstantissimus fructus tribulationis est, qui eluat sordes peccatorum. Unde hoc habemus ? Ex divinis litteris. Sic enim legimus : *Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facis, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.* Et in libro Ecclesiastici : *Quoniam pius (inquit Spiritus sanctus) et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata.* Sed quomodo, inquires ? qua via ? quo ordine per tribulationes Deus peccata remittit ? Dicam, auditores, et dicam plane aperte, ut intelligatur. Tribulatio id habet proprium, ut hominem revocet et reducat ad se, sicut contra prosperitas eum abducit atque avocat procul a se : non secus atque in ipsa carne fieri videmus, qui cum ab aliquo pungitur, contrahitur, cum bene habet, extenditur. Audi sanctum David : *Conversus sum, inquit. Quando ? In ærumna mea, dum configitur spina.* Audi Dominum, quid de homine illo prodigo dicat, qui cum divitiis abundaret, abierat in regionem longinquam, et cum egere cœpisset, *In se reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor. Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cælum, et coram te.* Veniamus ad praxim. Videas adolescentem nobilem, divitem, sanum, florentem, nunquam esse domi : sed hodie ad venationem, cras ad aucupium, alio die ad convivium, ad potationes ad officinas gladiatorum, ad magistros chorearum ire : denique sicut corpore, sic etiam animo semper vagari, ad cor nunquam redire, de Deo, de morte, de judicio nunquam cogitare. Adve-

niat tribulatio, incidat in gravem morbum, vel quod facile fieri potest, propter aliquod scelus rapiatur ad carcerem, damnatur ad mortem; statim incipiet mores mutare, ad seipsum reverti, et ubi viderit animam suam totam sordidam, totam fœtentem, totam plagis et vulneribus peccatorum confectam, et quod si ita ex hoc mundo exeat, æternam mortem evadere non poterit: tunc demum totus concussus convertetur ad Deum, et dicet: *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Neque, eo contentus Sacerdotem advocabit, crimen confitebitur pœnitentiam recipiet, et eo modo tandem ad gratiam et misericordiam perveniet. Dic mihi, sceleste, quis te modo cogit confiteri, nisi tormentum, nisi tribulatio? eras antea tam superbus, tam arrogans, tam obstinatus, et confiteri nolebas id, quod eras: tunc si quis dixisset, non esse te optimum et sapientissimum omnium hominum, eum tu vivum devorare voluisses. Quod igitur Deus fecit? Quæstionibus te admovit, misit tortorem, qui tormentis a te confessionem extorqueret. Et qua de causa extorqueret? ut confitentem ageret in crucem? Minime vero. Non est Deus noster, ut prætores mundi: illi reum si confiteatur, occidunt, si neget, absolvunt. At contra Deus, si confitearis, absolvit; si neget, occidit. O suavissimum et amantissimum nostri generis Deum, qui non alia de causa nos flagellat, quam ut a morte peccatorum ad veram vitam redire nos cogat! Itaque ad hunc modum per tribulationem ad veniam peccatorum, et misericordiam pervenitur, quod quidem tantum beneficium est, quantum mens humana cogitando assequi non potest. Quis enim unquam sapiet, quam grave malum sit peccatum? Quis tibi unquam explicabit, quid supplicii merearis, cum Deum a domo tua, anima tua, violenter expellis? Si horrendum est facinus, a servis proditoribus regem ab ipsa sua regia deturbari: si flagitium atrocissimum, sponsum a sponsa propter adulteri amorem ejici de thalamo: si impietas inaudita, patrem et matrem propria domo a filiis excludi; quo nomine scelus illud appellabimus, quo tu tantulus homuncio, tu unus de terræ vermiculis, Deum, cui plus multo, quam regi, quam sponso, quam patri et matri debes, de domo illa expellis, quam ipse suis manibus fabricavit, suo sanguine instauravit,

suo baptismate consecravit? Magnum igitur est pretium, magna utilitas tribulationis, quæ a scelere tam immani atque atroci animum purgat.

Quid præterea tribulatio facit? minuit cruciatum, quem post hanc vitam in purgatorio luere deberemus. Accipe similitudinem. Si duo socii tabernam simul ingrediantur, et uterque usque ad satietatem comedat et bibat, deinde ad vesperam, cum est hora solvendi, alter clam inde se subducens, deserat sodalem suum, num is, qui solus manet, totum solvere non cogetur? Cogetur sane, etiam si pallium in taberna relinquere deberet: sic etiam, auditores, animus et corpus socii quidam sunt, simul ingrediuntur tabernam hujus mundi, simul comedunt et bibunt: et quamquam animus superbiendo, corpus luxuriando peccant, simul tamen debitum peccatorum contrahunt: verum mortis vespera adveniente, cum jam est hora solvendi, alter sociorum, corpus videlicet, deserens sodalem suum, atque ab eo fugiens sub terram in sepulcro se abscondit: porro animus solus rapitur continuo ad carcerem, et vincula purgatorii, ibique severissime excipitur et flagellatur, nec ante dimittitur quam et pro se et pro socio usque ad ultimum quadrantem satisfecerit. Ne igitur nobis id contingat, quid facit Deus? Tribulationem aliquam permittit super nos venire quæ corpus cogat, et jam si nolit, solvere partem suam, antequam ab animo per mortem separetur. Quod vero Deus ita cogat, magnum beneficium. Nam omnino debita solvenda sunt. Non est quod quisquam se decipiat. Sordes multas contraxisti? Purgari debes. Comedisti et bibisti? Solvere debes. Cum delectatione peccasti? Cum dolore puniri debes. Quod si hic, dum vivis, neque tribulationes oblatas a Deo libenter admittis, neque per te castigationem ullam, ac præsertim jejuniorum et eleemosynarum assumis, nihil dubites in purgatorio omnem pœnam, quam debes, exactissime te persoluturum. Cur enim putas pauca ante diem ultimi judicii futuram magnam, illam tribulationem, quam Dominus tanto ante prædixit, qualis non fuit ab initio mundi neque postea erit, nisi ut exponit D. Irenæus, ut omnes electi, qui tunc in vivis erunt, perfecte purgati, statim post judicium ad cœlum evolare possint? Neque enim post eum diem amplius erit, vel tempus vel locus purgatorii. Quare cum evadere non possis, quin solvas alicubi,

quanto melius atque utilius tibi est, ut caro partem suam hic solvat, quam ut in purgatorio summa tota exigatur ab anima? Præsertim cum sine ulla comparatione mitius ac remissius cum debitoribus agatur in hoc sæculo, quam in futuro. Sicut enim nostri mercatores multo vilius merces suas vendunt, si prompta et parata pecunia numeretur, quam si in longum tempus solutio differatur: ita quoque et Deus multo clementius agit, si hic, dum vivimus, alacriter patiendo satisfacere velis, quam si post obitum in futurum sæculum differas solutionem.

Sed jam tertium modum et postremum videamus, quo tribulatio purgat. Quid igitur est tribulatio? Pharmacum saluberrimum, quod præservat a malo peccati. Nam qui rebus omnibus abundant, qui semper fruuntur pace, qui nihil molestiarum habent, totos se desidie atque otio dedunt: *Multam vero malitiam docuit otiositas*, inquit Ecclesiasticus. Et Moyses: *Incrassatus est dilectus, et recalcitavit; Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo*. Et propheta Ezechiel: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis et abundantia et otium ipsius et filiorum ejus*. Hinc in libro Judicium aperte legis, nunquam voluisse Deum Chaneos omnino deleri, ne si filiis Israel bella Ethnicorum deessent, otio diffluere atque ad omnia vitia declinare inciperent. Dubitabant olim Romani, num expediret delere Carthaginem? Scipio Nasica, qui unus ex senatu optimus judicatus erat, contendebat non expedire, ne terrore illius æmulæ civitatis sublato juvenus Romana nimis pinguis, nimis secunda atque otiosa fieret: et inde innumera flagitia atque scelera in urbem irruerent, quæ plus Romano imperio, quam omnia externa bella nocerent. Nec eum sententia fefellit, reipsa probatum est, quam verum diceret. Nam cum senatus (ut B. Augustinus notat) Catonis potius, qui contrarium suadebat, quam Scipionis sequi voluisset consilium, deleta Carthagine, magno terrore urbis Romanæ depulso atque extincto, tanta de rebus prosperis orta mala subsecuta sunt, tam atrocia bella intestina, tam sævæ cruentæque seditiones, tantus proscriptio-num ac rapinarum furor, ut Romani plura et crudeliora paterentur a civibus quam unquam metuere potuissent ab hostibus. Quid igitur tribulatio facit? Continet homines in officio, excitat homines torpentes,

occupat vigilantes, excludit otium, luxuriam, desidiam, securitatem.

At quomodo id facit? Nempe cohibendo ac debilitando belluam istam immanem, quam intus habemus, quæ dicitur concupiscentia, quæ mater est omnium flagitiorum, et quasi hydra quædam trium capitum vel alter cerberus infernalis. Quæ sunt tria illa capita? Apostolus Joannes in sua epistola nos docebit: *Omne, quod est in mundo, inquit, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Ista tria sunt capita, tres radices, tres fontes vitiorum. A concupiscentia carnis oriuntur crapulæ, ebrietates, fornicationes, adulteria, et his similia. A concupiscentia oculorum, quæ alio nomine dicuntur avaritia, nascuntur furta, rapinæ, usuræ, lites, contentiones, et ille amor immoderatus semper jungendi domos ad domos, agros ad agros, beneficia ad beneficia, pecunias ad pecunias. A superbia vitæ existit ambitio, simonia, convicia, contumelia, homicidia, certamina singularia, multitudo equorum et servorum, denique pompæ et vanitates innumeræ. Adversus hanc hydram et cerberum istum mittit Deus tribulationes: contra carnis concupiscentiam ægrotudines: contra concupiscentiam oculorum, paupertatem: contra superbiam vitæ, notas ignominie sempiternas. Ita sapientissimus et nostri amantissimus Deus pugnat pro nobis contra inimicum nostrum, quem nos domare et coercere nunquam possemus. Disce igitur, o homo, disce aliquando bonitatem et Dei sapientiam. Tu dicis: Ego nemini sum molestus, studeo rebus meis, adjuvo cæteros quantum possum, nihil ago mali: Cur ergo tribulationibus flagellor? cur mihi invertitur domus? diripiuntur fortunæ? dissipantur liberi? Cur ego modo capitis, modo stomachi, modo dentium dolorem patior? Nimirum, quia præservari debes a morbo peccati. Diligit te Dominus Deus tuus, et quia videt in te, licet bonæ sis voluntatis, adhuc tamen hydram concupiscentiæ vivere, eam tribulationibus domare ac debilitare cupit. Numquid tu melior Apostolo Paulo? At ille vir tantus, tam intimus amicus Dei, nonne alicubi ait: *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum?* Agnoscebat videlicet hydram, agnoscebat cerberum tricipitem intus in pectore semper mordentem et latrantem, et idcirco non contentus tribulationibus, quas patiebatur ab aliis, ipse etiam carnem suam

affligebat : *Ego*, inquit, *castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Cum igitur omnes post Adæ peccatum ægroti simus, morbo isto concupiscentiæ omnes laboremus, cur molestum nobis esse debet, si medicus noster, Deus, tamquam ægrotos, non tamquam sanos in hoc mundo, nos gubernat, et pro morbi varietate varia pharmaca tribulationum sumere nos jubet? Certe ut Magnus Basilius ait : « Nemo medicum corporis sui unquam reprehendit, quod venam secuerit vel carnem adusserit, vel inediam instituerit vel amaram potionem sumere præceperit; sed laudavit potius tamquam doctum et sapientem, et gratias egit ac pecunias obtulit : quia satis intelligunt omnes, medicum non cum ægroto sed cum morbo pro ægroto bellum gerere. » Ad eundem igitur modum, auditores, et nos, si sapimus, agemus cum Domino Deo nostro, qui est medicus animorum longe optimus et doctissimus, et non cum homine, sed cum peccato suis tribulationibus pugnat : non solum ejus providentiam non arguemus, sed etiam ei gratias debitas agemus. Nec tantum de ipso medico non conqueremur, sed neque de instrumentis, quibus ad salutem nostram uti voluit. Nunquam prudentes ægros dicere audimus, medicus placet, sed ferrum, quo utitur, non placet. Quis enim melius novit, quo instrumento sit utendum, quam ipse medicus, qui ullo uti debet? Quare nos quoque, si Deus nobis medicus placet, ut placere debet, si medendi artem, qua utitur, non possumus non probare, etiam de instrumentis, de hominibus, quibus nos tribulat, conqueri non debemus, ne Deum docere atque instruere, quæ summa est insania, velle videamur.

SECUNDA PARS.

Quemadmodum tribulatio hominem purget, qui erat primus ejus fructus, cum forte in bonam terram cadit, hactenus exposuimus : sequitur, ut alios duos fructus persequar, qui ad illustrationem et perfectionem pertinent.

Ac primum quidem, ut ab illustratione incipiamus, tribulatio mihi persimilis esse videtur felli, quo Tobiae oculos ab Angelo Raphael curatos esse novimus. Poterat enim Angelus sanctus multis aliis rebus, vel etiam sine ullis rebus tamquam minister Omnipotentis Dei, Tobiae oculos restituere : sed voluit felle, quod est amarissimum, et felle piscis, qui salsum elementum incolit, id facere, ut nobis fructum atque utilitatem tribulationis ostenderet, quæ quamvis salsa, quamvis amara, quamvis in mari turbulento hujus sæculi oriatur, tamen si recte utamur, non parum luminis internis oculis afferre potest. Aptissime quoque in Apocalypsi eadem tribulatio collyrio comparari mihi videtur. *Collyrio*, inquit Dominus, *inunge oculos tuos, ut videas : ego quos amo, arguo et castigo.* Collyrium enim ex pulveribus quibusdam efficitur, qui rodunt et consumunt pravos humores qui in oculis interdum existere solent. Tribulatio autem simili quodam modo inanes non humores, sed amores atque affectus rodit, qui mirum in modum oculos mentis impediunt, ne rectum et bonum videre, ac judicare possint. Homines enim, quod etiam philosophus vidit et docuit, ut affecti sunt ipsi, ita plerumque de rebus judicant. Quid ergo Dominus ait? Tu, inquit, non bene vides, pravos humores habes in oculis, sine adhiberi tibi collyrium tribulationis, ut videas. Ac ne forte dubitares, eum de tribulationis medicamento loqui, statim subjungit : *Ego enim, quos amo, arguo et castigo.* Postremo, tribulatio terra illa deserta et solitudo est, de qua loquitur Dominus per Osee : *Ecce ego ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Quæ est hæc solitudo, nisi tribulatio? Siquidem

« Tempore felici multi numerantur amici : »

si divitiis et honoribus affluas, turba sodalium et adulatorum, numquam te relinquit : et Deus quidam vellet tibi de negotio salutis tuæ aliquid loqui, sed audientiam obtinere non potest. Quid igitur agit? Deponit potentes de sede, de divite pauperem, de claro obscurum facit : ita recedentibus falsis amicis derelinqueris solus, ita cultor atque habitator efficeris solitudinis, et tum venit Deus et loquitur ad cor tuum, et luce sapientiæ suæ interiores oculos tuos totos illustrat.

Sed quid illud est, quod tribulatio videre facit? Non est unum aliquid, sed multa et varia : nimirum ea, quæ sunt infra te, quæ supra te, quæ circum te, atque ad ultimum etiam teipsum. Magna sane lux, magna eruditio, quam domina magistra nostra tribulatio affert.

Quæ sunt ea, quæ jacent infra nos? Primum inferi, deinde res omnes corporales. Nos enim, qui animo et corpore præditi sumus quasi medium locum incolimus, inter corporum et spirituum regiones, et omnia corpora cernimus infra nos, omnes spiritus supra nos. Atque inferos quidem ex tribulatione facile cognoscimus: nam cum aliquo dentium vel capitis stomachi dolore laboramus, tunc dicimus: Si tantulus dolor ita cruciat, quid faciet ignis gehennæ? si modo una tantum parte corporis dolemus, et brevi sanitatem speramus et tot remedia, tot solatia, tot consolatores habemus, et tamen vix dolorem toleramus, quid erit apud inferos toto corpore, et animo torqueri, et finem nullum expectare, et nullum remedium, nullum solatium, nullum consolatorem habere? Vere igitur clamat Isaias: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorantibus? Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Verum non inferos solum, sed etiam res corporeas tribulatio cognoscere facit. Siquidem in cognitione et æstimatione corporaliū rerum duobus contrariis modis decipimur. Quidam res istas corporeas, et opes, ut sanitatem, cum habent, non plane cognoscunt, neque tanti faciunt, quanti deberent, nec unquam cogitant unde eæ ad nos veniant, quis eas conservare et augere, imminuere etiam et auferre possit: atque idcirco neque Deo gratias agunt, et facile pecunias suas profundunt, facilius etiam nimis comedendo, nimis bibendo, nimis ludendo, variorum morborum periculo se exponunt: at cum tribulatio adest, cum inopia premi incipiunt, tunc discunt, quam pulchra virtus sit parcimonia: et cum aliquo morbo laborant, tunc dicunt: O quam suave et dulce est bene valere? O quam præclarum Dei donum est sanitas! O qui fruuntur tam excellenti bono, quanto jure agere gratias Deo auctori deberent? Atque idem de pace, de fortunis, de aliis rebus generis ejusdem dictum esse: intelligatur. Omnia enim melius ab entia, quam præsentia cognoscuntur atque æstimantur. Quidam alii sunt, qui ad alterum extremum declinantes, multo pluris ista faciunt, quam revera facienda sint. Nam cum sint fragilia et caduca, et sine ullo dabo casura et peritura, tamen non minus eis adhærent, quam si forent sempiterna: non minus eis serviunt, quam si dii quidam vel idola essent. Quocirca non immerito Apostolus avaritiam idolorum servitutem nomina-

vit: et de quibusdam ait: *Quorum Deus venter est. quorum finis interitus, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* At cum adest magistra tribulatio, et illi omnia, quæ magno labore et sudore multis annis sibi comparaverant, aliquando in puncto temporis amittunt, tum dicunt: O quam eramus nos insipientes, qui vanitatem non credebamus esse vanitatem, et res caducas nunquam casuras, res fragiles nunquam frangendas: nunc intelligimus, non aurum esse omne quod lucet, neque tanti ista temporalia æstimanda, quanti venduntur atque emuntur in nundinis stultorum. Præclare sane, auditores, Gregorius Theologus: « Nihil, inquit, in rebus humanis stabile est, nihil quod in eodem statu semper maneat: sed circulus quidam res nostras circumrotat, et varias sæpe fert mutationes, nonnunquam in die uno, frequenter in hora: ac ventis potius credendum est instabilibus nec non vestigiis navis per mare curentis, nocturnumque somnis fallacibus, et iis quoque, quæ pueri ludentes in arena fingunt, quam prosperitati humanæ. » Hæc ille. At quotus quisque est qui ista in prosperitate noverit, et e contra quotus quisque est, qui ista in tribulatione non noverit? Novi ego viros clarissimos, opulentissimos, florentissimosque infra paucos menses exutos honoribus, spoliatos facultatibus, in vincula conjectos, et tandem cum ignominia ultimo supplicio affectos, qui tamen adeo multum ex tribulatione profecerunt, ita mundum et ejus inanissimas et mendacissimas voluptates contemnere didicerunt. ita sancte, ita pie, ita religiose diem extremum clauserunt, ut admirabile esset. Tanta igitur, auditores, est utilitas tribulationis.

Sed quid præterea tribulatio videre facit? Id quod est supra nos, nempe Deum, Angelos sanctos, qui simul vivunt cum Deo et regnant. Nam tempore prosperitatis facile Deum et sanctos obliviscimur: at cum tribulatio aliqua forte ingruerit, si in mari vento sæviente jactamur, vel hostes a tergo insequentes videamus, si fulmina cadere de cælo, si terram sub pedibus concuti, si ardere, si ruere domum, tunc invocatur Deus, tunc sanctorum agnoscitur patrocinium, tunc breves sunt litanix, nullus sanctorum negligitur, evolvitur calendarium totum. De populo Hebræorum legimus in Exodo, nec non in libris Judicum et Regum tempore pacis et prosperitatis sæpe vel aureos vitulos

vel Baalim et Astaroth, vel alia gentium idola pro Deo adersasse : tempore vero tribulationis semper idolis contemptis ad unius veri Dei numen confugisse. Hinc enim sunt illæ voces sancti David : *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* Et rursum : *Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.* Scribit quoque Lactantius, ipsos idololatrias qui tempore prosperitatis alacres currunt ad simulacra, iis libant, iis sacrificant, ea coronant, tempore tribulationis non Jovem aut Martem, non idola ulla invocare, sed oculos ac manus ad cælum tollere, unum Deum obtestari, atque ab ejus divino atque unico munere misericordiam et veniam implorare. At ubi relinquimus impium illum apostatam, Christianique hostem atrocissimum Julianum? enim, ut Gregorius Theologus scribit, cum aliquando in adytum multis inaccessum et horrendum cum suis necromanticis dæmones consulturns descendisset, et jam sonitus quosdam insuetos audiret, nec non teterrimos odores sentiret ac ignea quædam spectra et phantasmata videret, re inexpectata vehementer percussus, subito ad signum crucis, Christianorum clypeum, confugit, et eum sibi adiutorem fecit, quem persequabatur. Prævaluit signum crucis, evanescent spectra, Dæmones superantur, solvuntur timores. Quid inde? Ut se Julianus collegit, rursum animatur, rursum Dæmones advocantur: sed iterum etiam redeunt spectra, iterum timores, denuoque signum repetitur, denuo Dæmones compescuntur. Ita igitur, auditores, illustrat tribulatio, ut etiam cæcos, etiam ethnicos, etiam idololatrias, etiam Dei juratos hostes, etiam homines profligatissimos sursum aspicere, et verum ac solum Dei nostri numen agnoscere faciat.

Veniamus ad ea, quæ circa nos sunt, ad homines videlicet cæteros, ad fratres, ad proximos nostros: num tribulatio docet animos veros a falsis, homines probos ab improbis separare? Et quidem optime et facillime. Pulchre enim Tertullianus tribulationem comparat paleæ, quæ in area purgat frumenta. Quando prosperitate frueris, et tamquam in area quietus jaces multæ paleæ amicorum tibi adhæreat, multi gnationes se tibi adjungunt. At si paleæ tribulationis te agitare, et sursum projicere ac jactare incipiat, statim paleæ recedunt, et tu solus in aream redis. Neque solum tribulatione docente amicos tuos falsos a veris cognoscis,

sed etiam amicos Dei falsos a veris discernis. Nam ut idem eodem loco docet Tertullianus, persimilis est tribulatio scalæ, quam vidit patriarcha Jacob, per quam Angeli quidam ascendebant quidam descendebant. Sic enim et in tribulatione veri Dei servi semper magis ac magis per patientiam ad Deum ascendunt: amici vero mundi, qui pati non didicerunt, semper magis ac magis ad inferos per impatientiam suam descendunt. Nec dissimilis est tribulatio torculari, in quo oleum secernitur ab amurca, et tornaci, in qua aurum et plumbum et cætera metalla, qualia sunt, apparent, ut B. Augustinus eleganter docet.

Sed quid postremo tribulatio videre facit? Te ipsum: quid sis, quid valeas, quid possis per te, quid possis cum Deo. Quid homo per seipsum potest? Nihil. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis,* inquit Apostolus. Quid potest cum Deo? Omnia. *Omnia possum,* inquit idem doctor, *in eo, qui me confortat.* At hoc totum nunquam melius, quam in tribulatione cognoscimus. Nam sæpe multa putamus nos posse: proponimus, promittimus, vovemus jejunia, peregrinationes, opera cætera: verum ad primam tentationem prosternimur, et veniente jubilæo opertet statim vota commutari. Recte igitur S. Jeremias: *Ego,* inquit, *vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Tempore tribulationis inopiam nostram, pulverem nostrum, nihilum nostrum agnoscimus: e contra quoque antequam tribulatio adsit, aliquando trepidamus, animum despondemus, nihil ferre nos posse putamus, et tamen in ipsa tribulatione, Domino adjuvante, ita nos gerimus, ut nos ipsi miremur, tam facile nos ferre ea, quæ ante gravissima atque intolerabilia videbantur. Itaque et nihil per nos possumus, et omnia possumus cum Deo, et hoc nihil melius quam tribulatio docet. Atque hæc quidem de secundo fructu.

De tertio et postremo quamquam multa dicenda fuissent, quia temporis angustiis premor, dicam solum tria verba, et finem faciam. Tertius igitur fructus tribulationis est perficere. Quid est, in quo potissimum perfectio humana consistit? Caritas. Interrogate, si placet Apostolum Paulum. Quæ est *Legis plenitudo*? Caritas. Quis *Finis præcepti*? Caritas. Quod est *Vinculum perfectionis*? Eadem caritas. Quid jam tribulatio facit? Provocat hominem atque impellit,

vel si vultis, etiam compellit et cogit ad amorē Dei : felix necessitas, quæ ad meliora compellit ; Vidistis aliquando fabros, qui ut ferrum celerius calefaciant, modicum aquæ aspergunt super ignem : non enim aqua illa ignem extinguit, sed per antiperistasim, ut Philosophi loquuntur, magis accendit. Ita quoque in te ignis charitatis, quo diligis Deum, quoniam enim ille ignis ad multa alia se extendit, ad uxorem, ad liberos, ad opes, ad honores, propterea exiguus ac debilis est, nec multum servet circa Deum : quid igitur faber noster ille sapientissimus, qui cælum et terram fabricavit, quid ille facit ? Spargit aquam tribulationis, aufert uxorem, tollit e medio liberos, spoliat opibus, exuit honoribus. Quamobrem ? Ut ignis charitatis contrahat vires suas, colligat se totum circa centrum, ubi est Deus, ubique vehementer ardeat atque ferveat. Vidistis etiam aliquando prudentes nutrices, quæ ut infantes a lacte avocare, atque ad solidos cibos provocare possint, aliquid absynthii ponunt super capita mamillarum : sic etiam Deus spargit amaritudines varias, super mamillas carnalium voluptatum, ut aliquando tandem ablactemur, et solidum justitiæ cibum, cibum sapientiæ, cibum charitatis, cibum omnis virtutis et perfectionis quæramus. Vidistis postremo sapientes venatores atque

aucupes, qui sæpe canes et accipitres suos jejuna cogunt, ut libentius postea ad prædam capiendam accurant. Vidistis equites et aurigas, qui equos suos modo calcaribus feriunt, modo fustibus tundunt, modo clamoribus terrent : num ut occidant ? Nequaquam, sed ut magis excitent ad ambulandum : ita Deus, auditores, modo cogit nos jejuna, modo pungit, modo flagellat, ut non hæreamus in via, et via longa et periculosa, via plena insidiarum et laqueorum, sed curramus, transeamus celeriter, apprehendamus vitam æternam. Ibi tempus et locus erit quiescendi, quando ad nos *Malum non accedet et flagellum non appropinquabit tabernaculo* nostro. Interim væ illis, qui obliviscuntur esse se filios Adæ. Væ illis, qui sibi paradisum faciunt in hoc mundo. Væ illis, qui otiosi volunt et quiescere, dum tempus est currendi et laborandi. Tunc demum se deceptos invenient, cum errorem suum emendare non poterunt. Quare, auditores, si sapientius agere, et nobis utilius consulere volumus, intelligamus fructum tribulationum, conveniamus cum Domino Deo nostro, si pungit, curramus ; si flagellat incitemur. Ita facile et celeriter ad vitam perveniamus æternam, ipso adjuvante, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO V.

DE TRIBULATIONE.

SYNOPSIS

Enumeratis quibusdam viris sanctis tum veteris Testamenti, tum Christianorum Ecclesiæ, qui etiam in hac vita prospere vixerunt cur Deus aliquando bonos florere prosperitatibus velit, quinque assignantur causæ. Prima, ut se summum omnium rectorem ostenderet. Secunda, ut referelletur error Manichæi, docentis, omnia corpora esse mala et non a Deo. Tertia, ut ostenderet non esse in se malum possidere divitias, quod falso affirmabant Apostolici. Quarta, ut manifestaret quanta benevolentia suos prosequeretur, quod et a simili medici diversis ægrotis diversa remedia præscribentis declaratur; ubi etiam apparet, ex bonis hujus mundi futurorum bonorum posse colligi excellentiam. Quinta, ut sic pauperibus et afflictis provideret, atque inde cognoscerent divites se non sibi esse divites. Exinde quoque colligitur divina potentia, quod aliquibus similibus docetur. Quomodo demum divitiis uti oporteat, pulchra præscribitur doctrina.

Explicatis in concionibus superioribus natura, varietate, causis et effectibus tribulationis, jam in hac secunda parte de armis et remediis contra eandem, agere incipitur, et verba S. Pauli militem Christianum instruente, explicanda suscipiuntur. In præsentiarum vero agitur de cingulo, quod proprium militis symbolum, per quod castitatem designari ostenditur, idque quatuor de causis. Primo quia ut cingulum lumbos constringit, ita castitas libidinem coerces, ubi de duplici tractatur castitate, matrimonii scilicet et cælibatus. Secundo, quia ut cingulum sustinet gladium, ita castitas ad Verbum Dei (qui gladius spi-

ritualis) conducit. Tertio, quia uti cingulum partem superiorem ab inferiore separat sic castitas partem hominis brutalem, a parte ratione prædita, quod convenienti lampadis similitudine illustratur. Quarto, quia facit expeditos ad iter, et conjugatos quidem liberat a zelotypia et amore externo, cælibes vero a gubernatione uxoris, sollicitudine liberorum et lucrandi cupiditate. Explicatur deinde cingulum verum, nimirum castitatem non fictam, sed solum propter Deum esse debere. Docetur præterea castitatis cingulum a solo Deo comparari, idque mortificationis pretio, custodiendo sensus, vitando prava consortia, frequenti confessioni et sacra lectioni vacando, insuper oratione et jejunio, exemplo multorum sanctorum libidinis insultus retundendo.

Etsi plerique sanctorum, auditores optimi, non sine multis variisque tribulationibus vitam in hoc mundo duxerint, tamen non defuerunt etiam, qui vel magnis opibus abundarent vel summis honoribus clarerent, vel bella feliciter gererent, et multis magnisque victoriis Dei beneficio potirentur. Etenim si volueritis ad sacras divinasque historias cogitationem paulisper convertere et ad memoriam revocare, invenietis primo magnum illum Abrahamum, non tam patriarcham et Prophetam, quam patriarcharum et Prophetarum omnium patrem, virum integerrimum et sanctissimum, adeoque eximium Dei cultorem atque amicum, ut Dominus cæli et terræ singulari quadam ratione Deus Abraham nominari voluerit, qui nihilominus usque adeo dives auri atque argenti, armentorum et gregum, servorum et ancillarum fuit, ut, Scriptura divina teste, vix eum terra capere posset: aliquando etiam cum

servis et pastoribus suis, quatuor potentissimos reges qui simul copias suas conjunxerant, uno prælio superaret. Invenietis deinde patriarcham Jacob, qui cum solus ad Laban affinem suum profectus esset, post paucos annos ditissimus rediit, nec unquam ei technæ et fraudes Laban, Domino ipsum gubernante et protegente, nocere potuerunt. Quid de Joseph viro castissimo atque optimo dicemus? Scriptura divina ait: *Erat vir in cunctis prospere agens*: et a rege Pharaone toti Ægypto præpositus, non tam œconomus aut prorex, quam alter Pharaon videbatur. Omitto de David, de Salomone, de Josia, de Ezechia, de Macchabæis, de aliis multis dicere, qui et viri sancti Deique amici et simul reges et principes ditissimi potentissimique fuerunt.

Veniamus ad Ecclesiam Christianorum. An est quisquam, qui de gloria et prosperitate Magni Constantini nunquam audierit? « Quem ut B. Augustini verbis utar, tantis terrenis implevit muneribus Deus, quanta optare nullus auderet. » Quis ignorat vel in Eusebio Cæsariensi aliquando non legit, quanto miraculo is Maxentium tyrannum sine ulla suorum strage superaverit? Jam vero Theodosius senior optimus et sanctissimus imperator, ut Theodoretus scribit, primum Gothos in Thracia, deinde Maximum et Eugenium tyrannos in Gallis cum parvo exercitu tribus præliis, orando potius, quam pugnando debellavit. Theodosius junior, ut Socrates auctor est, Persas et Sarracenos, nec non tyrannum quemdam nomine Joannem, non tam hominibus, quam Angelis pugnantibus, vicit. Honorius Theodosii senioris filius, ut Beatus Augustinus refert, copias innumerabiles Gothorum in media Italia tanta felicitate ac celeritate delevit, ut ne uno quidem militum Romanorum, non dicam extincto, sed nec vulnerato, supra centum millia Gothorum una die ceciderint, et simul rex ipse Gothus et liberi capti necatique fuerint. Porro Caroli Magni pietas et religio, et simul potentia, gloria et opes ac victoria notiora sunt omnibus, quam ut a me necesse sit narrari. Ejusmodi vero præclaras divinasque victorias, tam veteres, quam recentes prope innumeras proferre facillimum mihi esset, si locus et tempus postularent. Sed pauca ista, quæ diximus, satis ostendunt id, quod nobis propositum erat, non solum res adversas, sed etiam prosperas bonis et malis in hoc mundo esse commu-

nes, præsertim cum non ignoremus non qualescumque Christianos, sed excellentissimos atque in divorum numerum relatos, aliquando maximorum regnorum gubernacula tenuisse. qualis in Gallia Ludovicus, in Anglia Edwardus, in Germania Henricus, in Bohemia Wenceslaus, in Hungaria Stephanus fuit.

Quare cum oratione superiore exposuimus, quo fructu providentia Dei probos ac pios homines vexari sæpenumero patiatur, nunc illud explicandum superest, ad quem finem eadem providentia Dei, temporali prosperitate servos atque amicos suos aliquando florere velit. Ac mihi quidem præcipue hujus rei causæ quinque esse videntur.

Primum enim se rerum omnium summum rectorem ac moderatorem esse Deus ostendere, et simul Manichæorum et Apostolicorum errores refellere voluisse videtur. Quid Manichæi docebant? Omnia corpora esse mala, et non a Deo, sed a Diabolo, qui princeps tenebrarum et Deus hujus sæculi in Scripturis dicitur, dispensari. Gravis et perniciosus error, sed qui nullo negotio de Scripturis sanctis confutatur. Ac ut cætera prætermittam, audi, quid sanctus Daniel dicat: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum tuum transibit a te, et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod domnetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud*. Verum non alia ratione Deus melius et facilius errorem istum evertit quam cum regna et opes terrenas servis atque amicis suis largitur. Nam si princeps tenebrarum mundum hunc inferiorem gubernaret, unde servis Dei regna et imperia? Num draco ille teterrimus hostes suos provinciis suis præficeret? Et si opes terrenæ per se malæ et perniciosæ essent, num eas Deus amicis suis, quos tam vehementer diligit, largiretur? Secundus error veterum quorundam Hæreticorum fuit, qui, ut D. Augustinus refert, affirmabant, non licere Christianis proprias opes et facultates possidere, neque posse eos salvos fieri, qui more Apostolorum et religiosorum pauperes non essent. Itaque ea quæ Christi Ecclesia semper intellixit esse consilia, ipsi præcepta esse voluerunt, atque idcirco sectatores suos specioso nomine Apostolicos nominaverunt. Tale aliquid Apostata

quoque Julianus, vel sentiebat, vel certe, ut erat versutus et callidus, sentire se simulabat. Scribit enim Gregorius Nazianzenus, tulisse eum leges, ne liceret Christianis gerere magistratus, neque ulla ratione se defendere, etiamsi spoliarentur, cæderentur si de urbibus ejicerentur, si plus quam tyrannice opprimerentur. Causam vero hujus legis reddidisse, ut Christianos cogeret, vel invitos Evangelium observare, ubi scriptum esse dicebat, ne judicemus, ne gladium portaremus, ne proprium aliquid possideremus, ut palium auferenti etiam tunicam daremus, ut unam maxillam ferienti, alteram continuo præberemus : denique ut omnia præsentia tamquam si non essent, pro nihilo duceremus. Quid igitur Deus facit? Evehit aliquanda veros et fideles amicos suos ad magistratus, ad regna, ad imperia, vult eos magnos opes possidere atque administrare, ut omnes intelligant, non esse ista prohibita atque interdicta Christianis, et quod si quidam vel etiam multi divites ad inferos damnantur, id non eo fieri, quod malum sit possidere divitias, sed quod ipsi nesciant uti divitiis, nec tam ipsi opes possideant, quam ab opibus tamquam mancipia vilissima possideantur. Alioqui enim quo pacto Abraham et David et Tobias et B. Gregorius, B. Ludovicus, B. Edwardus alique tam multi sanctissimi viri, qui divites fuerunt, in cælum ascendissent, si nullis divitibus cælum pateret? Quare sicut in cœtu symphonicorum ille commendatur, qui bene canit, sive acuta voce sive gravi uti debeat, id en imparum refert : ille autem vituperatur, qui male canit, quacumque tandem voce uti necesse sit : ad eundem modum illos Deus probat ac laudat, et sempiternis præmiis honorat, qui in suo statu, quicumque ille sit, sive altus, sive humilis, sive clarus, sive obscurus, bene se gerunt : illos arguit et vituperat, et perpetuis afficit suppliciis, qui in suo statu, quicumque ille sit, male se gerunt. Itaque non divitiæ, sed usus malus divitiarum Christianis hominibus prohibitus est.

Jam quarta ratio est, ut etiam Deus in hoc mundo ostendat, quanta benevolentia servos et filios suos prosequatur, et quantam prosperitatem omnibus largiretur, si ita expediret, et quanta sit illa gloria atque felicitas, qua tempore suo omnes donabit. Hic igitur est fructus prosperitatis sanctorum, ut intelligant homines Deum usque adeo amicos suos diligere, ut etiam res minimæ ac

vilissimæ ipsorum ei curæ sint. *Nolite tangere Christos meos*, ait per os David, et per Zacchariam : *Qui tetigerit vos, tangit pupilam oculi mei*. Quod si non semper servos suos liberat a tribulationibus id facit, quia novit eorum saluti non expedire, id quod pulcherrima elegantissimaque similitudine Boetius illustrat. Si medicus, inquit, ægrotos duos simul invisat, et uni amarissimam potionem dari jubeat, alterum quem forte longa ægritudine fractum ac debilitatum videt, optimis carnibus, et vino refici præcipiat, quis eum reprehendere audebit? Et si prior ille æger diceret, cur ita mecum injuste agis, o medice? Quid ego tibi nocui, ut mihi vinum et carnem dari prohibeas, et præterea amarissimo isto pharmaco me vexes, cum tamen socium meum in deliciis esse velis? Nonne optimo jure medicus responderet : Quid mea interest, quid tu sumas? Ego tam libenter optima et dulcissima quæque te sumere permetterem, quam illum, sed aliud morbus tuus, aliud illius requirit : et si te carnibus et vino alerem, sicut illum, te non curarem, sed occiderem. Itaque non minori benevolentia tibi amarum pharmacum, quam illi suavissimum vinum dari jubeo. Pari ratione Deus, qui languores nostros et morborum varietatem optime cognoscit, non ex odio aut invidentia, sed ex arte, ex providentia, ex vera et perfecta charitate alios servorum suorum temporali prosperitate tamquam vino et carnibus recreat, alios, quorum contrariam ægritudinem esse cernit, pharmaco paupertatis et tribulationis purgat : sed tamen tempore suo cum ad patriam nostram cœlestem pervenerimus, tunc omnes simul amicos et filios suos æterna prosperitate consolabitur. Ea vero quanta futura sit, ex iis bonis, quæ hic in terris sanctis hominibus quandoque donat, facile si non intellegere, saltem conjectare et suspicari possumus. Si enim in hoc stabulo, ubi cum belluis habitamus, et quo non ut deliciis fruamur, venimus, sed ut pœnitentiam delictorum agamus, et tamquam rei læsæ Majestatis ad metalla damnati sumus, homo enim ad laborem nascitur, sicut avis ad volandum, tamen Deus tot commodis servos suos abundare voluit : quid, quæso, sperandum est, nobis in cœlo, in patria, in regno, in ipsa domo patris nostri esse paratum? Magnus igitur fructus est prosperitatis sanctorum, quæ ut divinum in nos amorem tam luculenter ostendit, et animos nostros

erigit ad bona maxima et sempiterna firma fide et spe desideranda.

Veniamus ad quintam et postremam rationem, quare Deus aliquos servos suos vel multis opibus affluere vel in summis honoribus constitui voluit? Quare, putatis, nisi ut eo modo pauperum inopiæ et difficultatibus provideret? Voluit quidem Deus multos esse in mundo pauperes et viros sanctos atque in libro vitæ scriptos majori ea parte non abundare divitiis, propterea quod, vento tribulationis flante, multo tutius et facilius versus portum salutis navigatur, quam flante vento prosperitatis, ut ante dicebamus: sed quamquam res ita se habeat, tamen non vult Deus pauperes a divitibus destitui, sed juvari ac foveri. Impia et diabolica est illa vox eorum, qui dicunt, si vellet Deus, posset statim omnes pauperes divites facere; sed non vult, placet ei ut sint pauperes, ut patiantur, ut laborent, ut fame et frigore enecentur. Ergo ne Deo contrarii esse videamur, vociferentur, et clament, quantum velint, nihil eis dabimus. Impia et diabolica vox, et quam Gregorius Nazianzenus in illa sua pulcherrima oratione de cura pauperum habenda, summa eloquentia redarguit. Deus enim ideo multos pauperes esse voluit ut tu, qui dives es, occasionem habeas misericordiæ et liberalitatis exercendæ. Atque idcirco nihil frequentius in Scripturis sanctis, quam pauperum curam commendat. Verum quoniam non ignorabat, impios homines nihil nisi seipsos quærere, seipsos amare, omnia ad seipsos per fas et nefas rapere, propterea etiam aliquos de suis servis divites et potentes esse voluit, qui quasi parentes vel œconomi pauperum essent. Nam si nunc cum aliqui sint divites et nobiles, et potentes boni, tamen adhuc miserime pauperes tractantur, quid, quæso, fieret, si omnes divites, omnes nobiles, omnes principes essent mali! Quo pacto mundus non continuo interiret? Itaque quotquot divites estis, intelligite, datas esse vobis divitias ea conditione, ut eas cum pauperibus communicetis. Estis enim in corpore Ecclesiæ, sicut venæ majores in corpore animalis, quæ ideo sanguine abundant, ut omnes venas minores repleant, et sicut sol, qui non sibi soli, sed toti mundo, lumen et calorem accepit: et tamquam fontes quidam, qui aquam non sibi retinere, sed effundere liberaliter, et totam terram irrigare debent. Ita magnus Papa Gregorius faciebat, qui præter tria millia sanctimo-

nialium virginum, et innumeros pauperes, quos Romæ perpetuo alebat, totius pene orbis pauperes diligentissime variis modis investigabat. Ita Dominus discipulos suos facere docuit; cum panes quinque dumtaxat secum haberent, tamen eos benigne ac liberaliter turbis pauperum distribui fecit: ac ut fructum eleemosynarum intelligeremus, idem Dominus potentia sua effecit, ut non solum quinque illi panes quinque millibus hominum abunde sufficerent, sed etiam ut Apostoli pro quinque, quos dederunt, panibus, duodecim cophinos plenos reciperent. Quod vero de divitiis dictum est, idem de honoribus et potentia dictum esse intelligatur. Quia enim improbi homines et seipsos amantes, si pro se apud principem vel magistrum agere volunt, diligentissime et prudentissime id faciunt, nec aliquid præmittunt, quod ad causam suam promovendam valeat: at si pro aliquo paupere loqui debeant vel nihil agunt omnino, vel tardissime ac frigidissime agunt: propterea Deus aliquos servos suos magnos et potentes esse voluit, ut ad eos tamquam ad communes quosdam parentes, viduæ, orphani, pauperes, miseri denique et calamitosi omnes libere confugerent. Quod utinam homines hujus sæculi intelligerent. Utinam, qui divites et potentes sant, aliquando cogitarent, ea conditione sibi opes et honores accepisse, ut proximos suos magis juvarent nec unquam obliviscerentur sibi, cum de hac vita migrabunt, dicendum a Domino: *Redde rationem villicationis tuæ*, majorem certe videremus pauperum curam, pauciores audiremus querelas, sæpius et manifestius Dei beneficentiam et liberalitatem in nos experiremur. Ea siquidem est natura Dei, ut nunquam vincatur liberalitate et ingratos nihilominus severissime puniat.

Altera ratio est, ut Deus potentiam suam ostendat. Quamquam enim, ut diximus, licet hominibus Christianis divitias possidere, tamen res maxima et difficillima est hominem divitem et in maximis honoribus constitutum ad æternam salutem pervenire. Nonne esset magna ars, efficere, ut camelus per foramen acus transiret? At Veritas ipsa docet: *Facilius, esse, camelum transire per foramen acus quam divitem intrare in regnum cælorum*. Nonne etiam magna ars esset semper adverso vento navigare, et tandem feliciter ad portum appellere? At omnes divites adverso et prorsus contrario vento navigant. Quamquam

enim vulgus divitias prosperitatem, et tribulationem adversitatem vocant, tamen revera tribulatio, quæ a mari hujus sæculi recedere atque ad Deum verum salutis portum accedere facit, ventus prosper dici debet. Divitiæ vero atque honores, quæ ad medium maris compellunt, venti contrarii optimo jure nominari possunt. Cum igitur omnes divites contrario vento navigent, nonne magna industria uti debent, si ad portum salutis pertingere volunt? Hinc nimirum est illa vox Domini Servatoris: *Quam difficile qui divitias habent, in regnum cælorum intrabunt.* Et illa Apostoli Pauli: *Scio abundare, scio et penuriam pati.* Quem locum diligenter considerat B. Augustinus. Nam sicut penuriam pati quorumcumque est, at scire penuriam pati paucorum? ita abundare quilibet potest, sed scire abundare, non nisi perfectorum et magnorum est. Hinc et alio loco Scriptura tam vehementer laudat eum, qui potuit transgredi et non est transgressus: non enim magnum est, si pauperes sobrii sint, qui unde crapulam exercent, non habent: neque si multos famulos non requirant, qui vix seipsos sustentare possunt: at quod homo potens, dives, magnus, qui et facile et impune multa scelera patrare potest, tamen modestiam, humilitatem, castitatem conservet, vere magnum et admirabile est: *Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Ista igitur miracula Deus ostendit, cum servis suis maximas opes et summos honores tribuit: quod enim *Impossibile est apud homines*, ut Dominus ait: *Apud Deum possibile est.* Quod majus miraculum fieri potest, quam quod de sancto Edwardo rege Angliæ legimus? Is cum omnibus bonis externis et corporis floreret, non solum in tanta potestate modum, in tanto fastigio humilitatem, in tanta copia atque affluentia rerum omnium sobrietatem semper retinuit: et non solum ab adulteriis et fornicatione alienus vixit, sed et cum ipsa sua uxore, nec adolescentiæ stimulis victus, nec amore liberorum superatus, perpetuam virginitatem coluit.

At quomodo tandem ista miracula fiunt? Quo pacto id assequemur, ut honores et divitiæ ingressum ad regnum cælorum non impediunt? Nimirum si ea non super humeros, neque in capite ponamus, ne nos depriant ad gehennam, sed sub pedibus, ut per eas tamquam per gradus ascendamus in cælum. Si quis non posset ascendere in locum

aliquem, et propterea ei scabellum daretur, ipse nesciens usum scabelli poneret illud in capite, quis non rideret? O stulte, quis te docuit scabellum ponere in capite? Pone sub pedibus, et bene ascendes. Ita etiam et tu non ponas opes tuas in humeros, vel in capite, sed sub pedibus, et bene in cælorum intrabis. Quod si autem eas sub pedibus collocare non audes, certe foris extra cubiculum cordis eas teneas, et non nocent. Quæro enim abs te, si amicus aliquis tuus diceret tibi, quæso te, ut serves mihi hoc pallium, donec redeam, et quidem nescio quando redibo, an media nocte an circa auroram an alio tempore, sed quandocumque rediero, fac obsecro, ut statim illud habeam. Quid tu responderes? Nonne diceres: Ego quidem pallium tuum servabo, sed non in cubiculo meo. Nolo enim propter pallium tuum media nocte vel circa auroram excitari: ponam illud in atrio juxta portam, ut quando volueris venias et accipias. Ita prorsus, auditores, ita sancti fecerunt. Videbant sibi divitias a Deo tamquam depositum dari servandum ad tempus, et brevi restituendum, quam videlicet Domino placuisset: atque idcirco non eas in cubiculum cordis admittere, non eas amare ac diligere tamquam proprias voluerunt, sed foris extra portam eas collocarunt, ut quandocumque Dominus veniret, easque repeteret, ipsi pacem et quietem suam non amitterent, sed cum B. Job dicerent: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

PARS SECUNDA.

Quæ de tribulatione dicenda nobis hoc tempore videbantur, si bene meministis, ad quinque capita revocavimus, quæ erant, natura, varietas, causæ, effectus, et remedia sive arma tribulationum. Expedivimus quatuor prima capita, nunc ad quintum et postremum quod est omnium utilissimum, Domino adjuvante, veniendum est.

Quæ sint arma Christianæ militiæ, Apostolus Paulus his verbis docet: *Assumite, inquit, armaturas Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbros vestros in veritate, et induiti loriceam justitiæ, calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; et galeam salutis*

assume, et gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore. Quorum verborum hæc sententia est : Incidimus, fratres, inquit Apostolus, in tempora turbulenta et periculosa a fronte atque a tergo, a dextris et a sinistris hostes potentissimos et crudelissimos habemus. Quare *Assumite armaturam Dei*, non clypeum aut hastam dumtaxat ; sed omne genus armorum (id enim significat verbum Græcum *πανοπλία*, quo Apostolus usus est). *Ut possitis resistere in die malo*, hoc est, in tempore tribulationis. Dicuntur enim dies tribulationis dies mali, quia non clari, non læti, non sereni, non tranquilli, sed tetri, obscuri, molesti, turbulenti sunt. *Et in omnibus perfecti stare*, hoc est, quicquid acciderit, sive pestis, sive fames, sive bellum, sive aliud genus tribulationis nunquam frangi aut prosterni. Pulchre philosophus virum sapientem et perfectum comparat talo vel pilæ, quæ quoniam perfectissima figura prædita sunt, eodem se modo habent, nec unquam nisi recte cadunt. Sive pilam vel talum, projice sursum ac deorsum, volve ac revolve quantumlibet, nunquam efficies, ut non recte cadant. Tales sunt viri perfecti, qui ulla neque prosperitate, neque adversitate moventur, neque divitiis et honoribus extolluntur, neque inopia et ignominia, dejiciuntur. Talis erat in primis Apostolus Paulus, reipsa non verbo philosophus, cujus illa verba sunt in epistola ad Philippenses : *Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse ; scio abundare, scio et penuriam pati, et satiari et esurire, ubique et in omnibus institutus sum.* Tales quoque nos omnes esse cupit, cum ait : *Ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate*, etc. Describit nobis militem, non equitem, sed peditem, omnibus rebus, quæ ad bellum requiruntur, armatum atque instructum. Primo loco habeat, necesse est, cingulum militare, deinde loriceam, tum calceos in pedibus, quarto loco clypeum ad sinistram manum, quinto gladium in dextra, sexto ac prostremo ad caput tegendum ac muniendum ærea galea comparanda est. Ubi vero miles noster ita instructus atque armatus erit, sine ullo timore certus de victoria hostes suos aggrediatur. Ac ut magis eos perterreat, non in silentio procedat, sed more militum Gedeonis magno clamore irruat in acies inimicorum : id quod ultimo loco imperator no-

ster monet, cum ait : *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore.* Hæc est sententia D. Pauli breviter explicata. Jam de singulis armis seorsum dicendum est. Hodie igitur, quia parum temporis superest solum dicemus de cingulo.

State ergo, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate.* Cingulum istud quamquam non uno modo a Doctoribus sanctis exponatur, aptissime tamen a nobis in præsentiarum intelligitur virtus castitatis, de qua duo breviter exponemus. Primum, cur virtus castitatis cingulum appelletur, ex quo simul cognosci poterit, quæ sint cinguli hujus utilitates : deinde quibus in officiis ejusmodi cingula conficiantur, et vendantur, ut inde quisque unum sibi, si velit, comparare possit.

Primum igitur cinguli nomine castitas designatur, quod sicut cingulum lumbos constringit, ita ut virtus castitatis libidinem, quæ in lumbis potissimum residet, continet et coerctet. Hinc D. Gregorius dominicam illam sententiam exponens : *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris. Tunc*, inquit, *lumbos nostros præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Sunt autem duo genera cingulorum, unum utcumque longum et latum ; alterum brevius et angustius. Cingulum longum et latum est castitas matrimonii, quod iis accommodatum est, qui pinguiores sunt, et grassos magnosque ventres gerunt, nec se nimium constringi facile patiuntur. Cingulum brevius et angustius est castitas cœlibatus, quod viduis et virginibus, atque iis omnibus servit, qui æquo animo ferunt vehementer constringi, modo venusti ac formosi Deo, et sanctis Angelis videri possint. Atque altero horum necessario uti debet quicumque Deo militare et stipendium vitæ æternæ obtinere cupit. Nullum enim apud veros Dei cultores et milites tertium genus cinguli reperitur. Et sicut cingulum militare adeo proprium legitimæ militiæ ornamentum apud veteres erat, ut idem apud eos esset cingulum deponere et militia se abdicare : quocirca et impius Julianus, ut Ruffinus testatur, cum edicto publico Christianos a militia prohiberet, nihil scribebat aliud, quam ne cingulum Christianis daretur : sic etiam virtus castitatis proprium ornamentum Christianæ divinæque militiæ est. Permittit quidem Synagoga Judæorum uxorum multitudinem, et libellum repudii : lex vero

impurissimi Mahometis præter gregem maximum uxorū, etiam omnes ancillas libidini dominorū subiecit: Hæretici quoque nostri temporis etiam Monachis et sacerdotibus uxores, et Virginibus Deo sacratis maritos attribuunt, sed propterea omnes isti, qui cingulum militare non habent, a legitima Dei militia excluduntur. Sola Christi Ecclesia, quæ cingulum castitatis religiose ac diligenter servat, vere dici potest *Castrorum acies ordinata*. Quæ cum ita sint, non dieat impudicus, fornicari nihil est aut leve peccatum est. Una siquidem fornicatio sufficit, ut cingulum exuaris, ut omnia perdas, ut tamquam militiæ spiritualis desertor ab imperatore Deo gravissime puniaris.

Altera causa, cur castitas cingulo comparetur, est, quod sicut cingulum militare continet et conservat gladium; sic etiam virtus castitatis facile comprehendit et servat Verbum Dei, qui est gladius spiritualis. Multi sæpe, ut scripturas intelligant, varios libros conquirunt, multa adhibent commentaria, et bene faciunt, sed tamen optimus commentarius est castitas et puritas animi. Nam in sordidam animam non intrabit Sapientia; et: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Magnus Antonius, ut in ejus vita scribit Athanasius, cum aliquos videret, qui vehementer mirabantur, Dæmones aliquando prædicere posse futura, dicere illis solebat: *Habeat homo Christianus purum cor, et non dubito, eum plura scire posse, quam Dæmones*. Et revera Sanctus ipse Antonius propter eximiam, quam Dei dono et suo ipsius labore ademptus fuerat animæ puritatem, non solum Scripturas per se intelligebat, et futura atque absentia tamquam præsentia cernebat; sed etiam sæpe animas ex hac vita migrantes, et in cælum evolantes clarissime videbat. Itaque stude puritati, purga oculum cordis, eme tibi cingulum castitatis, et tu ipse experieris plus te proficere in intelligentia Scripturarum sola meditatione, et plura et solidiora et dulciora te invenire, quibus et te ipsum, et alios ut spirituali cibo consolari, ac recreare poteris, quam si multas horas in legendis commentariis consumeres.

Jam tertia ratio cur cingulo castitas comparetur, pulcherrima et verissima est. Nam, ut Magnus Basilius docet, Deus initio composuit hominem ex duabus naturis, quasi centaurum quemdam, qui a capite usque ad pectus formam humanam præ se ferret, et

mente ac ratione vigeret: ab umbilico vero et lumbis usque ad pedes equi naturam feram ac sylvestrem haberet. Verum ne forte pars inferior atque equina limites suos transenderet, et totus homo quasi equus indomitus fieret, et ei per Jeremiam merito diceretur: *Equi amatores in feminas et emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat; quid fecit Deus?* Attribuit homini vinculum castitatis, quo se medium cingeret, et eo modo pars equina ab humana separaretur. Hinc igitur virtus castitatis recte cingulum nominatur, quia cingit hominem in medio, nec unquam sinit permisceri partem illam feram atque agrestem, in qua sunt motus atque impetus libidinis, cum ea parte, quæ ratione et consilio regitur, et in qua lumen divinæ gratiæ et sapientiæ residet. Vultis aliam similitudinem ejusdem magni Basili ad huc fortasse clariorem? Sume lampadem accensam: ibi videbis in parte inferiore jacere aquam, in parte superiore super aquam natante oleum in medio vero olei ardere ac lucere fomitum, et si casu aliquo oleum cum aqua misceatur, continuo lampadem extinguere, et pulcherrimæ luci fumum tetrum ac foetentem succedere. Tale quiddam est homo: habet in parte inferiore aquam, carnem videlicet istam fluxam et inconstantem, quæ nisi jejuniis sæpe purgetur, multas sordes ex nimio cibo et potu secum involvit. Habet deinde in parte superiore oleum, hoc est, animum levem, subtilem, pellucidum, atque in eo lumen sapientiæ et gratiæ suæ Deus accendit. Verum quoniam sæpenumero accidit, ut oleum misceatur cum aqua, ut spiritus fiat carnalis, et animus carnis propensionem sequatur ad luxuriam, ad fornicationes, ad impudicitiam, atque inde lumen sapientiæ et gratiæ extinguatur, et fumus teterimus seclerum et flagitiorum succedat, quid agemus? Quid? Remedium est in promptu. Comparabimus nobis cingulum castitatis. Ejus enim munus est hominem in medio cingere, aquam ab oleo, carnem a spiritu separare, et in suis regionibus divisa et disjuncta continere.

Veniamus ad quartam et postremam rationem, ob quam virtus castitatis cingulum appellatur: quia accingit hominem ad iter expeditum, et paratum efficit ad currendum, post Christum, sicut in libris Regum legimus de Elia, qui accinctus renibus currebatur ante Achab. Et cingulum quidem latum

conjugalis castitatis expedit conjugatos, ac liberat a duobus maximis impedimentis : quorum unum dicitur zelotypia. Quantum, quæso, impedit zelotypia, ne maritus et uxor communi consensu quiete et tranquille per viam mandatorum currant? Hinc enim maritus quidem semper torquetur, et quicquid videt ab uxore sua, in partem deterio-rem interpretatur, omnia timet, omnia suspecta habet. Uxor autem videns se, etiam si bene agat, tamen malas suspiciones effugere non posse, affligitur, cruciatur et sæpe etiam secum dicit : Melius erit ut faciam, ne deinceps vir meus falso putet me non servare fidem. Impedimentum aliud est effrænata libido conjugatorum, qui nunquam propriis uxoribus contenti, aliarum feminarum, quandoque etiam meretricum amoribus implicantur. Inde exhauriunt domum suam penuriis, et morbis variis eam replet, inficiunt uxorem, inficiunt liberos, et neque ipsi quietem ullam capiunt, neque alios capere permittunt. Ab iis omnibus malis atque incommodis, ab isto genere tribulationis, liberat cingulum castitatis. Qui enim hoc cingulum habent, neque ullos amores externarum feminarum in animum suum admittunt, et ipsas suas uxores secundum Deum caste et moderate diligunt.

Verum enimvero cingulum angustum perpetui cœlibatus est, quod vere hominem ab innumeris impedimentis liberat. Expedit primum a cura et gubernatione uxoris, quæ quanta sit, conjugati experiuntur. Illud extra controversiam est, facilius esse decem viros, quam unam feminam gubernare. Deinde liberat a cura et sollicitudine liberorum, qui nutriri, educari, instrui, gubernari debent, alioqui perditum ac sceleratum fiunt, et parentes suos perpetuo cruciant. Postremo liberat ab avaritia, et lucrandi desiderio. Qui enim filios non habet, quibus thesaurizet, facile suis facultatibus contentus vivit, facile etiam totus fertur in Deum, et si opus sit, facile propter Deum, quem elegit sibi in sponsum, reliquit omnia, peragratur varias regiones, omnibus periculis se committit, denique facile omnia præclara et plane heroica facinora propter Deum aggreditur, ad quæ conjugati propter suas tricas et compe-des aspirare non possunt. Itaque cum tanta sit utilitas angusti illius cinguli, quid mirum, si Christus imperator noster, deinde Apostoli tribuni, ac duces divinissimæ hujus militiæ, et post eos tantus exercitus sancto-

rum Martyrum, sanctorum Sacerdotum, sanctorum Monachorum, sanctissimarum Virginum, et viduarum eo accingi desideraverunt?

State ergo, Apostolus clamat, state succincti lumbos vestros, sed in veritate. Quid est, In veritate? Nolite fingere, nolite simulare, verum cingulum habetote. Si corpore continentiam servas, sed animo, et cogitatione ac desiderio perpetuo fornicaris, non es accinctus in veritate, et homines decipis, sed non Deum. Si animo et corpore castus es, sed propter inanem gloriam, ut laudaris ab hominibus, non es accinctus in veritate, et cingulum quidem habes, sed militiæ diaboli, non divinæ. Si avaritia, si ambitio, si aliud quodlibet vitium, si ardentissimum studium litterarum libidinem carnis absorbet, ita ut de luxuria non cogitas quidem, non es tamen accinctus veritate, neque tua castitas Deo placet. Si postremo vel natura eunuchus natus, vel ab hominibus postmodum factus es, noli gloriari, non es accinctus in veritate : neque ista castitas, cui excellentissimum est præmium promissum. Qui sunt igitur accincti lumbos in veritate? Nempe ii dumtaxat, Qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei, qui et corpore, et animo, et opere, et desiderio casti sunt : et casti sunt non propter gloriam hominum, non propter lucra temporalia, non propter studia litterarum, non propter sanitatem, non propter ipsam virtutem, sed propter Deum, ut placeant Deo, ut illi soli perfectius, et purius, et arctius, et familiarius servire atque inhærere possint. Isti sunt Accincti lumbos in veritate. Isti habebunt In domo Dei locum, et nomen melius filiis, et filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit. Isti sequentur Agnum quocumque ierit, et cantabunt Canticum novum, quod nemo alius cantare poterit.

At ubinam tandem ista cingula venduntur? ubi reperiuntur? quibus pecuniis comparantur? Opifex, Auditores, cinguli tam pretiosi est solus Deus. Loquatur Salomon sapientissimus : *Ut scivi, inquit, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientia scire cujus esset hoc donum ; adii Dominum, et deprecatus sum illum.* Loquatur Dominus, qui plusquam Salomon est, cum Apostoli dixissent : *Si ista est causa hominis cum uxore, non expedit nubere : quid Dominus respondit? Non omnes, inquit, capiunt verbum hoc, sed quibus datum*

est. Quasi dicere vellet : Verum est quod dicitis, nubere non expedit, sed impedit potius. Quid enim sunt nuptiæ, nisi tricæ quædam in pedibus? Sed tamen *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Itaque cingulum castitatis conficitur, ac donatur a Deo, et continuis precibus et lacrymis petendum est, nec ullo modo per se, ac solus homo ad excellentissimam istam virtutem aspirare potest : aliquid tamen ex parte nostra requiritur. Cingulum enim militare non ex lana, vel serico, sed ex corio mortui animalis conficitur. Corium vero istud pellis nostra est. Quare pellem tuam, sensus tuos, teipsum mortificare debes, si cingulum habere cupis : frustra cogit de castitate, quicumque sensus suos custodire, et continere non studet. Nihil enim sunt aliud quinque sensus, quam quinque perditissimi leones, semper parati ad fornicationes et adulteria fabricanda. Hinc enim Scriptura clamat : *Mors intravit per fenestras, et oculus meus deprædatus est animam meam.* « Castæ mulieres, inquit Basilius, nunquam aperiunt totas fenestras, sed quasi per rimas aspiciunt id quod volunt, ut si quid videant, quod offendat, continuo claudere possint. » Sic etiam anima hominis Christiani, qui serio diligit castitatem, nunquam fenestram oculorum, aurium, aliorumve sensuum suorum prorsus aperit. Itaque primum omnium summa diligentia, atque custodia sensibus nostris adhibenda est. Deinde juvat etiam plurimum occasiones peccandi, et consuetudinem, ac familiaritatem impudicorum fugere; *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava,* et pestis ac lepra luxuriæ facillime iis adhæret, qui cum infectis et corruptis agunt. Si vides te alicubi sine periculo esse non posse, cur non fugias alio? Cur Deus tibi pedes dedit? Cur bonos et castos amicos non quæris, cum quibus, cum fructu et utilitate verseris? Magnum præterea remedium contra morbum luxuriæ est, legere sæpe ac serio Scripturas sanctas. « Ama studium Scripturarum, inquit Hieronymus, et carnis vitia non amabis. » Lege vitas sanctorum, lege confessiones Augustini, lege alios pios et san-

ctos libros, et tu ipse experientia discas, quod facile gustato spiritu desipiat omnis caro et illa omnia tibi fœtere incipiant, quæ modo tam vehementer amas. Postremo frequens confessio peccatorum dici non potest quantas vires habeat ad animam integram et puram perpetuo conservandam. Sicut enim rex Syriæ nunquam regibus Israel prævalere potuit, donec vixit Eliseus, qui omnes eorum insidias detegebat, ita nunquam spiritus fornicationis in te prævalebit, si conscientia tamquam alter Eliseus per confessionem peccata semper aperiat. Quod si aliquando ad majorem gloriam tuam, et hostium tuorum confusionem Deus permittat, ut magno impetu carnis concupiscentia et Dæmonum acies te oppugnent, et cingulo castitatis spoliare conentur, arripe magno animo solita arma sanctorum, orationem, jejunia : castiga corpus tuum et in servitutem redige. Quid aliud unquam, quæso, sancti fecerunt? D. Benedictus nonne in spinis diu nudus volutatus est, ut carnis vulneribus vulnera mentis curaret? D. Franciscus ob similem causam nonne in media hieme nudus in nivibus jacuit? D. Bernardus nonne, ut libidinis ignem extingueret, cum adhuc adolescentulus esset, in frigidissimum lacum se conjecit? Alius quidam sanctorum nonne digitum unum ad ignem admovit, atque ardere voluit, ne mens turpi desiderio æstualet? Ita ergo sancti Patres majores nostri fecerunt. Eorum nos vestigia sequi, atque exempla imitari debemus. Nec enim fieri potest, ut nos ventrem cibo et potu replendo, usque ad meridiem dormiendo, oculis et auribus semper vagando, ad palmam excellentissimæ virtutis perveniamus, ad quam sanctissimi illi fortissimique milites non nisi orando, jejunando, vigilando, laborando pervenerunt. Quare, auditores, præliari non pigeat, si coronari delectet. Sequamur intrepide principes nostros in bello, et sine dubio consequemur eosdem feliciter in triumpho, ipso nos adjuvante et confirmante Domino Jesu Christo, qui est in sæcula benedictus. Amen.

CONCIO VI.

DE TRIBULATIONE.

SYNOPSIS

Tria alia arma sumuntur explicanda, quibus nos indui vult Apostolus, nempe gladius galea et lorica. Atque primo triplex redditur ratio, cur verbum Dei gladius dicatur, quia scilicet secet, vulneret, occidat; ubi varii hujus gladii effectus producuntur. Quinque item afferuntur rationes, cur idem Verbum Dei gladius spiritus appelletur. Deinde explicatur hujus gladii usus, tum in bello tribulationis, tum in pace prosperitatis. Juvat autem in tribulatione terrendo et consolando; in prosperitate hostem nostrum carnem debilitando, et divites inter spem et metum continendo; in utroque vero tempore prodest illustrando et docendo, quæ singula suis testimoniis, similibus, et exemplis amplificantur. Ad galeam deinde accedendo, virtutem spei illam designare affirmatur, et cur spes galea dicatur explicatur. Galeæ præterea hujus efficacia declaratur, atque ex D. Paulo anchoræ triplici fune alligatæ assimilatur, videlicet veritatis, juramenti et subscriptionis Dei, quæ omnia pulcherrima arte tractantur.

Parte altera ostenditur, qua ratione lorica et charitas et justitia esse possit. Cur eadem charitati comparetur triplex affertur ratio; et vis charitatis rationibus et exemplis depingitur. Deinde ad ejus usum veniendo quatuor enumerantur modi, quibus charitas in tribulationibus nobis utilitati et auxilio maximo esse solet. Primo, dum patientiam gignit, cujus etiam encomium subjungitur. Secundo, dum inebriat, quo inebriationis modo varios sanctos veteris et novi Testamenti ebrios fuisse demonstratur. Quarto, dum ex necessitate virtutem facere studet. Tandem docetur, quo-

modo charitas nobis in prosperitatibus pro lorica inserviat, atque ut eadem induamur efficaciter suadetur.

Quamquam arma Christianæ militiæ, auditores optimi, quæ adversus tribulationes ab Apostolo Paulo jubemur induere, et de quibus oratione superiore verba facere instituimus, magnam ad dicendum nobis materiam præbeant, et arma singula orationes singulas desiderarent, tamen quia Pascha instat, faciam id, quod peregrini et viatores facere solent, cum in longo itinere temporis angustiis et brevitate, premuntur. Etenim contendam quantum potero, ut partim compendia viarum eligendo, partim cursum orationis incitando, ad locum, quo tendimus, definita die perveniamus. Hodie igitur, Domino bene adjuvante, de tribus armis simul explicabimus, de gladio, de galea, de lorica. Ac primum de gladio qui ad cingulum, de quo jam disseruimus, appendi debet, et qui Apostolo interpretante, nihil aliud est, quam verbum Dei, duo quædam breviter exponemus; primo cur verbum Dei dicatur gladius spiritus: deinde quis ejus sit usus, tam in bello tribulationis, quam in pace prosperitatis.

Veniamus ad primum. Cur Verbum Dei dicitur gladius? Quia secet, vulnerat, occidit. Quosnam? Hostes Dei, homines peccatores, vel si magis proprie loqui volumus, ipsa peccata, idololatriam, hæreses, schismata, ambitionem, luxuriam, avaritiam. Iste est gladius utraque parte acutus, quem divus Joannes initio Apocalypsis, ex ore Domini procedere vidit: et de quo Isaias Propheta scripsit: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Iste est gladius, quo Apostolus Pe-

trus in Actis Apostolicis in omnia genera bestiarum occidere jubetur, et præcipue quadrupeda, reptilia, et volatilia, hoc est voluptuarios, avaros, superbos. Voluptuarii enim more quadrupedum semper ventrem, et ea, quæ sub ventre sunt, aspiciunt. Avari autem ad instar reptilium toto corpore amplectuntur terram. At superbi tamquam volatilia quædam ambulant in mirabilibus super se. Tunc vero ejusmodi bruta animalia occiduntur, cum bruta animalia esse desinunt, hoc est, homines, qui vitam brutorum imitando quasi bruta evaserant, jam non amplius bruta, sed homines esse incipiunt, et de voluptuariis casti, de avaris liberales, et humiles de superbis fiunt. Iste est gladius, quo Apostoli omnes in die Pentecostes armati totum pene orbem a . imperium Christi adjunxerunt. Iste est gladius, quo Beatissimus Paulus ab Jerusalem usque Illyricum maxima strage obvios quosque prostravit. Denique iste est gladius, quo semper de hostibus suis Ethnicis, Hæreticis, peccatoribus per milites doctores et concionatores suos Christus triumphat.

Sed cur, quæso, verbum Dei non solum gladius, sed et gladius spiritus dicitur? Multæ sunt causæ. Prima, quia gladius iste a solo Spiritu sancto fabricatus est. Neque enim noverunt fabri isti vulgares gladios tales conficere, gladios vivos et efficaces, qui etiam spiritus incorporeos vulnerare possint. *Spiritu sancto inspirati* (inquit Apostolus Petrus) *locuti sunt sancti Dei homines*. Secunda ratio, quoniam Spiritus sanctus est, qui gladio isto præcipue utitur. Nam ipsius est proprium contra vitia bellum gerere, hominem veterem occidere, ad poenitentiam peccatores convertere. Nos enim nihil aliud, quam armigeri atque ministri ejus sumus. *Non enim vos estis, qui loquimini*, ait Dominus, *sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Tertia ratio quoniam gladio isto, non pro carne, sed pro spiritu dimicatur. Nam cum homo ex carne et spiritu compositus sit, et hæc duo, ut Apostolus ait, sibi invicem adversentur; gladius carnis crapula, ebrietas, fornicatio; gladius spiritus est verbum Dei. Quarta ratio, quoniam finis hujus gladii non alius est, quam ut Spiritus sanctus in eos veniat, contra quorum vitia bellum geritur. Ita legimus in Actis Apostolicis: *Adhuc loquente Petro*, inquit sanctus Lucas, *cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum*. Iste finis esse debet concio-

natorum, non lucrari pecunias, non aucupari inanes plausus, non oblectare animos et aures curiosorum, sed efficere, quantum in ipsis est, ut Spiritus sanctus, Spiritus veritatis, Spiritus mansuetudinis, Spiritus sobrietatis, Spiritus pietatis, Spiritus timoris Domini super auditores veniat. Quinta et postrema, sed potissima ratio est, quoniam nemo sine Spiritu sancto, gladio Verbi Dei uti potest. Etenim verba divinæ Scripturæ, si sola et nuda accipiantur, non tam gladius, quam vagina esse videntur. Potest autem ea vagina et verum et ferreum gladium, et gladium plumbeum sive ligneum continere. Si verba Scripturæ secundum Ecclesiæ Catholicæ sensum, qui idem est sensus Spiritus sancti, accipias et intelligas, gladium spiritus ferreum atque acutissimum habes: Si vero sensum capitis tui, sensum distortum, falsum, hæreticum, in vagina sacrarum litterarum includas, quid habebis nisi gladium plumbeum in vagina aurea? Nam vagina quidem Spiritus erit, sed gladius non item. Atque hæc est deceptio omnium Hæreticorum, qui nihil aliud habent in ore, quam verbum Dei, nec ulli magis, quam ipsi gloriantur de gladio: et tamen revera nihil ipsi præter vaginam habent. Deus enim facile patitur litteram Scripturæ, vaginam istam spiritus, Catholicis atque Hæreticis esse communem; sed gladium Spiritus, sensum verum Scripturarum in sola Ecclesia Catholica esse voluit, cui sensum aperuit, ut intelligeret Scripturas, *Quæ est columna et firmamentum veritatis: terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cujus apertissimum signum est conversio infidelium. Quinam olim Judæos et Græcos ad fidem Catholicam converterunt? Num Simoniani vel Marcionitæ, vel Manichæi, vel Ariani, vel Pelagiani, vel Nestoriani? Minime vero: sed Apostolici viri. Qui nostro hoc sæculo in regionibus latissimis Indiarum, in America, in Brasilia, in Japonia tantas infidelium multitudines gladio verbi Dei prostraverunt, et captivos ad imperatorem Christum adduxerunt? fortasse Lutherani? fortasse Calviniani? Affirment, si audeant. Nonne Catholicæ Romanæque Ecclesiæ milites, quorum est bellare bella Domini præclaras istas divinasque victorias de hostibus fidei retulerunt? Hujus autem rei causa, quæ alia esse potest, quam quod hæretici verum gladium non habent? Et vehementer errant, si sola vagina se pugnare ac vincere posse confidunt. Non enim vagi-

na, sed gladio homines occiduntur. Habemus igitur, cur verbum Dei gladius spiritus nominetur.

Nunc illud videamus, quis ejus sit usus, tam in bello tribulationis, quam in pace prosperitatis. Quo pacto gladius Dei in tribulationibus juvat? Duobus modis, terrendo et consolando.

Veniamus ad praxim. Si te variis tentationibus hostis aggreditur, accipe gladium, excipe et repelle ictus inimici sententiis Scripturarum, sicut ducem nostrum Christum fecisse non ignoras, cum in deserto a Diabolo tentaretur. Itaque si Spiritus ambitionis tibi desiderium immittit præsidendi, si Abbas, si Episcopus, si magnus aliquis Dæmonis tentatione fieri cupis, sume gladium, lege sententiam illam: *Judicium durissimum his, qui præsumunt, fiet, et: Potentes potenter tormenta patientur.* Si spiritus avaritiæ desiderium immittit multas pecunias congregandi, sume gladium, lege sententiam illam: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum Diaboli, et desideria multa nociva et inutilia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide; et inseruerunt se doloribus multis.* Si spiritus luxuriæ desiderium immittit carnalium peccatorum, sume gladium, lege sententiam illam: *Fornicatores et adulteros judicabit Deus.* Et illam: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si spiritus hujus mundi desiderium gloriæ et deliciarum immittit, sume gladium, lege sententiam illam: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Atque ad eundem modum contra tentationes cæteras sententiis illis divinæ Scripturæ pugnandum est, quæ terrendo et comminando revocant a peccatis.

Si vero aliud genus tribulationis patiaris, quod effugere non possis, ut inopiam, ut ægritudinem, ut mortem parentum vel filiorum, tunc sententiæ illæ prælegendæ et considerandæ tibi erunt, quæ divinas promissiones et exempla sanctorum continent. Sicut enim Scriptura impios homines vehementer terret, ita miseros et calamitosos mirifice consolatur. *Quæcumque scripta sunt,* (inquit Apostolus) *ad nostram doctrinam scripta*

sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Et in libro primo Macchabæorum quid Macchabæi dicunt, cum in tribulationibus gravissimis constituti, ad Spartiatis scriberent? *Nos enim, inquit, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis.* Itaque verbum Dei quasi mamilla nutricis lacte divinorum eloquiorum parvulos gementes, et plorantes recreat. Ibi enim non semel, non sæpe, sed frequentissime in singulis fere paginis legitis, Deum promittentem se omnibus adfuturum, qui ad se in tribulatione confugerint. Ejusmodi vero promissiones infinitas exemplis confirmatas videbis, si historiam Abrahæ, Jacob, Joseph, Moysis, Job, Tobia, Mardochei, Davidis, Macchabæorum aliorumque multorum legere volueris. Isti enim in magnis tribulationibus fuerunt, et de omnibus eripuit eos Dominus; nec solum eripuit sed etiam gloriosiores et feliciores effecit. Ex quibus illam conclusionem efficies, quam fecit David: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Et cum Ecclesiastico dicens: *Respicite filii nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.*

Veniamus ad pacem et prosperitatem, quæ ut sæpe dixi, plus multo, quam bellum et tribulatio periculosa et noxia est. Quomodo gladius spiritus in pace prosperitatis juvat? Duobus etiam modis. Primum enim carnem, hostem nostrum domesticum, qui se fratrem et amicum simulat et interim crudelissimam necem nobis machinatur, non parum debilitat. Siquidem *Vivus est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus.* Si duo duces copias simul conjungerent, et unam atque eandem urbem junctis viribus expugnare vellent, magnum profecto negotium illi urbi facerent; at si paulo post coorta seditione militari, alter eorum ducum cum toto exercitu suo se ab altero duce separaret, nonne vires prioris exercitus valde minuerentur? Ad eundem modum in homine flagitioso, et anima cum suis sensibus et motibus inferioris partis, et spiritus cum sua mente et ratione aliisque viribus partis superioris conjunguntur, et eodem prorsus tendunt, nimirum ad carnem pinguefaciendam oblectandam, roborandam; sed cum gladius

verbi Dei hujus hominis pectus ferit, statim penetrat usque ad divisionem animæ et spiritus, et tunc spiritus amore Dei vulneratus irascitur quodammodo animæ, eique dicit, nolo deinceps tecum militare, volo fungi munere meo, volo considerationi, orationi, lectioni operam dare, quæ sunt partes meæ. Atque ita spiritus ab anima, hoc est, pars superior ab inferiori dividitur et separatur et eo modo vires carnis hostis domestici fiunt debiliores. Et quamquam initio divisionis spiritus est parvulus atque imbecillis, tamen paulatim verbo Dei quod etiam est cibus, alitur, nutritur, augetur, et interdum etiam ita corroboratur, ut fiat multo robustior atque fortior carne, et tunc injurias suas ulciscitur. Et sicut milites quandoque rusticos vel hostes suos, quos ceperunt in bello, cogunt sarcinas suas, et onera portare: sic etiam spiritus cogit carnem jejunare, vigilare, laborare, orare, elemosynas dare aliaque facere, quibus ipse ad finem suum consequendum adjuvatur.

Alter modus, quo verbum Dei in prosperitate juvat, est homines divites et florentes inter spem et metum continendo, id quod in præsentī vita maxime necessarium est. Nam apud inferos quidem spes in desperationem, et metus in dolorem vertitur: in regno vero beatorum spei possessio, et timori securitas sempiterna succedit: hic autem in terris nihil utilius, ac præsertim opulentis et fortunatis quam inter spem et metum ambulare, id quod verbum Dei optime docet; loquitur enim quodammodo ad cor divitis, et ait: Sta in timore: noli, superbe, *Sapere neque sperare in incerto divitiarum*. Memento Cain, qui primus in terris cœpit esse dives et potens, et urbem ædificavit, et postea male periit. Memento Pharaonis, et Caltazaris filii Nabuchodosor, et Antiochi, et Herodis, qui reges nobilissimi et potentissimi erant et tamen ad ultimum miserrime perierunt. Memento Nabal Carmeli et illius divitis epulonis, qui ditissimi erant, et crapulæ atque ebrietati studebant, et in puncto ad inferos descenderunt. Memento illius alterius divitis Evangelici, cui uberes fructus ager attulerat, et jam dicebat animæ suæ: *Habes multa bona in annos plurimos, ede, bibe, quiesce, lætare*. Cui dictum est: *Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt?* Deinde, ne forte dives desperet, ac dicat: Quis ergo poterit salvus fieri? loquitur idem verbum Dei ad cor ejus,

et ait: Confide, spera, poteris, si volueris, salvus fieri. Memento Abraham, Isaac et Jacob, nec non Davidis, Tobiaë, Josiæ aliorumque multorum, qui et divites fuerunt, et Domino placuerunt; pari ratione, et tu, si divitiis utaris ad quod factæ sunt, non te impediunt, sed juvabunt.

His igitur quatuor modis verbum Dei seorsim in tribulatione, et seorsim in prosperitate juvat. Accedit vero quintus et postremus modus, qui utrique temporī convenit, qui est illustrando ac docendo. Nam *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis; et: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Videbat Deus multos esse in mundo Epicureos, quorum fides ultra nubes non ascenderet, et qui de superis et inferis, de Deo, de morte, de judicio nunquam cogitarent. Quod igitur fecit? *Misit Verbum suum et sanavit eos*. Et quomodo sanavit? Illustrando, erudiendo, docendo, ostendendo aliam esse vitam post hanc vitam, et alia bona et mala sine ulla comparatione majora et diuturniora. Quæ enim videntur, temporalia; quæ non videntur æterna sunt. Homines autem ad ea feruntur et ea diligunt, quæ noverunt. Cur infantes nihil expetunt præter lac? Quia aliud non noverunt. Cur pueri suos trochos, et pilas et alia instrumenta ludendi tantum diligunt? Quia majora bona non noverunt. Cur plerumque homines nihil quærunt nisi ditescere, nisi pinguescere, nisi opes et honores suos augere? Quia nihil aliud a magistris hujus sæculi didicerunt. Si rusticus aliquis, qui nunc felicem se putat si panis et cervisia non desit, in aula regis ad unum mensem cibo et potu regio aleretur, numquid ille suum atrum panem, et cervisiam non contemneret? Ita prorsus, auditores, qui verbo Dei docente atque illustrante bona illa magna et sempiterna videre et gustare incipiunt, quæ in sæculo futuro sanctis hominibus conservantur, facile despiciunt mundi hujus gloriam perituram, opes falsas, inanes honores, et exiguas et breves, et multo felle admixtas voluptates. Sed de gladio satis et fortasse nimis dictum est.

Veniamus ad galeam. *Et galeam, inquit, salutis assumite*. Quænam est ista galea? Virtus spei. Sic enim Apostolus alibi seipsum exponit: *Induti lorica, inquit, charitatis et galeam spem salutis*. Itaque spes salutis, expectatio summæ sempiternæque felicitatis est galea. Dicitur vero galea, quia tegit ac defendit caput, et reliquum corpus nudum

atque inerme dimittit. Quod est caput hominis Christiani? Christus. *Omnis viri caput Christus est*, inquit Apostolus. Itaque galea solum tegit caput, quia spes æternæ vitæ facit ut homo contemptis omnibus aliis rebus, etiam fortunis, etiam dignitate, etiam fama, etiam vita, totus, in id incumbat, ne sibi Christus auferatur, ut fides in Christum, ut honor et gloria Dei salva sint, etiamsi cætera omnia percant. *Sapientis oculi in capite ejus*, inquit Salomon. Siquidem stulti oculos non in capite, sed in calcaneis videntur habere, cum nihil aliud quam terram et res terrenas intueantur. At homo Christianus, homo sapiens oculos habet in capite, quia more serpentis totum corpus libenter exponit, ut servet ac defendat caput, non ignorans salvo existente capite, facile posse totum corpus ab interitu revocari. Hoc est igitur munus galeæ, caput defendere. Est vero fortissima illa galea, et plane digna, quæ membrum præstantissimum, quale est caput, custodiendum acceperit? Siquidem adeo robusta et firma est, ut non solum ictibus malleorum non cedat, sed etiam quod pene est incredibile quanto magis percutitur, tanto fortior fiat. At quis hoc docet? Apostolus Paulus, *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur*. *Patientia vero probationem: probatio vero spem, spes autem non confundit*. Utinam magnam copiam galearum ad exercitum nostri Regis mittere possemus. *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur*. Non enim patientia est similis dialecticæ et rhetoricæ, quæ discuntur in libris; discitur in laboribus, discitur patiando. Ille qui sæpius patitur, ille celerius patientiam discit. Itaque *tribulatio patientiam operatur: patientia probationem*. Nam qui sæpe et multum et æquo animo patitur ille commendatur, et probatur, et dignus palma et corona judicatur a Deo. Sicut enim in castris non pulchra atque splendida arma militem duci commendant, sed fortia facta et multa vulnera adverso corpore accepta: et sicut figulus multa vasa efficit ex eodem luto, sed qualia sint in fornace probat. Sic etiam Deus nos omnes in fornace tribulationis coquit, et eos quidem, qui ignem sustinent, nec franguntur, probat: qui ferre non possunt, reprobatur. *Ergo patientia probationem operatur: probatio vero spem*. Qui enim animadvertit se multa pati et alacriter pati, nec ullo modo frangi, sentit procul dubio intus in corde spiritum Dei, qui *Testimonium*

reddit spiritui suo; quod filius Dei sit, atque inde semper seipso fortior, semper promptior ad patiendum, et erectior ad sperandum efficitur. *Spes autem non confundit*. Deus enim potens est et paratus ad plura et majora nobis danda, quam nos sperare possumus.

Sed jam, si placet, hujus galeæ usum explicemus. Quis igitur est usus galeæ? Quomodo nos in prosperis et adversis juvat? Paucis dicam, auditores. Juvat mirum in modum, erigendo animum, eumque ad cœlestia et sempiterna præmia convertendo. Nec enim explicari potest, quantas vires habeat spes futuræ quietis et felicitatis ad extenuandam et minuendam molestiam, quamvis magnorum et gravium laborum. Quid facit, ut avarus non sentiat laborem peregrinandi, navigandi, nundinas adeundi, merces emendi et vendendi? Nonne spes divitiarum? Quid facit, ut agricola in mediis imbribus, in maximis æstibus, in sævis frigoribus, noctes ac dies nunquam quiescat, et semper tamen lætissimus cantet? Nonne spes uberis messis? Quid facit, ut miles neque onus armorum recuset, neque longis vigiliis terreatur, neque de morte et vulneribus cogitet? Nonne spes prædæ vel honoris? Ita igitur et fortis Christi miles in mediis ærumnis et calamitatibus galea ista munitus erigit oculos ad cœlum, et dicit. Majoribus præliis digna est splendidissima illa corona. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Veniet aliquando illa dies, qua laboribus finitis admittar in gaudium Domini mei. Itaque sicut verbum Dei militem Christi consolatur exterius, divinas promissiones proponendo et explicando; ita virtus spei consolatur interius ad easdem promissiones contuendas; animum erigendo, neque, erigendo solum, sed etiam quodammodo affigendo. Spes enim non solum id facit, ut animus cœlum aspiciat; sed etiam, ut cœlo constanter inhæreat, nec se inde avelli ullis tribulationum fluctibus patiatur. Quocirca D. Apostolus Paulus eandem spei virtutem in epistola ad Hebræos elegantissima similitudine anchoræ comparandam putavit. Nam quemadmodum naves, quæ corpora quædam sunt, ad terram communem omnium corporum parentem in tempestate confugiunt, et ei anchoram quasi brachium porrigunt, atque eo modo fluctus et procellas non timent: sic etiam animæ navicula, quæ de cœlo anchoram suam figit, ac per eam cœlo constanter adhærens, ve-

xari ac jactari potest in hoc mari sæculi hujus fluctibus tribulationum, sed certe abripi et demergi in profundum non potest. Neque vero periculum est, ne funis, quo anchora spei alligata est, aliquando frangatur. Siquidem est *Funiculus triplex* qui *difficile rumpitur*. Unus funis est veritas Dei: Deus est, cujus promissionibus spes Christianorum adhæret. Quid fortius isto fune? Si D. Paulus promitteret aliquid, quis ei credendum non esse putaret? Si Angelus de cœlo promitteret aliquid, quis de eventu ambigere auderet? At nunc non Apostolus, non Angelus, sed Deus ipse est qui promittit. Veritas prima, sapientia summa, bonitas infinita, quæ nec falli nec fallere potest. Alter funis est juramentum Dei. Quamquam enim etiam sine juramento simplici promissioni Dei sine dubio continuo esset credendum, tamen ad majorem fidelium suorum consolationem etiam jurare voluit. Sic enim in epistola ad Hebræos Apostolus loquitur: *Abundantius Deus volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Jam funiculus tertius est subscriptio, quam Deus proprio sanguine adhibere voluit chirographo promissionum. Quis enim Testamento non credat, quod proprio sanguine consignavit? Hic est igitur *Funiculus triplex*, qui *difficile rumpitur*, quo spei anchora alligata, et in cœlo affixa, naviculam animæ firmissime tenet, atque in isto periculoso mari, ab omni ventorum et fluctuum impetu defendit.

PARS SECUNDA.

Diximus de gladio, et galea, nunc de lorica duo breviter dicenda sunt. Primum, quid sit hæc lorica; deinde quis sit ejus usus. Quid igitur est lorica? Virtus charitatis. Sic enim Apostolus ait; *Induti loricam charitatis, et galeam spem salutis.* Et quamquam in epistola ad Ephesios lorica dicit esse justitiã, cum ait: *Et induiti lorica justitiæ*, tamen justitiã pro charitate accepit, quod sæpe alias facere solet: nec immerito, cum nihil aliud sit charitas, quam eximia quædam perfecta que justitia. Etenim

duæ sunt partes justitiæ, quarum altera in commutatione, altera in distributione versatur. Ambas autem in charitate facile est invenire. Quid enim est charitas, nisi quædam nobilis commutatio, in qua homo se ipsum totum donat Deo; et simul totum recipit Deum? Nam *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Quid item est charitas, nisi ars quædam juste recteque distribuendi unicuique quod suum est? justitia enim quæ in distributione versatur dignitatem et merita personarum considerat, et majoribus majora, minoribus minima, summis summa et minimis minima tribuit. Secundum quem ordinem virtus etiam charitatis Deo primas partes defert, secundas animæ, tertias corpori, quartas honori et famæ, et de cæteris ad eundem modum. Itaque recte charitas justitia dicitur, inchoata charitas, inchoata justitia, aucta charitas, aucta justitia, perfecta charitas, perfecta consummataque justitia.

Sed cur, quæso, virtus charitatis dicitur lorica? Tribus de causis. Primum enim sicut lorica armatur pectus, et pectore eæ partes corporis humani defunduntur, in quibus vita potissimum residet, ut cor, hepar, stomachus, intestina omnia; sic etiam charitas multas virtutes pulcherrimo ordine simul conjungit. *Charitas* enim, ut Apostolus ait, *patiens est, benigna est: charitas non æmularur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Ex istis annulis simul consortis malleo Spiritus sancti lorica charitatis fabricatur. Postremo sicut lorica non ex panno vel ex corio, sed ex ære conficiuntur, ut omnes ictus lancearum et gladiarum sustinere possint: sic etiam charitas non est res quædam mollis, ac tenera; sed fortissima durissima, robustissima; *Fortis ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio.* Sed parum diximus. Nam etiam fortior est quam mors, et durior quam infernus. Mors enim est illa quidem fortissima, et non solum homines quamvis magnos et potentes, sed etiam ursos et leones posternit: sed tamen peccatum adhuc est fortius. Peccatum enim etiam inde disturbavit, quod mors nunquam efficere potuisset. At charitas utroque est fortior, quippe quæ statim atque in cor hominis penetravit pec-

catum extinguit, nec magis coram charitate potest consistere peccatum, quam coram igne aridæ stipulæ vel telæ aranearum. Quid? quod non solum res omnes creatas vincit, sed etiam quodammodo creatorem? Quid enim non potest, quid non audet sincera charitas? Ipsam Dei sapientiam docet, ligat potentissimum, vulnerat immortalem. Voluit aliquando Sodomam et Gomorrhæm sceleratissimas civitates igne et sulphure concremare: audivit hoc Abraham, et statim imperante charitate, loqui cœpit ad Deum, ac dicere: *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum, qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.* En quam libere fortissima charitas etiam Deo consilium dare non timet. Rursus alias iratus Deus contra gentem Hebræam, propterea quod vitulum aureum tamquam alterum Deum colere incepisset, voluit eam penitus delere ac perdere. Sed quid? Opposuit se charitas servi ejus Moysis, et ait: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, et in manu robusta? Ne, quæso, dicant Ægypti: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus et dele-ret de terra.* Deus autem, quasi charitas Moysis manus ei ligasset eumque victum captumque teneret, dicebat: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam;* prævaluit tamen charitas, nec dimisit. Magna igitur est virtus, magnum robur charitatis, nec immerito æneæ fortissimæque lorice comparatur.

Veniamus ad usum: Quomodo nos lorica ista in bello tribulationis juvat? Multis modis. Primum efficiendo, et tamquam gignendo patientiam. Est enim patientia quasi filia primogenita charitatis. *Charitas*, inquit Apostolus, *patiens est, benigna est* et quæ sequuntur. Est autem patientia virtus quædam præclarissima, qua tela inimicorum non repellimus, sed accipimus et frangimus: et hostes nostros non feriendo et proster-nendo, sed patiando et cadendo miro modo superamus. Magnum est vincere jacula repellendo et hostes occidendo: sed multo est majus et gloriosius vincere plagas accipiendo et moriendo. *Melior est patiens* (ait Scriptura divina) *viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Hinc milites Testamenti veteris, ut Abraham, ut Moyses,

ut Josue, ut Gedeon, ut Jephthe, ut David, pugnando, feriendo, interficiendo: at milites Testamenti novi, quod sine ulla dubitatione est excellentius, patiando et moriendo vicerunt. Aspice imperatorem nostræ militiæ Christum. Quid ille fecit? Id quod antea tamquam in typo et figura egerat Sampson: quando una asini maxilla mille Philistæos occidebat, magnas se vires a Domino accepisse demonstrabat: at cum robustissimis nervis et funibus se ligari patiebatur et tamen paulo post summa felicitate vincula rumpebat et hostes suos fugabat, multo fortio-rem ostentebat: Ita liberator noster fortem et potentem se ostendit, cum mundum sine labore fabricavit; sed multo fortio-rem et potentio-rem, cum eundem patiando et moriendo reparavit, et se tamquam alterum Sampsonem ligari, conspui, cædi, vulnerari, crucifigi permisit: sed paulo post omnia illa tanquam tela aranearum confregit, et ipsa cruce ac morte de hostibus gloriosissime triumphavit. Quid vero Apostoli et martyres fecerunt? Nonne ipsi quoque Imperatorem Christum imitari patiando potius, et tolerando, quam agendo et resistendo bellare voluerunt? Et nonne patientia sua plures provincias ad Christi imperium adjunxerunt, quam unquam armis potuissent? Nonne etiam principes Romanos, et ipsam orbis dominam patiando et moriendo domuerunt? Tantus est, ac fuit semper ubique splendor patientiæ, ut etiam perditorum oculos perstringat. Hinc enim Ethnici Philosophi et Hæretici permulti, et omnes hypocritæ multa libenter patiuntur, ut patientiæ virtutem jactare possint; sed tamen vera patientia proles est charitatis, et propria hominum Christianorum, qui vere dicere possunt: *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso enim patientia mea.* Scribit Joannes Cassianus, fuisse Alexandriæ sanctum quemdam senem, qui cum turbis infidelium quadam die obrueretur, et multis variisque injuriis, et contumeliis afficeretur, et ab iridentibus atque insultantibus interrogaretur, quid unquam miraculi Christus effecisset, audacter respondit: Hoc miraculum Christus fecit, ut istis omnibus injuriis et contumeliis nihil movear, et multo etiam plura et majora pro ejus nomine tota alacritate ferre possim. Hic igitur est primus modus, quo charitatis lorica nos juvat.

Deinde juvat etiam eadem charitas mirum in modum stomachum animæ calefaciendo,

ut quamvis duras et graves tribulationes facile digerat. Qui fervore charitatis destituti sunt, frigidum stomachum habent, et unius verbuli injuriam concoquere non possunt, et mirum si inde sæpe ægrotent, quandoque etiam moriantur. Nam cibus qui non digeritur, non nutrit, sed occidit. At qui fervent charitate, qui stomachum calidum habent, qui diligunt Deum et proximum, statim digerunt omnia non solum verba, sed etiam verbera : et propterea omnibus nutriuntur, pinguescunt omnibus, omnibus proficiunt. Ratio vero hujus est, quia qui diligit non accipit injurias tamquam injurias, sed tamquam signa quædam intimæ familiaritatis. In tertio libro Esdræ cap. iv. legimus de quodam, qui mulierum potentiam prædicabat, qui cum multa commemorasset, quæ viri ob mulierum amorem sæpenumero patiuntur, tandem adjecit : *Videbam concubina regis sedentem juxta regem ad dexteram, et auferentem diadema de capite ejus, et imponentem sibi, et palmis cædebat regem sinistra manu; et super hæc aperto ore intuebatur eam.* Unde hæc, auditores, ut rex non duceret contumeliam auferri sibi diadema, et præterea faciem suam colaphis cædi? Nonne ex eo, quod ista fiebant ab ea, quam vehementer diligebat? Ita igitur, qui diligunt Deum, qui diligunt proximos, qui diligunt inimicos, nunquam agnoscunt, nec putant ullam injuriam sibi fieri, sed omnia in partem meliorem interpretantur. Ita sanctus quidam Abbas nomine Libertinus, ut scribit B. Gregorius, cum eum de equo, in quo sedebat, quidam dejecissent, et equum abstulissent, nullo modo injuriam sibi fieri credens lætissimo vultu etiam flagellum obtulit dicens : « Heu accipite fustem, ut equum melius ducatis. » Ita Dominus acerbissimam passionem, non tamquam passionem, sed tamquam calicem optimi vini sibi ab amantissimo Patre propinatum accepit : *Calicem, inquit, quem dedit mihi Pater,* non crudelissimus aliquis Dominus, sed amantissimus Pater meus, *Non vis ut bibam illum?* Itaque Beatus Stephanus saxa illa dura quibus lapidatur, non saxa et lapides, sed pretiosas gemmas existimabat. Et revera sic se res habebat, auditores. Semper enim tribulationes, si tamquam Dei beneficia considerentur in vera beneficia convertuntur. Ignominia in gloriam, contumelia in ornamentum, inopia in divitias, vulnera in sanitatem et

mors in immortalitatem. Et homines quidem vident exterius crucem nostram, quam portamus in terris. Sed vident Angeli coronam nostram, quæ fabricatur in cœlis. Quocirca recte Dominus de crucifixoribus suis dicebat : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illi enim se Christum valde deprimere, ejusque gloriam penitus obscurare credebant, sed vere nesciebant quid facerent. Nam eo modo maxime extollebant et illustrabant.

Sed quid præterea charitas facit? Quomodo etiam in tribulatione nos juvat? Juvat tertio ad eum modum, quo juvat vinum, inebriando scilicet. *Vinum enim lætificat cor hominis,* inquit David. Et filius ejus Salomon : *Date, inquit, siceram mærentibus, et vinum his, qui amaro sunt animo.* Qui ebrii sunt semper læti sunt, saltant, cantant, nec ullius miseriæ recordantur, non paupertatis, non ægritudinis, non acceptæ injuriæ, non contracti æris alieni : denique omnem tristitiam ac mœrorem facile de animo abstergit ebrietas. Pari ratione, auditores, sancta ebrietas charitatis, quæ est vinum illud, quo Apostoli pleni erant, cum de eis in die Pentecostes diceretur : *Musto pleno sunt isti,* facit homines semper lætos, nec ullum eos laborem vel dolorem sentire permittit. Patriarcha Jacob quatuordecim annos propter Rachelem socero suo incredibili labore servivit, ita ut ipse aliquando diceret : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis :* et tamen, ut Scriptura testatur, *Videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine.* Ita nimirum amore ebrius erat Sanctus Tobias, cum totum diem in operibus charitatis consumpsisset, deinde reversus domum, quasi pro mercede, utroque lumine orbatus esset, uxor vero quæ eum solari debuisset, non oleum consolationis, sed acetum exprobatationis in plagas infunderet : tamen harum omnium calamitatum oblitus et uxorem et filium dulcissime consolabatur : *Pauperem quidem, aiebat, vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum et recessimus ab omni peccato et fecerimus bene.* Unde hoc in Tobia? Nonne quod amore divino ebrius erat? Apostoli quoque cum plagas multas a Judæis accepissent, cur *Ibant gaudentes a conspectu concilii?* Nonne quia eodem amore ebrii erant? Paulus et Silas virgis cæsi, catenis constricti, et in obscurum carcerem detrusi, quare psalmos et hymnos lætissime canebant? Nonne quia

simili modo ebrii erant? B. Laurentius ad ignitam craticulam alligatus, et jam semi-combustus, unde tam lætus, et summi illius doloris oblitus erat, ut festive ac lepide tyrannum irrideret? Nonne ex eo? quod vino charitatis ebrius erat? O dulce vinum charitatis. O sancta sobriaque ebrietas. Utinam faceret Deus, ut ebrietatem illam nefariam, quæ tanto tempore in hac regione regnavit, quæque tantarum tribulationum causa magna est, aliquando tandem ista sancta et sobria ebrietas mutaremus: perfecto enim plus ebrietas charitatis valeret ad omnem tribulationem superandam, quam fuerit ebrietas vini ad inferendam.

Sed jam ad quartum et postremum modum veniamus, quo charitas a tribulatione defendit. Quid igitur charitas facit? Docet hominem mirabili quadam arte de hoste clypeum, de necessitate virtutem efficere. O beatum exercitum. O fortunatos milites qui artem istam didicerunt, qua ipsos hostes arripere, et eis pro clypeo uti possint. Quis præcipuus hostis noster est? Nonne caro, quæ omni hoste crudelior, dum blanditur occidit, et assueta reddere malum pro bono, quanto magis diligitur et fovetur, tanto magis nocet, et cujus ictus nemo satis cavere potest? Quid igitur charitas facit? Quando utitur carne pro clypeo? Ad hunc modum. Cum tribulatio adest, non sinit charitas, ut te injuste puniri existimes, et ut de Deo aut hominibus conqueraris, procul hoc est a vera et perfecta charitate: sed statim docet, peccata tua causam esse tribulationis atque ita cogit, ut carnem tuam sic alloquaris: Non meministi, caro, quando fornicabaris, cum tam sæpe epulabaris, quando totos dies ludebas, quando tot pocula exhauriebas, quando jejunia sacra frangebās, quando pupillum opprimebas? Nunc igitur quid mirum si pœnas luis? Sed quandoquidem huc venisti, nec potes non peccasse, et quia peccasti castigari debes: quid utilius tibi esse potest, quam ut facias de necessitate virtutem et æquo ac libenti animo patiaris? Nam si cum molestia ac tristitia paleris, non propterea calamitas tua recedet, quin potius ad cumulum miseræ etiam tristitiam et impatientiam tuam adjunges, et nihil apud Deum ex tribulatione lucrabebis, nisi graviolem fortasse tribulationem. At si libenter, si alacriter, si æquo animo

istam crucem feras, et hic in terris tribulatio plurimum minuetur, et post hanc vitam tota purgata atque illustris tamquam aurum de fornace prodibis, ac demum in patientia tua possidebis animam tuam. Ita igitur homo a charitate edoctus, ipsa carne, per quam peccavit, tamquam scuto quodam ita se protegit, ut ab ictibus tribulationis nullo modo lædatur.

At num in sola tribulatione lorica ista charitatis juvat? Nonne etiam in prosperitate? Imo vero, auditores, maxime juvat in prosperitate. Si quidem ipsius proprium munus est, erga omnia, quæ diligi debent, affectus moderari. Ipsa docet Dei honorem omnibus esse rebus anteponendum. Atque idcirco si vel Ecclesiasticum honorem, vel civilem magistratum facile obtinere valeas, et tamen ineptum atque indignum eo munere te esse vides, charitas monet, ut alteri te meliori et digniori cedas, et si hoc non facis, non induisti loricam charitatis, vulnerat te, et nisi diligenter caveas, fortasse occidet jaculum prosperitatis. Ipsa præterea docet animæ salutem corporis voluptatibus esse præferendam. Itaque licet possis, quantum ad copias tuas attinet, indui purpura et bysso et epulari quotidie splendide, tamen charitas monet, ut sobrie vivas, et ecclesiastica jejunia religiose observes, ut ad templum, ad concionem, ad confessionem, ad sacram communionem cum cæteris ire non negligas. Ipsa docet corpora proximorum pluris faciendam, quam nostras pecunias. Quocirca magis timere debes sine misericordia, quam sine pecuniis inveniri. Et si quidem Ecclesiasticus es, charitas docet, non debere te divitias congregare, nisi cum pauperes desunt, quod raro eveniet, et cum forte desunt, posse te quidem eas congregare, verum ut res pauperum, non ut res tuas, et futuris pauperibus fideliter conservandas. Si vero uxorem et liberos habes, eadem charitas docet, ut filiis tuis thesaurizes quidem, sed moderate. Nam si probi erunt filii, parvo contenti erunt; sin improbi bonum est eos egere ut fiant probi. Sæpe enim accidit, ut quæ parentes magno labore, multo tempore per fas et nefas congregarunt, ea filii paucis diebus male vivendo profundant, et eo modo parentes ad inferos præcedant, et eos deinde filii consequantur.

Quæ cum ita sint, induamus, quæso, fra-

tres, induamus omnes lorica[m] istam præ-
claram charitatis, armati procedamus ad
bellum, et neque tela tribulationum neque
jacula prosperitatis unquam formidabimus,
et victoriam ac palmam certissimam lætissi-
mamque referemus, ipso adjuvante Domino
nostro Jesu Christo, qui est benedictus in
sæcula. Amen.

CONCIO VII.

DE TRIBULATIONE.

SYNOPSIS

Ad militem Christianum omni ex parte armandum, præsens concio duo paria calceorum suppeditat, unum pœnitentiæ, exemplorum alterum, et præmissa brevi explicatione sententiæ Pauli, et prædicatorum instructione, primum par calceorum ex confessione et pœnitentia conficitur, ubi apta calceorum cum confessione interponitur comparatio. Explicatur deinde quomodo confessio in prosperis prosit, quomodo item in tribulatione, nempe tollit peccatum, fontem et causam tribulationum; aufert tristitiam, morbum animi, minuit quoque tribulationem satisfaciendo. Denique seria ad satisfactionem exhortatio, præscripto brevi confessionis, et satisfactionis modo, primam partem concludit.

Pars altera par alterum calceorum assuit, et astruit, nimirum exemplorum, ut quæ mentem illustrare, memoriam juvare et voluntatem movere soleant. Duo deinde affirmantur esse exemplorum genera, unum factorum alienorum, alterum passionum. Calceus ex malorum exemplis sinistro pedi adaptatur; ubi varia studia tam fervida impiorum, avarorum, superbiorum, Philosophorum, Hæreticorum et militum depinguntur, quibus merito confundi frigidi catholici deberent. Calceus adhæc pedi dextro accommodatur ex exemplis Christi et sanctorum confectus, atque ibidem præsertim Christi passio a magnitudine patientis, a parte passionis, a multitudine malorum, atque aliis multis circumstantiis diffuse, et eleganter exaggeratur. Finem horum calceorum esse, ne deficiamus tribulati, ex S. Paulo docetur. Tandem exempla

sanctorum proponuntur nosque ad crucem magna animi constantia suscipiendam ac sustinendam invitemur et excitamur.

In eorum armorum numero, quæ Beatus Apostolus Paulus, itam in bello tribulationis, quam in pace prosperitatis Christiano militi necessaria esse judicavit, si memoria tenetis, optimi auditores, etiam calcei erant. Quamquam enim in propria domo vel in amœnis pratis non usque adeo calceis indigemus, tamen in longo itinere, vel in bello, cum per montes, per rupes, per saxa, per dumos, per aquas et lutum, aliasque sordes transeundum est, calceis carere sine gravi detrimento atque incommodo certe non possumus. Itaque tum demum calceos exuere ac deponere tuto secureque poterimus, cum præsentis vitæ confecto curriculo, ad cœlestem atque æternam illam domum pervenerimus, et jam non amplius per loca aspera vel inculta peregrinandum et vagandum, sed quiescendum ac sedendum in paterna domo, vel etiamsi libuerit inter flores ac lilia deambulandum erit. In cujus rei typum ac figuram sancto Moysi ad Deum appropinquare incipienti dictum esse legimus : *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* At vero dum hic in terris cum tot generibus hostium bellum gerimus et per solitudinem hujus sæculi vastam atque horridam iter facimus, et sæpe lutum, sæpe saxa, sæpe spina scandalorum, timorum, dolorum de improvise nobis occurrunt : sæpe etiam in quædam florentissima atque amœnissima prata felicitatis humanæ repente incidimus, quæ flores quidem et rosas, sed etiam spinas et carduos partim admistos habent, et multos angues, multas bestias venenatas suis

herbis et graminibus tegunt, nulla re alia magis, quam bonis et firmis calceis indigemus. Ego igitur hodierna oratione ad explanationem ejus sententiæ, *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*, quæ suo ordine post loricæ expositionem sequitur in Apostolo, de calceis verba faciam. Et quoniam non facile in officinis vulgarium sutorum calcei tales inveniuntur, agam vobiscum liberaliter, et duo paria calceorum vobis dabo. Unum ex confessione, et pœnitentia peccatorum, alterum ex veterum exemplis, tam bonis quam malis conficietur. Sed necesse erit, antequam ad nostros calceos veniamus, sententiam ipsam Apostoli breviter explicare.

Calceati pedes, iuquit Apostolus, *in præparationem Evangelii pacis*. Sensus horum verborum quantum ad litteram Scripturæ et Apostoli mentem attinet, non alium esse puto, quam ut Evangelii prædicator, si cum fructu atque utilitate concionari debeat, pedes, hoc est, affectus, mundos, nitidos, liberos etiam et expeditos habeat: non diligit munera, non delectetur plausibus, non affectet gratiam et favorem hominum, non sectetur apparatus convivia, non quærat ullo modo seipsum. A crapula vero atque ebrietate, a fornicatione, a verbis impudicis, a contentione et jurgiis, a simonia et avaritia, ita sit alienus, ut ne minima quidem suspicio ejusmodi vitiorum unquam de ipso in populo oriatur. Alioqui enim qua fronte ebriosus de sobrietate disputabit? Quo spiritu contra avaritiam dicet, qui pluris nummos, quam animas facit? Qua vehementia impudicus et concubinarius a fornicatione alios deterrebit? Quo animo superbus atque ambitiosus, qui omnibus placere cupit, ulla unquam vitia reprehendet? De hujusmodi malis doctoribus, qui verbis prædicant, qui moribus impugnant, loquitur Dominus per Ezechielem: *Vos cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, et oves meæ, quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant*. Aquam quippe limpidissimam, ut Beatus Gregorius exponit, prædicatores bibunt, cum fluentia veritatis recte intelligentes hauriunt; sed eandem aquam pedibus turbant, cum studia sanctæ meditationis male vivendo corrumpunt. Porro aquam eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum auditores non sequuntur verba, quæ audiunt; sed sola, quæ conspiciunt, perversa opera imitantur. Quocirca ne talia sæpe contingant, apo-

stolus Paulus diligenter monet, ut simus *Calceati pedes in præparationem evangelii pacis*. Et ipse Dominus apud Marcum, cum discipulos suos binos et binos ad evangelium prædicandum mitteret, præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem neque in zona æs: sed tamen bene calceati sandaliis ambularent, nec quid pulveris aut luti terrenarum cupiditatum eorum pedibus adhæreret: ut vere de illis illud Apostoli diceretur: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*. Hæc igitur est sententia hujus loci breviter explicata.

Verum nos in præsentiarum ista ipsa Apostoli verba paulo aliter exponemus, ut tam tribulationibus, de quibus hactenus, disseruimus, quam paschalibus feriis, quæ jam imminent, oratio nostra conveniat. Itaque evangelium pacis Paschæ celebritatem, vel mavultis, Agnum illum paschalem sacrosanctum corporis Dominici Sacramentum interpretabimur. Calceos vero, quos induere jubemur in præparationem Evangelii pacis, confessionis Sacramentum accipiemus. Nam quemadmodum olim in veteri Testamento, qui Pascha celebraturi et Paschalem Agnum manducaturi erant, cum aliis rebus multis instructi, tum præcipue calceati pedes esse debebant, ut ex libro Exodi cognosci potest: sic etiam qui ad verum Pascha peragendum, et verum paschalem Agnum comedendum præparantur, non solum jejuniis et precibus, aliisque sanctis operibus, quod hactenus fecimus, operam dare convenit, sed etiam confessione ac pœnitentia, quæ præcipua est præparatio, pedes illos calceare oportet.

Sed quid habet affinitatis confessio cum calceis? Multum omnino. Nam quemadmodum calcei pedes mundos ac puros conservant, eosque impediunt, ne terram et sordes contingant: ita confessio peccatorum humanos affectus, qui quasi sunt pedes animæ, et animam non minus ferunt, quam pedibus ferantur corpora, purgatos nitidosque servat, eosque a terra et rebus terrenis revocat atque abstrahit. Et sicut ii, qui calceis sunt assueti, pedes teneros ac delicatos habent, adeo ut vel minimos lapillos et minutissimas stipulas facile sentiant, nec aliquid pati possunt, quod pedes affligat; ii vero, qui fere nudis pedibus incedunt et solum in dedicatione vel in paschate calceos induunt, ut agricolæ et operarii multi, jam occalluerunt, nec modo lapillos et stipulas non sentiunt, sed

neque magnis lapidibus aut tribulis offenduntur: sic etiam qui crebro ad confessionem redeunt, teneram conscientiam habent, facile sentiunt spinas, etiam minutissimas peccatorum, nec quiescunt, donec eas de conscientia ea exuerint, et animam languentem atque ægrotam curaverint: at qui raro, qui solum in paschate ad confessionem accedunt, ii rusticos pedes, et assuetos tumoribus et punctionibus habent, non solum parva et levia, sed neque magna, neque gravia, neque horrenda, neque immania crimina atque delicta eos perturbant. Amplissimum stomachum gerunt, facile deglutiunt multitudinem beneficiorum, simonias, usuras, adulteria, crapulas, ebrietates: et tamen securissime dormiunt, nihil eos angit vel torquet conscientia. Hinc existunt illi, qui aliquando petunt: An fornicatio sit peccatum? Nam de cogitationibus ac desideriis flagitiorum, ne dubitant quidem, ita nimirum pedes eorum occalluerunt, ut licet vulnerentur licet fundantur, licet intumescant, nihil tamen isti sentiant. Assuescite calceis miseri, vivite more nobilium, non more agricoliarum. Si ad regnum cœlorum aspiratis, ubi nulli rustici, nulla mancipia, omnes reges et principes erunt, frequentate Sacramentum tam utile, tam facile, tam salutare, quod incredibili benignitate liberator noster instituit. *Si rem grandem dixisset tibi Propheta, aiunt servi ad dominum suum Naaman, certe facere debueras: quanto magis nunc, cum dixerit tibi: Lavare et mundaberis?* Si rem grandem, auditores, nobis Dominus præcepisset, nonne pro animæ salute facere debuissimus? Quæ igitur excusatio reliqua esse potest, cum solum dixerit: Sume calceos, quos non vendo, sed dono: utere calceis, qui offeruntur gratis: stude puritati, amara sanctimoniam, dilige innocentiam, assuesce opinas peccatorum cito sentire, et ante eruere, quam in pedibus tuis putrescant. Habemus igitur cur peccatorum confessio calceis comparetur, nunc illud videamus, quomodo in tribulatione et prosperitate nos juvet.

Quomodo juvat in prosperitate? Ad eum modum quo juvat naviculas sentinæ evacuatio. Vidistis aliquando naviculas, quæ rimas aliquas habent, et sensim aquam admittunt, quæ nisi frequenter aqua ejecta releventur facile submerguntur. Tales sunt animæ nostræ. Naviculæ sunt in oceano hujus sæculi constitutæ, nec ulla tam integra repe-

ritur, quæ aliquas rimas non habeat, et aquam peccatorum non admittat. Nam *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in verbis non est.* Verumtamen istas rimas tribulatio minuit, prosperitas auget: plures enim peccandi occasiones, majores tentationes divites quam pauperes habent, et plura peccata in prosperitate, quam in tribulatione fiunt. Quocirca S. David experientia propria edoctus, veram illam sententiam de fortunatis hominibus pronuntiavit in Psalmo: *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, aperti sunt iniquitate et impietate sua: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Quare cum tempore prosperitatis animæ navicula rimas multas et magnas habeat, et multum aquæ peccatorum semper accipiat, nisi frequenter per confessionem exhauriatur et purgetur, non potest tandem non submergi.

Jam vero contra morbum tribulationis remedium præsentissimum et saluberrimum est confessio peccatorum. Siquidem fons et radix tribulationis, quid est aliud quam peccatum? Nonne Scriptura clamat: *Miseros facit populos peccatum?* Et: *Priusquam humiliarer ego deliqui.* Et: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum.* Nonne Dominus paralyticum curaturus, ut ejus morbi radicem ostenderet, dixit ei: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua?* Et ad eum, quem sanaverat ad piscinam, nonne ait: *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat?* Nonne Apostolus Paulus de iis, qui sine debito cultu atque honore tremenda illa mysteria pertractabant vel sumebant, in epistola prima ad Corinthios ait: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt, hoc est, moriuntur Multi?* Deus enim initio nascentis Ecclesiæ; ut hujus Sacramenti venerationem et majestatem fidelibus commendaret, sæpe repentina ægritudine, vel morte eos mulcebat, qui indigne ad tantum Sacramentum sumendum accedebant. Id quod etiam Cyprianus in sermone de lapsis, exemplis aliquot atque miraculis confirmat. Quæ cum ita sint, quod efficacius medicamentum contra morbum tribulationis cogitari potest, quam pœnitentia et confessio peccatorum, quæ cum peccatum tollit, ipsam radicem tribulationis tollit? Itaque valet aliquid contra tribulationem oratio, valent sup-

plicationes, valent eleemosynæ, valent jejunia, valet spiritualium lectio librorum, sed omnia ista et alia permulta generis ejusdem nunquam sufficient, nisi ad peccatum, radicem videlicet tribulationis, securis pœnitentiæ et confessionis admoveatur.

Deinde juvat etiam plurimum confessio peccatorum ad omnem mœrorem ac tristitiam ab animo abstergendam. Est vero tristitia morbus maximus, qui ut Ecclesiasticus ait, multos occidit; et ut pulchre Salomon docet: *Sicut tinea vestimento et vermibus ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Tinea enim nascitur ex panno et pannum consumit, vermis oritur ex ligno et lignum rodit: ita tristitia nascitur ex corde et ipsum cor perpetuo rodit, consumit, affligit, cruciat, neque ex ulla re quietem et consolationem capere permittit. Denique tristitia est quasi anima, et vita tribulationis, ita ut si tristitia absit, jam tribulatio non amplius tribulatio dici possit: Si vero non absit, etiam prosperitas quædam tribulatio esse videatur. Istum igitur morbum sanat confessio. Nam quemadmodum per peccatum intrat in hominem diabolus et cum eo mille furie infernales, mille suspensiones, mille timores, mille sollicitudines, et simul vermis conscientie excitatur, qui tristitia et amaritudine animam replet; sic etiam per confessionem deleto peccato et diabolo exeunte, ingreditur in animam gratia Dei, ingreditur justitia et charitas, et pax et gaudium in Spiritu sancto. Vidisti hominem plenum malis humoribus et conturbato stomacho? quam ille, quæso, male se habet. Omnia fastidit, ad omnia nauseat, nescit quid velit, sibi ipsi est gravis. At si illos malos humores evomat, quam celeriter stomachus relevatur, et lætitia ac serenitas redeunt. Hoc ipsum in animo spiritualiter facit confessio, nempe medicamentum est, quo pravi humores, atque adeo venenum ipsum peccati totum evomitur, et tunc animæ stomacho revelato spiritus bene se habet, exultat, gaudet, gestit, et conscientia bona et charitas Dei, quæ in ipso est, eum tristem esse nullo modo patitur. Lege vitas sanctorum, et videbis nullos esse homines, qui majore et solidiore perfruantur gaudio et pace, quam eos, qui toto animo serviunt Deo; et dulciores esse lacrymas sanctorum omni risu et cantu hominum peccatorum. Quamquam enim vel inopiam vel ægritudinem vel persecutiones quandoque sancti patiuntur exterius, tamen regnum Dei, et consolatio Spiritus

sancti, quam habent interius, multo est major, et externam miseriam atque molestiam prius absorbet, quam ad cor perturbandum penetrare possit.

Postremo juvat etiam confessio peccatorum ad repellendas et superandas tribulationes, ex eo, quod facit, ut homo pœnam aliquam a Sacerdote sibi propter scelera sua injunctam libenter accipiat. Deus enim cum hoc videt, retrahit sæpe manum, quam ad punienda peccata filiorum suorum extenderat, et fructibus pœnitentiæ delectatus quodammodo dicit: res se bene habet, agnoscunt isti peccatum suum et justitiæ zelo vehementer accensi, ipsi scelera et flagitia sua castigant: ego igitur retraham manum meam, cessare faciam tribulationes, bellis et tumultibus finem imponam, dicam Angelo percutienti: Sufficit jam, compesce manum tuam. In quo tamen studio, auditores, pudet dicere quam nos Christiani a Judæis turpiter superemur. Illi enim nobis comparati, non viri, sed pueri erant: et idcirco legem quasi pædagogum acceperant, et tamen illi pueri cum necessitas id postulabat, semper aspera pœnitentiæ genera sponte suscipiebant, prædicabant jejunium, induebant saccos, incumbabant cineri, clamabant ad Dominum in fortitudine, et eo modo omnia Dei flagella facile deprecabantur. Nos vero, qui cum illis comparati viri sumus, in tam gravibus periculis, quæ totius patriæ ruinam et eversionem minabantur, et adhuc fortasse minantur, quando fides et religio non hominis unius, non unius civitatis, non unius provinciæ, sed tot provinciarum simul in discrimen maximum adducebantur, et adhuc etiam forsitan adducuntur, quid nos fecimus aut facimus? Quos fructus dignos pœnitentiæ demonstravimus? Una aut altera supplicatione excepta, eaque tepide ne dicam frigide peracta, quid aliud, quæso, possumus ostendere? Aliud omnino, aliud necessarium est, si Deum quem tam graviter nostris sceleribus offendimus placare volumus: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, clamat magnus ille Joannes, *Et ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham.* Jam enim securis ad radicem arboris posita est. *Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Non ait, peccastis, quiescite deinceps male agere, et satis est. Ita sane Lutheranus quispiam dixisset. Neque rursus ait: Pœnitentiam agite, quod tamen multo amplius erat; sed quid? *Facite fructus dignos pœni-*

tentiæ. Quam magna deliquimus (inquit B. Cyprianus) tam graviter defleamus: alto vulneri diligens et longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Ac ne forte quis nobilitatem generis vel gradum honoris opponat, ipse addit: *Et ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham. Omnis enim arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Quid est omnis arbor? Omnis homo quicumque ille sit, sive rex, sive dux, sive comes, sive Episcopus, sive Abbas, sive Doctor, sive magnus, sive parvus, sive dives, sive pauper, sive nobilis, sive ignobilis, si fructus non facit dignos pœnitentiæ, excidetur et in ignem mittetur. Non accipit Deus personas, non admiratur purpuram et sceptrum: non terretur ad magnas opes et longos ordines famulorum, sed omnem arborem, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Quam obrem, auditores, cum et sacrum hoc tempus, in quo sumus et solemnissima paschalis celebritas, quæ jam imminet, et præsentis totius patriæ calamitates ad veram et plenam confessionem, et pœnitentiam nos invitent: agite, quæso, et magno animo atque ardenti justitiæ zelo positus paulisper negotiis cæteris, unusquisque in cubiculo cordis recogitemus primum in amaritudine animæ dies nostros, excutiamus diligenter omnes sinus et latebras conscientiæ nostræ; deinde pedibus sacerdotis tamquam Domini ipsius pedibus advoluti, cum omni humilitate et veritate delictorum nostrorum confessionem deponamus: postremo injuncta nobis a spiritali iudice pœnitentiæ opera libenter accipiamus, alacriter expleamus, et quantum possumus pœnitentiæ fructibus Domino satisfaciamus. Luceat, quæso, pœnitentiæ studium, et verum emendationis propositum in vestium honestate, in verborum gravitate, in omni parsimonia et sobrietate. *Quæ enim societas lucis ad tenebras? Aut Quæ conventio Christi ad Belial?* Quomodo ista cohærent, agere pœnitentiam et indui variis et curiosis et magno studio laboratis vestibus? Agere pœnitentiam et celebrare convivium? Agere pœnitentiam et a jocis, a ludis, a verborum turpitudine et levitate non abstinere? Agere pœnitentiam et sphæristeria frequentare? Agere pœnitentiam et eleemosynas nullas facere? Certe veteres Christiani, ut ex Tertulliano et Cypriano et aliis scriptoribus vetustissimis intelligi potest, cum pœnitentiam agebant, cibo et potu parcissimo et simpli-

cissimo utebantur, non equis aut curribus vehebantur, terræ ac cineri incumbabant, non balnea frequentabant, vestes viles vel etiam sordidas induebant, corpus jejuniis et animum mœroribus affligebant: omnes denique sibi delicias ac voluptates interdicebant, totique in eleemosynas, in orationes, in fletus ac lacrymas incumbabant. Imitemur, quæso, nos teneri ac delicati Christiani, vel minimam horum partem. Quiescat paulisper cocus et servus et ancilla, qui ventri nostro tamquam implacabili domino toto anno ministrant, nec ullas unquam ferias habent. Cibo modico et simplici contenti simus. Nam et Christus felle et aceto contentus fuit. Non videamus hac hebdomada ullam in vestibibus vanitatem, quando Christus etiam necessariis indumentis spoliatus fuit. Claudatur saltem ad tempus omnia sphæristeria, demus aliquas horas orationi, tempus in passione dominica cogitanda ac veneranda ponamus. Ita fiet, ut *Calceati pedes ad Evangelium pacis*, hoc est, ad paschales ferias præparemur, et gratia atque amicitia Dei nobis conciliata, omnem calamitatem et tribulationem facile superemus.

PARS SECUNDA.

Duo paria calceorum promisimus, unum jam exhibuimus, exhibemus nunc Domino adjuvante etiam alterum. Proxima vero oratione de Evangelio pacis et scuto fidei, quæ duo supersunt, breviter disseremus.

Jam igitur alterum per calceorum exemplis fieri debet. Quomodo enim calcei, quibus iter facimus, non ex holoserico, sed ex corio mortuorum animantium fiunt; ita pedes animæ, affectus omnes nostros in hac difficili et laboriosa peregrinatione tegere debemus pellibus mortuorum, hoc est, memoria ac recordatione veterum exemplorum. Sunt autem tres præcipue utilitatis exemplorum. Una est, quod mentem illustrant, altera, quod memoriam juvant, tertia, quod movent atque accendunt voluntatem. Primum, illustrant mentem: sunt enim quasi quidam aquæductus, quibus aqua veritatis in animum nostrum infunditur. Legimus in Scripturis: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram.* Quid est hoc? Sume exemplum, et intelliges. Vide quid Christus fecerit, cum alapam in passione a scelerato quodam accepisset. Quid

ille fecit? Num alteram præbuit? Minime vero, sed ait: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis!* Hinc ergo discimus alteram maxillam esse præbendam quantum ad animi præparationem, hoc est, ita patienter ferre debemus unam alapam, ut parati simus, si necesse sit, accipere etiam alteram: alioqui cum nulla necessitas id postulat, quid opus est præbere alteram, et dare occasionem scelerato homini, ut iterum peccet? Itaque sapienter Isidorus optimum Scripturæ commentarium esse docet, facta atque exempla sanctorum. Deinde juvant memoriam. Nam exempla multo avidius audiuntur, et propterea altius infiguntur memoriæ, quam verba. Sed potissima vis exemplorum in eo posita est, ut moveant voluntatem. Tria sunt, quibus homines persuaderi ac moveri possunt, Scriptura, viva vox et exempla: Scriptura ultimum locum obtinet. Nihil enim habet aliud, quam verba et verba mortua. Idcirco si legis multos pios libros et non moveris, eas ad concionem, audi vocem vivam, et fortasse moveberis. Verum quamquam multum possit vox humana, et multum sibi vindicet rhetorica in affectibus movendis, tamen nullo modo cum efficacia exemplorum comparari potest. Quid enim sunt verba nisi verba et voces? At exempla res sunt, opera sunt, facta sunt, quæ videri oculis et manibus tangi possunt. Hinc sæpe magis delectat simplex historia, quam ornatissima oratio, et magis movent vita et res gestæ sanctorum, etiam rudi et impolita oratione expositæ, quam omnia argumenta et ornamenta rhetoricæ.

Sunt autem duo genera exemplorum: quædam ostendunt, quid alii egerint, et hæc quidem magnam vim habent: quædam vero demonstrant, quid alii passi sint, et hæc suum gradum efficacitatis obtinent. Hinc verba Christi multum movent, multum etiam movent miracula et opera præclara, quæ in terris gessit; sed nihil tamen ita movet, ut ejus passio, cum quis cogitare incipit, quanta majestas pro vilissimis vermiculis sputa, colaphos, flagella, spinas, et ipsam crucem pati voluerit. Videbatur Christus in cruce pendens nihil agere, sed numquam tanta egit, quam tunc. Movebat terram, scindebat lapides, frangebatur velum, obscurabat solem, aperiebat cælum, mortuos excitabat, et quod majus est, peccatores ad pœnitentiam convertibat, ita ut a cruce multi redi-

rent percutientes pectora sua. Denique tunc implebat, quod dixerat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Philosophi olim multa dicebant, sed quia parum agebant et nihil patiebantur, nemini persuadebant, rhetoricam istam ignorabant, quam Dei Filius docuit: at Apostoli a Christo edocti simpliciter loquendo, sed multa faciendo, et majora patiando, quicquid voluerunt, persuaserunt: non voluptates, ut Epicurus, sed passiones, dolores, crucem. Et quibus? Toti mundo, regibus, imperatoribus, tyrannis. Magna igitur est vis, magnum robur exemplorum. Ex hoc igitur tam nobili ac pretioso corio calceos nobis conficiamus.

Quia vero duos pedes habemus, dexterum et sinistrum, duo etiam calcei necessarii erunt. Et sinistrum quidem ex malorum, dextrum ex bonorum exemplis consuemusi. Incipiamus si placet a sinistro. Vis unum insignem calceum efficere, qui sinistro ped. tuo optime conveniat? Constitue tibi materiam ante oculos: aspice atque intueri rem publicam iniquorum, quæ ex Dæmone tamquam ex capite, et omnibus avaris, ambitiosis, voluptariis, Ethnicis, Hæreticis, Schismaticis, tamquam membris et partibus constat. Convertite oculos imprimis ad ipsum ducem, et vide qualis quondam fuerit, et qualis modo sit. Quid fuit aliquando is, quem nunc Diabolum et Satanam appellamus? Primus et nobilissimus Angelorum omnium, atque adeo totius opificii divini præstantissima portio. At iste idem quid est modo, et quid erit in æternum? Sentina quædam omnium miseriarum, spiritus teterrimus, superbissimus, invidus, obstinatus, qui nihil cogitat, nisi malum: nihil molitur, nisi malum. Agitur perpetuo infernalibus furiis: angitur, torquetur, et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum. Convertite deinde oculos ad teipsum, et pedibus tuis corium istud accommoda, dicas apud te: Deus bone, si princeps Angelorum optimus et sapientissimus vim prosperitatis ferre non potuit, et propterea tam facile, tam celeriter, tam admirabili conversione postremus de primo, pessimus de optimo, miserrimus de felicissimo factus est, quid mecum fiet, qui sum pulvis et cinis, nisi contemptis rebus omnibus omni que pompa et prosperitate calcata sub alas tuas, Domine, confugiam, tibi que uni constanter adhæream? Aspice deinde partes et membra hujus capituli avaros, ambitiosos, Ethnicos, Hæreticos, perditos

denique et sceleratos omnes et videbis in tota republica iniquorum nullum esse otiosum, nullum qui crucem et crucem gravissimam non ferat, et libentissime ferat. Videbis eos noctes et dies nunquam quiescere, semper ambulare, semper progredi, semper proficere in via iniquitatis et perditionis, etiam usque ad lassitudinem et fatigationem, ut postea dicant : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles*, et quis eorum est finis? quid tantis laboribus et sudoribus quærunt? Quo tam longis et laboriosis itineribus tendunt? Ut parum terræ, ut parum fumi, ut res nullius momenti et ponderis sibi comparent. O quot martyres Diabolus habet, quorum tamen non alius finis est, quam usque ad summum replere gehennam.

Aspice hominem avarum, æstuat perpetuo variis curis, raro comedit, rarius dormit, nunc est in mari, nunc in terra, sæpe in itineribus, semper in periculis, tolerat æstum, frigora, ventos, pluvias, nives. Et quamobrem? Ut aurum congreget, et ubi congregaverit, moriatur, et ipse quidem ad inferos recte descendat, aurum vero illud ab belluonibus et potatoribus filiis tribus diebus totum dissipetur. *Thesaurizat enim, sed ignorat cui congregabit ea.* Nam *Cum perierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo pecunia ejus.*

Aspice hominem superbam atque ambitiosum, quid ille non facit, quid non aggreditur, nonne cælum cum terra quodammodo miscet, ut ad honorem aliquem perveniat? Blanditur, adulatur, assentatur nobilibus viris, versat naturam suam, et regit ad tempus, atque huc et illud torquet ac flectit: cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juvenibus comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosi luxuriose vivit. Denique ubi spem aliquam novi honoris affulgere videt, eo se totum convertit, et tamquam ad aviculam capiendam sua retia et laqueos tendit, et sæpe miser nihil retibus suis nisi majores curas et sollicitudines capit. Istum æquare, illum superare contendit, et si quem præire vel uno passu videat, invidentiæ rabie pene conficitur, et tamen non alio cibo, quam fumo paleæ alitur et nutritur.

Aspice Philosophos veteres, quid illos, quæso, vana spes sapientiæ, et ingens quædam sciendi cupiditas facere cogebat? Alii sibi voluptatibus omnibus interdicebant,

alii omnes suas opes in mare demergebant, alii remotissimas regiones incredibili labore et periculo adibant. Quidam etiam inventi sunt, qui seipsos occiderent, ut corporibus liberi facilius philosophiæ operam darent. Sic Pythagoras Memphiticos vates magno labore adiit. Sic Plato Ægyptum et illam oram Italiæ, quæ magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit, et cum litteras quasi toto fugientes orbe persequeretur, captus a piratis, et venundatus, etiam crudelissimo tyranno paruit. Sic Apollonius, ut in epistola ad Paulinum ex Philostrato Divus Hieronymus refert, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, et ad extremum latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit in Æthiopiam, ut Gymnosophistas et famosissimam solis mensam videret in sabulo.

Aspice postremo fervorem ac diligentiam hæreticorum in suis deliriis et somniis propagandis. Scribunt quotidie maximos libros, ferunt laborem assiduum concionandi, semper vigilant ad capiendas animas blanditiis, promissionibus, mendaciis, fraudibus, fictis miraculis, librorum corruptelis, armis etiam et terroribus errores suos persuadere conantur: sæpe quoque torqueri se, et cruciari, et vivos cremari non tam forlitter, quam pertinaciter ferunt. Nam supplicium quod Hæretici patiuntur (ut sapienter B. Cyprianus ait), non est fidei corona, sed pœna perfidiæ, et de incendio temporali transeunt ad æternum.

Sed ubi relinquimus milites, quorum exempla toto hoc anno spectare potuimus? Si quis militiæ finem ignoraret et videret homines tam alacriter, tam audacter, inter gladios et hastas, bombardas et ignem ac aquam versari, nulla discrimina metuere, non vulnera recusare, non mortem subterfugere, nonne putaret magnum aliquid eos quærere? Et quid tandem est illud? Fortasse regnum aut imperium aliquod? At neque hoc tantis laboribus dignum videtur: sed tamen neque pro regno vel imperio milites pugnant, sed pro tribus nummis, pro re incerta, et si vitam perdant, quod plerumque accidit, simul omnia perdunt.

Et nos Christiani non erubescimus, qui non parum terræ, ut avari; non parum fumi, ut ambitiosi; non incertissimam cognitio-

nem, ut Ethnici Philosophi; non errores et somnia propagare, ut hæretici; neque stipendium tantum nummorum, ut milites; sed regnum æternum, regnum cœlorum, vitam beatam, et immortalem, sanctorum consortium, Angelorum æqualitatem, Dei similitudinem quærimus, non erubescimus, inquam, tanto proposito præmio, nihil posse aut nolle pati? Surgent profecto, surgent in iudicio servi mundi, et servos Domini iudicabunt: quod illi diligentius et alacrius tyranno crudelissimo servierint, qui jugum durissimum onusque gravissimum imponebat, et res vanissimas in stipendium promittebat, quam nos optimo et benignissimo Patri, qui jugum suave et onus leve, quod imponebat, ipse nobiscum simul ferebat, et summam ac sempiternam felicitatem in mercedem laboris liberaliter offerebat. Surgent Ethnici Philosophi et nos Christianos iudicabunt, quod multo illi plura propter solam sciendi cupiditatem, quam nos propter animæ salutem et divinam charitatem effecerimus, quodque plus apud eos vana curiositas, quam apud nos summa Dei veritas potuerit. Surgent postremo etiam Hæretici, et catholicos iudicabunt, quod illi, qui miracula non viderunt, qui sanctos homines nullos habuerunt, qui omnibus fere spiritalibus armis atque adjunctis caruerunt; tamen audentius, alacrius, ferventius phantasmata et somnia sui capitis seminare, propagare, defendere studuerunt, quam nos veram et sanam et antiquam ac fundatam Ecclesiæ fidem: qui tot miracula Christi et sanctorum omnibus sæculis vidimus: qui innumera exempla excellentissimæ sanctitatis habuimus: qui tot Sacramentis, tot sanctis libris, tot auxiliis, tot magistris ac doctoribus abundavimus. *Erubescite Sidon, ait mare*: erubescite Catholicæ, qui tamquam civitas in monte posita supra firmam petram es fundatus, et tamen turbaris, nutas, deiceris flante minimo vento tribulationis, cum ipsum mare, id est, Hæreticus, qui semper agitatur, et circumfertur *Omni vento doctrinæ*, tamen errores suos usque ad mortem obstinatissime tueatur. *Transite ad insulas Cethim, et videte, et in Cedar mittite et considerate vehementer: et videte si factum est hujuscemodi. Si mutavit gens Deos suos, ait Hierem. c. II, et certe ipsi non sunt dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite cæli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim*

*mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid servus est Israel aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem, civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habitet in eis. Verba sunt Prophetæ Hieremiæ, quæ utinam non tam apte in hæc nostra tempora convenirent. Transite enim et vos, si placet, ad insulas Cethim, et videte: et in Cedar mittite et considerate, si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii. Animadvertite studia Calvinistarum et Anabaptistarum, et videte quam pauci, quam difficulter, quam ægre fidem suam deserant, etiam quibusvis tribulationibus, terroribus urgentibus: et certe illa non est fides, sed perfidia; neque ibi est salus, sed certa damnatio. Considerate mores avarorum, et ambitiosorum, et videte quam raro mutant ipsi deos suos, idola illa sua, pecunias, et honores: et certe ipsi non sunt dii, neque in eis ulla est quies, sed major miseria. *Populus vero meus mutavit gloriam suam. Utinam, utinam hoc verum non esset: quam multi summa levitate, summa facilitate, summa inconstantia propter exiguam aliquam tentationem vel tribulationem veræ fidei gloriam hæresi, religionem impietate, pudorem impudicitia, sanctimoniam sceleribus mutaverunt: et Deum quidem Fontem aquæ vivæ dereliquerunt; cisternas autem sibi foderunt, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Quid igitur mirum, si tamquam servus et vernaculus populus meus nunc flagellatur: si factus est in prædam, si super eum rugiunt leones, si terram ejus ac civitates ejus diruunt, spoliant, exurunt, ad solitudinem et vastitatem vocant? Id enim merito patimur, ut sciamus et intelligamus, quam *Malum et amarum est reliquisse nos Dominum Deum nostrum. Sed de sinistro calceo et malorum exemplis satis dictum est.***

Veniamus ad calceum dextrum, ad exempla sanctorum. Aspice in primis caput ac regem Christum: deinde Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Doctores, Anachoretas, Virgines, sanctos cæteros, ex quibus civitas Dei, et respublica justorum constat, et videbis, nullum unquam extitisse virum sanctum, qui per multas tribulationes, ærumnas, et calamitates non transierit: tandem ad teipsum oculos converte, et vide,

num conveniat, ut tu solus a communi lege excipiaris, et propter te alia via, et alia porta aperiatur, præter illam arctam et angustam, quæ jam tot sæculis frequentata ac celebrata est. Consideremus igitur paulisper ducem atque imperatorem exercitus sanctorum. Audiamus quid de eo Apostolus dicat: *Deponentes omne pondus, inquit, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Utrumque par calceorum nos induere jubet hoc loco Apostolus Paulus. Vis, inquit, ambulare, et currere, et pervenire ad bravium? Sume in primis calceos confessionis et pœnitentiæ, depone pondus, et circumstans te peccatum: deinde si hoc non sufficit, sume etiam calceos exemplorum, accipe Christi exemplum: et ne tibi fortasse vile atque abjectum id videatur, et magis velis Alexandros et Cæsares imitari, cogita Jesum auctorem et consummatorem fidei, hoc est, eum qui donat et coronat fidem, qui est principium et finis, qui est vita et via, qui ducit et perducit: qui nunc facit ut credas, et postea faciet ut non frustra credas, cum ipse dator et remunerator fidei, qui in te cœpit opus bonum, ipse perficiet et fidem consummabit, hoc est, beata atque æterna visione commutabit. Aspice igitur istum auctorem et consummatorem fidei tamquam speculum sine macula, et quasi æneum serpentem in deserto exaltatum, et sicut novi et rudes pictores diligenter aspiciunt insignem aliquem pingendi magistrum, cum forte manus habet in tabula: sic et tu aspice diligenter peritissimum hunc magistrum patiendi, dum in tabula crucis sanguine suo ipsam ideam patientiæ depingit? *Quit agit? Qui proposito sibi gaudio, inquit, sustinuit crucem confusione contempta: hoc est, qui sponte sua, et libera voluntate, non compulsus, non coactus, elegit potius in hoc mundo tribulationem quam prosperitatem.* O Christiani, quid hic dicemus? Num adhuc recusabimus pati? Ecce Christus hic est alter Salomon, vel etiam plus quam Salomon; Emmanuel est, qui novit reprobare malum et eligere bonum, amicus

et frater noster est, qui nos nullo modo decipiet: ipse igitur proposito sibi gaudio, cum posset in cœlesti gloria semper manere, et misérias nostras nunquam gustare, vel etiam posset, si vellet homo fieri, et regnum orbis possidere, nec unquam vel famem, vel sitim, vel nuditatem, vel contumelias, vel vulnera, vel mortem experiri, tamen sponte et libere crucem elegit, ut nobis viam bonam et rectam exemplo suo demonstraret. Poterat ipse vivere ut sanus, et nec vigiliis, nec jejuniis, nec aliis pœnitentiæ operibus indigebat, quippe qui peccatum non fecerat, et in quo caro spiritui non repugnabat: tamen quando nos ægrotos, difficiles, impatientes ac pene phreneticos esse videbat, et tamen sanare cupiebat, sumpsit ipse primum pharmacum amarum, et ægrotorum legibus vixit, ut idem nos, si non præcepto, saltem exemplo ejus persuasi faceremus. *Recogitate igitur eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Non est satis cogitare semel, sed iterum et iterum opus cogitare, tum ut simus animantia munda, quorum proprium est ruminare, tum quod non unum genus passionis, neque unam aliquam virtutem, neque unum aut simplex beneficium in cruce spectandum nobis exhibetur, sed innumeri cruciatus, innumeræ virtutes, innumera beneficia. *Recogitate eum. Quem? Quis est iste quem recogitare debemus? Unius tantum exemplum nobis proponitur. Eum recogitate, qui rex et pontifex et Propheta et doctor ac magister universo orbi datus est. Eum recogitate, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu Dæmones fugabat, languidos curabat, mare et ventos compecebat, claudis gressum, mortuis vitam restituebat. Eum recogitate, qui *In forma Dei* existens, *non rapinam* arbitrabatur esse se *æqualem Deo*: et quem sanctus Isaias *sedentem* vidit *super solium excelsum et elevatum*, et quem seraphici illi supernique spiritus non sine admiratione et stupore et quasi metu quodam semper aspiciunt, *Et clamant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria ejus*, istum recogitate. Hic est enim qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, seipsum nobis exemplum patientiæ exhibere voluit. Et quid passus est? Quid sustinuit? *Talem, inquit, contradictionem.* O Christiane, tu superbus es, et vis humilis prædicari; impudicus es, et castus vis haberi; avarus es, et tamen vis dici liberalis; impe-*

ritus et indoctus es, et tamen si quis hoc dicat, ferre non potes; scribis injuriam in tabulis æreis, et nulla unquam oblivione deleatur. Recogita igitur eum, qui talem sustinuit contradictionem: qui sanctus sanctorum erat, et tamen Pharisæi dicebant: *Nos scimus, quod hic homo peccator est.* Ipsa Dei sapientia erat, et tamen tamquam stultum et furiosum aliquem ligare voluerunt. Jejuniarum et sobrietatis amantissimus erat, et tamen dicebant: *Ecce homo vorax et potator vini.* Totum hominem in sabbato curabat et tamen dicebant: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* In Spiritu et virtute Dei ab hominibus Dæmones effugabat, et ipsi tamquam insani et phrenetici dicebant; *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit dæmonia.* Denique verbo et exemplo viam salutis ostendebat, et tamen eum Samaritanum, dæmoniacum, seductorem appellabant. Ipse vero quid? *Sustinuit,* inquit. Nam *Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur,* neque reddebat malum pro malo, neque maledictum pro maledicto: sed vere mitis, vere mansuetus ferebat, sustinebat, patiebatur. Sed parum esset, si verborum dumtaxat contumeliam et contradictionem, non verberum etiam, et plagarum sustinisset. Sed hoc est admirabile, hoc pene est incredibile, quod Filius Dei, qui bonis nostris non indigebat, non sua, sed nostra causa, pro nostra utilitate, pro nostra salute in mundum venerit, et pertransierit *Benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo,* et tamen ita ab hominibus ei sit contradictum, ut eum modo tamquam furiosum ligare, modo præcipitare voluerint: deinde vendiderint, comprehenderint, ligaverint, conspuerint, flagellaverint, spinis coronaverint, in crucem egerint, occiderint, idque tanto furore, ut uno atque eodem die accusaverint, damnaverint, trucidaverint: id quod nec in latronibus, nec in parricidis, nec in proditoribus, nec in ullis quamquam immanissimis et facinorosissimis reis fieri consuevit. *Talem igitur contradictionem ille sustinuit,* qualem nullus unquam antea: ut *A planta pedis usque ad verticem capitis non fuerit in eo sanitas;* talem, ut merito Simeon dixisse videatur, futurum eum tamquam signum, cui contradiceretur; talem, ut quantum ad locum, in urbe clarissima et celeberrima Hierosolymorum; quantum ad tempus, in paschalibus solemnissimis feriis; quantum ad ætatem in ipso

flore juventutis; quantum ad durationem, ab infantia usque ad obitum; quantum ad multitudinem et varietatem, omne genus tormentorum et cruciatuum contineret. Denique talem, ut enim Dominus Christus omnia fecerit in numero, pondere et mensura, solum labores et dolores sine numero, et mensura pati voluerit, et vere in Psalmo diceret: *Circumdederunt me mala, quarum non est numerus:* et cum neque in cibo, neque in potu, neque in somno, neque in ulla re alia unquam excesserit, tamen in patiendo et tolerando omnem modum et mensuram excessisse videtur: adeo ut merito in die transfigurationis Moyses et Elias cum stupore dicerent *Excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Talem igitur et tantam contradictionem Christus sustinuit. Nam non cecidit, non dejectus et prostratus est, sed omnia tanta patientia, tanta mansuetudine, tanta animi constantia et æquitate sustinuit, *Ut etiam præses Pilatus miraretur vehementer,* et centurio quidam diceret: *Vere Filius Dei erat iste.* His omnibus accedit, quod talem et tantam contradictionem a peccatoribus sustinuit. Sæpe homines audimus dicentes; utinam aliquis alius mihi hanc injuriam intulisset, ferrem æquo animo, sed ab isto homine nequam, ad isto nebulone, quem semper odi, acceptam injuriam deglutire non possum. At si eum aliquando recogitares, qui talem a peccatoribus sustinuit contradictionem, ita non diceres. Quid enim magis Christus odit, quam peccatum? Quid magis contrarium summæ illi bonitati et puritati esse potest, quam sordes et turpitudine flagitiorum? Et tamen a sordidissimis, ab impurissimis, a scelestissimis Christus passus est, nec solum a talibus, sed etiam, quod magis est admirandum, pro talibus passus est. Itaque nulla remanet excusatio, sed a quocumque tribulatio veniat, ad exemplum Domini æquo ac libenti animo toleranda est.

At quisnam est finis horum calceorum? *Ne fatigemini,* inquit Apostolus, *animis vestris deficientes.* Si nudis pedibus ambulare volueris, facile pedes intumescent, et a spinis et lapidibus læsus progredi non poteris, fatigaberis deficiens in media via: at si calceos indueris, si cogitaveris quanta pro te Christus pertulerit, si videris te nondum usque ad sanguinem restitisse, mutabis fortitudinem, ambulabis et non deficies, cures et non fatigaberis.

Sed fortasse dices, quid mirum, si Chri-

stus tantam constanter pati potuit? Deus enim erat. Quid enim Deus non posset? At nos homines tantum, infirmi ac debiles sumus. Aspice igitur castra sanctorum, intuere agmina Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum : num vel unum quiescere atque otuari vides? Quid? Isaias secatur, Hieremias lapidatur, Ezechiel interficitur, Joannes Baptista capite punitur, Petrus et Andreas crucifiguntur, Paulus, et Jacobus gladio occiduntur, Bartholomæus excoriatur, Jacobus de pinna templi præcipitatur. Audi vero quid Apostolus de se, et Apostolis cæteris dicat : *Usque in hanc horam ; inquit, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur et benedicimus, blasphemamur et obsecramus : persecutionem patimur et sustinemus : tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Et alio loco de sanctis omnibus : *Alii vero, inquit, ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carcere ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circue-runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terræ.* Quis nostrum vel minimam partem horum unquam sustinuit? At isti omnes homines erant, carnem et ossa gestabant, et quod potuerunt, non in se potuerunt, sed in Domino Deo suo. At vehementer fallitur, et toto cælo aberrat, qui per aliam viam et portam, quam per viam et portam crucis se ad veram beatitudinem et felicitatem pervenire posse confidit.

Quæ cum ita sint, auditores, ex tam nobili corio calceos nobis conficiamus, et spinas ac tribulos non tam fugiamus, quam conculcemos, et cum mundus, et caro ad quiescendum nos invitant, cum fortissimo illo Uria respondeamus : *Dominus meus Joab, et omnes servi domini mei super faciem terræ manent, et ego ingrediar in domum meam, ut comedam et bibam et dormiam cum uxore mea?* Absit hoc a me, *non faciam rem hanc.* Quid? Imperator meus Christus descendit in campum, jejunat, orat, vigilat, tentatur, vulneratur, occiditur : et omnes servi Domini mei, tribuni et centuriones, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, omnes sunt in acie, omnes in solo et pulvere, cum aereis potestatibus fortiter pugnant, vulnera et plagas accipiunt, et patiendo ac moriendo triumphos ac palmas inveniunt, et ego umbram et delicias quæram? Absit hoc a me, *Non faciam rem hanc.* Ita, fratres mei, ita, quæso, omnes respondeamus, et illi, qui crucem inopiæ vel ægritudinis vel alterius tribulationis ferunt, læto atque alacri sint animo, spem bonam concipiant, sciant se ad castra Domini et sanctorum pertinere, et tempore suo stipendium magnum laboris et coronam immortalem patientiæ percepturos : illi vero, qui divites et fortunati sunt, et fere nihil quod patiantur habent, quærant et ipsi crucem suam, crucem pœnitentiæ, crucem eleemosynarum, divites fiant in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi thesauros in cælo : et ipsi quoque misericordiæ et pietatis mercedem recipient a rege regum Jesu Christo, qui est in sæcula benedictus. Amen.

CONCIO VIII.

DE TRIBULATIONE

SYNOPSIS

Duo præsentī concione proponuntur pertractanda, cur scilicet Sacramentum Eucharistiæ Evangelium pacis dicatur : et qua ratione illud ipsum tam prosperitatis, quam tribulationis tempore prosit. Manifestatur, ad verum pacem tria requiri; justitiam esse parentem pacis, hancque e cælo esse delatam. Triplex deinde asseritur ratio, cur Evangelium pacis, dicatur SS. Eucharistia. Præterea quomodo tribus modis eadem Eucharistia nobis in prosperis auxilio sit, ostenditur. Quomodo item tribus aliis modis tribulationibus præsto sit, nimirum possessione dominicam in memoriam revocando; admirabilis patientiæ speculum ob oculos ponendo, ubi non vere pœnitentes Judæ et Judæis assimilantur; denique instar panis subcinericii vires augendo et roborando, ubi frequens communio suadet, rara vero Diabolum suadere convincitur.

Pars altera ultima Christiani militis arma explicat, nempe scutum, quod est fides. Quas utilitates afferat in prosperis fides narratur, docet enim, alia his terrenis multo sublimiora bona invineri post hanc vitam. Deinde tria detegit vitia, quibus terrena omnia bona laborant, quod parum durent, quod non facient, et quod de iis exacta Deo sit reddenda ratio. In tribulatione vero ex ea sex eruuntur veritates. Prima, nullam tribulationem gravio-rem esse peccato. Secunda, nullam tribulationem nobis supervenire nisi a Dei manu profectam. Tertia, non esse murmurandum de divina justitia et providentia. Quarta, omnes homines esse peccato obnoxios. Quinta, tribulationem a Christo summum decus ac-

cepisse, ac proinde non ægre eam ferre oportere. Sexta, tribulationes esse magni æstimandas, quæ singula exacte pertractantur.

Quemadmodum in omnibus sacris, festisque diebus, auditores optimi, nullum Ecclesia Catholica, mater nostra, majore gaudio ac lætitia veneratur et colit, quam eum, quo agitur Paschæ celebritas et illustrissimus de morte Christi triumphus : ita in omnibus, quæ de cælo accepimus, summis divinisque muneribus, nullum neque majus, neque gratius esse solet, quam donum tranquillitatis et pacis, qua non solum ii, quibus mentem, et rationem Deus attribuit, sed etiam animalia bruta et fruges et arbores, ac ut longius multo progrediar, etiam terræ et maria lætari mihi videntur. Quare cum hujus diei lætitia et celebritate mirifice oratio nostra consentiet, si de Evangelio pacis, ut concione superiore promisimus, disseramus. Etenim duo maxima atque utilissima Sacramenta, si memoria tenetis, Apostolica illa sententia : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*, nobis a Spiritu sancto diximus commendari; nomine calceorum pœnitentiam, Evangelio pacis Eucharistiam. Ac de calceis quidem pœnitentiæ comparandis et induendis tota superiore hebdomada, ut par est, solliciti fuimus, in his vero paschalibus feriis in Evangelio pacis debito honore suscipiendo, et vero Paschali Agno comedendo toti summo jure occupati esse debemus. Quare de Evangelio pacis duo quædam, si placet, breviter exponamus scilicet cur Eucharistiæ Sacramento potissimum tribuatur? et ad quem modum, tam in prosperitate, quam in tribulatione nos juvet?

Quæ igitur causa est (ut a primo incipia-

mus) cur Sacramentum Eucharistiæ pacis Evangelium nominetur? Quid habet cognitionis Agnus Paschalis cum Evangelio pacis? Facile id exponam, auditores, si prius de ipsa pace pauca quædam dixerō. Tria sunt quæ sua significatione pacis vocabulum complectitur et sine quibus pax esse aut intelligi nullo modo potest, scilicet conjunctio voluntatum et animorum, bonus et rectus ordo rerum copulatarum, et ejus ordinis firma stabilisque tranquillitas. Conjunctio voluntatum et animarum quantum ad pacem constituendam necessaria sit, externa signa, quæ in componenda pace adhiberi solent, satis apte demonstrant. Neque enim alia de causa, qui ad pacem et amicitiam redeunt, dexteras jungunt, seque amplectuntur et osculantur, quam ut ostendant, ita voluntates animosque pacis fœdere copulari, sicut manus et ora et pectora mutuo complexu et osculo junguntur. « Pars mihi pacis erit » ait quidam apud poetam « dextram tetegisse tyranni. » Verumtamen ista conjunctio, si recto ordine careat, vera et bona pax non erit, ut si uxor dominetur viro, si filius patri, si servus domino, si corpus animo, si caro spiritui, si sensus rationi, et in eo quiescant et convenient, conjunctio tamen erit, pax certe non erit : nisi illa fortasse, de qua Dominus ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Siquidem pax vera munus Dei est : quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Neque vero quicumque rectus ordo, sed ordo stabilis et tranquillus ad veram et bonam pacem constituendam requiritur. Quocirca B. Augustinus recte pacem definit, ordinis tranquillitatem.

Porro quasi parens et nutrix ac veluti custos pacis justitia est. Justitia quidem civilis et humana, humanam et civilem pacem : justitia vero cœlestis atque divina, quæ charitas est, divinam et cœlestem pacem efficit et conservat. Unde lites et contentiones, bella et tumultus inter homines? An non ex eo, quod unus alterius bona injuste possidere ac retinere cupit? Tollatur ergo injustitia, et pax erit. Pari ratione, unde tribulationes, morbi, penuriæ, terræmotus, tonitrua, fulmina, grandines, siccitates? An non ex inimicitia, quam Deus gerit cum homine? Et unde hæc inimicitia? Ex iniquitate, ex eo, quod homo vel Deum non diligit, sicut debet, vel non diligit quantum debet, et sæpe magis homines offendere timet, quam Deum et sua commoda, suas utilitates, suas volu-

ptates injustissime anteponebat Deo. Tollatur hæc iniquitas, succedat charitas, vera divinaque justitia, et pax erit. Nam *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Et Isaias inquit : *Erit opus justitiae pax.* Et Sanctus David : *Justitia et pax osculatæ sunt.* Et alio loco : *Declina a malo et fac bonum : inquire pacem et persequere eam,* tamquam si apertius diceret. Tu quidem pacem desideras, nec immerito : nam pulchra et formosa est valde, sed frustra laboras, frustra fatigaris in ea quærenda nisi in domo matris ipsius justitiæ illam quæras. Ergo *Declina a malo et fac bonum,* quod justitiæ : et tunc demum *Inquire pacem et persequere eam.* B. quoque Augustinus octuagesimum tertium Psalmum exponens : « Fac justitiam, » inquit, « et habebis pacem : diligunt se mater et filia. Osculantur se justitia et pax : si parentem et amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. » Si igitur pacem habere cupis, quare litigas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi, ne fureris, et tamen non audis. Ne forniceris, et tamen non audis. Non facias alteri quod tu pati non vis, non dicas alteri, quod et tibi dici non vis, et non audis. Itaque es inimicus amicæ meæ, inquit pax, et hostis matris meæ, et me amicam putas habere? falleris vehementer. Nam ubicumque justitiam esse videro, et ego statim ad eam osculandam advolabo.

Hanc pacem, auditores, nobis Filius Dei attulit de cœlo, et moriendo et resurgendo confirmavit, qui ut Apostolus ait : *Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram ; ut justificati per fidem pacem habeamus ad Deum.* Ipse enim est *pax nostra qui fecit utraque unum : et in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsam, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt.* Atque idcirco, sicut in die natalis ejus Angeli canebant : *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis ;* sic in die resurrectionis primum verbum, quod ad discipulos loqui voluit, illud fuit : *Pax vobis.*

Quæ cum ita sint, facile, nisi fallor, intelligemus, cur Eucharistiæ Sacramentum Evangelium pacis nominetur. Nihil enim est aliud panis ille cœlestis, quam bonus quidam nuntiûs in pacis signum præsentis et inchoatæ, pignus futuræ atque perfectæ. Siquidem per divinissimum Christi convivium, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus

datur. Si te ad mensam suam Deus vocat, et tu libenter accedis et cibus ejus plane regiis vesceris, nonne signum est te cum eo jam rediisse in gratiam et pace atque amicitia ejus frui? Neque enim hostes et inimici, sed amici et familiares invitantur ad mensam. Deinde si in hac valle miseriarum, in exilio, in carcere, in stabulo, ubi cum bestiis et feris habitamus, Deus tam excellenti cibo, pane cœlesti atque Angelorum nos alit, quid, quæso, in regno cœlorum, in patria, in domo ipsa fiet? Est igitur Eucharistia verum signum præsentis charitatis, et pignus certum futuræ gloriæ atque adeo perfectæ divini pacis Evangelium. Huc accedit, quod panis iste divinus, cum cibus sit animæ, ad istam alendam institutus, juxta verbum Domini: *Qui manducat me et ipse vivet propter me*, id proprium habet, ut conservet atque augeat charitatem, quæ est ille vivificus calor per quem vitam cœlestem ac divinam animæ vivunt. Quod si conservet atque augeat charitatem, certe etiam conservat atque auget pacem, quæ ut ante diximus a charitate seu justitia, tamquam a matre filia, separari non potest. Habemus igitur Eucharistiæ Sacramentum cur pacis Evangelium nominetur.

Nunc ad illud veniamus, quemadmodum in tribulatione et prosperitate nos juvet. Quomodo juvat in prosperitate? Tribus modis. Primum enim exemplo Domini, ad mensam ipsius discis non superbe sapere, neque viles atque abjectos homines contemnere, quamvis tibi magnus, et potens videaris. Nam si Deus rex regum ad mensam suam omnes admittit, et tam splendide, tam magnifice, tam laute excipit pauperes, quam divites, obscuros, quam nobiles, parvos, quam magnos, quis tu es, qui conservos tuos te fortasse meliores, quod terrenis facultatibus careant, et non tam bonis vestibus induuntur, tibi contemnendos ac despiciendos putes?

Deinde nunquam, puto audivisti in mensa Domini a Sacerdotibus dici: Tu quis es? Magnus princeps es? Sedeat ergo vestra majestas in throno illo sublimi. Et: Tu quis es? Nobilis quidam comes? Bene, sta igitur ibi juxta regem. Et: Tu quis es? Homo miser et mendicus? Itane? Maneas igitur procul in extremo templo, operto capite, et flexis genibus et expecta donec isti magni et nobiles viri cœnam suam absolverint: tum si quid supererit, dabitur tibi. Non ita profecto: sed vides non minus regibus et imperatoribus,

quam vilissimis eorum servulis, necesse ad hanc mensam non sedere, non fabulari, non respicere huc atque illuc, sed operto capite, flexis genuibus, junctis manibus, cum timore ac tremore consistere. Quæ cum ita esse videas, mirum certe est, si non dicis apud te ipsum, ego non tantus sum, quanti me ipsum facio: neque istæ opes, vel honores quibus cæteris antecellere videor, me vere majorem et nobiliorem cæteris reddunt. Nam si vere major et nobilior essem, cur in mensa Domini locum nobiliorem non haberem? Cur tamquam unus de turba mendicorum sederem? Cur mihi non amplius, quam cæteris daretur? Num injustus aut invidus est Deus? Fallitur ergo, fallitur qui ex rebus istis terrenis, quæ malis et bonis sunt communes, verum splendorem et nobilitatem metitur.

Postremo exemplum clarissimum sanctæ humilitatis tibi ante oculos Eucharistia ponit, si tamen oculos ad hoc videndum aperire dignaris: nempe cœlestis ille panis non solum ignominiam et dolores Christi patientis, sed etiam gloriam et triumphum resurgentis repræsentat. Hinc enim statim post consecrationem hostiæ salutaris Sacerdotes dicunt: « Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Filii tui Domini nostri, tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlis gloriosæ ascensionis, » et quæ sequuntur. Dominus autem cum ab inferis victor mortis et peccati rediisset, et corpus gloriosum atque immortale jam induisset, et possessionem regni sempiterni a patre recepisset, vitam viveret, multo quam antea nobiliorem et beatiorem, tamen non propterea piscatorum suorum est oblitus, sicut ii faciunt, in quibus honores mutant mores, et qui si gradum aliquem dignitatis ascendunt, non amplius amicos veteres agnoscunt. Non ita Dominus facit, sed ad suos pauperes, ad suos piscatores, solita benignitate veniebat, loquebatur, nec minus comiter et familiariter quam antea, denique etiam fratres suos eos vocabat: *Vade*, inquit ad Magdalenam, *ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*. Disce igitur et tu, si Dominum tuum imitari non dedignaris, in quamvis illustri gloria, et quamvis magnis honoribus humilitatem, non te efferas super alios, non tibi turpe esse ducas versari cum pauperibus, eosque et verbis et rebus consolari.

Veniamus nunc ad bellum tribulationis. Quomodo Sacramentum istud in tribulatione nos juvat? Tribus aliis modis. Principio siquidem, ut ante dicebamus, dominicam passionem et mortem ad memoriam nobis revocat. Quocirca cum ad sacram comunionem accedis, apud te ipsum dicere debes: Si Filius Dei tanta pro me vilissimo vermiculo pati voluit, quanta mihi hoc Sacramentum magnum repræsentat, quid magnum est, si aliquid ego pro ejus gloria et mea salute patiar? Et si ipse vitam mihi semel donavit, cum me de nihilo fecit, et eam deinde tam benigne restituit, cum in cruce pependit, et nunc iterum vitam donat per hoc admirabile Sacramentum, et rursum quoque vitam æternam donabit in cælo: si ipse, inquam, mihi vitam toties tam liberaliter donat, numquid est æquum, ut ego vitam meam pro ejus amore atque honore vel semel inpendam? Nonne B. Apostolus ait: *Ideo Christus pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit?* Certe magnus Basilius in utroque libro de Baptismate docet, nos cum ad mysteria percipienda accedimus, nova quadam ratione novoque pacto obligari ad vitam pro Christo, si opus erit, libenter ponendam. Id quod etiam B. Augustinus ex libro Proverbiorum ostendit: «Nimirum, inquit, hoc est, quod legitur, in proverbii Salomonis, si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans intellige, quæ apponuntur tibi, et sic mitte manum tuam sciens, quia te talia oportet præparare. Nam quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus, qui animam suam pro nobis posuit? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Quid vera considerare et intelligere, quæ opponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Quid postremo sic mittere manum, ut scias, quia talia te oportet præparare, nisi quod jam dixi, quia sicut pro nobis Christus suam animam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere?» At si vitam ponere, auditores, et sanguinem totum profundere pro Dei gloria Eucharistia nos docet, quanto magis injurias et contumelias, famæ diminutionem et fortunarum direptionem, et alia minora atque leviora æquo ac libenti animo pati docebit, si ad ejus scholam humiliter et frequenter accedere voluerimus?

Deinde juvat etiam mirum in modum Eucharistiæ Sacramentum, cum nobis admirai-

bile quoddam patientiæ speculum ante oculos ponit. Nonne insignis illa patientia fuit, qua Dominus Judæ proditori osculum non negavit? At quot modo Judas putatis fere diebus singulis Christus patitur? Quam multos ante paucos dies Dominus videbat, quo toto anno luxuriæ, avaritiæ, crapulæ, ebrietati operam dederant; deinde vero confessione peccatorum leviter peracta, sine ullo dolore, sine ullis lacrymis, sine ullis dignis pœnitentiæ fructibus, ad eum osculandum ac recipiendum venturi erant, et paulo post novis peccatis rursus vendituri atque ejecturi. Qui quidem impios Judæos egregie imitantur, qui in dominica palmarum cum cantu et celebritate Domino occurrerunt, et suam civitatem summa lætitia exceperunt, et post paucos dies eumdem Dominum coram Pilato ingratissimi negaverunt, nec solum vocibus crucifixerunt, sed etiam ad eum damnandum renuentem, et repugnantem præsidem suis clamoribus coegerunt. Hos, inquam, impios et ingratos Judæos imitantur illi, qui in his Paschalibus feriis Christum cum gaudio et lætitia receperunt, et post paucos dies illum rursus cum ignominia et dedecore novis peccatis ejiciunt. Poterat vero Christus si voluisset, vel tam iniquos homines repente occidere, vel in lapidem aut in aliam formam species illas sacramentales commutare, quod non semel, sed sæpius legimus esse factum, et tamen nihil agit horum, sed incredibili patientia, tam atroces injurias tolerat ut homines peccatores ad veram et seriam pœnitentiam aliquando perducatur. Sane tanta est quorundam hominum iniquitas atque perversitas, ut cum Dei mansuetudine et patientia suis ipsis sceleribus et flagitiis contendere videantur. Deus dicit: Ego tibi dabo divitias, beneficia, dignitates, honores, atque ad extremum me ipsum in Sacramento recipies, ut vel muneribus provocatus præcepta mea custodias. Et homo dicit: Et ego profundam omnium ludam totos dies, donabo meretricibus, lenonibus, potatoribus, neque de Deo, neque de animæ salute unquam cogitabo: et si parvus vel avarus esse debeam, tunc solum ero cum pauperibus quando eleemosynas tribuere oportebit. Quid vero Deus? Patitur, sustinet, expectat, atque ad pacem, ad amicitiam, ad mensam, ad convivium suum eos recipere paratus est, si modo præteritorum scelerum eos pœniteat, ac meliorem vitam posterum polliceantur. Ejusmodi vero tam

præclarum patientiæ speculum, quantum, quæso, nos ad nostras tribulationes fortiter perferendas juvaret, si in eo sæpe oculos nostros defigeremus?

Sed postremo etiam juvat Eucharistiæ sacramentum ad eum modum, quo panis subcinericius juvit Eliam: nempe vires adauget, confirmat, roborat, consolatur cor humanum. O utinam hoc genus consolationis afflicti omnes intelligerent? Utinam scirent vel experirentur potius, quid illud sit, quod sæpe canimus: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoriæ passionis ejus, mens impletur gratia et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Cur Martyres sancti tanto fervore, tanto ardore, tanta alacritate currebant ad ignes, ad cruces, ad rotas, ad bestias? Cur non exiguas brevesque molestias ferre non possumus? An non ex eo, quod illi pane isto cœlesti assiduo alebantur? Nos vero obliti sumus comedere panem nostrum, cum *Panis* sit, qui *cor hominis confirmat.* Intelligebat hoc Beatissimus martyr Cyprianus, et idcirco ad sanctum Cornelium scribens, etiam lapsis, quibus alioqui Ecclesiastica disciplina pacem et communionem longissimo tempore denegabat, instante persecutione Corpus Dominicum dandum esse censebat: « Stutueramus, inquit, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, ac sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent; sed cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, communicatio illis a nobis danda est, ut quos excitamus et exhortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus. » Nam idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, et mens deficit, quam non accepta Eucharistia erigit et accendit. Intelligit etiam hoc hostis humani generis diabolus, atque ideo tantum per ministros suos ubique laborat, ut præsidium nobis hujus utilissimi ac saluberrimi sacrificii possit eripere. Neque vero per hæreticos solum, sed etiam per seipsum omnibus, quibus potest, modis suadere conatur, ut quam rarissime, ut semel in toto anno, et tunc coacti, et compulsivi Ecclesiasticis legibus et censuris ad mensam Domini accedamus: ut eo modo, videlicet longa inedia debilitatos et fractos facile ipse prosternat, et

in quælibet vitiorum abrupta præcipitet. Quam vero multis id non suadeat solum, sed plane etiam persuadeat, imbecillitas hominum nostri sæculi perspicue nobis ostendit, qui nullis tentationibus, quantumvis levibus et exiguis, imo nullis diaboli tyrannicis imperiis resistere posse videntur. Imperat dæmon, ut currant ad spectandas vanitates, et statim currunt. Jubet, ut crapulæ et ebrietati se debant, et semper obtemperant. Jubet, ut impudicos oculos in omnes feminas, quas vident, sine ullo timore defigant, et libentissime faciunt. Jubet, ut in animo suo turpissimas atque obscœnissimas formas depingant, et imaginem Dei commaculent, atque inde in libidinem concitati, contumelia afficiant corpora sua, et nunquam non obediunt. Jubet, ut acceptas injurias, nunquam dimittant, et conceptum odium nunquam deponant, et diligenter observant. Jubet, ut avaritiæ et ambitioni fideliter serviant, et plusquam fideliter serviunt. Denique quicquid dicit, credunt: quicquid jubet, faciunt. At si ad mensam Domini cum debita præparatione frequenter accederent, evaderent profecto brevi tempore fortiores. « Surgerent enim, ut Chrysostomus ait, tamquam leones ignem spirantes, Diabolo formidolosi, assuescerent præliari prælia Domini; nec solum discerent hosti resistere, sed etiam provocare et vincere, et gloriosos triumphos palmasque referre. » « Festinate ergo, ut D. Ignatii verbis concludam, ad sacram Eucharistiam frequenter accedere. Cum enim hoc agitur, expelluntur Satanæ potestates, qui actus suos convertit in ignitas sagittas ad peccatum. »

PARS SECUNDA.

Arma militiæ Christianæ, quæ non minus contra aperta tela miseriarum, quam adversus occultas insidias prosperitatis valent, ab Apostolo Paulo in epistola ad Ephesios septem enumerantur: cingulum castitatis, gladius verbi Dei, galea salutis, lorica justitiæ, calcei pœnitentiæ, evangelium pacis et clypeus fidei. Ac de primis quidem sex armis hactenus disseruimus; unus clypeus superest, quem si hodierna die breviter exponamus, institutæ de tribulatione disputationis finem, adjuvante Domino, imponemus.

Quis igitur est clypeus Christiani? Fides. Sic enim Apostolus in epistola ad Ephesios

loquitur : *In omnibus sumentes scutum fidei.* Et Apostolus Petrus : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Et Apostolus Joannes : *Hæc est, inquit, victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Fides igitur est clypeus. Dicitur vero, nisi fallor, propterea clypeus, quod totum hominem tegere atque armare possit. Galea salutis solum tegit caput, lorica justitiæ solum pectus, calcei pœnitentiæ solos pedes : at clypeus fidei, et pectori opponi, et erigi ad caput, et demitti ad pedes, et omnium denique hostium telis quacumque ex parte veniant, objici potest. Hinc enim Apostolus clypei hujus utilitatem demonstrare volens, non inquit, in aliquo, sed *In omnibus sumentes scutum fidei : in quo possitis,* non aliqua, sed *omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et David : *Scuto circumdabit te,* hoc est, totum tegit ac muniet *Veritas ejus,* quibus verbis non solum utilitas, sed usus etiam clypei explicatur. Quis enim est usus clypei? Quomodo nos in prosperitate et tribulatione defendit? Nempe ostendendo ac proponendo aliquot veritates.

Ac ut a prosperitate incipiamus. Prima veritas, quam fides docet, est, alia quædam bona post hanc vitam inveniri, quibus ista terrena et instabilia comparata, non modo non magna vel diuturna bona, sed ne bona quidem dici posse videantur. Est enim fides persimilis perspicillis, quibus utuntur ii, qui aciem oculorum debiliorem habent. Multos invenimus, qui sine perspicillis nihil ferre vident, præter ea, quæ habent ante pedes : et quæ adeo magna et crassa sunt, ut non solum videri, sed etiam tangi queant. Si vero perspicillis uti velint, longissime vident, etiam cruces minutissimas in verticibus turrium facile discernunt; tales sunt omnes homines, si spirituales oculos considerare velis. Nihil enim per se vident, nisi res istas corporeas, quas etiam canes, et equi vident : utpote, dulce esse bene comedere, bene bibere, bene dormire, libere vagari, luxuriari, otiosi, ludere. At si fidei perspicillis utantur, si Scripturas fideliter legant et sapienter intelligant, nec aquilæ, nec lynces tam procul respicere poterunt : Videbunt enim ultra omnes cœlos, ultra omne tempus, ultra omnem rerum corruptionem et mutationem, bona quædam divina, perpetua, solida, stabilia, permanentia, quæ præparavit Deus diligentibus se : et tunc facile erit ista

bona præsentia et caduca contemnere. Nam quis non facile spernat gloriam, quæ usque ad nubes non pertingit, et in puncto temporis evanescit, si gloriam illam fidei perspicillo intuentur, quæ transcendit omnes cœlos, et cum ipsa æternitate contendit? Atque idem de aliis præsentibus bonis dictum esse intelligatur.

Altera veritas est, quod omnia præsentia bona tribus gravissimis vitiis laborent, quod parum durent, quod mentem non satient et quod ad ultimum exactissimam rationem de eis Domino reddere nos oporteat. Quod parum durent, quamquam usus quotidianus id satis ostendat, docet etiam S. David : *Vidi impium, inquit, exaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat : quæsi eum, et non est inventus locus ejus.* Hinc Isaias et beatus Jacobus et beatus Petrus hominis gloriam fœno comparandam putaverunt, quod mane floret, ad meridiem exsiccatur, et ad vesperam cadit. Sanctus vero David non solum gloriam, sed ipsum totum hominem fœno comparavit : *Mane, inquit, sicut herba transeat, mane floreat et virescat, vespere decidat, induret et arescat.* Mane, inquit, hoc est, in pueritia homo sicut herba viridis apparet, sed non diu permanet in eo statu, transit ad meridiem juventutis et tunc viget non nihil ac floret : sed neque ibi diutius consistere potest, transit ad vesperam senectutis, et tunc demum decidit, moritur, ex homine fit cadaver, quod a cadendo dictum est, tunc induratur et arescit. Nam neque cadaver in suo statu diu permanet. Initio est utcumque calidum, et moveri ac tractari potest : sed paulo post frigescit et duratur, atque ad ultimum in aridum pulverem convertitur totum, et sententia Domini adimpletur : *Pulvis es et in pulverem revertaris.* Itaque et ipse homo, et omnis ejus gloria atque prosperitas brevissima sunt, et tamen valde longa ac diuturna esse se simulant, et stultos homines sæpe decipiunt. Similia esse mihi videntur omnia ista præsentia bona tortoribus et carnificibus. Quid tortor facit? Habet jam reum in theatro, habet nudum gladium jam in manu, jamjam est percussurus, et tamen dicit : Ne timeas, esto bono animo, recita *Pater noster,* non feriam donec absolveris. Incipit ille, *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Sed vix ad medium pervenit, et carnifex eum occidit. Ita prorsus non absumus quandoque tres dies a morte, paulo post sumus omnia

relicturi, et tamen mundus et caro non desinunt longissimam nobis vitam promittere, atque adhortari, ut simus hilares, ut « Coronemus nos rosis et unguentis impleamus : ut nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra : ut ubique relinquamus signa lætitiæ, et quando minus cogitamus repente obtruncamur et morimur.

Jam quod eadem ista bona non solum brevia et fugacia, sed etiam anania et vacua sint, et humanam mentem explere et satiari non possint, solis luce illustrius est. Sicut enim pauci dies comparari non possunt cum æternitate, neque pauca guttæ roris cum aquis totius maris, ita nec omnia ista bona, quæ parva et exigua sunt, cum animorum et mentium nostrarum capacitate, quæ est infinita. Itaque nemo est tam dives, qui non cupiat esse ditior. Sicut hydropici, qui licet toti pleni sint aquis, semper tamen sitiunt : et sicut de laboribus Herculis fabulantur poetæ, hydra humanæ cupiditatis nunquam unum caput amittit, quin alia septem emittat : nec unquam fons concupiscentiæ uno in loco obstruitur, quin in aliis multis erumpat. Sed quamquam tam opibus, quam voluptatibus, quam honoribus et dignitatibus commune est, non satiari, tamen singuli quodam modo in honoribus convenire videntur. Honor enim si quid habet boni, id totum in eo est, qui exhibet honorem : ad eum vero cui honor exhibetur, nihil transit præter tenuissimum quemdam fumum. Pacere igitur si potes, explere, satiari, pinguesce isto tuo tam excellenti cibo. Valde profecto spiritalis est, qui tam subtili cibo ali potest. Relinquamus. quæso, auditores, relinquamus fumum halecibus istis fumosis, vel nigris illis hominibus qui purgant caminos, nos vero solidum cibum, non fumum quæramus. *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?* Quæ ista stultitia est? Quis vos fascinavit? Quid vobis prodest tantis laboribus et sudoribus emere fumum qui satiari non potest? quin potius laboratis et sudatis, ut ad veram gloriam, ad veram beatitudinem et felicitatem aliquando perveniatis.

Sed postremo, quod omnium gravissimum est, præterquam quod humana prosperitas nec diu durat, nec animum satiat, sumus de ea exactissimam rationem reddituri. Audistis hebdomada superiore, quo pacto Judas Dominum prodiderit, accessit, osculum dedit, salutavit : *Ave Rabbi*. Salve, inquit, Ma-

gister, atque interim Judæis flagellandum et crucifigendum tradidit. Ita nobiscum mundus et caro et dæmones agunt : blandiuntur dum hic sumus, delicias et voluptates varias proponunt, ut eo modo funibus peccatorum nos constringant, et reos æternæ pœnæ apud Deum efficiant. Veniet enim dies Domini, ad ejus tribunal velis nolis pertraheris, dicetque tibi : *Redde rationem villicationis tuæ*. Tot beneficia, tantas opes, tot honorum titulos a me accepisti : cur, putas? Ut posses luxuriari liberius? Ut carnem tuam delicate nutres? Itane bona mea, quæ tibi credideram dissipasti? Quid ille miser tunc respondebit? Et tamen in his rebus, quæ tanto cum animæ periculo possidentur, ita omnes homines glorientur, ut perpetuo contendat ac certent, quis eis magis se onerare, quis periculosius vivere, quis ad inferos celerius pervenire possit.

Veniamus nunc, si placet, ad tribulationem. Quomodo nos in tribulatione clypeus fidei et veritatis protegit? Ad eum modum, quo protegit in prosperitate : nimirum quasdam alias veritates proponendo. Quæ est veritas prima? Quod nulla sit major tribulatio quam peccatum. Itaque cum vel inopia vel morbus vel quævis ærumna et calamitas alia te ad iracundiam provocat vel ad furtum faciendum invitat, vel certe ad desperationem conatur adducere, objice continuo clypeum, statim cogita apud te, quod si peccatum illud feceris, ad quod tribulatio te impellit, non solum non minuetur, sed etiam augebitur miseria, et de levi brevique molestia in gravissimam et sempiternam incidet : et similis illis pisciculis eris, qui dum fringuntur in sartagine, et ardorem olei tolerare non possunt, de sartagine saltant in ignem.

Altera veritas est, quod nulla unquam tribulatio ad nos venit, quæ per manus Dei prius non transeat. Et certe posset Deus, si vellet, impedire, et sine dubio impediret, nisi nobis utilissimam eam esse judicaret. Magis enim ipse nos diligit, quam ulla mater unicum filium suum. Si hostem haberes, qui te veneno de medio tollere vellet, non posset autem id nullo modo facere, nisi cum parentibus tuis communicato consilio, et nisi venenum ab illis acciperet, quam secure atque in utramque aurem dormires. Quomodo enim fieri posset, ut parentes tui cum hoste tuo in necem tuam consentirent, et non potius pro veneno saccharum tibi darent? Ita prorsus, auditores, diligit nos Dominus Deus

noster: et sic nos diligit, ut proprio Filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit. Nihil vero possunt in nos, neque homines, neque Dæmones, neque cœlum, neque terra, nisi vel imperante vel permittente Deo. Ex quo facile nobis persuadere possumus, si Dei gratiam atque amicitiam bene vivendo conservare studebimus, nunquam Deum esse permissurum, ut in ullas calamitates et molestias, nisi utiles et salutare incidamus.

Jam tertia veritas est, quod Deus, cum sit justus et sapiens, res omnes humanas non minus prudenter, quam suaviter administrat: et sicut judices mundi non statim atque reos in manibus habent, sententiam proferunt; sed graviter et mature procedunt, examinant testes, considerant causam, tormentis, et cruciatibus eliciunt veritatem, sæpe etiam homines innocentes quæstionibus admovent, ut contrariæ parti satisfiat: ac tum demum cognita causa et rebus cæteris diligenter peractis, certa die sedentes pro tribunali sententiam dicunt: sic etiam Deus audit nunc accusationes, et querimonias varias, examinat testes, præparat mundum ad judicium: quandoque etiam innocentes torqueri atque affligi permittit, ut parti contrariæ satisfiat: at ubi advenerit judicii dies, tunc sententiam ultimam, justissimam æquissimamque pronuntiabit, et omnia, quæ perturbata et confusa nunc esse videntur, in optimum statum atque ordinem redigi disponique videbimus. Itaque sicut ii stulti sunt, qui cum litem et causam suam apud optimum et sapientissimum judicem disposuerint, tamen antequam lata sententia sit, de judice conqueruntur, ac dicunt: Iste judex nihil boni faciet: ita stulte atque improbe faciunt, qui Dei sententiam judiciumque præveniunt, et in hoc sæculo vel de malorum prosperitate vel de sanctorum afflictionibus offenduntur. Si figuli officinam intrares, quod exemplum etiam beatus Augustinus ad rem istam illustrandam adhibuit, et massam luti pertractantem, et rotam illam suam vertentem videres, atque ab eo cum quæsivisses quid ageret et ille poculum se facere respondisset, tu illum irridens dicere, quis te docuit facere pocula? Non ita fiunt: ista enim luti massa nullam habet poculi figuram. Quid figulus diceret? Tu nimis festinas, expecta parumper, respice finem, sine rotam adhuc aliquamdiu agitari, et tum judica si velis an ita fiant pocula. Pari ratione impe-

riti homines sæpe dicunt, non est justitia, non est providentia apud Deum. Omnia converso ordine fieri videmus, qui bene agunt, affliguntur: qui perverse atque scelerate vivunt, maxime triumphant ac florent. At quisnam es tu, qui Deum docere velis? Sine rotam hujus sæculi adhuc paulisper versari. Veniet tandem judicii dies, tunc rota sistetur, tunc videbis vasa facta in honorem et vasa in contumeliam et nullum malum impunitum et nullum bonum irremuneratum. Hoc igitur fides Christiana nos docet, quicquid in mundo fieri videmus, numquam esse de Dei justitia, aut providentia murmurandum.

Quarta veritas est, neminem esse nostrum, qui peccator non sit. Nam *In multis offendimus omnes. Et: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Legite sacras Scripturas, et aperte videbitis sanctissimos etiam vires, ut Tobiam, ut Danielelem, ut Mardochæum, ut Martyres Macchabæos, ut omnes Prophetas, semper causam tribulationis in propria vitia retulisse. Cum igitur vel sæculo hoc vel in futuro peccata puniendae et castigandae sint, quis non libenter cum sancto Habacuc Propheta dicat: *Ingredietur putredo in ossibus meis et subter me scateat; ut requiescam in die tribulationis?* Et cum Beato Augustino: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas?* Deinde si, ut Beatus Cyprianus adversus Demetrianum scribit, homo hominem parere sibi et obedire compellit, et cum nobis eadem sit sors nascendi, conditio una moriendi, corporum miseria consimilis, animarum ratio communis, æquali jure et pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo postmodum recedatur: tamen errata servorum homines ferre non possunt, et ea carceribus, vinculis, verberibus puniunt: quid mirum, si Deus, cujus imperio cuncta servire atque ad nutum parere deberent, tam crebra hominum vitia atque scelera aliquando punire velit? Et si tam sæpe nos ille peccantes sustinuit, nonne æquum est etiam, ut nos etiam aliquando flagellantem sustineamus? « Sustinuit te Dominus, inquit Bernardus, sustine tu Dominum: viriliter age, et omnia recte succedere tibi videbis. »

Quinta veritas est, fuisse quidem olim ignobiles et viles tribulationes, sed jam in Christo summum decus atque ornamentum consecutas esse. Ipsæ enim septem illæ mu-

ieres sunt, de quibus Isaias loquitur, cum ait : *Apprehendent mulieres septem virum unum, dicentes : Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Ita enim videtur factum : tribulationes, fames, sitis, nuditas, mors, injuriæ, labores contemnebantur, despiciabantur, et tamquam si pestem afferrent, vel essent propter aliquod scelus excommunicatæ, fugiebantur et fugabantur ad omnibus. Quid igitur ipsæ fecerunt? Ad Christum accesserunt, et eum simul omnes apprehenderunt, atque dixerunt : *Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur,* hoc est, naturam et formam nostram retinebimus, fames erit fames, sitis erit sitis, mors erit mors, et injuriæ erunt injuriæ, tantummodo adhæreamus tibi, et bene erit nobis : *Aufer opprobrium nostrum.* Fecit id Christus, et complexus omne genus tribulationis summum eis splendorem ac nobilitatem tribuit, ita ut postea innumeri sancti Martyres et Confessores, non solum non fugerint, sed etiam quæsierint summo studio tribulationes. Et quamquam mundus ferre id non possit, sed irascatur, sed fremat, vociferetur et clamet : Fugite laborem, fugite ignominiam, fugite paupertatem : persequimini otium, divitias, pulchras vestes, voluptates, dignitates; tamen clamat etiam Christus, qui patrocinium suscipit tribulationum, et ut melius exaudiatur, locum editum ascendit : ex illa cruce clamat, mendacem ac fallacem esse mundum, cujus insipientia vel ex eo cognosci potuit, quod Barrabam latronem et seditiosum donari sibi maluit, quam ipsum vitæ et salutis auctorem. Et quid est, quod Christus inde clamat? *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis. Væ vobis, qui habetis consolationem vestram in hoc sæculo; et : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Si reges et Principes mundi omnes una die purpuram et sericum exuerent, et pannosis et rusticanis indumentis vestirentur, nonne id omnes homines, atque aulici in primis imitari vellent? Nonne jam plaris rusticus pannus, quam holosericum fieret? At nunc summus orbis monarcha, princeps regum terræ id fecit, induit

Tom. IX.

vestem tribulationis, et quod antea rusticum sagum, nunc regia chlamys effecta est : cur igitur nos servos et famulos tantopere pudet principem nostrum imitari? Cur nobis gloriosum non ducimur aliquid pati, et in paupertate et labore vivere cum id tantopere in nostro Rege atque imperatore laudemus?

Sed ad sextam et postremam veritatem veniamus. Quid postremo fides Christiana nos docet? Id docet, non solum non contemnendas, sed etiam magnificiendas esse tribulationes, quippe quibus regnum cælorum, et summi honores atque opes comparantur. Legimus enim B. Franciscum, cum esset aliquando nudus, et urgente frigore a quodam per jocum interrogaretur, an vellet aliquid sudoris vendere, eum graviter et sapienter respondisse : « Tibi quidem non vendam, qui eum contemnis, sed Christo, qui magno pretio illum emit. » Merces enim, auditores, non bene venduntur, ubi magna earum est copia. Quocirca in hoc sæculo, ubi nullus est, qui domi suæ non abundet tribulationibus, ipse ubique parvi fiunt, nec ullus in eis emendis unum obolum expenderet, etiamsi totius mundi tribulationes afferrentur. At in cælo, ubi nunquam toto anno ullæ conspiciuntur tribulationes, sine dubio magni fiunt. Hinc primum ipse Christus gloriam illam cælestem tribulationibus emit. *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Deinde omnes sancti a Christo edocti, quibus pecuniis cælum vendatur, per multas tribulationes in regnum cælorum intraverunt. Neque vero tribulationes solum pecuniæ sunt, quibus emitur cælum, sed etiam sacrificium suavissimum, quo nunquam non placatur Deus. Ipsæ sunt abominationes illæ Ægyptiorum de quibus Moyses dicebat in Exodo : *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Quid enim magis abominatur atque execratur Ægyptus, hoc est, insipiens iste mundus, quam ærumnas et calamitates? Et tamen ista sacrificium sunt gratissimum Domino Deo nostro. Dicas avaro, bonam esse jacturam pecuniarum; statim abominatur. Dicas homini diviti bonam esse paupertatem, statim execrabitur. Dicas ambizioso bonum est despici et contemni; nullo modo feret. Dicas luxurioso bonum esse jejunium, bonam sobrietatem, bonam castitatem; exhorrebit statim. At nos ista nihilominus, si sapimus, libenter amplectemur, avide suspiciemus, et abominationes Ægyptiorum immolabimus Do-

mino Deo nostro. Ipse vero nobis pro paupertate divitias, pro ignominia gloriam, pro fame saturitatem, pro labore quietem, pro exilio paradisum, pro morte vitam beatam et sempiternam reddet, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIONES DUODECIM

IN PSALMUM XC.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc.

CONCIO PRIMA.

IN PSALMUM XC.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc.

SYNOPSIS

Exordii loco præmittitur, quanta sit calamitas fames verbi Dei, quod verum animæ est pabulum : deinde occasio, cur de hoc psalmo suscipiatur oratio, indicatur, quia videlicet elegans et moralis, sed quem obscurum reddunt auctor, inscriptio, argumentum, varicæ metaphoræ, phrasis ipsa et personarum mutatio, quæ singula hac concione explicanda proponuntur, ubi prius generalia quædam fuerint expedita. Summa totius psalterii, et quod illud historiam, vaticinia et morum documenta, utpote tres Scripturæ partes, contineat, ostenditur. Cur psalterium carmine conscriptum, cautusque utilitas asseritur. Triplex ordo psalmodum tribus jubilæis respondere deprehenditur, quorum primus pœnitentibus, secundus proficientibus, tertius perfectis attribuitur. Demum cur psalmus iste nonagesimus in ordine secundo, et quænam sit ratio hujus ordinis psalmodum declaratur.

Pars altera ad particularia hujus psalmi descendit, et in primis de tituli obscuritate et de auctore primario, qui Spiritus sanctus, ut et totius sacræ Scripturæ, esse creditur, agit. De argumento variis allatis sententiis probabiliori subscribitur. Duplex sensus psalmodum esse affirmatur, magnus et parvus, atque similitudine architecti dilucidatur. Quid sit psalterium et quam apte hoc nomen libropsalmodum conveniat, per comparisonem manifestatur. Tandem qui sint, qui psalterium

portant, nec eo delectantur, ostenditur, atque ad illud audiendum seria subnectitur exhortatio.

Cum omnis cognitio veritatis quasi cibus quidam animæ sit, auditores optimi, sicut humanas disciplinas pomis ac piris, ita verbum divinum pani rectissime comparabimus. Etenim quemadmodum poma et pira, cæterique arborum fructus, interdum magis sapiunt, avidiusque sumuntur, quam panis ; semper tamen alimentorum omnium maxime necessarium panis judicatus est, cum sine cæteris cibis convivium instrui possit, sine pane non possit : et panis etiam solus tuto, suaviterque sumatur, præsertim si fames, condimentum minime sumptuosum, accesserit : poma sine pane non solum non prosint, sed plerumque etiam vehementer obsint : ita studium eloquentiæ aut philosophiæ, aliarumque humanarum doctrinarum alimentum est suave quidem ac dulcè ; sed solidus ac necessarius cibus, qui nutrit, qui vires suppeditat, qui cor hominis vero confirmat, panis est verbi divini. Cur inter viros doctos, tam multi reperiuntur vani, superbi, curiosi, ambitiosi ? Quia pomis vescuntur sine pane : et poma sine pane stomachum inflant, morbos ac dolores generant : *Scientia inflat*, clamat divinus Apostolus. Et rursum alio loco : *Evanuerunt*, inquit, *in cogitationibus suis*. Et sanctus David : *Cogitationes hominum vanæ sunt*. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum*. Et Isaias : *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate ?*

Quare, inquit, tantopere in cognoscendis philosophis atque oratoribus, aliisque prophanis scriptoribus desudatis, in quibus tamen veros panes, et qui vere animum alere ac satiare possunt, non invenitis? Et alius quidam Propheta: *Beati sumus, inquit, o Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Atque ad extremum Propheta Amos famem verbi Dei summam [omnium calamitatum, clarissimum signum iræ divinæ, ac malorum omnium causam esse testatur: *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis, et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum: et inducam super omne dorsum saccum, et super omne caput calvitium, et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum.* At quo pacto tandem istud erit? *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini: et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquilone usque ad orientem, circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient.*

Quæ cum ita sint, non opinor valde nobis necessarium erit, ut vos ad prædicationem divini verbi hoc potissimum sacro tempore audiendam cohortemur; præsertim cum et ego jam satis noverim, in hoc præclaro sapientiæ domicilio sicut humanarum disciplinarum poma non contemnuntur; ita panem Scripturarum divinarum in pretio maximo haberi. Quia vero superioribus annis ex novo instrumento, tamquam ex pane quodam spiritali alimoniam dispensavimus, et ciborum varietas non parum solet delectare, non ingratum vobis fore existimavi, si hoc anno ex instrumento veteri panes depromeremus. Itaque Psalmum nonagesimum, cujus initium est: *Qui habitat in adjutorio Altissimi,* in concionibus ejus anni, quas per Adventum et Quadragesimam, Domino adjuvante, habituri sumus, tractandum exponendumque suscepimus.

Psalmus est totus elegans ac florens, et ad mores hominum componendos ac formandos accommodatus, et breviter omnium fere Psalmorum simul utilissimus et jucundissimus. Sed eget explanatione, si quis alius. Tantis enim difficultatibus est implicatus, ut quantum elegantia atque utilitate homines, ad se legendum provocat, tantum difficultatibus, atque obscuritate deterreat.

Testimonium utilitatis nobis Ecclesia Catholica præbere potest, quæ divinitus inspirata Psalmum hunc nostrum nullo prorsus die intermitteri, et in feriis Quadragesimæ adhuc frequentius cantari instituit. Obscuritas vero ita seipsam prodit, ut testimoniis non indigeat. Primum enim, quæ in aliis Psalmis certissima sunt, hic sunt incerta fere omnia: auctor, inscriptio, argumentum. Deinde obscuræ translationes in hoc Psalmo frequentissimæ sunt, qualis illa est: *Liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.* Et rursus illa: *Scapulis suis obrumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.* Et ea, quæ statim adjungitur: *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Modus vero ac forma loquendi propria Hebræorum, quam neque Græci, neque Latini interpretes satis commode imitari potuerunt, non parum adfert obscuritatis. Quid enim sibi voluit, cum ait: *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano?* Postremo, mutatio ipsa personarum, quæ in hoc Psalmo loquentes introducuntur, mirum est profecto quantas tenebras intellectui adferat. Nunc loquitur Deus, nunc homo justus, nunc ipse Propheta, et vix unquam indicatur, quia verba qui personæ attribuenda sint. Cum igitur Psalmus sit pulcherrimus et difficillimus, utilissimus et obscurissimus, quotidie cantandus, et sine molestia cantari, quo non intelligitur, non possit, nemo mirari debet, si eum præ cæteris suscepimus explicandum.

Cæterum hodierna die, auditores, verba ipsius Prophetæ non attingemus, sed orationem totam in quibusdam quasi prolegomenis, quæ viam Psalmo intelligendo aperiant consumemus: ac primum quid liber Psalmorum contineat, deinde quis sit eorum ordo ac distributio, tum quis auctor, quæve inscriptio, et quod argumentum Psalmi nonagesimi, postremo si tempus patietur, de nomine et significatione psalterii breviter explicabimus.

Etenim Psalmorum liber, ut ab eo, quod primo loco posuimus, ordiamur, nihil mihi aliud esse videtur quam summa quædam atque epitome sanctarum Scripturarum versibus conscripta. Quicquid enim Genesis. Exodus, Deuteronomium aliaque omnia Scripturarum volumina, tam Instrumenti veteris, quam novi, simplici oratione describunt, id totum summa brevitate atque elegantia, non solum ad legendum, sed et

iam ad canendum accommodata regius Psaltes versibus comprehendit.

Scripturam universam in tres potissimum divisam esse partes, B. Hieronymus in Prologo super librum Regum docet : quarum una historias rerum gestarum, altera futurorum prædictionem, tertia vitæ et morum documenta contineat : atque hæc quæ partim a Moyse et Prophetis, partim ab Apostolis et Evangelistis copiose scripta sunt, omnia Psalmographus uno volumine incredibili brevitate complectitur. Absolutam narrationem atque historiam continet eorum omnium, quæ populo Judæorum vel temporibus patriarcharum, vel in Ægypto et solitudine, vel in Palæstina usque ad ipsius Davidis tempora contigerunt. Porro vaticinia, prædictionesque futurorum, tam multæ, tam admirabiles, tam manifestæ continentur in Psalmis, ut cum Prophetam simpliciter nominamus, omnes facile intelligant, Davidem nominari. Certe liberator noster Jesus Christus, qui finis est legis et Prophetarum, ne passum quidem unum movisse videtur, quem Psalmographus non ante prædixerit : ita diligenter ac dilucide Servatoris adventum, vitam, mores, doctrinam, miracula, passionem, obitum, sepulturam, descensum ad infernum, reversionem ab inferis, ascensionem ad cœlos, Gentium conversionem, Judæorum excæcationem, Ecclesiæ ortum et progressum, belli victorias, triumphos, coronas atque alia omnia liberationis nostræ mysteria cantu et carminibus celebrat. Quid nunc de documentis vitæ, quam tertiam partem Scripturarum fecimus, diceremus ? Quid illa cohortatione suavius ? *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos ? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo et fac bonum : inquire pacem et prosequere eam.* Quid illa comminatione severius ? *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum. In eo paravit vasa mortis ; sagittas suas ardentibus effecit.* Vis gemitum gementium audire ? *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Vis affectum incipientis ? *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.* Vis affectum proficientis ? *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Vis affectum profectorum ? *Quid mihi est in*

cælo ? et a te quid volui super terram ? Defecit cor meum et caro mea : Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum. Vis affectum monachi ? *Media nocte surgebam ad confitendum tibi : et : Septies in die laudem dixi tibi.* Vis principis severitatem ? *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Vis zelum prælati ? *Vidi prævaricantes et tabescebam, quia non custodierunt eloquia tua.* Ac ut breviter multa complectar, reperies reprehensionem omnium vitiorum, cohortationem ad omnes virtutes, instituta, præcepta, consilia ad omnem statum, ac vitam hominum confirmandam : et remedia ac medicamenta ad omnes morbos et ægritudines animarum curandos. Fuit igitur David non solum vates eximius, sed etiam historicus atque orator insignis.

Sed cur, obsecro, liber iste Psalmorum, summa atque epitome Scripturarum, carmine scribenda fuit ? Nimirum, ut opera Dei ac beneficia ejus in nos collata, non solum legere, sed etiam canere possemus et ea cum cantu et laudibus sæpius commemorantes Deo tributum debitum persolveremus. Tanta est, Christiani auditores, Dei nostri benignitas ac liberalitas, ut pro tam multis ac multiplicibus suis muneribus, quibus nos afficere, ornare, augere, cumulare, numquam cessat, nullum a nobis aliud vectigal exigat, quam laudis, quam memoriæ, quam actionis gratiarum : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Verum ne forte homines dicerent, neque id se posse facere, neque scire quibus laudibus delectaretur Deus, ipse idem ad prædicandam Dei nostri benignitatem, cantica nobis composuit, quibus eum laudare possumus : non secus atque si rex quispiam adeo in suos populos munificus ac liberalis esset ut pecunias eis donaret, quibus vectigalia persolverent.

Est vero et alia, eaque maxima, horum carminum utilitas. Quoniam enim, ut Magnus Basilius admonuit, multa in Psalmis præcepta contra carnem, contra sensus istos corporis, contra delicias ac voluptates continentur, quæ homines corrupti et perditii, non solum non perdiscere, sed ne audire quidem possent : Deus ea dulcissimis verbis conscribi voluit ut cum lætitia ac delectatione canendo ac ludendo, quæ nobis sunt utilia, disceremus : quemadmodum etiam prudentes medici, cum forte metuunt, ne pharmacum salutare medicamentum, pro-

pter amaritudinem ægroti respuant, aliquid mellis admiscent. Recte igitur ac sapienter Magnus Basilius Psalmorum laudes prædicans : « Quid, inquit, Psalmus est? Dæmonum fugator, Angelici auxilii ductor, scutum in timoribus nocturnis, laborum diuturnorum requies, infantibus securitas, vigentibus ornamentum, senibus solatium, mulieribus exornandis mundus convenientissimus. Solitudines habitabiles facit, forum moderatum reddit, elementorum loco est his, qui introducuntur, proficientium incrementum, perfectorum fulcrum, ecclesiæ vox. Hic festivitates exhilarat, hic mœstitiam secundum Deum creat, et ex lapideo corde lacrymas elicit. Psalmus Angelorum opus, cœlestis reipublicæ spiritalis suffitus. O sapientis doctoris inventum, qui simul canere et utilia discere nos excogitavit. » Hæc Basilius.

Venio nunc ad ordinem ac distributionem Psalmorum : ac ut omittam partitionem illam Hebræorum, secundum quam psalterium totum in quinque libros distribuitur, quæ nec B. Hilario, nec B. Hieronymo placet, et ad nostrum institutum parum aut nihil facit, solidam illam, et a Patribus receptam Psalmorum amplector divisionem, quæ Psalmos omnes numero centum quinquaginta, in tres ordines ita distribuit, ut singuli quique ordines parem numerum Psalmorum, id est, Psalmos quinquaginta contineat. Magnum siquidem hac divisione mysterium latet. Numerus enim quinquagenarius jubilæum atque indulgentiam in sacris litteris significare solet : in tribus vero jubilæis, ad quæ divina ista cantica referantur, omnis nostra salus ac beatitudo consistit. Quod est jubilæum primum? Remissio peccatorum, conversio et justificatio impiorum. Illa denique prima beatitudo, de qua legis in Psalmo : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata*. Hæc est prima incipientium ac pœnitentium salus : hæc est futuræ beatitudinis fundamentum : hæc totius nostræ principium atque origo felicitatis. Ad hoc primum Jubilæum merito peccatores anhelent, sine quo frustra de cæteris cogitant. Alterum deinde jubilæum majore cum gaudio a proficientibus celebratur, qui post acceptam sola Dei clementia ac benignitate justitiam, non se torpori atque otio dedunt, sed *Ascensiones in corde suo* disponunt, pergunt de virtute in virtutem, satingunt operibus bonis certam suam vocatio-

nem atque electionem facere. Atque hæc secunda est beatitudo de qua Psalmographus alio loco canit : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Porro tertium ac postremum jubilæum est illa vera ac perfecta et consummata atque absoluta felicitas, quam *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se* : de qua rursum Psalmus ait : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Triplex hoc jubilæum tres illi dies mihi significare videntur, de quibus Dominus in Evangelio : *Ecce, inquit, dæmonia ejicio et sanitates perficio, hodie et cras et tertia die consummor*. Quid enim est expulsio Dæmonis, nisi remissio peccatorum? Quando vero perficitur sanitas, nisi cum renovatur homo de die in diem? cum debilitatur cupiditas, augetur charitas : minuuntur vitia, crescunt merita, et oblitus homo, quæ retro sunt, ad anteriora totis viribus se extendit? Nam illa beata ac felicissima consummatio, quæ tertia die futura promittitur, quid aliud significare potest, quam vitam et gloriam sempiternam? Tribus igitur jubilæis, tres Psalmorum ordines respondent. Primus ordo ad pœnitentes ac incipientes pertinet, ac propterea, in eum Psalmum terminatur, cujus initium est : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*. Secundus ordo proficientium justorum est, quocirca psalmo illo aptissime concluditur, qui incipit ; *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine, psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me*. Postremus ordo perfectis ac beatis convenit, qui non pugnant in via, sed triumphant in patria : et quorum magis propria est laudatio, quam hortatio. Itaque Psalmos omnes, quorum titulus est *Alleluia*, et quorum principium est : *Laudate Dominum*; vel : *Confitemini Domino*; vel : *Benedic anima mea Dominum*, alique fere omnes, qui jucundius cantari solent, nec tam ad petendum, quam ad laudandum referuntur, hic tertius ordo complectitur, cujus illa sunt verba postrema : *Omnis spiritus laudet Dominum*.

Quæ cum ita sint, facile omnes, ni fallor, intelligunt, quam sapienter Psalmus nonagesimus, quem Deo volente suscepimus, exponendum, in secundo ordine collocatus sit, cum totus ad hominem justum, sed proficientem et in via constitutum, et Dei atque Angelorum præsidio indigentem, et cum

vitiis et tentationibus pugnantem referatur.

Præclare B. Hilarius Psalmorum seriem perturbatam atque confusam esse ait, sed eam confusionem summo ordine, atque ex ipsius Spiritus sancti consilio factam affirmat. Etenim si tempora, quibus Psalmi conditi sunt, spectare volueris, nullum horum ordinem reperies. Psalmum tertium David jam senex, ac pene decrepitu composuit, cum eum armatus filius insequeretur. Psalmum vero quinquagesimum tertium in media ætate, quo tempore arma Saulis fugiebat. At centesimum quadragesimum tertium idem adolescens, ac pene puer cecinit, cum de Goliath gigante triumpharet. Itaque in hoc divino Psalmorum ordine constituendo, non temporis, sed mysticarum et spiritualium significationum ratio habita est. Et sive Esdras, ut Athanasio in synopsi placet; sive Septuaginta interpretes, ut Hilarius sentit; sive Ezechias, ut alii volunt, hunc ordinem psalmis attribuit, certe non sine providentia singulari Spiritus Domini id factum esse existimandum est.

PARS SECUNDA.

Quid liber Psalmorum contineat, et quæ partitio atque ordo sit Psalmorum jam exposuimus: nunc de titulo, auctore et argumento Psalmi nonagesimi dicendum est. Nam tria ista fere conjuncta esse solent, cum titulus non solum auctorem, sed etiam argumentum sæpenumero indicet. Quoniam enim ex inscriptione litterarum facile est cognoscere, quo epistola dirigatur, et in officinis pharmacopolarum ex vasculorum inscriptionibus, etiam artis illius imperiti noverunt, quid in quoquo vase contineatur, an mel rosaceum, an aqua, an acetum, an quid aliud: ita ex titulis Psalmorum non est difficile auctorem atque argumentum totius Psalmi deprehendere. Verum hoc tam magno præsidio in hujus psalmi expositione prorsus destituimur. Quamvis enim in quibusdam Græcis codicibus hujus Psalmi titulus sit, *Laus cantici ipsius David*, tamen Hebraici codices nullum titulum habent; veteres quoque patres, Hilarius, Hieronymus, Theodoretus, Euthymius, hunc Psalmum titulo carere affirmant: Chrysostomus et Augustinus, cum ubique diligenter titulos exponant, nullam hoc loco tituli mentionem faciunt.

Itaque sicut primus et secundus et quidam alii Psalmi, titulis carent, et propterea cæteris sunt obscuriores, ita Psalmus hic noster et inscriptione carere, et obscurus, ac difficilis esse judicandus est.

Jam vero de auctore, duas esse video veterum sententias: Chrysostomus enim, Theodoretus, Euthymius et Cassiodorus in prologo Commentariorum in Psalmos, nec non Augustinus in libro de Civitate Dei, Psalmorum omnium unum Davidem auctorem faciunt. Athanasius autem in synopsi, Hilarius præfatione explicationum in Psalmos et Hieronymus in epistola ad Sophronium, iis auctoribus Psalmos adscribunt, quorum nomina leguntur in titulis: eos vero, qui titulis carent, ejus auctoris esse volunt, cujus est Psalmus præcedens. Quare cum Psalmus octuagesimus nonus Moysen auctorem in inscriptione præ se ferat, Psalmus etiam noster, qui est nonagesimus, Moysi erit attribuendus. Sed quid opus est, auditores, tantum nos in auctore investigando laborare? An non certum atque exploratum est, sicut omnium divinorum voluminum, ita etiam libri Psalmorum auctorem primum ac præcipuum esse Spiritum sanctum? Nonne in ipso principio Actuum Apostolorum B. Petrum dicentem audivimus: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David?* Quid igitur Moyses, quid David, quid alii sacri scriptores fuerunt, nisi calami *Scribæ velociter Scribentis?* Et quid, quæso, interest scire, quo calamo scripserit Deus, cum illud constet, Deum esse, qui scripsit?

Restat argumentum, quod eo difficilius hoc loco reperiri potest, quod interpretes præsidio tituli destituti in varias opiniones abierunt. Non defuerunt in primis, qui totum hunc Psalmum de Christo intelligendum censuerint, quod quidem probabile non est. Quo pacto enim illa Christo conveniunt, quæ in hoc Psalmo leguntur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manus por'abunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Neque enim Filius Dei ab Angelis portari solet, cum ipse *Portet omnia verbo virtutis suæ.* Neque Angelorum eguit custodia, qui homines omnes Angelosque custodit. Legi quidem in Scripturis: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei:* sed custodiebant, vel portabant eum, nusquam legi. Alia igitur est sententia aliorum Psalmo hoc nonagesimo describi singularem illam

providentiam, qua Deus Hebræum populum ex Ægypto in Palæstinam per vastam solitudinem deduxit, atque idcirco tam sæpe mentionem fieri serpentum, præliorum, insidiarum, variorum periculorum ac tentationum, quales in eo itinere populo Judæorum occurrisset scimus. Sunt et alii, qui Psalmum nostrum non ad populum universum, sed solum ad regem Ezechiam referunt, in quo secundum litteram illud impletum est, quod in Psalmo legimus: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum*, etc. Fuit enim Deus cum Ezechia in illa gravi tribulatione, cum a rege Sennacherib longissima ac molestissima obsidione premeretur. Deinde eripuit eum, et glorificavit eum, cum paucarum horarum spatio exercitum Sennacherib pene totum delevit. Atque ad extremum longitudine dierum replevit eum, cum ad vitam ejus quindecim annos adjunxit. Verum, auditores, eam sententiam nos potius amplecti volumus, quam Chrysostomus atque August. cæterique Patres ante nos secuti sunt, qui Psalmum nostrum communem ac generalem esse et ad omnes homines pertinere voluerunt. Nam si principium Psalmi diligenter consideres, in ipso argumentum totius Psalmi reperies. Quod est Psalmi principium? *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*: hoc est, quicumque spem suam ac fiduciam totam in Deo collocaverit, is ab omni periculo et afflictione certo protegetur. Itaque propositum Psalmographi est, nobis omnibus perduadere ut spem nostram totam in Deo ponamus, ac propterea multa et varia beneficia enumerat et exponit, quæ Deus in se confidentibus largitur.

Sed illud observandum memoriæque tradendum est, auditores, verba. Psalmorum plerumque duos sensus continere: alterum parvum, ut sic dicam; alterum magnum. Et quamquam parvus est prior, tamen magnus est præcipuus. Accipite similitudinem. Cogitat architectus insigne templum erigere, et tamen priusquam opus ipsum aggrediatur, apud se in cubiculo vel in tabula exprimit coloribus futurum templum, vel certe extruit ligneam ædiculam, quæ licet exigua sit et angustam cubiculi partem occupet, tamen totam molem futuri templi exacte refert. Itaque duo templa quodammodo facit, sed alterum verum, alterum simulachrum veri. Ita quoque Spiritus sanctus Testamentum

novum condere volebat, et tamen condidit prius Testamentum vetus, tamquam typum et simulachrum novi. Res magnas, æternas, cœlestes, spirituales in Psalmis explicare volebat; sed antea nihilominus de rebus parvis, temporalibus, terrenis, corporeis locutus est, quæ tamen typi sunt figuræ rerum cœlestium, et sempiternarum: quod ut intelligeremus, nec errandi occasio hominibus carnalibus daretur, cum de rebus parvis maxime serio, atque ex instituto loqui videtur Deus, tum potissimum quædam admiscet, quæ de parvis illis rebus nullo modo intelligi queunt, nisi ut res illæ parvæ figuræ sunt rerum magnarum. Sume Psalmum septuagesimum primum: *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis*. Psalmus iste totus de Salomone scriptus videtur: nam et titulus est in Salomonem, quia tamen permulta continentur in hoc Psalmo, quæ Salomoni convenire non possunt, nisi ut figuram Christi gerebat, quale est illud: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum: et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei*: idcirco cogimur, dum ista canimus, erigere animos, et non præcipue Salomonem, sed Christum cogitare. Pari ratione, auditores, in Psalmo nonagesimo, qui nunc est præmanibus, duos sensus reperiemus: alterum parvum atque angustum, secundum quem temporalia beneficia, victoria de hostibus mortalibus, diuturnitas vitæ præsentis, liberatio de calamitatibus sæculi, in Deo sperantibus et confidentibus, promittuntur; alterum vero magnum et præcipuum, secundum quem bona spiritualia, auxilium in tentatione, victoriam contra Dæmones, triumphum de vitiis, vitam beatam, gloriam sempiternam, regnum ipsum cœlorum a Deo sperare jubemur. Ac Judæi quidem, qui parvuli erant, priorem sensum tantum sequebantur, pro temporalibus beneficiis Domino serviebant, de sempiternis parum cogitabant: at nos Christiani, qui viri perfecti sumus, vel certe esse debemus, sensum posteriorem amplectamur oportet, nisi iterum parvuli afficiamur, et ad vetus Testamentum ejici velimus. Quid enim Christus ait? *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis*. Itaque ad illa verâ, et magna bona, quæ nobis conservantur in cœlis aspirare atque anhelare; ista vero caduca et fragilia, tamquam additamenta quædam, a Domino sperare debemus.

Sed quid? Hoc infelici sæculo nonne fere omnes contrarium faciunt? Est aliquis futurus canonicus, pastor, Episcopus; quid primum quærit? Quot nummos aureos canonicatus vel pastoratus vel episcopatus reddat. Itaque primum quærimus temporalia: deinde si tempus superest, illud spiritalibus attribuere volumus: propterea justo Dei judicio utrisque caremus. Quam multos ubique reperietis, qui dies et noctes in quærendis corporis commodis sunt occupati, et pro animæ salute unam horam vacuum invenire non possunt? Quam multos, qui cum integram hebdomadam obsequio carnis consumpserint, etiam de die festo, quem solum Deo atque animæ suæ reliquerant, aliquas horas suffurantur?

Sed jam tempus est, ut de nomine et significatione psalterii breviter explicemus, et toti orationi finem imponamus. Psalterium, ut ex epistola B. Hieronymi ad Dardanum, et ex oratione Magni Basilii in primum Psalmum, intelligi potest, musicum instrumentum erat decem cordis instructum, figuram habens rectam et quadratam, sive altera parte longiorem, sonitum reddens parte superiore, contrario modo atque in cithara, et lyra, et testudine fieri videmus. Postremo grave admodum et molestum ad portandum, sed jucundum et suave, si quis non ipsum portare, sed ad ejus sonitum canere, vel tripudiare voluisset. Ac si hæc ita se habent, si Psalterium musicum est instrumentum, unde, quæso, liber iste divinorum carminum psalterii nomen invenit? An ex eo fortasse, quod ad sonitum psalterii carmina ista canebantur? Sit ista una ex causis, quamquam liber primus Paralipomenon non in psalterio solum, sed etiam in cymbalis et lyris aliisque musicis instrumentis, Davidicos hymnos cantatos fuisse demonstret. Sit tamen illa una ex causis: sed certe ratio præcipua est, quia liber iste Psalmorum, illi musico instrumento, quod psalterium dicitur, si spiritualem significationem attendas, quam simillimus esse videtur. Psalterium decem chordas habet, et Psalmorum liber decem divina mandata. Quamvis enim multis et variis modis Psalmorum liber nunc admonere, nunc præcipere, nunc hortari, nunc arguere videatur; semper tamen aliquam harum decem chordarum tangit. Psalterium figuram habet rectam; et lex Domini, quæ in Psalmorum libro continetur, ju-

stitiæ atque æquitatis rectitudine maxime excellit. Nam cum leges hominum semper aliquid pravum et distortum aut jubeant aut tolerant aut permittant; sola Domini lex omnes virtutes præcipit, omnia vitia prohibet, nec ullum bonum sine præmio, nec ullum malum sine supplicio relinquit. *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda*; et: *Lex Domini immaculata convertens animas*. Psalterium quatuor angulis constat; et mandata atque præcepta Psalmorum quatuor angulos orbis terrarum intuentur, orientem et occidentem austrum et aquilonem: nullus enim excipitur, omnes ubique homines in psalterio cantare jubentur. Psalterii sonus a superiore parte descendit; et liber Psalmorum, et quæ in eo præcepta vitæ continentur, e supernis sonant. Non ea Licurgus aut Solon excogitavit, sed e cælo ab ipsa Dei sapientia descenderunt. Postremo psalterium cum labore portatur, sed cum voluptate in eo cantatur; et sancta ista mandata gravia et molesta sunt, si quis ea timore pœnæ servare, id est non cantare, sed portare voluerit: sed *Dulciora mel et favum*, si amore ac delectatione justitiæ observentur. Qui solum ideo servat mandata, quia timet supplicium, confitetur in Paschate, quia timet excommunicari; non occidit, non furatur, non fornicatur, quia impune non potest; audit sacrum, sed invitas: jejumat, quia prandium non datur; is non cantat, sed portat psalterium, imo non portat quidem, sed cadit sub onere, opprimitur ab onere, reus ac prævaricator efficitur. Quid igitur mirum, si semper est tristis? At qui serio vitam mutare, et toto animo, toto corde, tota devotione, tota alacritate, totis viribus Deo servire et placere studet, is vere canit in Psalterio, et canit canticum, canticum novum, quod soli homines novi cantare possunt, quos non premit psalterium onere ponderum, sed sublevat vice pennarum, qualis imprimis fuit David, qui totis viribus suis coram arca saltabat, quia ex toto corde suo Dominum diligebat, vereque dicebat: *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi*. O canticum! O tripudium! O si carnales homines, qui canticis lascivis et choreis ac tripudiis tantopere delectantur ista cantica sanctorum, jucundissimas istas choreas experiri possent? O semel intelligerent, quam incredibilem voluptatem afferant in vita, et quantam postea in morte lætitiâ et securitatem, celeriter

sane a nugatoribus et inanibus choreis se expedirent, et ad hæc sobria et jucunda tripudia convolarent.

Sed si præsens utilitas ac delectatio eos non movet, moveat saltem ingens periculum, quod iis omnibus certe impendet, qui ad sonitum psalterii canere ac saltare recusant. Quis enim est adversarius, de quo Dominus monet in Evangelio, dicens: *Esto consentiens adversario tuo cito dum es cum eo in via, ne fortetradat te adversarius iudicii, et iudex tortori, et mittaris in carcerem; Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quis iste est adversarius, nisi divinum Psalterium? Nec enim dæmonem aut mundum aut carnem adversarium illum fas est suspicari, cui consentire ac obtemperare jubemur. Adversarius igitur divinum Psalterium est, quoniam iis omnibus adversatur, qui ad sonitum suum saltare non volunt, quibus etiam in die iudicii exprobrabit, *Cantavimus vobis, et non saltastis.* Quid vero consulit nobis magni consilii Angelus? *Esto consentiens, inquit, adversario tuo cito dum es cum eo in via.* Cito, inquit. Nam mors ade-

rit cito, et citius multo quam putas. Nihil enim medium est inter animam et gehennam nisi paries carnis, qui singulis horis ruinam minatur. Cito igitur dum es cum eo in via, dum vivis, dum tempus habes. Væ enim tibi, si causa non composita discedis e vita: tradet enim te adversarius iudici, et iudex tortori, et in carcerem illum teterrimum atque horrendum detruderis, ubi tristes choreas ad sonitum flagellorum cum Dæmonibus duces. Et quando putas egredieris? *Amen dico tibi* (Veritas ait) *non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem,* id est, universum debitum. Debitum vero est infinitum, nec solvi potest nisi tempore infinito: tunc igitur exies, tunc liberaberis, quando finietur infinitum. Et quando finietur infinitum? O amaram consolationem! Miseros ac stultos qui ista non cogitant! Evigilemus, fratres mei, et mature cum adversario componamus, ut aliquando iudex vertatur in patrem-adversarius in amicum, carcer in paradisum, quo nos perducatur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO II.

SUPER PSALMUM XC.

DE PRIMO VERSU

Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc.

SYNOPSIS

Cum in imitatione Christi consistat Christiana perfectio, docemur in exordio, in quibus potissimum eum debeamus imitari; atque inde ad textum psalmi propositi particulatim explicandum descenditur. Versum primum totius Psalmi argumentum continere, declaratur et vocabulum qui, explicatur, per quod omnis personarum acceptio a Deo secluditur, secus quam apud homines fieri solet. In adjutorio Altissimi non modo sperandum, sed per firmam spem continuo habitandum esse, a simili docetur. Quatuor deinde hominum genera considerantur, et quinam ex iis in adjutorio Altissimi habitent investigatur. Primum genus est desperantium, quibus convenientia præscribuntur remedia; atque ii non in Deo, sed in patibulis habitant. Secundum genus est sperantium in solis rebus creatis, atque ii habitant domos luteas, quæ facile ruunt. Tertium præsumptium, quales potissimum sunt Lutherani; atque ii in arena habitaculum suum fundant. Quartum denique est eorum, qui nixi fide, charitate, bona conscientia et operibus, bene sperant: atque ii tandem in adjutorio Altissimi habitant.

Pars altera textus explicationem prosequendo, a simili, et ab exemplo Davidis et Goliath ostendit, omnia terrena in Deum confidentibus videri parva et vilia. Quid sit protegere, et quomodo sancti sub umbra et protectione

divina delitescant exponitur. Cur Deus, Deus cæli appelletur, varicæ rationes, maxime vero S. Hieronymi et S. Bernardi adducuntur. Tandem explicata breviter vocula Commorabitur, gravis exhortatio ad fiduciam omnem in Deo collocandam, concludit.

Christiani hominis vera ac solida perfectio, auditores optimi, in eo tota posita esse videtur, ut Christum summo studio imitari, eumque quam proxime potest sequi contendat. Etenim ille caput, nos membra: ille imperator, nos milites: ille doctor, nos discipuli sumus. Sed nemo trepidet, nemo turbetur, nemo desperabundus dicat, qua ratione fieri potest, ut homines lutei Deum imitari, et gigantem maximum nos pumilio-nes sequi valeamus? Neque enim Christum sequi, atque imitari jubemur in ea gloria et majestate, qua sedet in cœlis ad dextram Patris, neque in ea potentia ac virtute, qua mundum universum regit, et signa ac prodigia operatur: sed in eis dumtaxat, quæ hic in terris propter nos accepit. Propter nos autem quid nil labores, dolores, supplicia, flagella, vulnera, mortem accepit? Itaque nusquam opinor in Scripturis legisti: Qui non ambulat super mare, non est me dignus; et: Qui non excitat quatruiduanos mortuos, non potest esse meus discipulus; et: Beati qui futura prædicunt, et signis ac prodigiis clarent, quoniam ipsorum est regnum cœlorum? Sed quid? *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Et: *Qui non*

bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Et: Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Id quod præclare sane omnes nostri Apostoli intellexerunt, qui cum linguis loquerentur omnium gentium, cum gloria miraculorum essent clarissimi, cum se præsides ac principes orbis terrarum non ignorarent, tamen in eo solo gloriabantur, quod *Digni habitati* essent *pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et Beatissimus Paulus cum præter ea, quæ sibi cum Apostolis cæteris erant communia, in tertium cælum raptus, et in paradisum introductus arcana quædam audivisset, *Quæ non licet homini loqui,* non tamen propter ea se Christo similiorem ac viciniorem esse judicabat, sed propter ea solum, quæ ipse in epistola posteriore ad Corinthios enumerat: *Ministri Christi sunt,* inquit (*ut minus sapiens dico*), *plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Hæc igitur sunt, quæ nos in imperatore ac duce nostro Christo imitari necesse est. Patientia in adversis, in arduis fortitudo, in omni periculo ac labore constantia. Quæ quidem nusquam neque melius, neque facilius discere poterimus, quam in eo Psalmo quem Deo auctore suscepimus explicandum. Is enim demum in omni casu et calamitate non modo patientiam atque constantiam, sed etiam tranquillitatem et lætitiâ animi conservabit, qui in adjutorio Altissimi, quasi arcem quamdam sibi constituerit, atque ad eam tempore belli confugere, et in ea perpetue commorari didicerit. Quare, si placet, ad ipsa prophetæ verba diligentius pertractanda et exponenda aggrediamur.

Qui habitat, inquit, in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Continetur his verbis, auditores, complexio quædam brevis ac propositio eorum, quæ in toto Psalmo argumentis et rationibus variis confirmantur. Istam enim unam sententiam Psalmus totus intuetur: qui spem suam ac fiduciam in omni periculo atque adversitate ponit in Deo, is ab eo sine dubio protegetur. Sed verba singula seorsim, ac per se consideremus.

Initio ut promissionem Dei generalem et communem esse propheta demonstraret, et nullos omnino homines excluderet, nullum genus hominum nominandum esse existima-

vit. Itaque non ait: Dives qui habitat in adjutorio Altissimi, ne pauperes excludi viderentur. Neque ait: Pauper, qui habitat in adjutorio Altissimi, ne excludi viderentur divites. Sed generatim, *qui,* inquit, ut omne hominum genus, omnem ætatem, omnem sexum, omnem gradum et statum comprehenderet. Magno sane vitio laborat mundus, qui in donis ac muneribus distribuendis, non merita plerumque, sed personas intuetur. Si quispiam dives ac nobilis seipsum domitue invitet ad cœnam, accipis id loco magni beneficii, eumque non solum excipis quam lautissime, sed etiam urges atque impellis verbo atque exemplo ad petinas et calices quam plurimos evacuandos. Deinde etiam agis gratias, et te novo beneficio obstrictum atque obligatum confiteris. Quod si aliquis pauper id faceret, quas verborum contumelias non audiret? Pari ratione causæ divitum confestim expediuntur, causæ pauperum vix aditum ad judices inveniunt. Ac ne multa: Sicut omnia flumina currunt ad mare, ita copiæ atque opes mundi ad opulentos et locupletes confluunt. Neque ratio est obscura. Quia enim nemo est tam dives, ut non aliorum opera, vel opibus indigeat, propterea in eos beneficia unusquisque libentius confert, a quibus paria vel majora etiam expectat. Hinc igitur Deus, qui solus vere est dives et qui bonorum nostrorum non eget, personas non respicit, sed omnibus adest, omnibus consulit, omnibus providet, omnes defendit, qui ad se in tribulatione confugiunt. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Et: *Qui habitat in adjutorio Altissimi,* quicumque tandem ille sit, sive dives, sive pauper; sive magnus sive parvus; sive nobilis sive plebeus; sive princeps, sive privatus, *In protectione Dei cæli sine dubitatione commorabitur.*

Altera Psalmi vox, *Habitat,* magnam vim atque energiam habet. Non enim tantum dictum est: *Qui sperat vel confidit,* sed *Qui habitat in adjutorio Altissimi,* ut intelligeremus, non esse ad auxilium divinum confugiendum, quomodo cum forte pluit, sub aliquam arborem, vel porticum confugere solemus: sed quomodo pueri solent, cum aliquid metuunt, in domum paternam se recipere. Videmus pueros in plateis cum sodalibus suis ludentes, simul atque aliquid adversi timent, nihil cogitare; nihil quærere, sed recta concito gradu in domum patris currere, ibi se tutissimos fore non dubitant, nec

decipiuntur : sciunt enim se domi parentes habere, qui pro se vitam et sanguinem fundere paratissimi sunt. At qui vel arboris, vel porticus perfugium quærunt, ii multa prius loca vel animo vel oculis perlustraverunt, et cum nullum perfugium aliud invenire potuerunt, coacti atque inviti sub arborem vel porticum sese recipiunt. Cur igitur aliqui auxilium divinum precibus implorant, nec tamen impetrant, confidere videntur Deo, et tamen ab eo non proteguntur? Quia non vere habitant in adjutorio Altissimi, neque ad providentiam Dei tamquam ad paternam domum, sed tamquam ad arborem in via se conferunt, posteaquam nec in hominibus, nec in dæmonibus, nec in suis artibus, fraudibus, colis, mendaciis remedium malorum invenire potuerunt. Quare necessarium nobis est, auditores, longo usu confugiendi ad Deum, longaque exercitatione confidentiæ in ipso Deo quasi domum quamdam fabricare, ubi tempore malo tuto habitare possimus, et eam quocumque iverimus nobiscum conferre, ad eum modum, quo testudines facere videmus, quæ licet huc atque illuc libere vagentur, semper tamen inveniuntur domi.

Sequitur : *In adjutorio.* Quo uno verbo brevissime indicatur, quæ sit, et qualis ea fiducia cui divina protectio certo promittitur. Neque enim quævis confidentia talis est : alioqui cælum ignavis, perditis, sceleratis, furibus, latronibus, et quod est gravius, Lutheranis et Calvinianis completemus. Qui enim homines magis confidunt, quam ii, qui sine ullis bonis operibus imo cum multis sceleribus se regnum cælorum adepturos nullo modo dubitant? Quatuor hominum genera nobis consideranda sunt, ut eos tandem inveniamus, qui vere habitant in adjutorio Altissimi. Quidam enim non tam in ædibus, quam in patibulis habitant : quidam degunt quidem in ædibus, sed luteis, debilibus, ruinosis : porro alii incredibili temeritate marmoream domum super arenam ædificare voluerunt : sed alii postremo sunt, qui arcem munitissimam super firmam petram collocarunt, quos solos in adjutorio Altissimi jure optimo dixerimus habitare.

Primum genus eorum est, qui nec in Deo, nec in hominibus, nec in ulla re alias perant, et semper anxii, semper tristes, semper miseri sunt. Nec solum præsentibus malis premuntur, sed etiam futuris, et iis etiam, quæ fortasse nunquam erunt. Nam sicut ii, qui a prætore torquentur, quamvis non ignorent,

si delictum confiteantur, se continuo ad mortem rapiendos ; tamen ut præsentem cruciatum ad tempus evadant omnia contententur, quæ gesserunt, et plerumque etiam quædam, quæ non gesserunt. Ita miseri isti homines, qui non adversa pati, nec in adjutorio Altissimi confidere didicerunt ut præsentem calamitatem effugiant, aut laqueo, aut ferro, aut veneno, aut præcipitio sibi ipsis vitam crudelissime eripiunt. Quibus quidem (ut eis medicinam consilii atque orationis meæ, [si quam potero, afferam]) nullum remedium efficacius adhiberi posse video, quam frequentem atque assuetam cogitationem beneficiorum Dei. Etenim in quantumvis gravi miseria et calamitate veriseris, certe eriges animum, certe consolationem accipies, si te hominem esse cogites, Dei ipsius manibus formatum, ratione atque intelligentia præditum, qua Deum et omnes res creatas contemplari vales, qua omnibus animantibus longe excellis, qua artes inventæ, urbes constitutæ, et ipsum mare navigabile factum est. Nonne in te, quamvis inops et nudus terrenarum copiarum videaris, divini numinis imago clarissime splendet? Nonne sol et luna ardentem facem coram te noctes ac dies perferunt? Quid? Quod Angeli circum te semper excubias agunt, Beati omnes patrocinium tuum apud Deum susceperunt, Deus ipse tibi coronam gloriæ, regnum sempiternum et paradysum voluptatis præparavit? Quid? Quod Filius Dei tanti te fecit, ut vitam potius suam, quam animam tuam perdere voluerit? Ac ne grave et durum tibi videretur, inopia premi, famem et sitim, frigus et nuditatem, contumelias et convicia pati, ipse hæc omnia et multo etiam graviora tolerare voluit. Et quam multos, quæso, numerare posses, qui sponte sua istam inopiam tuam, quæ tibi molesta esse videtur, elegerunt, ut liberius, expeditius, facilius, imperatorem nostrum Christum sequerentur? Quam multos, qui vincula, carceres, flagella, supplicia et cruciatus omnis generis, atque adeo mortem ipsam propter Christum summis votis expetiverunt? Et quid, obsecro, si dæmones atque homines in te omnes armentur? Quid, inquam, gravius in te committere poterunt, quam ut de hac valle lacrymarum ad patriam beatorum te transmittant? Denique illud attende, diffidentiam ac desperationem non solum mala præsentia non minuere, sed augere : verum etiam ad mala sempiterna et intolle-

randa sine dubitatione perducere. Sicut contra spes et confidentia, vel a malis presentibus liberationem, vel quod melius et utilius est, patientiæ donum impetrare solet.

Alterum genus eorum est, qui spem suam totam in rebus creatis posuerunt, nec in adjutorio Altissimi, sed in carne sua, in opibus, honoribus, pulchritudine, eruditione, amicitia et gratia hominum habitant: quos omnes certum est tam esse stultos, quam ea sunt vana in quibus confidunt. Divitiæ nonne Evangelio teste, spinæ ac tribuli sunt, quæ manus eorum pungunt ac lacerant, qui in ipsis innituntur? Nonne Dominus clamat: *Filioli, Quam difficile confidentes in pecuniis regnum Dei introibunt?* Ut omittam, quam facile transeant de una domo in aliam, et quos hodie beatos faciebant, cras nudos et vacuos relinquunt. Species ac forma corporis, quam facile marcescit? Nonne videmus quotidie homines etiam pulcherrimos et formosissimos tandem in cadaver commutari, adeo fœdum atque horrendum, ut nec sensus videnti eos tollere possit? Sapientia quoque atque eruditio baculus est arundineus, qui facillime frangitur, et manus innitentis periculosissime gravissimeque sauciat. Fulli enim in errores perniciosos facilius cadere, et in eis obstinate perseverare sinuntur a Deo, quam ii, qui in eruditione sua confidunt. Videmus Hæreticos, qui iudicium suum toti Ecclesiæ anteposunt, adeo interdum incipientes evadere, ut ea dicant, quæ pueri trium annorum intelligerent esse fragmenta, et non tam loqui, quam delirare et insanire videantur: *Filii, inquit Sapiens, ex toto corde tuo habe fiduciam in Domino, et ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et rursum alio loco; *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.* Vere impie, quia idolum sibi quodammodo fabricat, et a Domino recedit cor ejus. Jam vero quid honoribus et dignitatibus levius, qui gratia, et opinione principum sustentantur? Nonne vel levissimo suspicio sufficit, ut qui hodie cœlum attingere videtur, cras usque ad inferos dejiciatur? Et quando horum nihil penitus acciderit, nonne tandem aderit mors, quæ uno impetu luteas illas domos super arenam ædificatas dejiciet, atque evertet? O fallacem eorum spem! O eorum inanes contentiones! O miseros ac stultos, qui ponunt carnem brachium suum! Audite, audite quid sapientia Dei, qui mentiri non potest, de ejusmodi dicat architectis: *Spes impia, inquit, quasi lanugo est, quæ a*

vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est. Quid celerius cadit quam lanugo? Quid facilius dissolvitur, quam spuma? Fumus vero nonne tantum ascendit, quantum est longitudo camini, ac deinde statim dissipatur, et evanescit? Ita igitur et spes impii, tamdiu durat, quamdiu vita ipsa durat. Vita ipsa deficiente spes omnis deficit, et ei desperatio et damnatio sempiterna succedit.

Tertium genus est eorum, qui in Deo quidem confidunt, sed perverse, temereque confidunt, qui videlicet in suis flagitiis ac sceleribus perseverare volunt, et tamen secure dormiunt. Quales imprimis sunt hæretici Lutherani, de quibus Scriptura loquitur, dicens: *Sapiens timebit, et declinat a malo: stultus transiit et confidit.* Ita isti faciunt, transgrediuntur jejunia, transgrediuntur vota, transgrediuntur præcepta, transgrediuntur consilia: et tamen se Deo amicos esse non dubitant. Itaque opinione atque estimatione sua in Altissimi adjutorio habitant, re autem vera in domo phantastica atque imaginaria degunt. Nesciunt enim isti nesciunt prorsus quis sit verus Deus: Deus enim verus *Deus Zelotes* est, ultor peccatorum mirabilis, qui diligit iudicium et justitiam. Isti vero fingunt sibi Deum quemdam totum levem, mollem, dormientem, qui zelum non habeat, qui nescit irasci, vel non possit vel non velit punire peccata. Falleris, Epicuræ, Lutherane, falleris, non est iste Deus noster, sed phantasma tuum: vel si Deus est, certe Epicuræorum, non Christianorum est. Sed nomen ipsum adjutorii, quod in hoc Psalmo legimus, nonne satis ostendit, quam sit inanis ista Lutheranorum, et ignavorum hominum fiducia? non enim recte dicitur adjuvari, nisi qui etiam aliquid confert, aliquid conatur, aliquid operatur. Id quod filii hujus sæculi satis intelligunt: et in eo asina Balaam sapientior est, quam Balaam, id est caro nostra atque homo exterior, doctior est, quam animus homoque interior. Agricolas interroga: an quia non dubitant sine Dei auxilio nihil posse fieri, num propterea otientur, et neque agros serant neque vineas plantent neque hortos colant? Si quis nostrum domum ardere videat, solum dicat, Dominus providebit, et non conetur quantum in se est ignem aqua restinguere, utrum ea confidentia, an socordia et negligentia dicenda est? Ad eundem igitur modum, si

miseriam tuam agnoscis, et ab ea liberari cupis, si vides te etiam post confessionem peccatorum factam non gustare quæ Dei sunt, ad vomitum peccatorum sæpius reverti, ebrietas, crapulæ, fornicationis aliorumque vitiorum amorem ac desiderium magnum adhuc in corde tuo locum habere, debes quidem, idque præcipue in adjutorio Altissimi spem collocare : sed etiam præterea ex parte tua nihil omittere, devotis precibus instare, sanctorum libros legere, occasiones peccatorum fugere, Pœnitentiæ sacramentum frequenter accedere, spirituum virorum consilia quærere : Deus enim adjuvat quidem, sed vigilantes, et strenue ac impigre laborantes. Ex quo non difficile erit, auditores, quartum genus hominum confidentium, quod solum superest agnoscere.

Quartum igitur genus eorum est, quorum spes ac fiducia quatuor quasi radicibus nititur, fide, charitate, conscientia pura et operibus bonis. De fide legis apud Apostolum in epistola ad Ephesios : *Habemus fiduciam per fidem ejus*. Fides enim fiduciam generat, dum nobis Deum, ut parentem proponit, et parentem benignum, fidelem, liberalem, qui possit et sciat et velit in se confidentes protegere ac defendere. Neque enim fieri potest, ut in eo confidas, cujus promissionibus fidem non habes. Itaque fides est prima radix confidentiæ, sed fides Catholica : Nam fides Hæreticorum, quæ perfidia quædam est, non fiduciam, sed præsumptionem gignit. De charitate apud eundem Apostolum alio loco legis : *Spes non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Nam sicut nemo est, qui tuto confidere possit in hoste, et si confidit, stultus est, et fiducia ejus confundet eum : ita qui amat et amatur, nihil habet, quod sibi secure de amico confidere non possit. Jam de conscientia bona legis apud sanctum Joannem : *Charissimi, si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Et in libro sancti Job : *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia ; habebis fiduciam in proposita tibi spe, et defessus securus*, id est, absque cura et sollicitudine *Dormies*. Et sane, auditores, sicut conscientia peccatorum timorem ac desperationem inducit, ita conscientia pura, et a sordibus peccatorum purgata, dici non potest quantam in omni periculo confiden-

tiam et lætitiâ afferat. De operibus vero bonis divinus Apostolus : *Qui bene, inquit, ministraverint, bonum gradum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu*. Et rursum ad Hebræos : *Vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*. Si enim qui hominis gratia aliquid egit, cum fiducia postea ad eundem accedit, nec repulsam pati metuit : quanto majore ratione qui in bonis et Deo gratis operibus se exercuerit, cum fiducia magna ad thronum ejus accedere poterit ? Hæc igitur est, auditores, non hæreticorum inanis fiducia, sed vera confidentia Christianorum, cui soli protectio divina promittitur.

PARS SECUNDA.

Exposuimus tria verba prima primi versus Psalmi nonagesimi : *Qui habitat in adjutorio* : sequitur ut de quarta voce, quæ est, *Altissimi*, pauca dicamus.

Multa sunt, auditores, in sacris litteris nomina Dei, sed nullum huic loco aptius conveniebat, quam *Altissimi*. Nam hoc uno vocabulo facile potest intelligi, cur qui habitent in adjutorio Altissimi, etiam inter mille pericula constituti, nihil timeant. Res enim quo longius absunt ab oculis, eo minores videntur, quo vero oculis sunt proprioeres, eo majores apparent. Certe nōs, qui terram istam incolimus, montes, quos ante oculos habemus, immensæ magnitudinis judicamus, sidera vero, quæ procul a nobis absunt, vix aureis nummis comparari nobis posse videntur : ac si cœlum ascendere possemus, tunc sane contra stellarum globos incredibilis magnitudinis, et nostros montes Alpes et Pirenæos, Olympos etiam et Caucasos cæterosque editos montes non parvos, sed minimos ac pene nullos esse judicaremus. Ad eundem igitur modum, qui habitant in adjutorio Altissimi, in arce illa excelsa ac sublîmi, explicari non potest, quam parva, quam exigua, quam minuta esse censeant pericula, flagella, tormenta, mala denique omnia, quæ hic reperiuntur in terris. Vident armatas acies militum et agmina formicarum existimant, quæ uno pede summa facilitate contererentur. Auxilium vero divinum, quod semper eis obversatur, vere

magnum, et invictum, ut est, ita eis videtur. Quocirca neque metuere, neque turbari sciunt, sed quicquid accidat, confidenter dicunt : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Et : *Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? Certum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Quo tempore magnus ille Goliath in castris Philistinorum militabat, nemo erat Hebræorum, qui cum eo singulari certamine conflicere auderet, sed eo propinquante, et ad prælium singulos provocante, omnes tamquam cuniculi fugiebant. Venit autem eo quodam die sanctus David, tunc adhuc adolescens ac pene puer, et quoniam in Altissimi adjutorio habitabat, eum, quem alii gigantem maximum esse dicebant, ipse quasi pygmæum vel pumilionem contemnebat. Itaque pergit ad regem, et ait : *Non concidat cor cujusquam in eo, ego servus tuus vadam, et pugnabo adversas Philistæum.* Cui rex : *Non vales, inquit, resistere Philistæo isti, quia puer es ; hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Tum David : *Et quis est iste Philistæus incircumsisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis ?* Ac ut eum intelligeremus non in viribus aut armis, sed in adjutorio Altissimi spem victoriæ posuisse, ad Philistæum ait : *Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo : ego autem ad te venio in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te.* Conferte, si placet, aliquem filium hujus sæculi, qui habitat in superficie terræ, cum aliquo servo Dei, qui in adjutorio Altissimi domum suam fabricavit. Ille si tres obolos amittat, totam viciniam commovebit, si injuriam aliquam accipiat, si non dicatur optimus, et prudentissimus et nobilissimus et pulcherrimus totius civitatis, non poterit contumeliam istam integro anno concoquere. Cur ita ? Quia jacet in terra, et ei etiam res parvæ, magnæ esse videntur. At servus Dei (quales innumeri sancti Martyres fuerunt) qui sedem suam habent in Deo, et cor suum affixit cælo, superior est omnibus rebus creatis, nihil ei nocere potest. Aspicit ignes, gladios, bestias, rotas, cruces, aliaque supplicia

Diaboli arte excogitata, quasi morsus pulicum et muscarum : vel tamquam sagittas parvulorum, quæ non tam repellendæ, quam contemnendæ sunt. Habemus igitur quid sit in adjutorio Altissimi habitare.

Sequitur : *In protectione Dei cæli commorabitur* : Quæ est altera pars complexionis, quam initio hujus Psalmi constitui diximus : et tam apte priori parti respondet, ut admirabile sit. Sed verba singula consideremus.

Protegere, auditores, si grammaticos consulamus, nihil aliud est, quam procul tegere, id quod duobus modis fieri potest. Nam et procul tegit, qui ipse procul existens, tamen clientem suum ab ictibus et vulneribus defendit : et procul etiam tegit, qui prope astans tela adhuc procul volitantia prohibet. nec ea ad corpus clientis sui propinquare sinit. Utrumque magnis viris, atque imprimis Deo rectissime convenit. Quoniam enim longissima brachia Deus habet, et *Attingit a fine usque ad finem*, etiamsi in cælo sedere atque habitare dicatur, facile potest nos tegere, quocumque in loco tandem fuerimus, nec solum ad nos procul existentes brachium adjutorii sui extendere, et nos eo modo protegere ; sed etiam tela miseriarum et calamitatum adhuc procul existentia, adhuc ex arcu non emissa, adhuc ex pharetra non educta, adhuc in cunis suis latentia, a nobis prohibere comminuere et confringere potest. Quod vero Beatus Hieronymus ex Hebræo ad verbum transtulit : *In umbraculo Domini commorabitur*, sententiam non mutat ; neque enim novum aut inusitatum est, ut favor et gratia magnorum virorum umbra nominetur. Itaque sicut famuli et clientes regum et principum, sub umbra dominorum securi delitescunt, et sæpe multa impune committunt, nec ullos metuunt, quamvis alioqui majores et potentiores : ita servi Dei sub umbra Domini sui securissimi tutissimique sunt. Nihil est enim, quod umbram Dei non vereatur. Cur enim existimatis Paulum, Antonium, Hilarionem aliosque permultos viros, qui vastissimas eremos incolebant, inter ursos, lupos, serpentes, scorpiones, aliasque ferocissimas bestias sine ullo metu vitam traduxisse ? Cur non Daniele a leonibus, nec tres pueros ab igne, nec Petrum a fluctibus maris lædi potuisse, nisi quia et animantia bruta, et elementa omnia Creatoris umbram, quæ sanctos homines undique tegit, pertimescant.

Sequitur : *Dei cœli*. Quod nomen multis magnisque de causis positum esse videtur. Primum, ut vocabulo, *Altissimi*, quasi e regione responderet. Altissimus etiam ipse est *Deus cœli*, hoc est, cœli altissimi domicilii habitator. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* inquit David. Et rursum : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Et Sanctus Moyses : *Respice*, inquit. *de sanctuario tuo, de excelso cœlorum habitaculo*. Et Salomon : *Tu*, inquit, *exaudies de cœlo, de sublimi scilicet habitaculo tuo*. Altissimus igitur altissimum posuit domicilium suum, et Deum cœli dici voluit, quia cœlum sedes ejus ac thronus est, quod non ita est accipiendum, quasi certo spatio ac terminis contineatur Deus, cum ipse de se dicat : *Cœlum ac terram ego impleo* : sed quia in cœlo se videndum facie ad faciem beatis Angelis, et hominibus exhibet. Deinde Deus cœli appellari voluit ut nobis veri Dei protectionem promitti non dubitarem. Nihil est enim, quod magis Deum verum a diis falsis discernat, quam fabrica cœlorum. Nam *Dii Gentium Dæmonia ; Dominus autem cœlos fecit*. Itaque sicut Apelles, pictorum omnium facile princeps, ut etiam absens a Protogene cognosceretur, miro artificio incredibilis tenuitatis lineam duxit, quam nemo unquam imitari posset : sic etiam (si parva licet componere magnis) Deus noster admirabili illo opere, quo cœlos ex nihilo in momento fabricavit, se verum ac solum Deum esse, facile ostendit. Quamvis enim terram quoque et maria, et quicquid in eis continetur, idem Dominus creaverit, tamen nulla re alia majestatem et potentiam ac sapientiam suam magis declaravit, quam opere cœlorum ut jure sanctus David cecinisse videatur : *Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Est enim cœlum omnium corporum longe maximum et pulcherrimum, tot luminibus illustre, ut numerum omnem excedant ; tanto inter se ordine constitutis, ut admirabile sit ; eandem semper legem, et constantiam in tanta motuum et cursuum diversitate servantibus, ut stuporem intuentibus adferant, denique tanta virtute et efficacia præditis, ut nihil in terris sine ipsorum adjumento ac beneficio generetur. Itaque merito Deus verus, Deus cœli nominari voluit.

Sed illud hoc loco prætermitti non debet, quod in epistola ad Marcellam B. Hieronymus tradit. Hebræum verbum, *Sadai*, pro

quo nos Deum cœli in nostris codicibus habemus, unum esse ex decem nominibus Dei, et robustum et fortem, omnipotentem atque ad omnia sufficientem significare : rectissime enim ei, *Qui habitat in adjutorio Altissimi* protectio promittitur *Dei cœli*, id est, robusti, fortis, potentis, invicti : non quales sunt dii aurei atque argentei Ethnicorum, qui custodibus indigent, et adeo sunt infirmi ac debiles, ut ne verbis quidem seipsos defendere valeant. Fortasse etiam, ut B. Bernardus annotavit, propterea Deus cœli appellatus est, qui nos a periculis et miseriis sua protectione defendit : quia sub cœlo sunt aereæ potestates, quæ semper vigilant, ut nobis pestem et perniciem machinentur : sub cœlo sunt homines improbi, fures, nefarii, scelerati, latrones, piratæ, impostores, leones, venefici, schismatici, Hæretici denique omnes, qui vel corporibus vel mentibus insidiantur : sub cœlo sunt ægritudines, morbi, penuriæ, bella, præcipitia, feræ silvestres ac venenatæ : sub cœlo denique est ipsa caro, quæ perpetuum bellum cum spiritu gerit : est amor honoris, qui instar visci retinet eos, qui super ramos arborum volitant : est amor deliciarum ac voluptatum, quæ ut Sirenes miseros blanditiis circumveniunt, et occidunt. Optime igitur dictum est : *In protectione Dei cœli*, ut nihil eorum quæ sub cœlo sunt, timere possit, quicumque protectionem ejus habere meruerit.

Restat verbum postremum, *Commorabitur*. Quod quidem sua vi atque energia non caret. Primum enim aptissime respondet verbo, *Habitat* : quomodo enim homo justus non semel aut iterum in Deo confidit, sed semper idcirco in Altissimi adjutorio, tamquam in propria domo, habitare dicitur : ita quoque non semel aut iterum ; sed semper a Deo cœli protegetur, atque ideo in ejus protectione tamquam in propria sede commorabitur. Deinde vox Hebræa non solum hoc loco, *commorabitur*, significat, sed etiam *Commorabitur in nocte* ; ut illud nimirum intelligeremus, divinam protectionem in nocte hujus vitæ solum esse necessariam : in altera siquidem vita, quæ noctem non habet, non in protectione, sed in gaudio et in regno Dei cœli commorabimur. Atque hic finis est versiculi, quem hodie suscepimus exponendum.

Reliquum est, auditores, ut iis rebus auditis ad confidentiæ virtutem nobis comparandam accendamus : Certe videtis, quam

multum sit, quod Deus promittit, quam parvum, quod requirit. Si diceret Deus, centum aureos nummos singulis annis mihi numerabis, et ego te in omni periculo tam corporis, quam animi salvum conservabo : quis non mallet domum et vestes, et quicquid habet, statim vendere, et pecuniam Deo numerare, cum pericula, quæ nos circumstant, sint maxima et infinita, ut semper plura et majora exoriantur ? At nunc Deus noster non hoc dicit, sed solum spem tuam et fiduciam in me collocato, et sine dubio protegeris. Non habet mundus condiciones et pacta tam bona : et tamen homines libenter illis acquiescunt. Nonne qui vineam suam vel aream custodiri cupit, libenter aliquid solvit ? Nonne reges ac principes arces, et civitates ipsorum, ut tempore belli custodiantur ab hostibus, maxima stipendia militibus numerant ? At nunc Deus noster, qui bonorum nostrorum non eget, nihil tale a

nobis exigit, et tamen corpus et animam, et omnia nostra custodire paratus est, et *Non dormiet, neque dormitabit*, ut diligenter nos custodiat : si tamen in eo confidere, peccata fugere et bonis operibus incumbere voluerimus. Hanc igitur præclaram virtutem tamquam pretiosam margaritam, rebus omnibus venditis, fratres mei, si sapimus, comparemus. Non fidamus in divitiis, quæ gratiæ cœlesti pauperem efficiunt : non in sapientia, quæ *Stultitia est apud Deum* : non in corporis forma, quæ cito corrumpitur, et animam deformem sæpenumero reddit : non in vanis mundi hujus honoribus, qui sunt factura cœlestis gloriæ, et ignominiam sempiternam adducunt : sed spes nostra et fiducia tota collocetur in Deo, ut ab ipso tandem protectionem ac defensionem in terris, et gloriam ac felicitatem in cœlis percipere mereamur, ubi cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO III.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU SECUNDO

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum ; Deus meus,
et sperabo in eum.

SYNOPSIS

Ducto exordio ab excusatione exquisitoris enuclcationis singulorum verborum, ad versum secundum explicandum acceditur, qui duplici sensu a superiori dependere deprehenditur. Domini nomen Deo soli proprie convenire probatur, qui solus nulli subest, solus sibi ipsi sufficit, solus omnia pro libito disponit. Quam magnum sit beneficium justificationis, quod per vocem Susceptor denotatur, multis dilucidatur et de diversitate casus electorum reprobatorum agitur. Quomodo se Deus aliis atque aliis aliter arcem refugii præbeat, docetur a simili, quo cervis in montem excelsum confugientibus assimilantur perfecti, erinaceis vero in petris se salvantibus simpliciores justis. Cur subjungatur Deus meus, et quomodo nos quoque exempla sanctorum, qui semper in Domino speraverunt, imitari oporteat disseritur.

Cum in priori parte multa de fiducia in Deum dicta sint, in hac secunda parte agitur de periculis, quæ pœnitentiam differantibus imminent. Et in primis aliquot de hac re sacræ Scripturæ adducuntur testimonia. Deinde quatuor enumerantur causæ, quo conversionem peccatorum reddunt difficilem, nimirum consuetudo peccandi, Diaboli vigilantia, Spiritus sancti absentia, et languor quidam animæ. Quam sit difficilis inveterati peccatoris

conversio figuris, similitudinibus et exemplo ligni secti, ab Angelo cuidam Anachoretæ ostensi, demonstratur. Per pœnitentiæ dilationem non modo bona spiritualia amitti, sed et damna maxima accersiri : et quam sit indignum, pro æterna mercede non uno momento inscrivere, et pro optimo quod accepisti nempe vita, facem senectutis tantum Deo, offerre ostenditur. Mortis meditationem ad pœnitentiam maturandam egregium calcar esse, convincitur. Tandem objectionibus occurritur, quod scilicet divinæ promissiones, non impiis, sed justis factæ sint ; et Dei misericordia, cum justitia conjuncta, ob oculos nobis proponitur.

Scripturarum divinarum præstantia atque utilitas tanta est, auditores optimi, ut eas thesauro pretiosi metalli non immerito Beatus Chrysostomus oratione tertia in Genesim, comparaverit. Etenim sicuti ex nobili metallo, quamvis modicam atque exiguam partem accipias, tamen continuo dives efficeris : ita divinarum eloquiorum nunquam tam parum exponitur, quin magnam inde utilitatem, qui diligenter audiunt, consequantur. Tota siquidem Scriptura pretiosa est. Singula verba, vel auri integræ solidæque partes vel margaritæ aut gemmæ clarissimæ sunt. Quare nemini mirum aut novum videri debet, si in hoc thesauro effodiendo paulatim ac sensim procedimus : et ne aliquid forte

cadat aut pereat, quantum possumus, provideamus. Exposuimus versiculum primum Psalmi nonagesimi, nunc ad secundum, Domino bene juvante, exponendum accedemus.

Propheta igitur, posteaquam verbis illis: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, et protectione Dei cæli commorabitur*, omnibus in Deo vere confidentibus certam protectionem defensionemque promiserat, statim subjicit: *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus et sperabo in eum.* Quæ verba cum utraque parte præcedentis versiculi connecti possunt. Et si quidem eum pro ore connectantur, propositum Prophetæ erit exponere, quis ille sit qui habitat in adjutorio Altissimi: et sensus verborum ejus italis erit: *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Is autem in adjutorio Altissimi habitare dicendus est, qui in omni casu, in omni periculo, quicquid evenirit, quicquid acciderit, non se ad desperationem, ad blasphemias, ad magos, ad divinatores, ad fraudes et mendacia convertet: sed auxilium divinum magna cum fiducia implorabit, ac dicet: Tu es, Domine, susceptor meus, tu refugium meum, tu Deus meus. Deinde ad se conversus, sibi ipsi loquetur, et dicet: *Sperabo in eum.* Si vero cum posteriore parte superioris versiculi secundus hic versiculus jungatur, sensus iste erit: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, is in protectione Dei cæli commorabitur.* Et tunc, id est, cum in protectione Dei cæli commorari cœperit, et semel atque iterum, tertio ac sæpius divinam protectionem, expertus fuerit, tunc, inquam, cum actione gratiarum, et interna atque incredibili animi lætitia et delectatione dicet: Tu es, Domine, susceptor meus et refugium meum, tu Deus meus. Deinde totus erectus et confirmatus sibi ipsi dicet: *Sperabo in eum.* Hoc deinceps meum votum ac studium erit, ut in spe et confidentia, quæ tantum hucusque mihi profuit quam maxime proficiam.

Nunc partes singulas nostri versiculi consideremus. *Dicet Domino.* Quis iste Dominus sit, neminem prorsus, quamvis rudem, ignorare arbitror. Tanta siquidem est hujus nominis majestas atque amplitudo, ut nulli omnino proprie conveniat, præterquam uni et soli Deo; dicantur homines, si placet, reges, pontifices, imperatores; certe Domini, nisi valde improprie, dici non possunt. Quocirca secundus ac potentissimus romanorum Cæsarium Octavius Augustus, cum hujus nominis vim et significationem non igno-

raret, se principem atque imperatorem appellari facile patiebatur. Domini nomen tamquam divini numinis proprium semper recusavit, ut in Apolegetico auctor est Tertullianus. Et sane non immerito. Primum enim cæteri omnes qui Domini dici volunt, sicut quibusdam imperant, ita quibusdam etiam serviunt: solus Deus vere est Dominus, qui nullum habet majorem vel parem, nullum præsidem, nullum socium, nullum collegam, sed ipse unus omnibus imperat, omnibus regit, omnibus dominatur. Deinde ille solus jure Dominus appellatur, qui sibi ipse sufficiens nullius adjumento eget, nec ulli deservire cogitur, ut in libro de Genesi ad litteram octavo, B. Augustinus sapienter tradidit. Deus vero nonne sibi ipse sufficit? Antequam mundum crearet, tam dives, tam potens, tam felix ac beatus erat, quam modo est. Atque ut hanc rerum universitatem conderet, nulla re opus habuit, non materia, non instrumentis, non famulis, non tempore, non loco, nunc etiam, ut mundum universum regat, ut tam numerosam familiam alat, ut multa præter solitum ordinem cursumque naturæ efficiat, quæ miracula dici solent, nullius rei adjumento eget. At quis, obsecro, regum vel principum invenietur, qui non solum Deo, angelis, elementis, sed etiam aliis hominibus non indigeat? Certe sicut pauperes egent divitum pecuniis, ita divites pauperum opera: et quo aliquis ditior et potentior efficitur, et magis regnare ac dominari videtur, eo pluribus indiget, et pluribus servit. Denique is vere ac proprie Dominus dici debet alicujus rei, qui eam ita habet in potestate ut pro arbitrio de ea statuere possit. Atqui solus Deus, qui omnia quæ sunt, verbo atque imperio suo creavit, idem potest omnia quæ sunt mutare, transferre, convertere, augere, minuere, conservare, destruere, atque etiam ad nihilum si placuerit, in puncto temporis redigere. Homines vero quamvis magni et potentes esse videantur, quid, quæso, ita habent in potestate, ut ejus vere domini dici mereantur? An est quisquam, qui *Adjicere* possit *ad staturam suam cubitum unum*; aut *Unum capillum album facere aut nigrum*? Quid? Quod omnes reges et principes orbis terræ, omnes etiam Angeli et Dæmones, si vires et potentiam et industriam suam conjungerent simul, adhuc non possent, vel unam stipulam ex nihilo creare, vel unam fornicam ad nihilum redigere? Solus igitur

Deus, qui nullum habet majorem vel parem, qui sibi ipsi sufficiens, nullius rei adjumento eget, et qui tamquam creator et opifex omnium rerum, pro arbitrio voluntatis suæ de omnibus quicquid voluerit statuere potest, merito jureque optimo Dominus appellatur.

Dicit Domino : Susceptor meus es tu et refugium meum Deus meus et sperabo in eum. Enumeraturus homo justus beneficia Dei, quæ se percepisse lætatur, propterea quod in Deo spem suam et fiduciam collocaverit, a beneficio justificationis initium facit. Quamvis enim justificationem creatio præcedat, tamen creationis munus propterea hoc loco recensendum non erat, quod spem et confidentiam non sequatur, sed præcedat. Quid enim sperare potest, qui non est? Incipit igitur a primo et maximo Dei dono, quod sperantibus et confidentibus confertur. Quod ut facile percipias, finge animo, in media platea jacere hominem multis vulneribus confectum, et ab omnibus destitutum, qui nec patrem, nec matrem, nec affines, nec amicos, nec domum, nec pecunias ullas habeat; denique qui nec seipsum juvare queat, nec ullus inveniatur, qui cum juvare velit: si post aliquod tempus medicus quispiam Christianus et pius per eam plateam transiens, atque ægroti illius misertus, eum, licet ignotum, susciperet, atque in domum suam delatum non modo sumptibus, sed etiam manibus propriis diligenter curaret, nonne is, qui in platea jacuerat, medico suo rectissime diceret: *Susceptor meus es tu?* Tu, inquam, es, qui hominem miserrimum, et omni spe destitutum, atque ab omnibus hominibus derelictum suscepisti. Jam igitur, auditores, omnis peccator talis est, qualem ægrotum istum modo depinximus: sis licet magnus in oculis hominum, et magna sociorum atque amicorum caterva comitatus tibi videaris, tamen si lethale peccatum cor tuum occupatum tenet, nihil penitus dubites, te saucium, deformem, horribilem, in cœno ac sordibus ab omnibus destitutum ac derelictum jacere. Qui enim Deum offendit, omnes res creatas offendit, et omnibus invisus cum sit, ab omnibus supplicium, a nullo præsidium expectare debet. Qui vero tibi adsunt, et quos tu amicos et socios arbitraris, plerumque sunt maximi hostes animæ tuæ, et eam per se cadentem in gehennam magis impellunt, ut celerius cadat. Sed tamen contingit interdum, ut hominem sic ab omnibus desertum, Deus ipse, qui minimus omnium ad

hoc beneficium tenetur, incredibili benignitate suscipiat, et redimat ab interitu vitam ejus, et sanet omnes languores ejus, et cum in misericordia et miserationibus coronet: et tunc homo beneficium liberatoris agnoscens exclamat, et dicit: *Susceptor meus es tu. Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

Sed alio modo, et fortasse clarius, rem eandem explicemus. Lex Domini, auditores, via quædam est instar pontis, ardua, recta, sublimis, augusta, et infra se præcipitium habet, adeo profundum, ut finis ejus non sit alius, quam gehenna. Per hanc viam iter facimus dum *Sobrie, juste et pie* conversamur in hoc sæculo ac de nobis dicitur in Psalmo: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: sed cum forte ad dextram vel ad sinistram declinamus, et vestigium extra pontem figere volumus, hoc est cum mandatum aliquod divine legis transgredimur, continuo de ponte cadimus, et nisi Deus singulari misericordia ruentes excipiat (quod tamen non semper facit, nec tenetur facere), semper deorsum, magis et magis, imo celerius ferimur, donec ad profundam inferorum, perveniamus, et ibi tibias et collum et cervices confringamus. Audiant hæc et perhorrescant, qui tanta facilitate et libertate peccant, ut flagitia jocos arbitrentur. Ubi, quæso, te pedes habere putas, quicumque vel unum lethale flagitium admisisti? tu fortasse, qui oculos mentis apertos non habes, super terram consistere te credis? at ego te de ponte cecidisse video, et miserabili ruina quasi lapidem vel plumbum deorsum ad gehennam properare. Quia vero nonnullos Deus singulari misericordia in ipso casu excipit, et ad profundum pervenire, hoc est, in peccato usque ad mortem perseverare non sinit: propterea quidam ei cum actione gratiarum dicunt: *Susceptor meus es tu.* De quibus in alio Psalmo legis: *Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Et rursum: *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me,* id est, nihil profecit spiritus tentationis qui me de ponte mandatorum Dei in præcipitium peccati deturbaverat, quia Dominus suscepit me. Ac ut intelligeremus magnum hoc beneficium proprium esse eorum, qui totam spem suam in Deo collocaverunt, paulo ante idem Psalmographus, dixerat: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in prin-*

cipibus. Itaque hoc discrimen inter electos confidentes, et reprobos desperantes invenitur, quod cum utrique quandoque de ponte cadant : nam *Septies cadit justus*, tamen electi in manus Dei cadunt, et casus ipse sicut cætera *Omnia*, eis *cooperantur in bonum* : reprobi vero usque ad profundum inferorum cadere sinuntur. Cum igitur vides eum, qui cecidit, statim surgere fortiolem, cautiolem, diligentiolem, humiliolem, nihil ambigas eum in manus Dei cecidisse, ac merito dicere posse : *Susceptor meus es tu*. Aspicere atque intueri principem Apostolorum : cecidit quondam Beatissimus Petrus, cum a spiritu timoris impulsus, Christum non semel, sed ter abnegavit. Cæterum supposuit manum suam Deus, ne collideretur : atque idcirco qui erat ante casum audacior, quam par erat, et de sua fortitudine nimium confidebat, ita ut diceret : *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo* : is post causam proprio periculo edoctus humilior et prudentior evasit. Itaque cum alio tempore ab eo Dominus quæreret : *Simon Joannis, diligis me plus his?* non est ausus præcipitare sententiam, sed ait : *Domine, tu scis, quia amo te*. At si nunquam lapsus eset, fortasse audacter respondisset. Quid? Ambigis an te diligam? Nonne vidisti in horto quid gesserim? Nonne solus ego districto gladio hostes ferire et fugare cœpi? Magnum igitur et singulare donum est, posse Deo dicere : *Susceptor meus es tu*. Possunt enim omnes res creatæ Deo dicere : Creator meus es tu : et omnia animantia : Pastor meus es tu : et omnes homines : Liberator meus es tu : *Susceptor meus es tu*, solus ille vere dicet, qui vere habitat in adjutorio Altissimi.

Sequitur : *Refugium meum*. Quoniam enim qui a Domino suscipiuntur, non statim ad quietem et otium suscipiuntur, sed ad militiam et laborem, unde etiam in hoc Psalmo dicitur *Scuto circumdabit te veritas ejus* et Ecclesia, in qua interim scripti sumus, Ecclesia militans appellatur : propterea necessarium erat, ut militibus suis Deus arcem aliquam demonstraret, ad quam sese reciperent, cum forte prælium ingruere, et hostes prævalere viderent. Verum non aliam arcem Deus, quam seipsum constituere voluit : quod intelligens homo justus, postquam dixerat : *Susceptor meus*, continuo adjunxit : *Refugium meum*, sive arx mea, ut ex Hebræo non minus apte verti potuisset. Sed quamquam omnibus Deus arx ac per-

fugium esse solet, aliter tamen veteranis militibus, aliter tironibus, unde in Psalmo centesimo tertio sanctus David : *Montes*, inquit, *excelsi cervis, petra refugium herinacis*, vel leporibus, ut alii legunt. Qui enim sunt ii, qui cervorum nomine designantur, nisi perfecti et spiritales viri, qui more cervorum degunt in montibus contemplationis, et semper desiderant ad Deum fontem vivum sicut cervus ad fontes aquarum, et sæpe cum gemitu dicunt : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Quos vero lepores vel herinacii significant, nisi justos minores, qui innocentiam et simplicitatem colunt, sed parvi meritis et virtutibus sunt, et multis spinis minorum ac levium peccatorum non carent? Utrisque tutissimum et singulare perfugium est Deus : sed aliter atque aliter. Siquidem ut mons excelsus cervis, ut petra leporibus atque herinacis refugium præbet : Christus in throno gloriæ suæ mons est magnus atque excelsus supra dignitatem omnium cœlestium spirituum collocatus, atque ad eum cervi spirituales, viri sancti atque perfecti, in afflictionibus suis contemplatione ascendunt, et cum Apostolo dicunt : *Conversatio nostra in cœlis est*. Et : *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Et : *Quod enim in præsentibus est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*. Itaque gloria illa, illud decus, illa summa et sempiterna felicitas, in omni casu et calamitate, cervos in montibus excelsis consolatur. Idem vero Christus in cruce pendens, foramina petræ leporibus exhibet. Quicumque lepores sunt, et mysteria vitæ futuræ contemplari, atque ad eos montes ascendere non didicerunt, in foraminibus petræ se abscondant, passionem dominicam cogitent : ibi videbunt, quam sit bonum pro Christo aliquid pati, qui tanta pro nobis tolerare voluit. Ibi seipsos consolabuntur, ac dicent : *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* Indignaris, quia persecutionem aliquam pateris? Sed vide qualem Deus tuus persecutionem pro te sustinerit. Molestè fers, quod tibi opes tuæ diripiantur? sed vide Deum tuum, nudum in cruce suspensum, et qui *Non habet ubi caput suum reclinet*. Doles quod fame et siti quandoque laboras? Sed quid hæc ad ea, quæ pro te Dominus tuus patitur, cujus delicias fel et acetum, et vinum myrrhatum esse vides? Grave tibi esse

videtur, quod variis morbis et doloribus cruciaris? Sed vide Dominum, tot plagis, tot livoribus, tot vulneribus coopertum, *Ut a planta pedis usque ad verticem capitis non sit in eo sanitas*. Ita igitur Christus et mons editus atque excelsus cervis, et petra foraminibus plena leporibus refugium præbet: ut jam utrique dicant Domino: *Susceptor meus et refugium meum es tu*.

Sed cur additur et *Deus meus*? Cœperat homo justus Dei beneficia recensere, sed anima advertens ea tam multa, tam varia, tam multiplicia esse, ut numerum omnem excedant, et nec vocabula ad ea significanda, nec tempus ad ea commemoranda sufficere, idcirco utili excogitato consilio, uno verbo omnia comprehendit. Itaque ait, *Deus meus*, id est, omne bonum, a quo solus dependeo, in quo solo totus innitor, cui soli debeo quicquid sum, quicquid habeo. Nec dicit: Deus noster, sed: *Deus meus*: quia tam præsens Dei auxilium unicuique justorum adest, atque ea diligentia et vigilantia singulos regit, fovet, protegit, defendit, conservat, ut uni soli, dimissis cæteris, adesse videatur.

Ex quo sapienter homo justus, et qui divinam providentiam frequenter est expertus, firmiter apud se statuit et proponit, semper deinceps, in Deo confidere, ac dicit: *Et sperabo in eum*. Hæc sane vox omnium sanctorum fuit, et nostra debet esse, auditores, ut quicquid nobis contingat, semper dicamus: *Et sperabo in eum*. Præsertim cum tot millia exemplorum ante oculos habeamus, quot millia sanctorum ab exordio sæculi usque ad hunc diem extiterunt. Quis enim eorum non totam spem suam in Deum collocavit? Et an vel unus demonstrari poterit, qui in Deo frustra speraverit? Quando enim nihil hic in terris commodi et consolationis habuissent, an non tanta est gloria illa cœlestis qua nunc beatissimi et securissimi fruuntur, ut ea sola sufficiat, ut non frustra in Deo spem suam posuisse videantur? Si enim in hoc exilio quondam ut lutum conculcati fuerunt, nunc ut clarissima sidera lucent in cœlo: si hic fame et siti laboraverunt, ibi pane Angelorum satiantur, et torrente voluptatis inebriantur: si hic frigus et nuditatem passi sunt, ibi gloria et immortalitate vestiuntur: si olim domo et civitate expulsi, exules, profugi peregrini fuerunt, nunc in æterna tabernacula recepti exultant *Sancti in gloria*, et lætantur *in cubilibus suis*. Merito igitur homo justus, et spe ac fiducia

plenus *Dicet Domino: Susceptor meus, es tu et refugium meum, Deus meus et sperabo in eum*.

PARS SECUNDA.

Quemadmodum ex iisdem floribus et apes mel, et araneæ venenum sugere atque elicere solent: sic etiam ex iisdem Scripturæ promissionibus justis confidentiam, et operum bonorum desiderium, impii vero socordiam, et peccandi libertatem atque audaciam trahunt. Equidem ego ita mihi persuadeo, auditores, infinitum numerum animarum jam periisse, et quotidie etiam perire, propterea quod freti homines spe misericordiæ Dei, quam sibi in extrema ætate non defuturam confidunt, et ea pœnitentia, quam in exitu de hoc sæculo acturos se arbitrantur, et iis lacrymis, quas in morte se copiose profusuros esse non dubitant, semper conversionem vitæque mutationem in aliud tempus differunt: Cras, inquiunt, faciemus modo, ecce modo, sine paululum: sed modo, et modo non habent modum, et sine paululum in longum abit, atque interim dilatatur infernus os suum, et descendunt ad eum sine ullo numero. Quoniam igitur de utilitate confidentiæ in priore parte orationis satis multa dicta sunt, nunc de periculis eorum, qui spe misericordiæ Dei, conversionem, et pœnitentiam differunt, pauca dicemus. Ac primum quid Scripturæ divinæ de hac re nos moneant, videamus.

Certe Spiritus sanctus cum in aliis locis, tum præcipue in libro Ecclesiastici clamat, et dicit: *Ne dicas: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur: misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te*. Quam terribilia, formidabilia verba, et verba illius, qui mentiri non potest! Et rursus alio loco: *Confiteberis*, inquit, *vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaris in miserationibus illius*. Et item: *Quæ*, inquit, *in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?* Et sapientissimus Ecclesiastes nonne concionem suam ita conclusit: *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniant tempora afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent?* Et sanctus

Jeremias : *Bonum est, inquit, viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua* Et Dominus in Evangelio : *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Neque magno Sacramento caret, quod ad probaticam piscinam, posteaquam Angelus aquas commoverat, non qui diutius expectarat, sed qui primus in aquam descendebat, solus curabatur. Ex quo intelligimus, eos dumtaxat ad spiritalem salutem pervenire, qui cum divinam motionem atque inspirationem persenserint, non dicunt : *Cras faciam, sine paululum* : sed qui cum Apostolo Paulo mox respondent : *Domine, quid me vis facere ?* Ad quod etiam nos regius Psalter adhortatur : *Hodie, inquit, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,* ut responsionem de die in diem differatis : sed si hodie auditis, hodie etiam respondete. Sed quamquam hæc divina testimonia Christiano homini satis esse deberent, ut nihil dubitaret, inanem prorsus, et plenam periculi esse spem illorum, qui conversionem et pœnitentiam vel unam horam differunt : tamen ut etiam iis, qui modicæ fidei sunt, aliquo modo satisfaciamus, argumentis et rationibus ita rem explicemus, ut cerni et sentiri possit.

Quatuor sunt præcipuæ causæ, cur homo peccator non sine magno labore ac difficultate se a vitiis ad virtutes revocare potest. Prima causa est consuetudo peccandi, quæ tamquam altera natura, difficillime superatur ; ac ut agri, domus, vestes et res cæteræ, temporis diurnitate tandem præscribuntur, et cum præscriptæ fuerint, sine singulari principis privilegio recuperari non possunt : ita quoque et vitia, ubi longo consuetudine animum peccatoris sibi præscripserint, frustra litigatur, nisi summus princeps Deus singulari gratiæ privilegio (ut D. Bernardus in I. libro de Consideratione ad Eugenium scribit) cor lapideum in carneum commutare voluerit. Altera causa est summa quædam et incredibilis Dæmonis vigilantia, qua servos suos et captivos custodit : *Qui enim facit peccatum, servus est peccati,* et laqueis diaboli captivus tenetur (ut Apostolus ait), *Ad ipsius voluntatem* : Diabolus autem est ille fortis armatus, qui summa diligentia, summo studio, summa cura atque industria custodit atrium suum. Tertia causa est absentia Spiritus Dei. Ut enim Spiritus Domini cor nostrum inhabitans viam virtutis planam et suavem solet efficere, ita ut justus dicat : *In*

via testimoniorum tuorum delectatus, sicut in omnibus divitiis. Et : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* : sic contra absentia Spiritus sancti viam eandem asperam et difficilem reddit. Et sicut præsentente lumine solis, cœloque tranquillo ac sereno, nemo est, qui non libenter iter faciat : at cum luci et serenitati noctis horror ac tenebræ successerunt, quis non potius domi apud ignem sedere, quam per agros ambulare vellet ? Ita prorsus justitiæ sole in cordibus nostris lucente et gratiæ suæ radios in iisdem cordibus diffundente, voluptas est non ambulare, sed currere viam mandatorum Dei : sed luce gratiæ recedente et peccatorum nocte animum tenebris atque horrore complecte, nihil difficilius, nihil gravius, nihil molestius, quam in via Domini vel semel vestigium ponere. Atque hoc est, quod Dominus per Oseam peccatoribus comminatur : *Væ, inquit, cum recessero ab eis.* Et per Jeremiam : *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Postrema causa est, morbus quidam et languor omnium virium animæ. Nec enim ita poma a vermibus, nec fruges a grandine, nec vestes a tineis, ut animæ vires a vitiis et sceleribus corrumpuntur. Intelligentia obscuratur, judicium hebetatur, voluntas depravatur, et quantum rationis libertas et potestas in peccatore minuitur, tantum inferioris appetitus rebellio atque inobedientia crescit. Ex quibus ingens labor ac difficultas oritur bene sancteque vivendi. Nam cum animæ vires instrumenta sint omnium actionum bonarum, et quasi rotæ quædam horologii : sicut horologia destructis vel impeditis rotis munere suo fungi non possunt : ita homines improbi, animæ viribus per peccata vitiatis, recte vivere nullo modo possunt.

Quæ cum ita sint, quis non videt, in quanto periculo atque errore versantur, qui de die in diem conversionem suam differentes, quod modo difficile esse experiuntur, postea facile futurum putant, quando omnes difficultatis causæ creverint ? Nonne pœnitentiam differendo peccata peccatis addunt ? Et peccata peccatis addendo, nonne causas laboris et difficultatis augebis ? Nonne semper mala consuetudo radices suas altius figet ? Nonne dæmon arcem suam, animam tuam, semper magis muniet ? Nonne Deus lux animæ tuæ, semper recedet ? Nonne animæ vires vulneribus multiplicatis semper debiliores atque ad bonum ineptiores efficientur ?

Quid igitur est quod te consolatur? An non aperta stultitia est credere, quo magis nexus et catenæ multiplicantur, eo solutionem futuram esse faciliorem? et quo morbus magis confirmatur, eo facilius eum posse curari? An non ita Spiritus sanctus per Ecclesiasticum loquitur: *Languor prolixior gravat medicum: sed brevem languorem præcidit medicus?* Et cur putas Dominum in excitatione Lazari quadriduani tam ingenti clamore, gemitu quoque et lacrymis uti voluisse, qui tanta facilitate viduæ filium et filiam Archisynagogi ab inferis revocaverat, nisi ut nobis ostenderet, quam laboriosum sit, hominem ad pœnitentiam converti, qui multo tempore jacuit in peccatis? Deinde si flumen, quod semper crescit atque intumescit, summo mane trajicere non audeas, quando vix ad genua aqua pertingit, quomodo speras te ad vesperam transiturum, quando toto corpore tuo aquæ altiores erunt? et si plantam hodie natam, adhuc recentem ac teneram, non possis revellere, qua ratione poteris cum se corroboraverit, cum in arborem creverit, cum radices in terram altissime firmissimeque defixerit? An non perspicue vides, dum ita agis, similem te esse malis debitoribus, qui semper differunt, ut nunquam solvant? Non cernis dolos antiqui serpentis, qui tibi suadet dilationem, ut cum peccata in immensum creverint, incidas in desperationem, vel certe morte præventus prius te apud inferos videas, quam de pœnitentia cogitare cœperis?

Præclare sane istam dementiam hominum peccatorum sancto cuidam patri, ex iis, qui olim solitudinem incolebant, angelus Domini declaravit. Siquidem eum in agrum aliquando deduxit, eique rusticum ostendit, qui ligna ex arboribus cædebat, et cum non exiguum fascem confecisset, eum in humeros suos levare aggrediebatur, sed cum se tanto oneri parem non esse videret, iterum ligna cædebat, et fascem suum augebat: deinde iterum tentabat, si quo modo posset fascem attollere, sed cum adhuc minus se posse cerneret, quam ante, rursus ad silvam accedens plura èt majora ligna cædebat, fascemque suum graviorem efficiebat, tanto se onus illud facilius portaturum arbitratus, quanto magis crevisset. Quod cum sanctus ille anachoreta vehementer admiraretur: Talis, inquit Angelus, stultitia atque insania est hominum, qui cum pondere flagitiorum suorum oppressi non sine magno labore surgere se posse videant; tamen pœnitentiam differentes addunt

peccata peccatis, onus oneri, pondus ponderi, et sarcinam suam gravissimam atque intolerandam efficiunt, et tamen se in ultima senectute surrecturos, et onus pœnitentiæ facile portaturos, incredibili temeritate confidunt.

Sed quando hæc omnia, quæ diximus, nihil apud te valerent, quæ tamen, si sapis, plurimum valere debent: quid, quæso, dices de illa cœlestium divitiarum jactura, quam facis, dum conversionem, vitæque mutationem semper differs? Cum opulenta aliqua civitas direptioni traditur, et milites omnes summa festinatione domos penetrare, arcas reserare, auro atque argento, varia et pretiosa suppellectili se onerare student; si unus eorum militum illo ipso tempore in foro cum pueris luderet, et spoliolum direptionem in aliud tempus differre se diceret; nonne filii hujus sæculi eum militem stultum ac dementem esse judicarent? Cum igitur hoc tempore regnum cœlorum direptioni traditum vim patiat, et violenti rapiant illud et sancti omnes festinent, quantum possunt, cœlestes illos maximosque thesauros bonis operibus rapere, quæ tua sapientia est, hoc ipso tempore, nugis et jocos puerilibus operam dare, et opportunitatem tanti boni adipiscendi tam leviter perdere?

Quid? Quod ista conversionis dilatione non solum ingentis thesauri jacturam facis, sed etiam detrimenta atque incommoda gravissima tibi ipse acquiris? Nam voluptatem ac delectationem, quam nunc in vitis et sceleribus capis, magno cum fœnore, mihi crede, aliquando restitues, sive in purgatorio, sive in hoc sæculo solvas. Ut enim pecuniæ a fœnatore susceptæ, nisi mature restituantur, quotidie debitum augment, sic etiam scelera atque peccata, quæ mox per pœnitentiam non delentur, suo pondere trahunt ad alia, atque inde usuræ, inde fœnora existunt, quæ tam diu crescunt, quam diu solutio debitorum differtur. Hoc igitur est quod agis, dum pœnitentiam differs, auges quotidie debita pœnarum, quas omnino alicubi solves. Quanto enim diutius immoraris in culpa, tanto etiam diutius immorari cogaris in pœna, si tamen pœna temporalis et non æterna crit.

Ad hæc omnia illud accedit, quod apud hominem ingenuum ac liberalem, plurimum valere deberet, quod cum Deus jam inde ab æternitate de nobis cogitaverit, nosque dilexerit, nulla ratio admittit, ut liceat Deo nobis tam esse ingratos, ut solum in ultimis no-

stris diebus de Deo cogitare, eique obsequium debitum præstare velimus. Quid? Ille te a principio suæ æternitatis amavit, et tu illum in fine vitæ tuæ solum amabis? Deinde, si merces, quam Deus nobis præparavit, æterna erit id est infinito tempore permanebit, quo pacto, quæso, convenit, ut obsequium tam breve nos Deo præstemus? Si stipendium accepturus es, quod tam diu durabit, quam diu Deus regnabit in cælo, nonne par etiam esset, ut obsequium, quod exhibiturus es Deo, tam diu duraret, quam diu hic vivis in terra? Et quid est vita unius hominis cum æternitate comparata, nisi momentum unum? Qua igitur fronte, qui obsequium æternum Deo debes, momentaneum non præstas, et de ipso momento maximam partem suffuraris? Denique si Deus optimum, quod habuit, tibi largitus est, vitam scilicet unici filii sui, quæ majoris pretii est, quam vita omnium hominum et Angelorum, quo jure, quo titulo florem ætatis tuæ Deo negare audes, et solum ei fæces, inquam, senectutis polliceris? Deus clamat in lege: *Non habebis in sacco diversa pondera, sed pondus justum et verum habebis.* Et tu tam iniqua pondera habere audes, ut Dæmoni, hosti animæ tuæ, tres ætates vitæ tuæ, et Deo creatori ac liberatori solum unam, eamque extremam et vilissimam concedas? *Maledictus dolosus* (ait Dominus per Malachiam), *qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum.* Itaque injuriam maximam gravissimeque puniendam facit tanto Regi, qui primitias fructuum vitæ suæ largitur Dæmoni et reliquias senectutis, quas mundus respuit, conservat Deo: non secus atque si quis tam rusticus esset, ut optima poma projiceret suis, et corrupta ac rancida, quæ sues comedere noluerunt, regi offerenda putaret.

Verum, ut aliquando finiamus, si cor lapideum habes, neque aliquid eorum, quæ diximus, te movet, moveat te saltem id, quod Dominus tam sæpe et tam serio repetit: *Vigilate, vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Quæro enim, quicumque es, qui post aliquot annos pœnitentiam acturum esse te confidis, quis tibi, non inquam, annos aut menses, sed vel crastinum diem certo promisit? Habes fortasse chirographum Dei manibus obsignatum! At nullos unquam vidisti, qui vesperi læti et sani cubitum discesserunt et mane reperti sunt mortui? Et

quæ major stultitia atque temeritas cogitari potest, quam ut audeat vermiculus terræ, de temporibus et momentis certi aliquid constituere, *Quæ Pater posuit in sua potestate?* Ergo si nihil certius morte, et nihil incertius die mortis et tam multos usque ad hanc diem inanis ista fiducia decepit, nonne satis erit, fratres mei, ut aliorum periculis edocti præsens ac certum vitæ spatium pro futuro atque incerto non dimittamus.

Sed, inquit, passim in Scripturis promissiones vitæ et salutis sperantibus et confidentibus factas legimus. Itaque et ego sperabo in eum. O te miserum, qui in tam magna causa toto cælo aberras. Sunt enim magnæ Dei promissiones et majores quam tu vel suspicari valeas; sed non ad te, nec ad tui similes pertinent. Ad solos justos, et eos, qui justis esse cupiunt, boni isti nuncii diriguntur. *Dicite justo* (ait Dominus per Isaiam), *quoniam bene: quoniam fructum ad inventionem suarum comedit.* Et per Davidem: *Oculi Domini super justos et aures ejus in preces eorum.* Et ea spes et confidentia in sacris litteris commendatur, quæ cum bonis operibus conjuncta est: *Spera in Domino, et fac bonitatem,* inquit David. Et rursum: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Denique beneficia Dei, protectio, defensio, indulgentia, pax, gaudium, regnum, non nisi justis vel ad justitiam anhelantibus promittuntur: iis vero, quibus peccata placent, et quos in cæno ac sordibus permanere delectat, undique minas, undique terrores, undique flagella et cruciatus intentari video. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Et: *Mors peccatorum pessima.* Et: *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Et: *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.* Et: *Quia vocavi et renuistis, extendi manus meas et non fuit qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et: *Omnis arbor, quæ non fecerit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Itaque vel non bene Litterarum inscriptionem legisti, vel fur es et latro, assumens tibi ea, quæ justorum sunt propria.

At, inquit, misericors et miserator est Dominus qui pro me Filium suum misit in terras, et tam admirabili pretio me redemit, ipse me perire non patietur: itaque et ego sperabo in eum. Falleris, miser, falleris: non est misericordia Dei, ut tu arbitraris, inimica justitiæ, sed carissima et conjunctissima soror, et qui misericors et miserator dicitur,

ipse idem est *Justus Dominus, et justitiam dilexit, et æquitatem vidit vultus ejus*. O si posses animo intueri summam illam majestatem, quæ ex altissimo throno gloriæ suæ conspicit animas in illis intolerandis gehennæ ardoribus, et plurimas videt, quæ mille et mille annos sine ulla consolatione, vel pœnarum intermissione torquentur, et tamen nulla misericordia erga eas unquam flectetur, sed gaudebit potius et lætabitur, quod sine fine, sine remedio, sine ulla spe liberationis torqueantur; intelligeres profecto in Deo esse justitiam, nec tibi tantum de sola misericordia blandireris. O si mentis oculos aperires et penetrares quid sit, quod D. Petrus ait: *Angelis peccantibus non pepercit*. O si cernere posses, quales gemmæ, qualia lumina, qualia ornamenta illa erant in cœlesti

palatio, quæ propter unum superbiæ peccatum de cœlo detracta in profundum inferorum demersa sunt; profecto non tibi vilissimo vermiculo in flagitiis perseveranti, tam facile divinam misericordiam pollicereris; sed judicium illud horrendum, et abyssum profundissimam divinæ justitiæ formidares.

Nos igitur, auditores optimi, misericordiam a judicio et spem a timore nusquam disjungamus; sed misericordiam et judicium Domino decantemus. Non misericordiam solum, ne temere confidamus: non judicium solum, ne penitus desperemus: sed misericordiam et judicium, ut cum spe timeamus, et cum timore speremus, donec spes et timor absorbeantur a gloria, quam nobis concedat, qui est in sæcula benedictus. Amen.

CONCIO IV.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU TERTIO

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.

SYNOPSIS

Præsens concio venationem continet, in qua peccatores feræ, Diabolus venator est. Duplici quoque sensu explicatur tertius versus: secundum priorem sensum laqueus venantium sunt insidiæ hominum reproborum, quibus vitam, honores et opes nostras aucupantur; verbum autem asperum damna sunt, quæ ex hujusmodi insidiis consequuntur: vel etiam clamor venatorum capta præda. Secundum sensum posteriorem quatuor consideranda proponuntur; qui sint, qui laqueos tendant; quibus tendant; quos laqueos tendant; et quid sit verbum asperum. Et in primis Dæmones esse venatores, a triplici venatorum conditione probatur. Deinde horum venatorum graphice depinguntur astutia, fortitudo et multitudo; ac proinde docetur quanta vigilantia et cautione nobis opus sit ad vitandos eorum laqueos.

In parte altera, facta divisione animantium in sylvestria et domestica, ostenditur, dæmones potissimum sylvestribus, qui sunt homines probi et sancti, laqueos tendere: quod et pulchra historia ex S. Gregorio probatur, ubi etiam efficacia signi S. Crucis contra hæreticos obiter asseritur. Perditos homines, qui animalibus domesticis comparantur, Diaboli esse mancipia quibus non raro ad venationem aliorum utuntur. Deinde docetur, omne id quod nos ad peccandum pertrahit, laqueum

esse, præsertim vero est laqueus honorum divitiarum, linguæ, ebrietatis et luxuriæ, ubi severe libidinosi taxantur, et gravitas peccati in templo amoribus operam dantium, ostenditur. Tandem verbum asperum venatorum infernalium, et Christi judicis irati adjungitur, et cum exhortatione concluditur.

Si quantum gaudii atque lætitiæ justus et verus honôr afferre solet, tantum mœroris ac tristitiæ verum justumque dedecus afferat, non minus hodie, auditores optimi, ad verba Psalmographi dolere, tristarique debemus, quam superiore die dominico ad ejusdem læta carmina exultavimus. Tunc enim in eo gradu honoris ac dignitatis a regio Psalte collocati fuimus, ut quasi summi regis filii, dicere possemus Domino: *Susceptor meus es tu, refugium meum et Deus meus*: nunc vero ab eodem Psalmographo ita deprimimur, ut tamquam silvestres feræ dicere cogamur: *Ipse liberavit me de laqueo venantium*. Quis enim non moleste ferat, si ab homine mendace se belluam audiat nominari? At nunc non homo mendax, sed spiritus veritatis, nos feras, et feras, quibus laquei et retia a venatoribus tenduntur, esse confirmat. An igitur non jure tristabimur? an non merito irascemur? Imo vero vehementer tristari atque irasci nos convenit, auditores, non in Deum, qui vera nobis loquitur, sed in vitia, quæ nos bestias ex hominibus effecerunt, et in nos ipsos, qui scelera et peccata commisimus: et in Dæmonem, qui ut

ea committeremus auctor et suasor fuit. Sed quoniam qui nos suis artibus et fraudibus bestias fecit; ea calamitate nostra non contentus, nunc retibus et canibus nos insequitur, tunc tristari atque irasci multum nobis profuerit, si qui fuimus homines stulti, simus deinceps bestiae prudentes: et si dolos, quibus bestiae facti sumus, evadere non potuimus vel nolimus, saltem nunc retia, et laqueos, quibus ad necem quaerimur, evadamus, quae victoria tanto nobis gloriosior et et hostibus nostris acerbior erit, quanto majus et difficilius est prudentia, et consilio daemone a bestia quam ab homine superari. Sed jam ad explicationem nostri versiculi veniamus. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.* Magna est hoc loco lectionum textuumque varietas: Hebraeus enim, Chaldaeus, et Graecus codex ita habent: *Ipsa liberabit te.* Latinorum quidam: *Liberavit me;* quidam, *Liberabit me,* ut non praeteritum, sed futurum beneficium significetur, quemadmodum etiam sanctus Augustinus legit. Sed quoniam variae istae lectiones parum aut nihil sensum verborum immutant, eam nos sequemur, quae in nostris Latinis codicibus habetur. Sed necessarium erit, antequam longius progrediamur, ejus meminisse, quod prima concione admonemus, in plerisque locis divinarum Scripturarum, duos sensus contineri; alterum, ut ita dicam, magnum, alterum parvum; siquidem utrumque sensum habent verba, quae nunc explicamus, cum laquei venantium, et verba aspera, tam corporalia damna atque incommoda, juxta sensum priorem, quam spiritualia, juxta posteriorem significare possint.

Ac ut a sensu priore incipiamus, non aliud hoc loco *Laquei venantium* significant, quam dolos et fraudes, quibus homines nefarii aliorum bonis, ut vitae, honoribus et opibus insidiantur. Tales laquei erant ii, quos Liberatori nostro Judaei tendebant, cum ab eo quaererent, liceretne censum dare Caesari an non? Et, an mulier in adulterio deprehensa esset continuo lapidanda? Nec enim ista quaerebant, ut discerent, sed ut eum caperent in sermone, et apud magistratum vel pontifices accusarent. Tales etiam laquei sunt, quos opifices et mercatores marsupii emptorum tendunt, cum eis unum pro alio, mala pro bonis, mixta pro puris, antiqua pro recentibus vendunt; in quo etiam genere venatorum circulatorum et praestigia-

tores primas tenent, qui oleum et aquas et medicamenta quaedam, de quibus numquam Galenum et Hippocrates somniaverunt, vel certe suam loquacitatem et saltationes et cantus et histrionicas actiones vendunt. Videmus enim ad ejusmodi nugas avidius homines convolare; quam turdi soleant ad sibilum vel cantum, quo vehementissime delectantur. Sed in eo tamen stultitia hominum excellit, quod cum turdis nos nisi in silvis retia tendantur, hominibus etiam tenduntur in foro. Caeterum, auditores, quicumque ejusmodi laqueis ad homines decipiendos uti volunt, ipsi proprio laqueo, et prius et periculosius capiuntur. Clamat enim divina Scriptura: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Et in Ecclesiastico: *Qui laqueum aliis ponit, peribit in illo.* Nam cum ipsi venantur pecunias aliorum, Daemones venantur animas eorum. Nec unquam ipsi suis retibus praedam capiunt, quin animae ipsorum retibus diaboli capiantur.

Jam vero *Verbum asperum* est ipsum damnum, quod ut plurimum ex insidiis consequitur, ut mors, et ignominia, ut bonorum fortunarumque amissio: siquidem familiare est scriptoribus sacris, ut rem ipsam verbum appellare soleant, quomodo apud sanctum Lucam in Evangelio legimus: *Videamus hoc verbum, quod factum est.* Et: *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* Quibus in locis verbi vocabulum non aliquas voces, sed res ipsas et miracula significat, quae in ortu Servatoris demonstrata sunt. Quocirca Divus Hieronymus ex Hebraeo ad verbum transtulit, non *A verbo aspero*, sed, *De morte insidiarum.* Quamquam fortasse non inepte verbum asperum esse diceremus, clamorem illum venatorum, qui cum occisione ferarum ad laqueum captarum conjunctus esse solet. Mox enim ut feram comprehensam esse vident, vociferantur, et clamant: *Tene, occide, vide ne fugiat, cave ne evadat.* Recte vero Propheta laqueos a verbo aspero separavit. Aliud enim est ad laqueum rapi, et aliud a venatoribus occidi, propterea quod saepe contingit, ut laqueus ante frangatur, et praeda diffugiat, quam venatores ad locum insidiarum pervenire valeant: quod sane illis contigit, qui dicebant: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Quod etiam Susannae evenisse legimus, quae cum jam capta teneretur laqueo mendacium senum, et

tamquam adultera ad supplicium raperetur, Deo providente, in quo spem suam illa collocaverat, veritas effulsit, mendacia evanuerunt, laqueus contritus, et ipsa liberata est, non de laqueo venantium, sed a verbo aspero, sive a morte insidiarum. Ait igitur homo justus: *Ipse liberavit me de laqueo venantium*, providens scilicet, ne in insidias hominum sceleratorum incidam: vel si certa aliqua de causa in insidias illorum incidere permiserit, laqueum confringet, et a verbo aspero, sive a morte insidiarum, sine dubio liberabit, et nihil me detrimenti capere ex insidiis illis patietur. Sed de sensu priore satis multa dicta sunt.

Venio ad posteriorem, secundum quem liberatio a magnis et spiritalibus malis, in Deo sperantibus et confidentibus promittitur: de quo sensu quatuor investiganda sunt. Ac primum, qui sint ii, qui laqueos tendunt, deinde quibus eos tendant, tum qui sint laquei, quos tendunt, postremo quod sit verbum asperum, a quo tantopere homo justus liberari cupit, explicandum erit.

Qui sunt igitur venatores? Dæmones. Primum enim, ut venatores, cum serio feris capiendis operam dare incipiunt, obliviscuntur omnium aliarum rerum, neque cibi, neque somni, neque quietis, neque uxoris, neque familiæ, neque ullius alterius rei memores esse videntur, nihil nisi de canibus et retibus, de sylvis et nemoribus cogitant: sic robusti illi crudelissimique venatores spiritus infernales, toti sunt in laqueis faciendis, in insidiis struendis, in feris investigandis occupati: neque cibi, neque somni, neque rei familiaris cura illos tenet, neque re ulla se ab ejusmodi venatione unquam impediri patiuntur. Itaque in sacris litteris diabolus quasi proprio nomine tentator, id est, venator appellatur: *Cum jejunasset Dominus quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (ait Matthæus); *postea esuriit, et accedens tentator dixit: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Et Apostolus Paulus ad Thesalonicensenses: *Misi, inquit, ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is, qui tentat*.

Deinde studium venationis ludo alearum simillimum esse videtur, in quo una lusio aliam trahit, et qui ejusmodi lusionibus delectantur etiam si pecuniis spoliari se videant, tamen donec pallium vel indusium habent, finem non faciunt, nec unquam de victoria et lucro desperant. Sicut etiam in

litibus fieri videmus, quarum una aliam serit, et una extincta, plures orientur; ideoque sæpe qui litigant, majores sumptus in litigando fecerunt, quam sit ea summa, pro qua litigatur, nec tamen animum unquam despondent. Tale est etiam studium venatorum, quamvis enim plerumque nihil capiant nisi molestias, tamen non desperant, non fatigantur, non franguntur, nec sumptibus neque laboribus parcunt. Si hodie nihil capiunt, cras se capturos esse confidunt. Sic etiam et dæmones, credi non potest, quanta spe teneantur animarum capiendarum, et quam indefessis laboribus in ejusmodi venationem incumbant. Vident hominem in summum gradum perfectionis ascendisse, sentiunt laqueos suos millies jam detectos et contractos fuisse, intelligunt suas artes adversus quosdam sæpius nihil valere: et tamen adduci non possunt, ut eorum capiendorum spem deponant, quousque halitum in corpore nostro esse vident, numquam desperant. Denique etiam superatus a Domino recessit quidem Satan, sed usque ad tempus, ut B. Lucas ait, nimirum alio tempore rediturus, et novas illi insidias positurus. Ex quo intelligimus, quanto studio nobis sit vigilandum, qui tam vigilantes hostes habemus, et quam assidui et perseverantes in bonis operibus esse debeamus, qui etiam hostes habemus, qui nullis laboribus fatigantur.

Postrema conditio venatorum est, ut non tam lucrum, quam voluptatem in venationibus quærant. Hinc enim etiam magnos reges, qui lucro nullo modo egent, venationibus delectari videmus. Nec solum nihil venatores ex venatione lucrantur, sed etiam jacturam non mediocrem faciunt temporis, vestium, pecuniarum, quas in alendis canibus et accipitribus consumere necesse est, et tandem si quid capiunt, non inde pecunias faciunt, sed viris nobiles et principibus donant. Quod igitur venatores et sumptibus et laboribus quærant, nihil est aliud, quam crudelis voluptas, quam de nece innocentium animalium capiunt, quæ conditio dæmonibus aptissime convenit. Quid enim existimas diabolus lucrari, cum animam tuam capit? Nihil inde lucratur, nisi majora supplicia: et tamen ita vehementer ardet cupiditate nocendi, atque adeo nostris damnis, nostra pernicie, nostro sempiterno exitio delectatur, ut licet non ignoret tanto magis cruciatus suos augeri, quanto plures ad

gehennam animas adducit, tamen satiari nostra miseria et calamitate non potest: nec unquam, vel ad breve tempus, ab ejusmodi venatione conquiescit. Neque mirum id nobis videri debet, cum dæmonis studia, studiis Dei contraria sint; nam et Deus animas nostras venatur, non ut occidat et mactet et perdat: nec lucrum aut commodum in ea venatione spectat, sed solum ut animas nostras de laqueis crudelium venatorum liberet, et ad nemora paradisi transmittat, ubi nullum erit periculum laqueorum, neque canum latratus aut venantium clamor unquam audietur.

Habemus igitur, qui sint venatores: nunc ut in quanto periculo versemur, et quam sit nobis necessarium in adiutorio Altissimi semper habitare, perspicue cognoscamus, pauca dicam de calliditate, de potentia, de multitudine infernalium venatorum.

Ac versutia quidem, et calliditas adeo in eis viget, partim propter naturæ subtilitatem, qua præditi sunt, partim propter longum usum atque exercitationem decipiendi, ut homines, quamvis astutissimi, nihil aliud, quam simplices bestiolæ videri possint, si cum Dæmonibus conferantur. Hinc Apostolus Paulus in epist. ad Ephesios: *Induite igitur vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, ad versus spiritualia nequitia in cælestibus.* Ubi miro modo expressit Dæmonum calliditatem. Non enim eos astutos et vafros, sed ipsam astutiam et vafriem appellavit. *Contra spiritualia nequitia in cælestibus*, hoc est contra spirituales nequitias sive astutias, quæ in cælo, hoc est, in aere sedem habent. Nam græcum vocabulum *πονηρία* quo Apostolus usus est, non solum nequitiam, sed etiam astutiam significat: atque id eum exprimere voluisse, ex eo potest intelligi, quod paulo ante dixit: *Ut possitis stare adversus insidias Diaboli*: sive ut significatius in Græco legimus, *μεθοδείας*, id est, fallacias dolosque varios, artes et stratagemata Satanæ. Quamobrem passim in reliqua Scriptura, nunc draco, nunc serpens, nunc aspis, et basiliscus nominatur.

Jam vero Dæmonum vires adeo divina Scriptura magnas esse demonstrat, ut nihil super terram majus et potentius esse videatur. Apostolus Paulus ubique Dæmones,

principes et potestates, mundique dominos et rectores vocat. Apostolus Petrus: *Adversarius, inquit, vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et ipse Dominus in libro sancti Job, primum Dæmonis formam horribilem prorsus et formidabilem depingit, qualem B. Antonio aliquando visam S. Athanasius refert: « De ore, inquit, ejus lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ: de naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ et ferventis, halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur », et quæ sequuntur. Deinde subdit: « Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat: omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiæ. »

At quot tandem esse putatis hos potentissimos et callidissimos venatores? Facile dici potest. Plenus est mundus Dæmonibus. B. Hieronymus in Com. cap. vi. epist. ad Eph. « Hæc, inquit, omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum et terram medius dividens inane vocatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. » Atque huic veterum DD. sententiæ B. Antonii et cæterorum sanctorum visiones mirifice consentiunt.

Quæ cum ita sint, utrum tandem hic locus est dormiendi et ridendi, jocandi et lasciviendi, an vigilandi et plorandi, et totis vocibus ad Deum clamandi et vociferandi? Quid? si non solum aerem plenum Dæmonibus, sed etiam terram plenissimam laqueis cerneret, quomodo eam B. Antonius aliquando vidit, an cum propheta non clamaret: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea?* Quid enim Cedar significat, nisi tenebras? Et quæ tenebræ densiores, quæ cæcitas major cogitari potest, quam ut credat homo, quod credit, et vivat quomodo vivit? Credat se inter ungues et dentes leonum versari, et tamen ita se gerat, quasi nullo in periculo versaretur? Si in aliqua solitudine lepusculus aut caprea constituta, nihil aliud quam ursos et lupos et leones ex una parte conspiceret; ex altera vero innumerabiles et infinitos laqueos cerneret, ita ut spes nulla effugiendi remant, in quo statu tibi esse videretur? Atqui in eo vel etiam majori periculo nos versamur. Quid enim sunt illæ feræ ad has collatæ? Illæ per terram vagantur, istæ volant etiam per aerem. Illæ corporeæ cum sint, et videri, et muris, et foveis excludi

possunt; istæ, quæ spiritus sunt, neque videri neque ullis obstaculis arceri queunt. Illæ, quia bestię sunt, a nobis, si non viribus, certe consilio et rationibus vincuntur; Istæ et viribus et ratione nos vincunt. Denique illæ, nisi prius irritatæ et provocatæ, vix unquam hominem aggrediuntur, istæ etiam non irritatæ, nec provocatæ, semper eircumeunt quærentes quos devorent. O si oculos fidei apertos haberemus, videremus profecto pericula maxima et infinita in quibus versamur: videremus eruentas illas bestias eireum nos perpetuo fremere: videremus acies venatorum contra nos instructas, quibus nee ingenium ad excogitandum; nec vires ad exequendum desunt. Videremus ex multis hominum millibus vix unum evadere, nee sine magna difficultate et labore. Hæc videremus, et non, sicut facimus, ita ridere et lascivire nobis luberet: sed tristes et horrore pleni, oculis ad cælum sublatis dieeremus: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Exurge, Domine, adjuva nos et redime nos propter nomen tuum.* Nee enim fieri potest, ut hos laqueos atque venatores sine tuo præsidio evadamus.

PARS SECUNDA.

Diximus de venatoribus, nunc de iis, quibus tenduntur laquei, et de ipsis laqueis et verbo aspero breviter dieemus. Duo sunt brutorum animantium genera: unum eorum quæ hominum potestati facile subjiciuntur, et iisdem libenter obsequuntur, et serviunt, ut equi, muli, canes, accipitres: alterum eorum, quæ hominum consuetudinem fugiunt, nee eis subjici ulla ratione dignantur, ut cervi, capreæ, lepores, aliaque id genus animantia, quæ sylvestria diei solent. Atque hæc posteriora non solum carnes multo meliores, et suaviores habent, quam priora, sed etiam quadam naturali prudentia et ingenua nobilitate longe prioribus anteeclunt. Quocirca de mulis et equis in Psalmo legimus: *Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus.* Si enim vires suas equi et muli cognoscerent, nunquam se ab homine tam imbecilli ligari et onerari, et frena sibi in os immitti paterentur. Venatores igitur non equis et mulis et canibus laqueos tendunt, sed cervis, capreis, leporibus: tum quod priora illa animantia in potestate sua habeant, tum quod caro eorum parum aut nihil ad comedendum valeat:

tum etiam, quod quædam eorum, ut canes atque accipitres adeo perversa et crudelia, et suo generi inimica sint, ut homini contra animantia alia in venatione deserviant.

Qui sunt igitur, qui domesticis animantibus designantur nisi homines perditissimi et flagitiosi, in quibus non est intellectus, qui se ad imaginem Dei creatos non cogitant, et libenter jugum satanicæ servitutis ferunt. Quin etiam Dæmoni, quo nihil horribilius fingi potest, canes atque accipitres in venatione animarum Christi sanguine redemptarum se præbent. Quid enim sunt Hæretici, quid lenones, quid meretrices, quid corruptissimi quidam juvenes, qui cæteros ad peccandum vel suasionibus vel blanditiis impellunt, nisi canes et accipitres Diaboli? At sylvestria animantia, homines sanctos justosque significant, qui non dignantur Dæmoni deservire, et in montibus virtutum ac perfectionis degunt, et quorum caro, id est, vita et consuetudo, adeo suavis et dulcis est, ut etiam ab improbis commendetur, licet eos imitari pigeat, quos laudare delectat. Quamobrem in Cantico amoris, tam crebro illud repetitur: *Adjuro vos per capreas cervosque camporum;* et illud: *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum:* quibus verbis dubium non est, quin et sponsus ipse et amici sponsi, sancti perfectique homines cervis et capreis conferantur. Atque isti sunt in quibus venandis et capiendis dæmones potissimum occupantur. Quamvis enim etiam impiis et scelestis laqueos tendant, ut quos captos et irretitos tenent, adhuc magis et magis irretiant et involvant: tamen sine ulla comparatione magis laborant in hominibus justis capiendis, et sicut majus *Gaudium est in cælo* coram Angelis Dei *super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis:* sic etiam majus gaudium est in gehenna eorum angelis Satanæ *super uno crimine hominis justis, quam super nonaginta novem sceleribus impiorum.* Scribit magnus Athanasius, tantam Dæmonum multitudinem occupatam fuisse, ut uni Antonio, tamquam cervo optimo et præstantissimo, laqueos tenderent, ut aliquando mons ille, in quo sedebat, totus plenus Dæmonibus cerneretur. Scribit quoque B. Gregorius in III. lib. Dial. historiam pulcherrimam et cognitione dignam, quam ego paucis referam.

Fuit Episcopus quidam nomine Andreas, vitæ sanctimonia atque integritate cum pri-

mis excellens, sed in eo minus providus, quod feminam sanctimoniam, tam sua, quam illius continentia fretus, domi sua habitare permisit. Animadvertens itaque dæmon, esse in ea domo venandi opportunitatem eam non prætermisit, sed muliere illa tamquam laqueo utens continuo insidias Episcopo struere cœpit, nec cessavit ab opere, donec rem eo perduxit, ut jam uno pede episcopum irretitum teneret. Interim Judæus quidam iter faciens, et noctis tenebris præventus, cum ad urbem, ad quam ibat pervenire non potuisset, ad fanum quoddam vicinum ab Ethnicis Apollini consecratum divertit, et quamquam Christianus non esset, tamen multa de virtute Crucis audierat, et ei vehementem timorem injecerat cum loci solitudo, tum noctis horror, tum etiam domicilium illud, quod dæmonum esse non ignorabat, se Crucis signo diligenter munivit. Et ecce ad mediam noctem, cum eum ingens metus dormire non pateretur, vidit principem dæmonum magna spirituum immundorum cæterva stipatum, in fanum ingredi, ac deinde in solio quodam sublimi collocatum a singulis famulis atque administris suis rationem diei illius exigere ac petere, quantum quisque in venatione animarum profecisset. Ibi tunc immania atque horrenda flagitia audiebantur, quæ unusquisque eorum suo suasu atque impulsu commissa esse eo die gloriabatur, atque inter alios adfuit, quidam, qui præ cæteris gestiens dixit, se laqueos Andree Fundano Episcopo tetendisse, et illud magno labore sese jam effecisse, ut Episcopus humeros sanctimonialis hesterna die blandiendo pulsaverit. Quod ut princeps dæmonum audivit, adeo delectatus est, ut magna illa scelera, quæ ab hominibus perditis patrata esse commemoraverant, nihili faceret: hoc unum factum laudaret, hoc extolleret, hoc dignum præclaro venatore esse diceret. Atque hucusque historiam narrasse sufficeret: hinc enim intelligimus, qui sint, quos præcipue dæmones venentur. Tamen quia pulcherrima et utilissima est, paucis verbis absolvam. Judicio illo atque discussione tandem expedita, convertit se dæmonum princeps, et Judæum in angulo templi illius latitantem conspicit: Et quis, inquit, ille est, qui nostro consilio interesse non timuit? itaque statim rapi, atque ad se adduci jubet, advolant expediti satellites, sed ubi crucis signo munitum esse animadvertunt, non ausi propinquare exclamant: Væ, væ,

vas vacuum, sed signatum. Et in momento tota illorum immundorum spirituum turba disparuit. En vobis quanta sit virtus, et potestas crucis. Hæretici dicunt nos muscas abigere, cum extensa manu signum crucis exprimimus. Et quamquam nesciant ipsi quid dicant, et tanquam inimici crucis Christi, crucis mysterium irridere se putant, verum tamen dicunt, siquidem muscæ sunt Dæmones, et Beelzebub princeps muscarum interpretatur, et eas muscas nos abigimus, cum et frontem et pectus cruce signamus.

Sed redeo ad historiam. Summa hæc fuit: Judæus in urbem ingressus Episcopum admonuit de concepto flagitio, et Episcopus ut ei gratiam referret, Judæum admonuit de sua longa atque inveterata perfidia et simul Episcopus feminam a se dimittens, uterque ad æternam salutem pervenire meruit.

Sed quoniam de iis, quibus laquei tenduntur, dictum est: nunc de ipsis laqueis, et verbo aspero dicendum erit. Qui sunt igitur laquei? Ea sunt omnia, quæ nos ad peccandum impellunt. Nimirum omnia ista bona fragilia et caduca, quæ sensibus corporeis blandiuntur. *Creaturæ Dei*, inquit Sapiens, *in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* Et quis laqueos istos enumerabit? Tanta est laqueorum multitudo, ut Ecclesiasticus dicat: *In medio laqueorum ingredieris.* Et sanctus David cos guttis pluvie comparaverit, quæ numerum omnem excidunt: *Pluet*, inquit, *super peccatores laqueos.* Et o miseram nostri generis conditionem, quæ non solum pedibus, ut animantia cætera: sed etiam manibus, oculis, auribus, naribus, lingua, membris denique omnibus capi possumus! Et tanta est omnium fere hominum cæcitas, tanta stultitia, tanta vecordia, ut paucissimi sint, qui non modo laqueos non fugiant, sed etiam quærant.

Quales, quæso, laquei sunt honores? *Sicut perdix* (inquit Ecclesiasticus) *inducitur in caveam et ut caprea in laqueum, sic et cor superborum.* Et Apostolus ad Timotheum, scribens diligenter eum monet, ne ad episcopatum eligatur neophytus, *Ne in superbiam*, inquit, *elatus, in judicium*, in opprobrium et in laqueum *Incidat Diaboli.* Hoc laqueo Diabolus ipse captus fuit, et propterea vim intelligens, quotquot potest, eodem laqueo irretire conatur. At quid homines faciunt? Numquid fugiunt? Fugiunt sane, qui homines sunt. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Au-

gustinus, Gregorius fugiebant. Ita ipse Dominus non sibi, sed nobis timens, ut exemplo suo laqueos nos fugere doceret, ne rex a turbis fieret, fugit in montem. Nunc vero si Præpositus elegi debeat, si Abbas, si Episcopus, certatim homines contendunt, quis prior in laqueum collum inserat. Et quod gravius, et miserius est, invident captis qui capi non potuerunt.

Deinde quales laquei sunt pecuniæ? Quid Apostolus ait? *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* En finem avaritiæ: mergit hominem in interitum et perditionem in hoc sæculo, et in futuro. Quam multos pecuniarum amor latrones effecit? quam multos in carcere detrudit? quam multos ad patibulum adduxit? quam multos in mare demersit? quam multos sibimet manus inferre coegit? quam multos denique ad inferos demisit? Et tamen homines, ut se vere insipientes esse demonstrant, gaudent irretiri, dolent expediri, atque ita festinant ad laqueum quasi non ipsi laqueo capi, sed magnam prædam capere ipsi deberent. Rogo vos, si in media platea magnum lapidem aut ingentem foveam videremus, et unum, duos, tres, quinque, decem homines qui nos præcedunt, vel in lapidem impingere vel in foveam cadere, et collum vel tibias frangere conspiceremus, nonne tot casibus aliorum edocti periculum declinaremus? Beati sane, qui cum Apostolo Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quorum anima sicut passer erepta est de laqueo venantium.*

Quid jam de laqueo linguæ dicemus? Quanto jure Ecclesiasticus gloriatur liberatum se a laqueo linguæ iniquæ? Quam multos capiunt linguæ venenatæ Hæreticorum? Qualis, quæso, laqueus erat lingua Arii qui, Epiphonio auctore, adeo suavis ac dulcis eloquii erat, ut brevissimo tempore septingentas virgines sacras, multosque Episcopos, et omnis generis homines deceperit? Qualis laqueus erat lingua Photini, cui summam eloquentiam cum summa eruditione conjunctam Vincentius Lirinensis attribuit? Quid ille Faustus Manichæus, de quo B. Augustinus: « Magnus, inquit, erat laqueus Diaboli, et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ ». Et nostro tempore laquei fuerint linguæ Lutheri, Zwinglii, Calvinii, comprehensorum multitudo satis declarat.

Qualis præterea laqueus est linguæ maledici? Quam suaviter, atque in conviviis præsertim, detractiones atque obloquia audiuntur? Quales laquei sunt linguæ blandiloquæ, mendaces, adulatrices? Quis matronis adulteria, supra virginibus persuadet? Nonne lingua blandiloqua? Quis bonæ spei, magnæque indolis adolescentes sæpe corrumpit? Nonne lingua petulans perditorum sociorum? Quis homines ad vitam perfectiorem anhelantes, Christique consilia sequi cupientes, ab instituto cursu sæpe revocat? Nonne lingua pestifera hujus sæculi amatorum? Felix igitur, qui cum Ecclesiastico dicere potest: *Liberasti me de laqueo linguæ iniquæ.*

Sed quemadmodum lingua laqueus est auribus, sic etiam vinum laqueus est linguæ. Sicut enim capit lingua loquendo; sic etiam capitur ipsa gustando. O qualis laqueus est ebrietas, quæ totum hominem ita figat, ut nullum membrum, nullum sensum, nullam partem hominis, functiones suas exercere sinat: sed mentem delirare, oculos ealigare, pedes titubare, manus tremere, totum corpus et animum languere facit, et quos semel comprehendit, ita implicatos et constrictos tenet, ut vix absque miraculo se expedire possint. Itaque fugite laqueum ebrietatis, qui estis adhuc juvenes, ne cum senueritis, etiamsi velitis, pedem revocare minime possitis. Scribit Salvianus, vetustus et præclarus auctor, in sexto libro de Providentia, quater brevi tempore expugnatam fuisse urbem Trevirorum, neque minorem calamitatem passas esse permultas alias nobilissimas Galliæ civitates. Totius vero illius excidii causam fuisse confirmat laqueum ebrietatis, quo ita ligati atque implicati tenebantur earum urbium habitatores, ut nec in ultima senectute, nec in extremis periculis, a mensis et poculis se revocare possent: « Jacebant, inquit, in conviviis obliti honoris, obliti ætatis, obliti professionis, obliti nominis sui principes civitatis, cibo confecti, vinolentia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi: atque ad hoc postremo rabida vini aviditate perventum est, ut ne tunc quidem de conviviis surgerent, cum jam urbem hostis intraret. Adeo etiam Deus ipsis evidenter, ut credo manifestare voluit, cur perirent: cum per quam rem ad perditionem ultimam venerant, eam ipsam agerent cum perirent. Vidi ego illic res lacrymabiles, nihil inter pueros differre et senes: una erat scurrilitas, una levitas: simul omnia luxus, potationes, perditiones;

cuncta omnes pariter agebant, ludebant, inebriabantur, enecabantur, lasciviebant, in conviviis voluti et onerati, ad vivendum prope imbecilles, ad vinum prævalidissimi, infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum: ad gressum nutabundi, ad potandum expediti: et mirum post **omnia** ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto ante mentibus corruerunt? Nemo itaque urbes illas tandem excidio suo periisse credat: ubi enim talia acta sunt, prius jam perierant, quam perirent. » Hæc Salvianus. Quæ quidem an etiam in nos aptissime conveniant, aliorum sit iudicium: nolo ego aliquid gravius hisce regionibus ominari, quam hucusque passi sumus. Tamen quod nulla fere conspiciatur morum emendatio, quod finem perditioni huic, nec excidia tot civitatum attulerunt, quod flagellis Dei continenter cædamur, nec erudiamur, non video quid aliud, quam signum desperatæ salutis esse possit.

Sed cur laqueum illum præterimus, quo Fundanus Episcopus, ut modo dicebamus, pene captus fuit? Magnus est, auditores, et periculosus laqueus mulier. *Lustravi*, inquit Ecclesiastes, *universa animo meo: et inveni amariorum morte mulierem, quæ laqueus venatorum est et sagitta cor ejus: vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* Sed si hæc ita se habent, si tantum periculi secum affert consuetudo mulierum, cur tam parum isti laquei fugiuntur, vel potius cur tam diligenter utrique quærantur? Quid ancillæ faciunt in domibus clericorum? Quanto tutius et honestius esset viros viris desservire? Et cur, quæso, nullum unquam convivium, ne ab Ecclesiasticis quidem et Deo dicatis hominibus fieri potest, quin eo vocentur et deducantur mulieres? Et quis, obsecro, legem illam tulit, ut nemo gradum scientiæ vel doctoratus accipiat, quin saltationes adolescentium et feminarum instituat, nisi venator animarum Diabolus? Oportet me hæc dicere, ne ego ipse cadem in laqueum. Si Beatissimus Augustinus ne sororem quidem suam domi suæ unquam videre voluit, ut in ejus vita Possidonius refert: si Beatissimus Hieron. in epistola ad Assellam, mulieres illas, quibus familiaris esse videbatur, numquam manducantes se videsse scribit: si Beatus ille Andreas Fundanus Episcopus propter sanctimonialis frequentem conspectum tam parum ab interitu abfuit; si tam multa Cyprianus, Basilius, Chrysostomus,

Hieronymus, Patres omnes de mulierum consortio fugiendo, scripta reliquerunt, et non flagitia tantum, sed et flagitiorum suspicionem cum omni provisione evitari voluerunt: unde, rogo, in tam erudita civitate, ubi nihil horum ignorari potest, tam parum isti laquei fugiuntur? Sed quid ego de illorum adolescentium procacitate et petulantia dicam, qui matronas et virgines, non minus quam ipsæ compti, ubique tanto studio quærant, comitantur, deducunt, nec solum si quas in plateis offendant, in eas oculos data opera conjiciunt, studioseque contemplantur; sed etiam in templis, quod horribile non solum visu, sed etiam auditu, dum tremenda mysteria celebrantur, in ora feminarum oculos defigunt, eisque nutibus loquuntur, annuunt, arrident. Fateor vobis, auditores, cum id primum audivi, totus inhorruui, nec facile rem ita se habere credere potui. Tamen si ita est, nihil jam miror, si Deus permittat hæresibus omnia repleti, Sacramenta cœlestia nobis eripi, sacrificium illud divinum, quo Deus humano generi reconciliari solet, Hæreticorum opera de medio tolli, ut his firmissimis præsidiis destituti, funditus intereamus. Nescis fortasse, o tu homo impudentissime, cum sacrificium illud peragitur, in medio Angelorum te consistere? Nescis Christum vere esse præsentem? Nescis te in illa hora non tam in terra, quam in cœlo versari? Et quo pacto igitur fieri potest, ut cum lacrymas fundere, Deo supplicare, totusque in Deum raptus et absorptus esse deberes, tu contra scelera et flagitia mediteris? Sanctus Joannes Chrysostomus in oratione quadragesima ad populum, cum nescio quos de populo inter sacrorum solemniam collocutos inter se, et subrisisse cognovisset, mirari se vehementer dixit, quod fulmine de cœlo omnes, qui in templo aderant, percussi non fuissent. At si fulmine digni sunt, qui colloquantur vel rident in templo, quo supplicio digni erunt, qui incredibili petulantia, non templum modo, sed et Deum ipsum quodammodo violant, et qui ad templum fortasse non venissent, nisi se ibi amicam suam inventuros credidissent? Quantam existimas malitiam illorum peccatorum, qui Deum crucifixerunt? Quantum illorum sacrilegium, qui divinissimum Sacramentum pedibus conculcarunt? At modo quodam majus tuum peccatum est. Milites enim hominem nefarium se crucifigere, hæretici frustum panis se calcare putaverunt; tu autem eo quem Dominum et

Deum esse non dubitas, abuteris quodammodo, ad flammam nutriendam sceleris tui.

Et quid, miser, respondebis, cum in die iudicii ad tribunal Dei adductus de ore infernalium venatorum, verbum asperum in te proferri audies? Quando, anima tua de corpore exeunte, exultabunt Dæmones, tamquam victores capta præda, Deoque dicent: Non potes, o summe iudex, istum nobis non concedere devorandum, quem laqueo captum detinemus. Neque enim invitum et repugnantem potentia et viribus oppressimus, sed ipse sponte sua in laqueos nostros se dedit. Tuus quidem erat, qui eum ad imaginem tuam creasti, et sanguine pretioso Filii tui redemisti: sed noster esse voluit, imaginem tuam neglexit, et nostram adamavit. Jugum tuum projecit, et nostrum suscepit: legem tuam, præcepta tua, consilia tua repudiavit et nostra diligenter observavit. Denique vide quam serio noster, et non tuus fuerit, nihil nos ei dedimus, nihil promisimus, nihil pro eo egimus vel passi sumus: tu naturam ei condidisti, gratiam donasti, gloriam promisisti, pro eo in cruce pependisti, et tamen nostro imperio et non tuo, parere ac subesse voluit. Tu si quid jubebas, si jejunium trium dierum, si confessionem peccatorum, s

injuriarum condonationem, vel non faciebat vel coactus et invitus faciebat. Nos vero, ut juraret imperabamus, et ipse pejerabat. Ut animi gratia aliquando luderet et ipse totum suum tempus, et parentum suorum pecunias in sphæristeriis consumebat. Ut biberet quandoque largius, et ipse se quotidie inebriabat. Ut amoribus operam daret, et ipse etiam in templo, te præsentem, corde et oculis fornicabatur. Quis igitur eum nobis juste poterit eripere, quem tanto jure possidemus? O te miserum, quid respondebis? Nunc ebrietas et fornicatio, joci et ludi esse videntur: sed quid tunc ad verbum asperum? Obmutesces puto. At non ibi finis erit; siquidem verbo aspero asperius verbum succedet, cum iudex dicet: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei; *Ite maledicti in ignem æternum*. O verbum vere asperum. Et quid erit a Deo maledici? Quid in ignem projici? Quid in æternum? Sed finis sit. Evigilemus, fratres mei, et dum spatium nobis conceditur, vitam et mores emendemus, ut aliquando pro verbo aspero, verbum dulcissimum audire mereamur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum; quod paratum est vobis a constitutione mundi*. Amen.

CONCIO V.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU TERTIO

DE PRIORE PARTE QUINTI VERSUS

Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus.

SYNOPSIS

Occasione militiæ christianæ, quæ nobis passim in divinis litteris indicitur, ad versum quartum et primam partem quinti explicandam acceditur, ubi Psaltes nobis protectionem et tutelam promittit. Tres autem in hoc textu deprehenduntur similitudines, una a militibus sumpta est, altera ab avibus, a clypeo tertia. Prima relucet ex variis historiis, et quotidiana etiam experientia, quomodo Christus semper et ubique suos defendat. Deinde Christus duabus avibus assimilatur, aquilæ tamquam Deus et gallinæ tamquam homo : Ubi qua ratione natura aquilæ et gallinæ duplici naturæ Christi Dei et hominis conveniat, eleganti et dilucido (ut omnia) discursu per factam comparationem demonstratur, et quanta consolatione sub alis Dei gaudeant pii, parte prima discutitur.

Pars altera tertiam similitudinem, quæ in priori parte quinti versus continetur, aggreditur explicandam; veritatemque Dei, quæ scutum est undique nos tegens, esse multiplicem probat. Prima est fidelitas et justitiâ Dei, quæ nec fallere, nec falli potest. Altera est victrix contradictionis et mendacii, cujus mira efficacia in illustri S. Athanasii falso accusati exemplo declaratur; et veritatem esse perpetuam, et Dei propriam ostenditur.

Tertia veritas, quæ nos instar clypei tegit, est veritas sinceritatis, quæ potissimum in sacra Scriptura consistit : ubi diserte affirmatur, nullum esse malum præter peccatum et gehennam, et e contra nullum esse bonum, nisi Deum et virtutem. Quarta veritas nos tegens, ipse Christus est, qui se Patri irato et arma paranti pro nobis opposuit : ubi elegans assertio quod nullibi magis necessarium sit scutum, quam in articulo mortis, epilogi locum sustinet.

Vereor multos hoc tempore, auditores optimi, in magno et periculoso errore versari. Plerique enim in adventu novi ducis, pacem jam compositam aut certe tempore brevi componendam sibi persuadent, et fortasse *Gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*, justa vaticinium Prophetarum, convertere jam cogitant. Ego vero ex omni parte continuos belli rumores et nuncios adferri audio, ut si unquam opus fuit conflare vomeres in gladios et falces in lanceas, vel tunicam vendere et arma sibi comparare, nunc maxime necessarium id esse videatur. Audio siquidem Job clamantem : *Militia est vita hominis super terram*. Audio B. Paulum Timotheum suum cohortantem : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*. Audio nos omnes ab eodem admoneri, ut galeam et loriam, gladium et clypeum, ac denique

πανοπλίαν, id est, omne genus armorum nobis procuremus. Audio eundem de se ita loquentem : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Audio præterea cœtum Christianorum, nunc militantem Ecclesiam nominari, nunc vero castrorum aciem ordinatam, atque in ea quosdam video per Baptismum ad militiam scribi, quosdam per manuum impositionem armis cœlestibus communiri, aliis divinum panem in stipendium dari, nonnullis etiam graviter vulneratis Pœnitentiæ medicinam afferri : denique per Ordinis sacramentum tribunos et centuriones institui. Quæ omnia nonne satis ostendunt, bellum adhuc geri ? Quid vero noster Psalmus ? nonne magna voce bellicum canit ? Quid enim opus est protectione, arce atque perfugio ? et curnobis illa promittuntur : *Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis ejus sperabis* ; et : *Scuto circumdabit te veritas ejus*, si nullum est belli periculum ? Et unde, quæso, stratagemata illa nocturna et sagittæ volantes in die ? Et qui sunt mille, qui a sinistris, et decem millia, qui a dextris cadent, si hostes non habemus ? Neque vero pax illa, quam istis diebus Angeli nuntiaverunt, bellum omnino profligavit, sed solum mutavit. Erat nobis antea cum Deo et virtutibus inimicitia, cum vitiis et Dæmonibus fœdus : nunc vero opera novi ducis, qui de cœlo ad terras descendit, a Deo rursum in gratiam recepti, ejus signa sequi cepimus, atque idcirco *Multitudo cœlestis militiæ*, ut B. Lucas ait, de tanta commilitonum accessione gaudens, ac Deum laudans canebant : *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sed quemadmodum cum in castris dæmonum militarem, et membra nostra arma iniquitatis peccato exhiberemus, Deum hostem et inimicum habebamus ; sic etiam nunc, cum in Dei castris militamus et membra nostra arma justitiæ Christo exhibemus, gravissimum cum Dæmonibus bellum suscepimus. Neque dubium est, quin illi nobis vehementer irati atque infensi omnibus suis copiis totisque viribus nos oppugnabunt. Sed nemo trepidet, nam si hostibus, tentationibus, periculis ex omni parte circumdabimur, non deerit etiam, qui nos ab omni parte armis et præsiidiis circumdet. Id enim regius Psaltes in iis verbis pollicetur, quæ hodierna die, Domino bene juvante, exponenda sunt.

Scapulis, inquit, suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis : scuto circumdabit

te veritas ejus. Quibus verbis tres elegantissimæ similitudines secundum Theodoretum et aliorum Græcorum expositionem continentur. Prima a militibus, secunda ab avibus, tertia a scuto sive clypeo sumitur. Et quamquam non desint illustres auctores, quæ solum duas esse velint, propterea quod Hebræum vocabulum, pro quo Septuaginta interpretes *Scapulas* reddiderunt, non tam scapulas, quam alas illis significare videatur, tamen nihil oberit, si omnes tres similitudines cum Græcis explicemus. Nam in his tribus etiam illæ duæ continentur, quas Hebræi solas recipient. Igitur sensus verborum talis est : Nulla causa est cur timeas, quicumque spem tuam totam et fiduciam in Deo collocasti. Ipse enim te proteget atque defendet ad eum modum, quo strenuus miles solet, cum amicum debiliorem scapulis suis tegit, et contra hostes pro eo fortissime pugnât. Vel si mavis, ad eum modum, quo gallina sub alas pullos suos colligit, et ab unguibus milvi atque accipitris salvos conservat. Vel denique ad eum modum, quo scutum omnia tela inimicorum excipere, et a corpore militis prohibere atque arcere solet. Nunc de singulis diligentius et copiosius disseramus.

Scapulis suis obumbrabit tibi. Hæc est comparatio prima. Noli metuere, inquit, Psalmographus : nam si quando adversum te bellum orietur, Deus in medio se constituet, et te quidem scapulis suis teget ; hostes vero tuos plagis et vulneribus afficiet : id quod non frustra scriptum esse testantur victoriæ, quas non sine magno et evidenti miraculo olim Judæi et potissimum Christiani, de hostibus suis frequentissime retulerunt. Cum populus judæicus quondam ex Ægypto decederet, et insequentem Pharaonis exercitum vehementissime formidaret, dixit ad eos Moyses : *Nolite timere : Dominus pugnabit pro vobis, et vos jacebitis.* Quod ita factum esse liber Exodi apertissime docet. Mox enim Angelus Domini medium se constituit inter castra Ægyptiorum, et castra Israel, ita ut ad se invicem accedere non valerent. Deinde cœpit Dominus exercitum Ægyptiorum cedere, et rotas currum subvertere, et dicebant Ægyptii : *Fugiamus Israelem ; Dominus enim pugnât pro eis contra nos.* An non istos evidenter scapulis suis Deus obumbrabat ? Alterum exemplum, non minus illustre, (ut alia multa interim omittam) in libro Macchabæorum secundo, ca-

pite decimo, continetur. Cum enim Judas Macchabæus, et qui cum eo erant, cum Timotheo et exercitu ejus confugerent : *Apparuerunt adversariis, inquit Scriptura, de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes, ex quibus duo Macchabæum medium habentes armis suis circumseptum incolumem servabant : in adversarios autem tela et fulmina jaciebant.* His non dissimilia sunt, quæ Eusebius de magno Constantino : Theodoretus et Socrates de utroque Theodosio referunt, qui non semel maximas hostium copias sine ulla suorum strage, non tam hominibus, quam Angelis pugnantibus fuderunt. Sed hæc magna quidem sunt, at nihil tamen ad ea, quæ quotidie Deus pro nobis adversus hostes nostros invisibiliter agit. Quoties putas te Diabolus aggreditur, et sine dubio expugnaret, nisi Deus in medio existeret, scapulis suis te obumbraret, Dæmonis impetum frangeret, et vires ejus debilitaret? Et cur istis diebus natus est Christus ; nisi ut pro nobis contra dæmones bellum gereret? Ipse est enim, qui fortem armatum devicit, et spolia ejus ac vasa diripuit, et nunc semper nobis adest, nec sinit unquam tentari supra id quod possumus. Itaque si vere cupis mores tuos emendare, et vitam deinceps rectius constituere, dubium non est, quin hinc Dæmones, inde caro te oppugnabit. Sed noli timere, magnum patronum habes, qui seipsum tibi negare non potest, aderit sine dubio laboranti, in medio se constituet, et scapulis suis te obumbrabit. Jam alteram similitudinem videamus.

Et sub pennis ejus sperabis. Pulcherrima atque elegantissima comparatio est, et duobus modis explicari potest. Ut enim liberator noster Christus duas naturas habet, divinam atque humanam ; sic et duabus avibus comparatur, aquilæ et gallinæ. De priore sanctus Moyses ait : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expendit alas suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* De posteriore Dominus ipse ait : *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis et noluit :* Christus igitur secundum formam Dei, aquilæ ; secundum formam servi, gallinæ comparari potest. Quocirca B. Joanni, qui de Christi divinitate plura scripsit, aquila tamquam proprium insigne merito attribuitur.

Sed videamus, an ea, quæ aquilæ et gal-

linæ propria sunt, duabus etiam Christi naturis apte conveniant. Aquila princeps est et regina omnium avium, et Deus est rex et princeps omnium spirituum. Aquila tam alte volat, ut vix eam oculi cæterorum animalium consequi valeant : et Deus naturæ sublimitate ac præstantia ita procul ab omnibus aliis rebus abstractus est, ut ad ipsum nec hominum, nec Angelorum oculi pertingere ullo pacto queant, nisi gratia Creatoris supra naturæ conditionem, ac dignitatem eos evehat, et in quodam quasi monte gloriæ et beatitudinis collocet. Aquila oculorum aciem acutissimam habet, ut etiam res minutissimas, et longe positas facillime cernat : et Deus ejusmodi oculi præditus est ut etiam cordium cogitationes et res post multa sæcula futuras videat. Aquila unguibus adeo firmis ac robustis instructa est, ut ei nulla vi eripi possit, quod semel comprehendit : et Deus quod ab æternitate eligendo ac prædestinando suscepit, ita tenet, ut ipse idem aliquando dixerit : *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Aquila provocat ad volandum pullos suos, et super eos volitat : et Deus inspirationibus, Scripturis, exemplis, miraculis, nos perpetuo ad volandum in sublime virtutum et perfectionis cohortatur. Aquila, ut Plinius in libro decimo naturalis historiæ scribit, capite tertio, pullos suos ad solem convertit, et si quis forte solem intueri recusat, cum tamquam degenerem et spurium de nido suo deturbat, ita ut vel casu illo vel certe fame tandem enecetur : et Deus, auditores, ideo nos erectos, et facie ad cælum conversa efficere voluit, ut semper cœlestia spectaremus, hæc inferiora contemneremus, in unum justitiæ solem oculos defigeremus, et væ nobis, si ab ea luce oculos avertamus, ac pecudum more nihil nisi ventrem, et ea, quæ sub ventre sunt, intueamur, Hinc enim Apostolus clamat : *Quæ sursum sunt quærite : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Aquila postremo id proprium habet, ut quamvis pullos suos quandoque deserat, et longissime ab eis volando recedat, tamen oculos suos a nido suo nunquam removeat : et si forte accipitrem aliquem ad nidum suum propinquare videat, repente, instar fulminis descendat, accipitrem capiat, et occidat et in nidum pullis suis devorandum deferat. O quam sæpe atque præclare id nostra Aquila fecit. Volavit aliquando Dominus in cælum, et nidum Ecclesiæ suæ reliquit in terris : et

ecce crudelis quidam accipiter, *Spirans minarum et cædis*, circa nidum volitare incipiebat eumque evertere, et pullos omnes trucidare cogitabat. Sed quid? An existimatis aquilam etiam de mediis nubibus nidum suum videre non potuisse? Imo vero de summo cœlo pullos suos intuebatur, et tuebatur, et oculos clementiæ ac providentiæ suæ ab eis nunquam removebat. Itaque incredibili celeritate descendit, et accipitrem illum summo impetu postravit, trucidavit, in nidum asportavit, et ex eo pullos suos longo tempore sustentavit. Non, arbitror, necessarium erit, ut vobis quis iste accipiter sit, exponamus. Quis enim ignorat, apostolum Paulum accipitrem aliquando fuisse, Christianique Ecclesiam devastare totis viribus eontendisse: deinde vero occiso in eo vetere homine in nidum Ecclesiæ a Servatore delatum, et ex ejus pectore spiritali cibo totam Ecclesiam longo tempore sustentatam, nutritamque fuisse? Quod idem de Cypriano, Augustino aliisque permultis dicere possemus. Cur igitur tanta sit hujus aquilæ potentia, tantaque erga pullos suos providentia, nonne merito dicitur nobis: *Et sub pennis ejus sperabis*: Si aquila pro nobis, quæ avis contra nos? Certe nihil est quod metuat, qui tanto præsidio communitur, modo et sinu aquilæ non recedat.

Verum enimvero iste idem liberator noster, qui secundum formam Dei tamquam ingens aquila in montibus cœlorum habitat; secundum formam servi, instar humilis gallinæ novissimis diebus istis in domieillis nostris habitare cœpit. *Post hæc in terris visus est*, inquit propheta Baruch, *et cum hominibus conversatus est*. Et quoniam non in cubieulis nee in aulis, sed in stabulis cum jumentis, gallinæ eollocari solent; propterea Christus etiam non in palatio regali, sed in stabulo Bethlehemitico inter bovem et asinum versari voluit. Et sicut gallinæ aliena ova in nidum suum libenter recipiunt, eis incubant, ea fovent, donec tandem pullos excludant: sic etiam ipse fecit. Quid enim nos eramus, nisi semen idololatrarum, filii nequam, ova aliena? et tamen incredibili pietate in nidum suum recepit, alis suis textit, fovit, regeneravit, pullos suos effecit. At quo tandem modo? Plane ad eum modum quo solent gallinæ. Multas aves novimus, quæ in conspectu nostro nidos et pullos suos habent: hirundines, passeres, ciconias, columbas, omnes pariunt, omnes incubant ovis, omnes suos

foetus diligenter custodiunt: tamen nulla est, quæ sic infirmetur affectu pullorum, sicut gallina. Videmus cæteras aves, vel in nidis quiescentes vel extra nidum volitantes, nec intelligere possumus, an foetus habeant, gallinam vero mox agnoscimus: siquidem amore pullorum languet, sudat, plumas relaxat, vocem commutat; et tamen si forte necessarium sit, quanto infirmior et debilior esse videtur, tanto contra milvum acrius et fortius pugnat. Ita igitur et nos peperit mater nostra sapientia Dei; quia nos infirmi eramus, et Christus infirmum se fecit: *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. Quæ major exinanitio cogitari aut fingi potest, quam ut Deus conspiciatur in stabulo, infans lactetur, pannis involutus et vagiens in præsepi? Quid Deo et stabulo? Quid Verbo et infantia? Quid sapientiæ infinitæ, et cunis ac lacti? Quid saneto sanctorum, et fami et siti, frigori et nuditati, lacrymis et doloribus, quæ tamquam stipendia nostris sceleribus debebantur? Et vide an vocem etiam instar gallinæ non mutaverit, cum pro illis magnificis vocibus, quæ in monte Sina olim audiebantur: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes*, nunc inter brachia matris infantium more, ploratum et vagitum edat? Agnosce, christiane, charitatem hujus matris. Quid majus, quid mirabilius, quam ut ille, quem laudant astra matutina, qui sedet super Cherubim, et volat super pennas ventorum, qui mundum totum pugillo complectitur, qui portat *omnia verbo virtutis suæ*, eui spiritus illi cœlestes perpetuo clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria tua*. Ille, inquam, propter nos terræ vermieulos, ad tam extremam inopiam et miseriam descendere voluerit, ut eum in die natalis sui mater poneret in præsepi, propterea quod non esset ei locus in diversorio? Quæ mulier tam vilis atque abjecta unquam fuit, quæ locum alium non haberet, quam præsepe jumentorum, ubi filium suum recens natum collocaret? Res est profecto ejusmodi, si pie atque attentè cogitetur, ut non possit non vehementem stuporem in animo generare, nec solum stuporem, sed etiam mundi eontemptum, deliciarum horrorem, paupertatis amorem, et ardens imprimis pro Christo patiendi desiderium. Sed neque hic finis infirmitatis et laborum Domini fuit, sed principium potius: siquidem **cum** ætate et mole corporis, simul

etiam molestia et infirmitas crevit, ac demum in ultimis suis diebus, cum tanquam vera gallina pullos excluderet, atque eos in lucem ederet, tum vero sudare non aquam, sed cruorem : tum plumas laxare atque deponere : tum vocem commutare : tum corpore toto languere et ægrotare cœpit : et tamen quanto ex passione infirmior et debilior erat, tanto contra milvos infernales acrius et fortius dimicabat. Numquam enim tantum detrimenti Dæmonibus attulit, nec unquam majore plaga eos affecit, quam cum pro nobis in cruce pependit. Hæc igitur avis est, auditores, sub cujus pennis sperare debemus : quæ enim tanto labore nos peperit, dubium non est, quin etiam omni diligentia more gallinæ alis suis teget, fovebit, calefaciet, consolabitur, ab æstu et frigore, a milvis et accipitribus proteget.

O utinam quos mundi et carnis illecebræ irretitos tenent, quique tantopere carnalibus voluptatibus delectantur, experirentur aliquando, quas delicias præbeat sinus Christi? quam dulce sit sub alis Domini requiescere? et quid illud sit quod Propheta canit : *In velamento alarum tuarum exultabo?* profecto eis desipere ac vilescere mundus inciperet. Et unde, quæso, sancti Martyres, tam horribiles cruciatus nihil faciebant? Unde beati Confessores tot laboribus et periculis non frangebantur? Unde B. Paulus Eremita tantam solitudinem, B. Antonius tam varia et tam multiplicia dæmonum certamina, B. Franciscus tam extremam paupertatem, sancti omnes tot mundi terrores, persecutiones, inimicitias, tam crebra jejunia, tam longas vigiliæ, tantam corporis castigationem, tanta animi lætitia superare potuerunt? An non ex eo, quod sub alas Domini frequentissime colligebantur, ibique tandem incredibili consolatione reficiebantur quæ gustari et sentiri, sed certe dici et explicari nullo modo potest? Sed si deliciæ spirituales eos non movent, qui eas non gustaverunt, an saltem milvorum ubique volantium multitudo eos ad gallinæ sinum compellere non deberet? O si videres, qualem stragem animarum diabolus facit, cum eas extra Christi sinum vagantes offendit, totus sane contremisceres, et miseram sortem tuam magnis vocibus deplorares. Quid? Quod dæmon cum revera sit milvus, tamen gallinam se esse fingit, abscondit unguis, expandit alas, et ad sinum suum omnes invitat, et tam multi eo se conferunt, ut pleno jam sinu, unus alium extru-

dat. Quantum contenditur, quantum certatur, quot peccata perpetrantur, pro nugis hujus mundi? Et quid est hoc aliud, quam socios pellere ac trudere, ut amplum ac commodum locum habeas in sinu Diaboli? Simus, quæso, sapientiores, nec tanti emamus interitum animarum : ad sinum Domini confugiamus, et sub pennis ejus speremus, ubi non solum quiete et commode, sed etiam tuto jucundeque versabimur.

PARS SECUNDA.

Scuto circumdabit te veritas ejus. Hæc est tertia comparatio, qua nobis divinam protectionem regius Psaltes exponit, de qua quoniam cum duabus superioribus conjuncta est, licet ad sequentem versiculum pertinere videatur, hodierna die breviter disseremus. Cætera, quæ de hoc eodem Psalmo restant, quæ multo plura et meliora sunt, quam ea quæ hucusque disputavimus, in Dominicam Septuagesimæ, et sequentes vestra bona venia differemus. Interim scutum, quod nobis de cælo allatum est, diligenter, si placet, inspiciamus.

Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus. Non dubito, quin ex nova ista forma loquendi magnitudinem et utilitatem hujus clypei conspiciatis : siquidem clypei isti usitati, quos in humeris militum videre solemus, non nisi partem anteriorem corporis tegunt ; at clypeus veritatis, qui non ex fabricarum officinis, sed de cælo prodiit, totum hominem tegit ; sive a fronte, sive a tergo, sive a lateribus jacula emittantur, tutissimus eris, quoniam *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Neque vero suspicari debemus, aliud esse scutum, aliud veritatem, quamvis Propheta suis verbis ea separare videatur. Idem enim est, ac si dixisset : tamquam scuto, vel ad modum scuti circumdabit te veritas ejus : quod etiam apertius ex Hebræo D. Hieronymus vertit, scutum et protectio veritas ejus.

Quæ igitur est hæc veritas, quæ instar scuti nos proteget? Non est una, et simplex veritas, sed multiplex et varia. Primum veritas Dei, quæ etiam fides, et fidelitas, et justitia et constantia dici potest, qua facit, semper quod promittit, de qua legis in Psalmo octuagesimo octavo : *Veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.* Et paulo inferius : *Misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo* (sive ut alii legunt), *neque deci-*

piam in veritate mea. In Genesi quoque sanctus Patriarcha Jacob : *Minor sum, inquit, cunctis miserationibus tuis et veritate tua, quam explevisti servo tuo.* Denique passim in Scripturis veritas fidelitatem et constantiam significat. Est vero tanta in Deo veritas, ut potius cœlum et terra, et omnes naturæ concidere possint, quam unum Dei verbum non impleri. Tanta est in Deo veritas ut in ea tamquam in firmissimo solo anchoram spei nostræ figere nos posse Apostolus confirmet. Denique tanta est in Deo veritas, ut omnis hominum et Angelorum veritas cum ea collata non veritas, sed mendacium videatur : *Est autem Deus verax* (inquit Apostolus), *omnis autem homo mendax.* Siquidem soli illi naturaliter convenit non posse mentiri, cui convenit soli non posse mutari, quod proprium esse Dei nemo est qui nesciat, cum Scriptura aperte clamet : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut Filius hominis, ut mutetur, Dixit ergo : et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Minime vero id de eo suspicari licet, qui si verax non esset, etiam Deus non esset. *Fidelis igitur Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Atque hæc veritas, hæc fidelitas, tamquam scutum circumdabit te, si spem tuam et fiduciam in Deo posueris. Habes verbum ejus, quo protectionem certam omnibus in se sperantibus promisit, tenes chirographum ejus, litteras de cœlo allatas manu Spiritus sancti scriptas, juramento Patris confirmatas, sanguine Filii consignatas. Sed hæc omnia quid valerent, si Deus mentiri, et fallere, et promissis suis non stare posset? Certe non propterea tutus esses. Scutum igitur et protectio veritas ejus. Ideo, *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo,* quoniam protectionem in se sperantibus ille promisit, qui fallere et mentiri nullo modo potest.

Altera veritas, quæ etiam ad modum scuti Dei milites circumdat, est ea, quæ semper in litibus et contentionibus cum mendacio et falsitate confligit. Nunquam enim exoritur inter duos contentio, quin partem unam veritas tueatur, alteram falsitas defendat : sed ille tandem vincit, a cujus parte veritas pugnat. Nihil enim est fortius et potentius veritate; neque audet unquam falsitas cum veritate congregari, nisi induta atque armata vestibus et nomine veritatis. Et quamquam interdum obscurari videtur veritas

et succumbere : tamen exurgit fortior et illustrior, non secus ac sol, posteaquam aliquamdiu nebulis impeditus, radios suos explicare non potuit, tandem nebulas omnes dissipat et consumit, et clarius micat, quam si tectus nebulis nunquam fuisset. Qui singulari certamine dimicaverunt et vicerunt, id palam testari solent, nihil sibi magis animum et vires addidisse, quam conscientiam veritatis; quod scirent videlicet a se stare veritatem. Quid? Quod veritas sola sæpe præsentia sine ulla contentione maximas lites diremit? Quid? Quod sæpe falsitas multum loquens et garriens a tacente veritate superata est? Proferam unum exemplum de multis ex libro decimo Ecclesiasticæ historiæ. Quo tempore hæresis Ariana Ecclesiam devastabat, et magnus Athanasius quasi signifer quidam Christianæ militiæ eidem hæresi fortissime resistebat, multis et variis modis conati sunt hæretici eum de medio tollere: sed cum aliæ artes non succederent, tandem falsis criminibus, in publico Episcoporum Concilio, eum opprimere se posse crediderunt. Itaque cum clericum quemdam Athanasii Arsenium nomine, qui propter culpam, correptionem metuens, ab eo recesserat, apud se diligenter custodirent, brachium mortui hominis a corpore reliquo amputatum circumferebant, atque id Arsenii esse, et id ab Athanasio abscissum in usum necromantiæ, constanter affirmabant. Neque eo contenti, muliereculam quamdam pecuniis conduxerunt, quæ diceret se Athanasium hospitio accepisse, et ab eo vim passam, stupratam violatamque fuisse. Deinde criminibus ita compositis Synodum Episcoporum in urbe, quæ Tyrus dicitur, coegerunt. Tum Athanasium in judicium vocaverunt. Is vero clypeo veritatis munitus, intrepidus ad concilium venit, præsertim cum Dei providentia, quæ suos nunquam deserit; paulo ante factum esset, ut Arsenius ille, de cujus brachio quæstio movebatur clam ad Athanasium rediisset. Igitur ubi ad judicium ventum est, objicitur Athanasio imprimis crimen atrocissimum necromantiæ, profertur brachium in eum usum ab ipso amputatum, exultat mendacium et triumphat ante tempus. Tum vero Athanasius : Est ne hic aliquis (inquit) qui Arsenium noverit, ut ejus hoc esse brachium dicere possit? Et cum plurimi sibi notum Arsenium affirmarent : eum continuo per suos accersiri jubet, atque eo in conspectu omnium collocato : En

(inquit) Arsenium. Hæc ejus dextra, hæc sinistra : est brachium istud abscissum cuius sit, vos videritis, nisi tria brachia Arsenium habuisse velitis. Ita mendacium primum luce veritatis dissipatum evanuit. Venitur mox ad alterum de muliere. In medio vero patrum impudentissima meretricula virginitatem suam miserabili querimonia satis deploravit. Magnus Athanasius qui se ab illa ne visum quidem esse unquam sciebat, annuit Timotheo Presbytero suo, ut se Athanasium esse fingat, et mulierculæ respondeat, Timotheus igitur; Verene, inquit, mulier ego tibi vim intuli? Tu, inquit illa, mihi vim intulisti, tu illo in loco maculasti virginitatem meam, testor Deum judices non aliter esse, quam indico. Tum vero ingens pudor, et quasi nox quædam omnibus Athanasii accusatoribus offusa est : atque ad hunc modum sola præsentia tacentis veritatis orationem confutavit eloquentissimæ falsitatis.

Sed quod maxime vim et potentiam veritatis mihi demonstrare videtur, illud est, quod cum ab initio nascentis Ecclesiæ simul Hæretici cum Catholicis in libris conscribendis occupati fuerint, et scribente Irenæo scripserit etiam Valentinus, scribente Athanasio scripserit Arius, scribente Basilio scripserit Eunomius, scribente Hieronymo scripserit Jovinianus, scribente Augustino scripserit Pelagius, scribente Cyrillo scripserit Nestorius, et de cæteris ad eundem modum : tamen Hæreticorum opera omnia perierunt, et periisset etiam nomen et memoria, nisi in libris Catholicorum, qui usque ad hanc diem manent, conservata fuissent. Et unde hoc? Nisi quod monumenta hæreticorum domicilia sunt mendaciorum, quæ statim evanescent et pereunt : libri vero catholicorum sedes sunt veritatis, *Et veritas Domini manet in æternum*. Quæ cum ita sint, si tibi calumniæ ab invidis aliquando struuntur, si falsa crimina obijciuntur, si contra te lites instituuntur, si vere a tua parte stat veritas, et habitas in adjutorio Altissimi, esto securus de victoria, quoniam *Scuto circumdabit te veritas ejus*.

Sed cur dicitur *ejus*, cum nostra sit veritas, de qua nunc agimus? Nimirum quia sicut primus auctor et parens mendacii Diabolus est, et propterea omne mendacium, et ex ipso, et ipsius esse dicitur : sic etiam quoniam Pater veritatis Deus est, ideo omnis veritas dicitur, veritas ejus.

Jam vero tertia veritas, quæ scutum appellari optime potest, ea est, quæ in divinis litteris scripta continetur. Nam et Dominus ait in Evangelio : *Sermo tuus veritas*. Et Salomon in Proverbiis : *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est*. Neque vero mirum nobis videri debet, si verbum Dei Apostolus Paulus gladium esse voluit, cum in epistola ad Ephesios ait : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Eadem enim scriptura, et ferit, ac vulnerat adversarios, quod est gladii ; et jacula hostium repellit, quod est clypei. Quocirca in illa præclara monomachia Christi et Diaboli iste scripturæ gladio pugnabat, ille scripturæ clypeo resistebat ; ac ut nobis clypeum istum Dominus vehementer commendaret, omnibus telis Satanæ nunquam alium clypeum, quam Scripturarum opposuit. Tentatur primo, ut panem ex lapidibus faciat. Respondet : *Scriptum est ; Non in solo pane vivit homo*. Tentatur secundo, ut de pinnaculo templi se præcipitet. Respondet : *Scriptum est non tentabis Dominum Deum tuum*. Tentatur tertio, ut Diabolum quasi mundi Dominum adoret. Respondet : *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Si inter tam varia mundi pericula, inter hastas et gladios tutus incedere cupis, in omnibus actionibus, et negotiis tuis, tam in rebus prosperis, quam in adversis, sume clypeum veritatis, consule litteras Dei, non audias voces hominum mendacium et adulatorum, *qui dicunt malum bonum, et bonum malum* : amarum dulce, et dulce amarum : qui magnificiunt res parvas, et res magnas contemnunt : qui si fornicaris, dicunt, nihil est : si doles capite vel stomacho, id vere magnum malum esse censent : et si perdis animam nihil curant, si perderes digitum unum, omnes medicos urbis convocarent. Hinc enim omnes nostri errores nascuntur, quod non justo pondere res æstimamus, et carissime illa emimus, quæ nihil valent, et ea quæ vere magna ac pretiosa sunt, vilissimo, ac pene nullo pretio emere volumus. Sume igitur clypeum veritatis, consule librum Dei, qui omni mendacio atque adulatione vacat. Quid Scriptura, quid veritas dicit? Nullum esse malum valde metuendum, nisi peccatum et gehennam : nullum esse bonum nimis appetendum, nisi Deum et virtutes ; eum vere divitem, et nobilem, et pulchrum et sapientem esse, qui patientia, humilitate, charitate, castitate cæterisque virtutibus præditus est :

eum vere pauperem, et vilem, et deformem et amentem esse, qui fornicarius, qui ebriosus, qui avarus, qui superbus, qui vitiis cæteris tamquam lepra et scabie coopertus est. Neque sunt hæc paradoxa Tulliana, sed Christiana, quæ in libro Dei, in Scriptura veritatis apertissima et indissolubili argumentatione ita probantur. Christus (inquit liber Veritatis) cum Deus esset, et in potestate sua positum haberet, ut in terris annos triginta tres habitaturus, eum vitæ statum quem vellet eligeret, vilissimum et abjectissimum elegit pro domo stabulum, pro lecto præsepe, pro tapetibus fœnum: et ea non propria sed mendicata. Deinde matrem pauperrimam, cibum tenuissimum, vestes rusticanas. Denique nihil pomparum, nihil commodorum, nihil deliciarum hujus mundi quæsivit, et contra nihil laborum, nihil afflictionum, nihil miseriarum, nihil malorum recusavit, præter peccatum, quod unum malum a se, et a suis omnibus, quam longissime abesse voluit. Neque dicere potes, eum non potuisse, vel nescivisse statum meliorem eligere. Nam si Deus erat, ut revera erat, certe potentissimus, sapientissimusque erat. Et quid aliud magis in eo prædicat Isaias, quam quod Emmanuel vocandus esset, et sciret *Reprobare malum et eligere bonum*? Quid igitur? An non aperte atque evidenter efficitur, quod dicebamus, nullum esse malum valde metuendum, præter peccatum et gehennam, quæ stipendium peccati est; et nullum bonum nimis appetendum, præter Deum et virtutes. Quid? Si vere magna bona essent, quæ mundus magna esse prædicat, cur ea Dominus sapientissimus repudiasset, et matrem suam, aliosque sibi conjunctos et caros egentissimos eorum esse voluisset? Et si vere magna essent mala, quæ mundus magna esse docet, cur Dominus sapientissimus eis tantopere, et se et suos ornasset? Quæ cum ita sint, si (ut modo dicebamus) mundi pericula securus pertransire cupis, sume clypeum veritatis, justo pondere omnia trutina, tantique aestima quanti valent. Aspice sempiterna ut sempiterna, temporalia ut temporalia, permanentia ut permanentia, fugacia ut fugacia; ita non decipieris, nec metues inopiam, nec affectabis honores, nec invidabis divitiis, nec ulla te adversitas franget, nec prosperitas extollet, et in omnibus *Scuto circumdabit te veritas ejus*.

Sed omittere non possum pulcherrimam

illam expositionem eorum, qui veritatem, quæ tamquam scutum nos protegit. Christum ipsum esse volunt. Is enim de se quodam loco ait: *Ego sum via, veritas, et vita*. Et sane, auditores, nihil verius, quam Christum clypeum nostrum aliquando fuisse. Nullum ei bellum cum Deo Patre unquam fuit, et tamen clamat in Psalmo; *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, et totum corpus plenum tumoribus et foraminibus habet. Cur ita? Unde hoc in eo, *Qui peccatum non fecit, nec parentem suum Deum unquam offendit*? Dicam, auditores. Vidit Filius Dei parentem suum in nos armatum, vidit arcum et sagittas jam paratas, vidit gladium exacutum ac districtum: vidit ab altera parte nos omnes inermes, et qui neque viribus, neque prudentia tela iræ divinæ declinare possemus. Quid igitur? Misericordia motus, inter nos et Deum se medium constituit, et tamquam si clypeus noster fuisset, omnes plagas, omnes ictus, omnia vulnera, omnia tela, quæ in nos a Deo dirigebantur, in corpore suo ipse excepit. *Propter scelus populi mei percussi eum*, ait Pater. Hoc est: Ipse quidem nihil meruerat, sed quoniam clypeus esse voluit hominum peccatorum, ideo percussi eum, *Ipse autem*, inquit Isaias, *vulneratus est propter iniquitates nostras, et attritus est propter scelera nostra. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*. Et quam mature id cœpit? In ipso die natalis sui frigus et nuditatem patitur, in die octavo circumciditur, post paululum fugere compellitur in Ægyptum, deinde nunquam persecutiones, nunquam insidiæ, nunquam labores, nunquam dolores defuerunt. Et quamvis Dæmon nostræ saluti invideret, et per ora Judæorum clamaret: *Descende de cruce*, non tamen id fecit, non recessit, mansit, perseveravit, donec iram Patris mitigatam et pharetram sagittis evacuatam vidit. Audierat enim illum dicentem: *Et sagittas meas complebo in eis*. Itaque jaculatione finita, cum omnia tela in suo corpore infixæ videret, tum demum ait: *Consummatum est*, pharetra vacuata est.

Intelligis frater, quantum te Christus amavit? Quid poterat majus tibi præstare, quam ut se clypeum tuum faceret, ut ipse percuteretur, et tu post terga ejus tutus maneres? An non igitur par esset, ut tu quoque in gratiam ejus aliquid faceres? Et quidnam est, quod a te Christus requirit, nisi ut dili-

gas Deum, ut fugias vitia, ut curam habeas salutis tuæ? Ut sic te geras dum vivis, ut in morte quoque eum habere pro clypeo merearis? Perpendite quæ dicam. Nunquam magis clypeus iste necessarius erit, quam in exitu de hoc sæculo. Mox enim ut animus a corpore separatur, aspicit hinc supplicia horribilia damnatorum, inde gloriam inexplicabilem sanctorum: hic sulphureos globos flammaram, inde virentem paradisum deliciarum: hec lamenta et gemitus miserorum, inde cantica jucundissima beatorum. Itaque summo et infinito quodam desiderio tenetur pœnas æternas evadendi, regnumque cœlorum adipiscendi. Sed occurrunt sagittarii spiritus infernales, et verba tamquam tela jaculantur et dicunt: Heus tu quo tendis? non ad te pertinet sedes illa beatorum. Quo jure, quo titulo adspiras ad regnum, cui perpetuus carcer præparatus est? Nescis primum tuum parentem, cum sibi, tum omni posteritati jus ad eum locum perdidisse! Non recordaris, quam multa tu deinde ad originale peccatum crimina addidisti! At si Christi amicus fueris, nihil, tibi jacula ista nocebunt, quoniam *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Poteris enim respondere ac dicere: Ego quidem ex me nihil habeo, unde regnum cœlorum mihi deberi

censeam, imò nec illud inficior, me gehennæ cruciatus non semel meis flagitiis meruisse, tamen propterea jacula vestra non timeo, quod Christus Dominus meus duplici jure paradisum obtineat: jure hæreditatis, quia Filius est: et jure victoriæ, quia regnum illud armis sibi comparavit: ex duobus autem titulis priore ipse contentus, posteriorem donavit mihi. Sed vœ illis, qui clypeum non habebunt. Quales omnes illi erunt, qui fidem in Christum non habuerunt. Frustra enim sibi de nomine Christiano tam Hæretici, quam mali Catholici blandiuntur: siquidem scutum militum Christi, neque extra castra Ecclesiæ ab Hæreticis deferri potest, neque in ipsis castris illis prodest, qui non pugnant, qui fugiunt, qui cadunt, qui vulneribus peccatorum confecti et mortui jacent. Et o quam confusi, quam decepti, quam miseri erunt, cum se solos et nudos, et prorsus inermes inter acies crudelissimorum Dæmonum videbunt. Quare, auditores optimi, clypeum tam necessarium, qui non habet, comparare: qui habet, conservare diligenter studeat, ut eo protecti atque muniti, castra dæmonum securi pertransire, et ad regnum illud felicissimum pervenire valeamus, ubi Dux noster vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO VI.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERTU QUINTO ET SEXTO

Non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.

SYNOPSIS

Sumpto exordio a difficultate sacram Scripturam intelligendi, ad sequentia oratio procedit, ubi præmissæ interpretationi litterali mystica subsequitur : atque quid secundum litteram sit timor nocturnus, quid sagitta volans in die, quid negotium perambulans in tenebris : quid incursus, et dæmonium meridianum, breviter perstringitur. Secundum sensum mysticum quatuor assignantur tentationum genera, unum est tentatio occulta, sed levis quæ est timor nocturnus : alterum est tentatio occulta, sed gravis, quæ est negotium perambulans in tenebris : tertium est tentatio aperta sed levis, quæ est sagitta volans in die : quartum denique genus est dæmonium meridianum, quæ singula suis exemplis accurate illustrantur, et tandem contra graves tentationes, et præsertim libidinis, copiosa et efficacia præscribuntur remedia.

Posterior pars tertiam continet explicationem, quatuor scilicet tentationum militi Christiano obvenire solitarum. Prima est timor difficultatis in via virtutum, et hæc est timor nocturnus ubi copiose probatur, quam facilis sit via virtutum, utpote quam amor maxime faciliat, et quam æquum sit aliquem laborem (si tamen aliquis sit) in via Domini suscipere, a contrario, via scilicet peccatorum laboriosissima docetur, atque D. Augustinas, ut qui utramque viam ambulaverit, in testimonium

adducitur. Altera tentatio militis Christiani, est vana gloria, quæ est sagitta volans in die. Tertia tentatio est corruptio sensuum, quæ est negotium perambulans in tenebris. Quarta denique tentatio est palliata alicujus boni et veritatis ostensio, quæ est incursus Dæmonii meridiani; quæ singula coloribus suis et doctrina exornata exaggerantur.

Recte ac sapienter ii fecisse, multumque omnino vidisse mihi videntur, auditores optimi, qui sententiam illam Dei, qua primi nostri parentis contumacia punita fuit, cum ei doctum esse legimus: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, non solum ad panem corporis, sed etiam cordis: nec minus ad animi curas, quam ad corporis labores referendum esse censuerunt. Nam uti terra, nisi magno agricolarum studio prius colatur et exerceatur, fructum non profert, et sæpe diligenter culta spinas ac tribulos pro frugibus et fructibus gignit: Sic ager Scripturarum, nisi meditatione assidua quodammodo subigatur, et piis devotisque lacrymis irrigetur, fructum intelligentiæ non parit. Nec raro spinas effundit molestissimarum quæstionum, quibus mirum in modum studiosorum animi cruciantur. Quare perspicue mentiuntur hæretici, cum sanctas litteras apertissimas esse, et explicatione non indigere contendunt. Nec mirum, si ex campo Scripturarum non triticum ipsi, sed lolium colligunt: nam *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Et illum

regius Propheta beatum esse prædicat, qui scrutatur testimonia Dei, et in lege ejus meditatur die ac nocte. Neque alia de causa Liberatores noster. pastores et doctores in Ecclesia esse voluit (ut ait Apostolus) quam ut essent, qui campum istum Scripturarum diligenter excolerent, atque inde alimoniam spiritualem toti familiæ dispensarent. Unus ex difficilibus atque obscuris locis propter quos non sine causa dictum esse arbitramur, *In sudore vultus tui pane tuo vesceris*, is est, quem hodierna oratione Domino adjuvante tractaturi sumus. Nam si meministis Psalmi nonagesimi explicationem ad eum produximus versum, ubi legitur: *Non timebis a timore nocturno*. Quem locum S. Augustinus et cæteri Psalmorum tractatores cum primis difficilem atque implicatum esse confirmant. Quamobrem, ut dilucide, quantum fieri poterit, obscuram sententiam exponamus, nitentur primum litteralem sensum ex his propheticis verbis eruere. Deinde ad intelligentiam spiritualem jacto litteræ fundamento liberius veniemus.

Igitur sanctus Propheta cum superioribus versibus divinam protectionem in Dei auxilio confidentibus promisisset, et præsidia atque arma ostendisset, quibus Deus in se sperantes instruere et communire solet, nunc hostes et jacula demonstrat, a quibus defendendi ac protegendi sumus. Atque in summa docet, nunquam noctu, neque interdiu, neque clam, neque palam eum lædi posse, qui scuto veritatis aliisque divinis armis communitus fuerit. Nam ad quatuor ista capita mala omnia atque incommoda revocantur. Quid enim detrimenti capere potest, ad quem neque mala nocturna, neque diurna, neque occulta, neque manifesta aditum unquam habent?

Primum igitur, qui habitant in adjutorio Altissimi, et scuto veritatis proteguntur, tuti liberique sunt *A timore nocturno*: hoc est, ab ea molestia, ab iis damnis, ab illis gravissimis incommodis, quæ interdum solus timor ac terror nocturnus secum afferre solet. Multi enim sunt qui a solo timore læduntur. Nam id efficit horror tenebrarum, ut homines timent, etiam ubi non est timor. Si quis forte in media aliqua silva, vel in templo aut cœmeterio solus noctem transigere debeat, an non vehementer timebit, quamvis periculum nullum immineat? Si truncum aut lapidem videat, lupum aut ursum putabit: si arborum folia a vento agitata sonitum

dederint, latrones continuo somniabit. Neque solus iste timor hominem affligit, sed etiam in gravissima quæque mala interdum compellit. Temporibus Gedeonis quid innumerabiles illas copias Madianitarum tam facile dissipavit? Timor nocturnus. Neque enim Gedeon vi telorum aut gladiatorum, sed noctis horrore, lagenarum complosione, tubarum sonitu, terrendo non feriendo, vociferando non dimicando, clamoribus non viribus Madianitas vicit. Itaque Madianitis ingentem illam cladem timor nocturnus solus attulit quam profecto nequaquam accepissent, si ex iis fuissent, qui habitant in adjutorio Altissimi. Cur enim sancti Anachoretæ (ut de aliis interim taceam) securi in vastis desertisque locis soli degebant, quamvis dæmones formidolosis umbris et spectris ad terrendum aptissimis nusquam eis non occurrerent, nisi quia in Deo plurimum confidebant? Cur Beatus Franciscus templa solitaria et deserta quærebat, et in eis solus absque ullo timore totis noctibus orando vigilabat, nisi quia fiduciæ clypeum nunquam deponebat? Quid enim timeat, qui patrono omnipotenti, et ubique præsentis se totum commisit? Ergo qui habitat in adjutorio Altissimi, non timebit a timore nocturno.

Neque vero solum metum noctis inanem sancta ista fiducia excludit, sed etiam a jaculis quæ de die volitant, a veris periculis, a veris damnis, veris incommodis, quæ non in tenebris cogitamus vel suspicamur, sed clara luce ipsis oculis cernimus et sentimus, defendet. Id enim significat, quod statim sequitur: *A sagitta volante in die*. Ubi elegantissima translatione sagittis volatum attribuit, quod alata et velocissimæ sint. Itaque neque noctu inanis timor, nec interdiu vera arma lædere illum possunt, qui vere in Deo confidit.

Porro quod sequitur: *A negotio perambulante in tenebris, ab incursu et Dæmonio meridiano*, ad occulta et manifesta mala referendum est. Quædam enim sunt mala occulta, ut prodiones, insidiæ, stratagemata militaria, doli, fraudes, quibus ubique plenus est mundus: atque hæc quidem negotia dicuntur in tenebris ambulancia. Non quod solum in noctibus fiant, cum et noctu et interdiu fieri soleant, sed quoniam secreto atque occulto in angulis et latebris pertractantur. Quocirca non dixit Propheta a negotio perambulante in nocte, sed in tenebris. Sæpe enim claras noctes propter lunæ

splendorem videmus, claras tenebras nunquam videmus. Alia vere mala sunt manifesta, ut cum hostis non a tergo sed a fronte: non in latebris vel angustiis, sed in medio campo te palam adoritur: nec dolo sed vispiliat, vel sauciat, vel occidit. Atque ejusmodi calamitas apte incursus, et Dæmonium meridianum appellatur. Incursus quidem, quoniam hostis posterior non expectat, ut ad se inimicus veniat, sed ipse prior incurrit, et magno impetu in adversarium ruit. Dæmonium vere meridianum propterea dicitur, quod adversarius sit valens et audax, nullumque timeat, et in media luce apertissime grassetur. Atque hæc de primo et litterali sensu dicta sint. Venio nunc ad sensum alium altiorum nobisque omnibus utiliore.

Quatuor sunt genera tentationum, quibus dum hic vivimus, pene semper exercemur. Siquidem aliæ sunt occultæ, aliæ manifestæ: et rursum tam istæ, quam illæ, partim repentinæ et leves, partim graves et importunæ. Tentatio occulta, sed levis, ipsa est timor nocturnus; occulta sed gravis, negotium ambulans in tenebris: aperta et levis sagitta volans in die: aperta et gravis, Dæmonium meridianum. Sed luce exemplorum, illustranda sunt hæc, quæ breviter proposita, nec tam explicata, quam enumerata sunt. Tentatio igitur occulta, sed levis illa est, quæ specie alicujus boni hominem fallit; sed ita tamen, ut mox ad primam lucem veritatis evanescat. Cogitat aliquis perceptionem corporis Domini non semper differre usque ad Pascha, sed mensibus singulis, vel decimo quinto quoque die, aut etiam octavo cælestem illam mensam frequentare: sed protinus tentator accedit personatus pietate: et melius, inquit, erit more consueto solum in Paschate divina Sacramenta percipere. Sic enim et avidius atque ardentius sumes, et plus temporis ad animum præparandum habebis. Occulta tentatio est, et timor nocturnus, qui enim propterea timet, plane timet, ubi non est timor. Sume igitur clypeum veritatis: dic tentatori: Non est ita ut loqueris. Nam cibus ille divinus non fastidium, sed desiderium gignit: similisque est sali, et sitim atque esuriem secum affert: quo magis comeditur, eo magis desideratur. *Qui edunt me, ait Sapientia, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* Quod vero ad præparationem attinet, si tantam habere nitor, quantam Sacramenti ipsius majestas postulare frustra laboro, nam in Paschate qui-

dem, nec illam habebō: si vero quantam ab infirmitate mea Deus requirit, paucae horæ sufficiunt. Deinde usus an non aperte docet, nullos magis imperatos ad sacramentum accedere, quam eos, qui totum annum ad se præparandos habere volunt? Nec enim annum totum in peccatis purgandis, sed in perpetrandis, cumulandis, augendis consumunt: et cum toti sordibus usque ad verticem pleni fuerint, tum in sabbato sancto, vel in ipso die Paschalis horulam unam sufficere volunt, tam ad sordes confessione expiendas, quam ad tremenda mysteria capienda. Similis tentatio est, cum diabolus in corde tuo dicit, quid opus est tanto labore confessionem peccatorum facere? nam paulo post peccabis iterum, et quid tunc proderit prior confessio? Nonne igitur satius esset jucunde vivere dum licet, et postea ætate ingravescente, cum de mundo recedendum erit, omnia simul peccata una confessione delere? Sed cito responde: Quid si repente improvisa atque inopinata mors adveniat, et prius animam de corpore meo eliciat, quam ego de pœnitentia cogitare cœperim, an non certo certius me gehenna suscipiet perpetuo cruciandum? Deinde si confiteri non debeo, quoniam iterum fortasse peccabo, majori certe ratione comedere non debeo, nam iterum esuriam; bibere non debeo, nam iterum sitiam; ungues præcidere non debeo, nam iterum crescent; capillum tondere non debeo, nam iterum exorietur: manus et vestes lavare non debeo, nam iterum sordescunt. Quod si filii hujus sæculi istis ratiunculis nihil moventur, nec propterea cibum et potum, et balnea et reliquam corporis curam omittunt: quanto magis filii lucis timere non debent at imore nocturno, nec specie boni a tentationibus decipi.

Porro tentatio occulta, sed gravis et periculosa, esset, si homini pauperi et multos liberos habenti forte occasio sese offerret, marsupium nummis aureis plenum, diviti alicui clanculum ac tuto eripiendi, et simul intus in animo ejus ita Diabolus loqueretur: Quis novit, an Deus miseratus inopiam tuam, et divitem istum castigare volens, hanc tibi tam præclaram occasionem obtulerit? Certe tibi sæpe erepta sunt bona. Quid igitur peccabis, si auro isto tua damna redemeris? præsertim cum Deus omnino communia esse initio voluerit, et tamen dives iste supervacaneis abundet, tu necessariis indigeas. Magna sane tentatio, et vere negotium ambulans in tenebris, quo Tartareus negotiator infi-

nitas animas quotidie capit. Sed et soli tamen nocebit, qui non habitat in adjutorio Altissimi, et veritatis clypeum abjecerit. Nam qui serio cogitat, quod *Fures et rapaces regnum Dei non possidebunt*, quod *Facile est in oculis Dei subito honorare pauperem*, quod *Nullus speravit in Domino, et confusus est*, quod *Pater noster cœlestis scit, quia his omnibus indigemus*, et qui totam hæreditatem nobis daturus est, etiam ista minima non negaret, si ad animæ salutem expedire cognosceret, is facile tentationem vincit, et non de furto, sed de patientia cogitat.

Jam vero tentatio levis et aperta illa est, quæ modum et apertum malum suadet, sed tanta celeritate, ut prius homo se vulneratum videat, quam advertere possit, unde ad se malum illud penetraverit. Quocirca istiusmodi tentatio sagittæ volanti per diem aptissime comparatur. Sagittæ siquidem quamvis non tegantur: sicut hami et laquei, neque tempore nocturno sed diurno jactentur, tamen celeritate nocent. Prius enim vulnus sagittæ sentitur, quam sagitta ipsa conspici possit. Talia sunt, cum forte tibi per plateas ingredienti occurrit aliquis te ditior vel doctior, et subito pungeris sagitta invidentiæ: occurrit inimicus, et mox vindictæ atque odii stimulis incitaris: occurrit speciosa aliqua mulier, et statim amoris jaculo vulneraris.

Sed eadem hæc tentatio gravis et molesta efficietur, et Dæmonium meridianum appellari poterit, si quis ad nudum atque apertum malum tanta vi tantoque impetu impellatur, ut nisi singulari Dei præsidio, maximoque suo labore non resistat: quales tentationes maximis bellatoribus suis Deus non raro permisit, ut inde videlicet gloriosius triumpharent. Talis erat illa atrocissimæ persecutionis tentatio, qua crudelissimi Ecclesiæ persecutores, cum viderent votum esse Christianis pro Christo mori, non eos sinebant statim occidi, sed cruciatibus variis tam diu torqueri sanctos Martyres jubebant, donec vel Christum negarent, vel horrendo spectaculo in suppliciis vitam finirent. Ita Confessor Theodorus, Rufino auctore, temporibus Juliani Apostatæ ab hora prima usque ad decimam, tanta crudelitate totque mutatis carnificibus tortus est, ut simile factum nulla ætas meminerit. Ita illustrissimus Martyr Cassianus, ut Prudentius tradit, a puerulis, quos docuerat, jussu tyrannorum pro Christi fide stylis cultisque pennariis minutissimis vulneribus,

longissima acerbissimaque morte interemptus est. Ita celeberrimus ille Marcus Arethusius, ut Gregorius Theologus oratione prima in Julianum scribit, post innumera, immanissima, crudelissimaque superata supplicia, tandem melle perunctus in ardentissimo sole apum et vesparum morsibus interiit.

Quid remedii, auditores optimi, adversus tam acrem tribulationem, in quam nos etiam hoc tempore facile incidere possemus? Fiducia in Deum, et clypeus veritatis. Nam, ut sanctus Augustinus in hunc ipsum locum annotavit, illi dumtaxat in persecutionibus a Dæmonio meridiano vincebantur, qui de se præsumebant, qui in suis viribus confidebant, qui in Altissimi adjutorio non habitabant. Itaque primum spes tota ac fiducia collocetur in Deum, qui etiam per infirmos et debiles, non solum fortiter pugnare, sed etiam vincere et triumphare sæpenumero solet. Deinde clypeo veritatis miles Christi diligenter instruat, cogitet sæpe ac serio, beatos esse mortuos, *Qui in Domino moriuntur*. Fortunatam mortem, quæ naturæ debita, pro Deo potissimum redditur; et non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ nos manet in cœlo, nec ad futuras pœnas, quæ manent impios in gehenna. Has enim cogitationes (ut verbis utar D. Cypriani in exhortatione ad Martyrium in fine) quæ persecutio potest vincere? quæ possunt tormenta superare? Durat fortis et stabilis religiosis meditationibus fundata mens: adversus omnes diaboli terrores et minas mundi, animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa et solida corroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlum. Minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur. Mors infertur, sed immortalitas sequitur. Occiso mundus eripitur, sed restituto paradisu exhibetur. Vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas et securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum! claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus? Tam velociter migrandi quanta felicitas, ut terris repente subtraharis, et in regnis cœlestibus reponaris? Hæc oportet mente contemplari et cogitatione hæc die ac nocte meditari, si talem persecutionis dies Christi militem invenerit. Vinci non potest virtus ad præmium prompta: vel si accersitio ante prævenerit

sine præmio non erit fides, quæ ad martyrium præparata : sine damno temporis merces Deo iudice redditur : in persecutione militia, in pace conscientia coronatur.

Sed enim, auditores, Dæmonium istud meridianum, si passionis igne Christianum militem expugnare non potest, non quiescit propterea, sed ardore libidinis eum aggreditur. Talis illa tentatio carnis fuit, quæ B. Benedictum aliquando coegit nudum se in acutissimis spinis longo tempore volutare. Talis illa flamma libidinis, in pectore sancti Francisci diaboli arte succensa, quam vir sanctus ut restingueret, nudum se tempore frigidissimo in altissimis nivibus immergebat. Talis denique, ut cætera prætermittam, illa tempestas cogitationum, quam S. Hieronymus ad Eustochium scribens, in eremo se pertulisse, his verbis testatur : « Pallebant, inquit, ora jejuniis, et mens desideriis aestuabat in frigido corpore, et ante hominem suum jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, irrigabam lacrymis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam : memini me elamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino imperante tranquillitas. » Hæc si facerent nostri sæculi homines, non tam facile dicerent, castos se esse non posse. Quid enim mirum, si casti esse non possunt, qui jejunium et orationem, arma castitatis, oderunt ? Qui non solum occasiones et pericula non fugiunt, sed etiam ea diligenter quærunt ? Qui oculos defigunt in omnes feminas quas vident ? qui nihil magis cupiunt, quam convivii et potationibus interesse ? qui magnam artem esse ducunt scire agere eum mulierculis ? Qui hoc sacro tempore, quod pudor est dicere, ad Calvariæ montem, ad memoriam nostræ redemptionis, profecturi non sunt, nisi ut muliereculas comitentur ? Atque ego tamen serio illos admoneo, nunquam eos castos futuros, etiamsi millies peccata sua confiteantur, nisi sobrietatem prius addiscant, et feminarum conspectum, colloquium, consuetudinem fugiant. Si vero casti non erunt, neque unquam beati et felices erunt. Scimus enim, quia *Fornicarii et immundi regnum Dei non possidebunt.*

PARS SECUNDA.

Attulimus expositiones duas, ut obscurum hunc Psalmi locum pro viribus illustrarem : addemus nunc tertiam, quam duabus primis non minus veram, nec certe minus utilem futuram esse non dubitamus.

Quatuor tentationes sunt, quæ gradatim et ex ordine Christi militem adoriuntur. Prima eaque, ut mihi videtur, quidem difficilior, illos aggreditur qui vitam et mores serio mutare, et sæculi pompis deliciisque relictis ad crucis vexillum evolare desiderant. Istos enim initio conversionis, ut plurimum occupat timor nocturnus, hoc est metus quidam atque horror laborum, difficultatum, angustiarum, quas in via Domini esse sibi persuaserunt. Et quamquam ægrotorum more medicamentum virtutis utile et salutare esse non ignorant, tamen propterea ab eo vehementer abhorrent, quod omni felle amarius illis esse videatur. Tentatio ista prima merito timor nocturnus appellatur timor : quoniam non labores, sed timor laborum hominem affligit : nocturnus autem, tum quod adversitas nocte significetur, sicut prosperitas die : tum etiam, quod iste metus ex ignorantia tenebris totus nascatur. Quare si luce veritatis tenebræ dissipentur, etiam timor nocturnus subito evanescet. Quid igitur est, quod decipit Christi tirones ? Quid eos a Christi militia absterret ? Qua ignorantia laborant ? Nimirum, auditores, in eo decipiuntur, quod oculos tantum conieciunt in externos labores, quos homines sanctos tolerare vident : nihil vero cogitant de magnis illis adjumentis ac præsiidiis quæ Deus nobis præparavit. Itaque tale quiddam patiuntur, quale patiebatur olim minister Elisæi, qui cum videret domum domini sui ab exercitu hostium esse circumdatam, et agmina Angelorum, qui Eliseum defendebant, non videret, actum esse putabat de domino suo, vehementissimeque timebat, ubi nulla prorsus erat causa timendi. Ita isti novi milites idcirco solum de virtute adipiscenda desperant, quoniam difficultatem virtutis cogitant, adjumenta divina non cogitant.

Sed, quæso te, quicumque es, qui virtutis viam adeo difficilem et laboriosam esse conquereris, et times a timore nocturno, cur Dei Filius venit in terras ? cur sanguinem suum fudit ? cur Sacramenta instituit ? cur

Spiritum sanctum misit? nonne ut salutis viam facilem et expeditam nobis efficeret? Et cur legem suam, Evangelium, gratiam, libertatem, jugum suave et onus leve appellari voluit? Nonne ut tibi his nominibus persuaderet, Isaïæ vaticinium nunc esse completum, quo tanto ante prædictum est: *Erunt prava in directa et aspera in vias planas?* Si per Ezechiel Dominus tale nobis auxilium pollicetur, ut dicat: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo cor carneum:* et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut ambuletis in præceptis meis, quid est quod metuamus? Num times ne Deus facere non possit, quod promittit? Si Deus per Isaïam dicit: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ: current et non laborabunt: volabunt et non deficient:* quid, quæso, respondere possumus? An Deus fortasse mentitur, qui est ipsa prima et sempiterna veritas?

Sed omitto adjuncta cætera, Sacramenta, Scripturas, orationem, sacras meditationes, cœlestes consolationes, aliaque permulta, quæ hominem justum per viam mandatorum Dei tamquam per amœnum pratium jucundissime currere faciunt. Unus amor, quem Deus petentibus et quærentibus non negat, nonne sufficit ut omnia gravia reddat levia; amara dulcia; laboriosa jucunda? Unam habeas charitatem, et nihil tibi difficile esse videbitur. Vere enim dixit Augustinus sermone nono de verbis Domini: *Omnia sæva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor.* Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, a fossis, a præcipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores, piscatores, aucupes? At num propterea dicendi sunt laborare? Minime vero. Nam animi gratia et delectationis id faciunt. Et tamen ei, qui venationes non amat, continuus ille discursus summus labor esse videretur. Quis facit, ut parentes laborem non sentiant, quem in liberis suis alendis, educandis, instruendis ferunt? Nonne amor? Quis facit, ut aves animantia muta pro pullis suis tantis laboribus consumantur, nidos luto ædificent, aut virgultis et frondibus construunt, ciborum expertes incubent ovis, tum pullis jam natis ex remotis regionibus cibos convehant, et totos dies in hujusmodi discursatione consumant? Nonne amor? Quis Paulum, Ignatium, Laurentium, tot alios fortissimos, illustrissimosque Martyres lætari et gaudere in passionibus faciebat? Nonne amor? Quis tam

multos sanctos Patres ita affecit, ut sponte sua se divitiis omnibus spoliarent, perpetuam continentiam Deo voverent, vigiliis jejuniis orationi vacarent, ciliciis se affligerent, martyrii desiderio pene languerent? Nonne amor? Certe B. Franciscus non semel ad Barbaros navigavit, ut martyrium quæreret. Quis vero credat ei penuriam vel nuditatem laboriosam esse potuisse, qui tanto ardore martyrium sitiēbat? Jam igitur qui martyribus dedit, ut gladios, bestias, cruces, ignes, sartagines cum delectatione et voluptate perferrent, quique tot sanctis Patribus dedit, ut præter jugum legis Domini, tam graves sarcinas consiliorum, jejuniorum, vigiliarum summa facilitate, paterentur, tibi saltem non dabit, ut jugum suave et onus leve mandatorum Dei alacriter feras? Valde igitur erras, et times ubi non est timor, quicumque viam Domini tamquam difficilem atque arduam fugis.

Sed quando etiam in via Dei laborandum esset, qua fronte istos labores recusare posses, si parumper cogitares, quale præmium justis hominibus sit præparatum: quales pœnæ maneant impios in gehenna; quanta Deo pro tantis et tam multis beneficiis debeas; quanta denique pro salute corporis quotidie facias: nam beata illa et sempiterna requies nonne laboribus maximis et sempiternis digna esset? Si immanissimis bellis atteritur miles, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus, quid Christi militem tolerare par est, cui otium beatum et sempiternum præparatur? Qui vero sulphureos gehennæ ardores assidua cogitatione revolvit, labores hujus vitæ nonne delicias putabit? Quid, quæso, ageret dives ille purpuratus, si ad homines redire posset, et facultas ei concederetur, tormenta illa, quæ jam novit, laboribus hujus vitæ redimendi? At idem certe tibi faciendum est. Nam si improbus fueris, idem te locus recipiet, et desiderio eodem frustra quidem sed tamen flagrabis. Deinde si Deus tibi corpus et animam dedit, si te peccantem, tam benigne toleravit, si tam diu ad pœnitentiam expectavit, si tibi quamvis inimico, solem suum, et pluvios non negavit, si Filium suum pro te pati et mori voluit, magnumne tibi esse videtur, si in obsequium ejus non nihil labores? Denique si corpus istud, vermium escam paulo post futurum, tam diligenter, tam libenter, tam ex animo curas, si secari atque exuri te pateris, ut

corporis mortem non evadas, sed differas, nonne æquum etiam esset, ut pro æterna animæ salute modicum aliquid patereris?

Quid si his omnibus addamus, viam peccatorum, suis etiam difficultatibus et laboribus non carere, vel potius magis laborare impios, ut ad inferos cito perveniant, quam justi laborant, ut vitam adipiscantur æternam? Nam via, quæ ducit ad vitam via est humilitatis. Quid vero facilius esse potest, quam descendere? Neque solum facilis sed etiam tuta et tranquilla est humilitatis via. Quis enim invidet, quis insidias struat, quis nocere quærat ei, qui nihil quærit eorum, quæ mundus amat, et omnia illa relinquit, propter quæ sæculi homines altercantur, tumultuantur, contendunt? At vero itinera superbiorum, ambitiosorum, avarorum, voluptuaria, itinera sunt ardua, laboriosa, difficulta, insidiis et periculis plena, vix pedem in ea via posueris, et statim exurget ex adverso, qui se tibi opponat, qui litem instituat, qui dolo vel vi transitum intercludat, Itaque omnes improbi laborant, et tandem per gehennam unam ad gehennam alteram perveniunt, ubi frustra suum agnoscunt errorem, ac dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis: ambulavimus vias difficiles et sol justitiæ non luxit nobis.*

Sed fortasse nihil te ista movent, et Apostolum Thomam imitatus adduci non potes ut credas, nisi rem ipsam manibus tangas. Inducam igitur hic aliquem, qui utramque viam ambulaverit, qui multis annis in vitiis et sceleribus vixerit: et multos itidem annos vita et virtutibus floruerit, atque ab eo quæremus, quid ei de istis itineribus videatur, et an molestiam ac difficultatem illam in via virtutis invenerit, quam se inventurum suspicabatur, et quam tantopere metuebat. Iste enim optimus iudex nostræ controversiæ esse poterit, eique fidem non adhibere aperta insania erit, non minus quam si quis inter Lovanium et Coloniam mare Oceanum interjacere arbitraretur, atque idcirco proficisci eo non auderet, neque fidem adhibere vellet iis qui quotidie inde huc veniunt, et toto illo itinere nusquam se mare vidisse testantur. Multos ejusmodi testes proferre possemus: sed unus Augustinus, Latinorum doctor excellentissimus, qui annos fere triginta viam peccatorum ambulavit, ac deinde annos supra quadraginta viam legis Domini incredibili fervore cucurrit, nobis abunde sufficiet. Is igitur in

libro Confessionum octavo, capite undecimo, de seipso ita scribit: « Punctum, inquit, temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: retinebant me nugæ nugarum et vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant: Dimittisne nos? Et a momento isto non erimus tecum ultra in æternum? Et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in æternum? » Illis et similibus verbis ingenue vir sanctus confitetur, vehementer se ante conversionem a timore nocturno timuisse. Sed audi quid statim in initio libri sequentis dicat, ubi vestigium in via Domini figere cœpit: « Domine, inquit, ego servus tuus, ego servus tuus, et fili s ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicunt: Domine, quis similis tibi? Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum? Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas: ejiciebas et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi et acquirendi, et volutandi et scalpendi scabiem libidinum, et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ Domino Deo meo. » En tibi, quam luculentum testimonium sanctus Augustinus nostræ causæ dedit? Quid hic dicere potest! Si iste, qui utrumque iter confecit, qui diu in flagitiis vixit, qui timuit vehementer a timore nocturno nunc errorem suum ingenue confitetur, et suavitatem sine comparatione majorem in via Domini se reperisse testatur, quam unquam invenerit in itineribus peccatorum? Quid, quæso, jam times? Quid te captivum adhuc retinet? Mavis per gehennam vitiorum ad gehennam suppliciorum, quam per virtutem paradisum, ad gloriæ paradisum pervenire? Quin potius magno animo opus aggredere, idem est Deus, qui olim erat, æque potens, æque benignus, æque liberalis, modo tibi initio vim facere velis, et in Dei auxilio spem tuam ponas: vix ambulare in via Domini cœperis, cum tibi Deus occurret, atque ad amplexum et osculum admittet, et omnia dulcescere tibi faciet, quæ nunc felle amariora tibi esse videntur. Quid? Si circulator aliquis, quem deceptorem et mendacem non

ignoras, tibi artem aliquem pollicetur, qua ex plumbo argentum vel aurum ex ære brevi tempore posses efficere, nonne saltem tentare et experiri velles, quamvis absque sumptibus et laboribus id fieri non posse constaret? At nunc Deus ipse, qui mentiri non potest, artem tibi ostendit, qua te ipsum cœlum ex terra, spiritum ex carne, Angelum ex homine possis efficere, et propter nescio quam umbram laboris, non saltem periculum facies?

Sed postremo, quoniam aliquando, sive serio, sive mature, sive in futuro, rem istam omnes cognoscemus, obsecro, auditores optimi, ut unusquisque domi suæ serio apud se cogitet, quam se deceptum et confusum in die mortis inveniet, qui metu laborum ac difficultatum viam Domini deseruerit, cum aperte ibi videbit iter justitiæ expeditum et planum fuisse, et solum ad veram et sempiternam felicitatem ducere potuisse. Ita igitur timor nocturnus Domino adjuvante excutiendus est. Jam tentationes cæteras, quoniam parum temporis superest, paucissimis verbis absolvemus.

Posteaquam prima ista tentatio Diabolo non successit, et Christi miles timore contempto, in via Domini alacriter pergit, tum hostis callidus totus mutatus accedit, qui antea metu laborum a bono opere deterrebat, nunc laudat operantem, et jaculo vanæ gloriæ vulnerare nititur, quem timore nocturno opprimere non potuit. Atque hæc est sagitta volans in die, nimirum in luce et fervore spiritualis prosperitatis, quando *Sic lucet lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est.* Leviter hoc volat telum, sed non leve infligit vulnus, nisi provide caveatur. Nam quomodo vermis latenter interius ita pomum tuum corrumpit, ut solam exteriorem speciem ei relinquat: sic etiam inanis gloria totum boni operis meritum ita consumit et perdit, ut quamvis exterius laude atque honore dignum esse videatur, tamen vacuum et inane sit. Quam vero sit hæc sagitta periculosa, vel ex eo colligi potest, quod sæpe homines jaculo isto vulnerati, multa faciunt inanis gloriæ cupiditate, quæ Dei charitate se facere arbitrantur. Ita monachus quidam, ut in quinta collatione auctor est Cassianus, dum in communi cœnobia versaretur, et ab omnibus videri poterat, integras hebdomadas sine ullo cibo summa facilitate transibat: cum autem ad solitudinem tamquam perfe-

ctior discessisset, summo mane fame pulsari incipiebat. cui sanctus Macarius causam ejus rei petenti ita respondit: Propterea jejunium modo ferre non potes, quia nullus est in eremo testis jejunii tui, qui te suis laudibus nutriat: in cœnobia vero digitus hominum et inanis gloriæ vitium te saginabat. Quare necessarium est, auditores, in omni opere bono scutum veritatis assumere, sibi que ipsi crebro dicere: *Amen dico tibi receperunt mercedem suam, et: Quid superbit terra et cinis? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quod gloriaris, quasi non acciperis?*

At neque hic quidem est finis. Nam ubi Dæmonum Princeps, neque timorem nocturnum, neque sagittam volantem in die, aliquid effecisse videt, continuo cœtum infernorum senatorum cogit, et negotium cum eis in tenebris tractat, an civitas, quæ vi expugnari non potuit, prodicione saltem obtineri valeat. Denique ait: Vanam gloriam respuit, quoniam vana est: forte solidius aliquid affectaret, forte honores, forte divitias, forte delicias. Itaque muneribus istiusmodi custodes portarum, id est, corporis sensus corrumpere nititur, ut civitatem animæ prodant. Ita quondam sancto Antonio nunc auri ingentes massas, nunc speciosas mulieres offerebant. Sed proditores suspendi atque occidi debent, auditores, ut civitas tota metu liberetur. Sensus, inquam, nostri mortificandi sunt. *Si oculus tuus dexter scandalizat, te, erue eum: si manus tua scandalizat te, abscinde eam:* ita hæc membra habeas, quasi non habeas: si cæcus et surdus oportet, ad ea, quæ mundus offert, nisi animam tuam perdere, et divinis præmiis carere velis.

At num hic finis tentationum est? Minime vero. Nam cum Dæmon omnes suas fraudes luce veritatis detegi et dissipari videt, alia via Christi militem aggreditur et mendacia sua pallio veritatis tegit et ipse se in Angelum lucis et lucis meridianæ transtigurat. Itaque verum et magnum aliquod bonum offert cogitationi, quod instar lucis meridianæ oculos perstringit: sed ideo tamen offert, ut ad magna aliquod malum inde sumpta occasione Christi militem pertrahat. Sic pastores et doctores qui utiliter versantur in populis, ad solitudines vocat: et contra Monachos atque Anachoretas, qui multum in solitudine proficiebant ad concionandum et docendum pertrahit. Sed et illi et isti quantum vocati non a Deo, sed a Diabolo sunt,

nihil agunt boni : et illi tædio et mœrore in solitudine contabescunt, et isti facile a peccatoribus decipiuntur. nec tam ipsi alios convertunt quam ab aliis ipsi pervertuntur. Quid remedii ? Non omni spiritui credere, non propriis viribus fidere, sapientiorum

consiliis acquiescere, atque in primis lumen a Deo quotidie flagitare oportet. Ita fiet, ut omni ex parte tentationibus superatis securi ac læti ad palmam et coronam tandem aliquando perveniamus. quo nos perducatur, qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen.

CONCIO VII.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU SEPTIMO ET OCTAVO

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.
Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis.

SYNOPSIS

Summatim textus versuum præsentium explicatur, ac inde ad eorum prolixiorem enucleationem descenditur, quæ triplex habetur. Prima est secundum D. Augustinum, qui mille et decem millia a dextris et sinistris cadentia, commilitones esse exponit; ubi variis testimoniis ostenditur, prosperitatibus, quæ per latus dextrum designantur, multo plures superari, quam adversis, quæ latus dextera: sinistrum : et quam serio proinde nobis sit ad vigilandum docetur. Secunda expositio est secundum Euthymium, qui tela et sagittas esse vult scinet Diaboli, quæ suo fine frustrantur. Tertia est secundum Theodoretum, et Bernardum, qui de hostibus illa verba dici intelligunt. Nobis a dextris ad esse bona æterna, a sinistris bona temporalia, quorum his homines improbi, illis Dæmones insidientur, demonstratur, atque dextrum potius quam sinistrum latus custodiendum esse, exemplo sanctorum, testimonio Psalmographi et similitudine docemur et serio admonemur.

Obtenta de tot millibus hostibus victoria, in versu sequenti a Psalte regio proponuntur gaudia, quæ oculis propriis homo victor videbit : et cur dicat oculis tuis, triplex redditur ratio. Qua ratione beati de pœnis damnatorum possint lætari explicatur, nempe non

de illorum malis lætantur, sed de mirabili et sapienti dispositione Dei, atque aliquot inde resultantibus utilitates enumerantur : quales sunt, aucta lætitia, perfecta securitas, et major sanctorum splendor. Quam utile sit pœnas peccatorum nunc hic considerare, quas olim videre erit delectabile, exponitur, et ad ejus modi diligentem considerationem gravis et severa exhortatio epilogi vices obit.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis. Lætissimum, gratissimumque nuntium, Christiani auditores, his verbis Prophetæ hodierna die vobis omnibus afferemus. Is enim, qui futurum ingentem belli apparatus, et hostium atque armorum multitudinem et varietatem Dominica superiore prædixerat, idem hodie prosperum belli eventum nobis exponit, et singularem atque inauditam victoriam pollicetur. Cadent, inquit, a dextris et a sinistris, tum commilitones, qui tecum pari labore, sed non pari fortuna pugnabunt, tum sagittæ, quas partim scuto, partim gladio felicissime excipies; tum etiam hostes tui, atque ii potissimum cadent, non fugient, ne iterum fortasse redeant; neque comprehendentur vivi, quoniam neque divites sunt, ut ab eis summa aliqua pecuniarum expectari possit : neque probi et fideles, sed improbi et proditores, ut eos tutum non sit mancipiorum lo-

co domi retinere, sed cadent humi prostrati, vulnerati, occisi. Ad te autem non appropinquabit, neque timor, ut terreat, neque telum, ut feriat, neque hostis, ut capiat. Quin etiam parta victoria ad locum certaminis aliquando redibit, et cadavera occisorum ubique prostrata cum delectatione et voluptate considerabis.

Hæc est brevis summa totius Propheticae sententiæ, quæ, ut animadvertere potuistis, tribus modis explicari potest. Nam mille et decem millia, quæ a dextris et a sinistris cadent, vel commilitones sunt, ut Beatus Augustinus exponit: vel tela et sagittæ, quod Euthimio magis placet: vel postremo hostes, ut Theodoretus et Bernardus docent. Et quamquam expositionem primam magis litteralem et veram esse arbitramur, tamen quia omnes illustrium auctorum sunt, atque utilissimam doctrinam continent, omnes breviter persequemur.

Initio igitur sanctus Propheta lætitiæ magnitudinem, qua in hac victoria perfruemur, a magnitudine periculorum ostendit, nam cum hostes tam multos commilitonum nostrorum prosternent, qui mille a sinistris, et decem millia a dextris misere cadere videamus, nos tamen in tanta strage sociorum tuti liberique erimus. Pariter quidem oppugnabimur, sed non pariter concidemus. Ad nos autem non appropinquabit, nimirum timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium ambulans in tenebris, incursus et dæmonium meridianum. Ista siquidem omnia mala clypeus veritatis facile propulsabit. Quod vero dicitur, mille et decem millia, non ita accipiendum est, quasi certus aliquis numerus designetur, id enim solum divinus Propheta significare voluit plurimos futuros, qui a sinistris cadent, sed multo plures, qui a dextris: quo genere locutionis illud etiam in primo libro Regum scriptum legimus: *Percussit Saul mille, et David decem millia.*

Sed quæret aliquis fortasse, quæ causa est, cur plures a dextris, quam a sinistris cadent? Quæ est ista tam periculosa dextra? Facilis et expedita responsio est. Dextera tempus est prosperitatis, opum, honorum, deliciarum: sinistra tempus adversitatis, inopiæ, ignominia, miseriæ. Utroque tempore homines impugnantur, utroque etiam tempore plurimi vincuntur et cadunt: sed longe et sine comparatione major fit strages, tempore prosperitatis, quam adversitatis: multo siquidem facilius dolor, quam voluptas

superatur: et multi blanditiis illecti in flagitia corruerunt, qui fortiter suppliciis ante restiterant. Intellexit hoc Dæmon, atque idcirco, ut sanctus Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ scribit, cum videret sanctos Martyres suppliciis necari posse, superari non posse, id persecutoribus persuasit, ut quos tormentis vincere non valerent, eos voluptatibus et deliciis oppugnarent. Itaque adolescentem quemdam cruciatibus variis frustra longo tempore tentatum in amoenissimos hortulos tyrannus præcepit abduci, ibique inter lilia candentia, et rubentes rosas, cum juxta levi murmure serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extractum plumis lectum resupinari, et ne se inde posset excutere, blandis ex serico nexibus irretitum relinqui jussit, quo cum recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, et quod dictu quoque nefas est, virilia manibus atrectare, ut corpore in libidinem concitato, victrix se impudica superjaceret. Quid ageret miles Christi et quo se verteret nesciebat, quem tormenta non vicerant, superabat voluptas, tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superavit. Sanctos Patres, qui deserta et solitudines incolebant, nunc dæmon terroribus et verberibus affligendo, nunc voluptatum illecebras, vel cogitationi, vel oculis ingerendo ex eremo fugare, atque ad mundum revocare totis viribus conabatur. Sed nimis et terroribus ne unum quidem unquam de eremo fugavit: carnis vero illecebris non paucos ad mundum, quem reliquerant, revocavit. Sanctus David cum adhuc privatus et pauper, armaque Saulis fugiens in montibus delitesceret, tam eximia virtute excellebat, ut non semel hosti ac persecutori pepercerit: postea vero quam ad regnum pervenit, et otium atque occasionem nactus est, simul adulterium atque homicidium perpetravit. Et quæ causa fuit iniquitatis Sodomæ? *Saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus*, inquit Propheta Ezechiel. Nam abundantia saturitatem, saturitas otium parit. *Multam vero malitiam docuit otiositas*, inquit Ecclesiasticus. Et contra, mala, quæ hic nos premunt ad Deum ire compellunt. Denique Judæis adeo noxia prosperitas, adeo salutaris adversitas erat, ut David precetur, et dicat:

Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine, et : Cum occideret eos, quærebant eum ; et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. Itaque non sine causa Dominus clamat in Evangelio : *Beati pauperes ; beati qui lugent. Væ vobis, qui ridetis. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram* in hoc sæculo, quandoquidem mille quidem a sinistris, id est, in adversitate propter impatientiam cadunt : sed decem millia a dextris, hoc est in prosperitate multo plures propter innumeras peccandi occasiones pereunt.

Sed si hæc ita se habent, quid est, quod tam pauci statum securiorem amant? Cur plerique omnes afflictionem fugiunt, prosperitatem quæriunt? Cur etiam in tanta commilitonum strage, tam parum timemus, si ex undecim millibus vix unus evadat? Certe in loco periculoso versamur, neque tempus videtur esse dormiendi. Quid? Si divinitus modo nobis significaretur, et hoc nostro numero unum post mediam horam moriturum, atque ad inferos sine ullo remedio descensurum, quis nostrum præ anxietate et metu non palleret, sudaret, trepidaret? At nunc spiritus veritatis, oraculum divinum aperte et sine ambagibus dicit, non unum ex multis certo moriturum ; sed ex multis millibus vix unum evasurum et tamen quasi ad nos ista non pertinerent. Nihil penitus movemur. Videbat hæc magna pericula Dominus, quæ nos videre, et cogitare non volumus : et propterea tam sæpe, tam serio, tam ex animo nos monebat : *Vigilate, vigilate.*

Sed nunc ad secundam expositionem veniamus, secundum quam mille et decem millia, quæ cadent non commilitones, sed tela et sagittas intelligere debemus, de quibus etiam id quod sequitur accipiendum est : *Ad te autem non appropinquabit*, nimirum tela et sagittæ ad hominem justum et clypeo veritatis munitum non appropinquabunt. Quamvis enim codices latini, qui habent *Non appropinquabit*, numero singulari, et *Cadent*, numero multitudinis, admittere non videantur, ut eadem esse intelligamus, quæ humi cadent, et quæ ad justum non appropinquabunt : tamen ex codicibus Græcis, qui habent *Cadet*, numero singulari, istum esse hujus loci sensum intelligimus, cadet a latere tuo quasi pluvia quædam mille sagittarum, et a dextris tuis tamquam imber decem millium telorum : ad te autem non appropinquabit, neque pluvia illa sagittarum, neque

imber multo densior telorum. Tum vero cadere sagittæ, et non appropinquare dicuntur, cum diabolicæ tentationes sine suo frustrantur, nihilque detrimenti Christi militibus afferunt. Veram autem esse propheticam hanc promissionem bene Diabolus novit, si verum confiteri vellet aut posset, quippe qui adversus Job, adversus Tobiam, adversus Paulum, Antonium, Hilarionem aliosque nonnullos magnos bellatores Dei omnes suas machinas adhibuit, omnes artes expertus est, omnia tela et jacula contorsit, et ne semel quidem aliquid profecit.

Restat expositio extrema, secundum quam mille hostium cohortem a sinistris, et legionem decem millium a dextris intelligimus esse casuram, et ad hominem justum minime propinquaturam. Homo justus, auditores, semper cum impiis, et peccatoribus bellum gerit, quos tamen ita vincere et trucidare studet, ut eos mundo, et sceleribus mori faciat : et quoniam dextera gladium tenet, quod est verbum Dei, quo pungit ac ferit corda peccatorum : sinistra vero clypeum fidei et patientiæ, quo non solum ictus adversariorum excipit, sed etiam eos quandoque percutit et prosternit : propterea quidam a dextris cadere dicuntur, et quidam a sinistris. Quia vero plurimos quidem sancti homines exemplo et patientia sua convertunt, sed multo plures verbo prædicationis, idcirco *Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis ; ad te autem, inquit, non appropinquabit ; tu convertes eos, sed ab eis tu minime perverteris. Utinam aliquos hoc tempore tales milites haberemus, videremus profecto pulcherrima spectacula. Quid, quæso, erat olim cernere sanctos Apostolos milites veteranos, exercitatos, doctos a Deo? Quale spectaculum videre Petrum in die Pentecostes una excursionem, uno impetu tria millia hostium prosternere? O si vidissemus Paulum semel inter tot adversarios modo gladium vibrantem, modo clypeum objicientem ; nunc hos, nunc illos trucidantem : nihil sane dubito, quin nunc illum cum eo Cæsarem aut Rolandum comparassemus. Nemo enim tam multos unquam interfecit gladio, quot ille sceleribus mori fecit verbo Dei. Si quidem ab Jerusalem usque ad Illyricum quocumque ibat ubique strages felicissimas agebat. Beati sane, qui ita vincuntur et cadunt ; sed beatior multo, qui ut bonus Christi miles, in hoc bello ita se gerit ut a latere ejus cadant mille ; a dextris vero decem mil-*

lia. Sed roget forsitan aliquis, si tum hostes trucidare dicimur, cum eos de peccatoribus justos efficimus, quid de obstinatis dæmonibus et hominibus dicemus? an ab eis vinci possumus, et eos vincere non possumus? imo vero auditores, modo velimus, modo strenue dimicemus de istis etiam cadent a latere nostro mille, a dextris vero decem millia.

Sed multum refert in hoc genere belli recte intelligere, quid sit in dextra, et quid in sinistra. Quid igitur dextera est? Bonum æternum. Quid sinistra? Bonum temporale. Perpendite, quæso, diligenter, quæ dicturus sum. Duo genera bonorum duabus manibus tenemus. Dextera, bonum æternum, salutem animæ, regnum cœlorum, Deum ipsum summum et infinitum bonum; hæc manu dextra tenemus, quicumque Christiani Catholici sumus: hæc tenemus: nondum quidem re, sed firma et solida spe. Sinistra vero quid? Bona fragilia et caduea, domos, agros, pecunias, res cæteras: hæc est duplex illa benedictio in rore cœli et in pinguedine terræ, quam sancti Patriarchæ posteris suis a Domino precabantur. Duobus his generibus bonorum duo genera hostium insidiantur: bonis æternis quæ in dextera nostra sunt, Dæmones; bonis temporalibus, quæ sunt in sinistra, homines mali quamvis enim et dæmones non raro temporalia nobis incommoda vel conantur inferre, vel gratulantur inferri; et homines improbi frequenter ea nobis suadeant unde non parum dextera nostra lædatur; tamen et illi omnes suos conatus ad oppugnationem dextræ præcipue conferunt, et isti sinistrae spoliandæ potissimum incumbunt. Cum Dæmon alicui suadet furtum facere, quid arbitraris præcipue in eo furto spectat, nisi ut unus inique agendo, alter impatienter ferendo uterque animam suam perdat? Sed cum homo homini furtum suadet, nihil certe optare videtur, præter emolumentum temporale. nisi forte in corpore humano animum non humanum, sed diabolicum inclusum gerat? Cum igitur sinistrae homines, dextræ Dæmones insidientur, et multo sint dæmones plures et fortiores, quam homines, si bona temporalia contra fraudes et machinationes hominum Deo protegente servare potueris, *Cadent a latere tuo mille*: si vero bona sempiterna contra Dæmonum insidias, tentationes, incursum, impetumque defenderis, tunc vero *Cadent decem millia a dextris tuis*.

Quæ cum ita sint, quid graves, sapien-

tesque Christiani agere debent, cum a duabus partibus sese oppugnari vident? Plane, si sapiunt, præcipuam curam, præcipuum studium, præcipuam diligentiam et industriam ad latus dextrum custodiendum adhibebunt. Et si pauciores milites habere se videant, quam ut lateri utrique defendendo sufficiant, more sapientum imperatorum sinistro latere deserto, omnes ad latus dextrum convenire facient. Id certe vobis et verba et exempla sanctorum ostendunt. *Cor sapientis* (inquit Salomon) *in dextera ejus: cor stulti in sinistra illius*: Dominus vero: *Quærite primum*, inquit, *regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*. Quid Apostoli, quid martyres, quid sancti omnes fecerunt, nonne parentibus, filiis, fratribus, divitiis, honoribus, voluptatibus, vitæ ipsi, ac toti denique sinistro lateri nuntium remiserunt, ut latus dextrum in tuto collocarent? Quid ipse Deus? nonne, ut hanc sapientiam sanctorum probatam sibi et gratam esse doceat, nosque omnes admoneat, non esse cum periculo dextræ sinisterum latus magnificandum, sæpenumero dissimulat damna servorum suorum in parte sinistra, eosque spoliari, vexari, affligi, occidi permittit, ut defensa et custodita maneat pars dextera? *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, inquit Sanctus David, *quoniam a dextris est mihi ne commovear*. Et rursus: *Tenuisti manum dexteram meam*. Et: *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*. Ita igitur sapientes, qui paucissimi tamen rarissimique sunt; homines vero stulti, quorum infinitus est numerus, ita cor et animum, et oculum ad sinistram habent, ut de parte dextera ne cogitare quidem unquam videantur, quæ sane cæcitas atque stultitia nullis verbis explicari potest. Sed fingite animis existere hic aliquem, qui dextera manu gemmam pretiosam teneat quæ multis millibus aureorum vendi quæat, sinistra vero nucem vel pomum oboli unius vel duorum, et a dextris quidem decem viros habeat callidos, robustos, armatos qui vel vi vel dolo gemmam ei de manu extorquere summo studio laborent: a sinistris vero inermem, ac debilem aliquem puerum, qui nuci vel pomo insidietur; quæ esset (quæso vos) ejus hominis stupiditas et stultitia prædicanda, si gemmæ pretiosæ oblitus, utraque manu totisque viribus in solo puero repellendo occuparetur, et gemmæ jacturam nihil esse duce- ret, modo nucem suam vel pomum conser-

varet? At nonne morbo eodem mentis parum sanæ plurimi hodie laborant, quamvis sapientes dici et haberi velint, qui pro pinguedine terræ, pro nucibus et pomis hujus mundi, quæ velint nolint brevi relictari sunt, totos dies contendere, et in omni prætorio litigare; imo et vitam periculo exponere parati inveniantur: et pro rore cæli, pro gemma illa, clarissima et pretiosissima, gratia Dei, qua una regnum Dei emi potest, et cui eripiendæ integræ legiones robustissimorum Dæmonum dies ac noctes advigilant, nihil agere dignantur? non jejunare saltem eos dies, quos Ecclesia præcepit: non eleemosynas facere, saltem de eo, quod superest. Et quam multos in hac afflicta regione inveniremus, qui cum ipsis hostes et cælum et terram invideant, et fidem et opes eripere moliantur, si terram, si opes, si bona temporalia servare possent, fidem perdere, et religionem; et animam, et Deum ipsum non multum curarent? Quando igitur fiet in extremo judicio, formidolosa atque horribilis illa divisio, et oves quidem in dextro, hædi vero in sinistro latere collocabuntur, quo isti miseri sinistræ amatores, nisi ad sinistrum latus omnes pertinebunt. Nam sinistrum elegerunt, sinistrum habebunt, sinistre etiam judicabuntur. Quod si partem sinistram in judicio sortiri vehementer, ut par est, perhorrescimus, et dexteram potius nobis votis omnibus præoptamus, nunc dum licet cor nostrum in dextra constituamus, nunc eam partem nobis bonis operibus præscribamus, iisque virtutum præsiidiis et munitionibus eam confirmemus, ut nullis hostium dolis vel conatibus eam nobis eripi, neque vivi neque mortui patiamur.

PARS SECUNDA.

Verumtamen *Oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* Ad cumulum nostræ lætitiæ post victoriam tam præclaram id accedebat, ut præliis omni ex parte finitis, etiam aspectu et contemplatione cladis hostium nostrorum mentem et oculos oblectemus, et quamquam hic in terris non nunquam accidere solet, et homines justis oculis considerent, et retributionem peccatorum et hostium suorum videant: nam et populus Judaicus Pharaonis exercitum fluctibus Erythræi maris divinitus involvi, et enecari: et rex Ezechias castra Sennache-

ribrevissimo tempore ab Angelo deleri: et magnus Constantinus tyrannum Maxentium in Tiberim fluvium divina vi præcipitari vidit, tamen post diem ultimi judicii quando inimica destruetur mors, ac Diabolus et Angeli ejus, et omnes filii perditionis in stagnum ignis ac sulphuris projicientur, tunc vere cum incredibile voluptate ac lætitiâ *Oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.*

Neque frustra sapientissimus Propheta non contentus dicere, oculis considerabis, addit *Tuis oculis, inquit, tuis considerabis.* Primum ut ostendat illos ipsos oculos, qui nunc bellum et afflictionem vident, tunc pacem sempiternam, et hostium miseriam visuros: illos, qui nunc fletibus et persecutionibus atteruntur, tunc adversariorum clade mirifice consolandos. Deinde *Tuis, inquit, ut intelligamus non oculos novos esse nobis a Deo donandos, sed nostros restituendos.* Si enim capillos capitis nostri Deus numeravit, et unus ex eis non peribit, quanto majore ratione pars corporis nobilissima et pulcherrima, qualis est oculus, integra nobis in illa die restituetur? Denique *Tuis, inquit Propheta, quod tunc primum nostri esse incipient oculi, cum eos tuto ac libere possideamus: nunc enim quomodo nostros appellabimus, quos nobis etiam repugnantibus sæpe curiositas aperit, sopor claudit, pulvis discruciat, fumus affligit, senectus obscurat, obitus excæcat?* Tunc igitur oculis tuis considerabis, quando libertatem filiorum Dei plane assecutus, non oculis modo, sed toti etiam corpori summa potestate dominaberis.

Sed cur, quæso, peccatorum supplicia justis homines videre delectabuntur? Quid enim crudelius ac inhumanius, quam pascere velle oculos alienis miseriis, et delectari suppliciiis miserorum? Nulla erit immanitas, auditores, nulla crudelitas, sed sancta et honesta lætitia quando etiam Deus, qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; tamen in interitu peccatorum ridebit. *Quoniam, inquit, vocavi et renuistis: extendi manum meam et non fuit qui aspiceret; ego quoque in interitu vestro ridebo.* Neque miseria et calamitas erit, quæ tantopere beatorum oculos oblectabit: sed splendor divinæ justitiæ, ordo rerum longe pulcherrimus, mundi totius sapientissima dispositio, quæ non minus in cruciatibus impiorum, quam in præmiis beatorum mirabiliter elu-

cebunt. Nam quæ modo confusa et perturbata sunt, ibi suis locis aptissime collocabuntur. Frequenter modo culpa et pœna, et virtus et præmium, quæ conjuncta esse deberent, divisa et separata reperiuntur: nam sæpe flagella, calamitates, ærumnas extra suum locum, in ædibus videlicet justorum nunc habitare videmus: et contra divitiæ, honores, prosperitas nonne crebro præter omne jus in domibus nefariorum degunt? Ut illa minora nunc omittam, quod cum improbi puniantur, sæpe fit, ut qui peccavit magis, ille puniatur minus: et cum justi munus aliquod accipiunt, non raro accidit, ut ille plus accipiat, qui minus merebatur. Itaque nunc adeo confusa et perturbata sunt omnia, ut mundus totus quasi chaos quoddam esse videatur. At in die ultimi judicii, optime et sapientissime omnia componentur, nihilque erit quod extra suum locum usquam reperiatur: ibi pœna perpetuo adhærebit culpæ; ibi cum virtute felicitas nexu indissolubili conjungetur; ibi summa et exactissima proportione singuli quique homines, singula membra, singuli sensus, singula opera sua, et propria vel præmia vel supplicia Deo iudice recipient.

Quod igitur fulgor divinæ justitiæ in pœnis damnatorum ita splendeat, id est, quod et sapientiam et sapientes, omnes mirifice delectabit: neque vero sola delectatio, sed multa præterea commoda et utilitates ex eo nascentur, quod justis oculis suis considerabunt, et retributionem peccatorum videbunt. Primum, quod sicut impiis dolor; ita justis lætitia, ex mutuo conspectu non modicum augebitur. Nam et illis aliquod solatii genus esset, si tormenta suo amicos suos lætere arbitrarentur, et istis incredibile gaudium erit, tam aperte videre, quid evaserint. Deinde securitas perfecta justorum erit visa retributio peccatorum. Quid enim deinceps sancti homines formidabunt, cum oculis suis viderint omnes, qui se affligebant, in carceres gehennæ esse conclusos, utque clavi illa divina, quæ claudit, et nemo aperit? Quam securus tibi videreris, si unum dumtaxat inimicum haberes, et illum propter aliquod ejus flagitium ad carceres perpetuos damnatum tuis oculis videres? Quam liberi ab omni metu et sollicitudine, etiam noctu iter faceremus, si certo nobis constaret, omnes fures, omnes latrones, omnes nebulones de tota hac provincia esse sublato? Talis erit, et longe major securitas beatorum, cum extra

puteum inferorum nullus unquam improbus toto orbe invenietur. Postremo illud etiam conferet impiorum conspectus, quod pulchriores et splendidiore sanctos homines efficiet; semper enim contraria contrariis comparata majora seipsis quodammodo esse videntur. O quanta luce fulgebit tunc virginum continentia, quando cum stupris et adulteriis impurissimorum hominum conferetur: O quam pulchra et mirabilia sanctorum jejunia tunc apparebunt, quando cum istorum conviviis et computationibus comparabuntur! O quam heroica videbuntur tunc sanctorum Martyrum certamina, quando cum eorum mollitie et teneritudine conspicientur, qui morsum unius pulicis ferre non possunt! O quam ingens erit tunc lætitia sanctorum et dolor miserorum, cum in conspectu totius mundi prædicari audiemus, ac dici. Ecce iste homo erat, et ille homo erat, iste juvenis erat, et ille juvenis erat, iste dives et nobilis, et ille dives et nobilis; et tamen iste perpetuo virgo fuit, ille ne uxore quidem contentus alienum thorum commaculavit. Iste jejuniis operam dedit, ille ne a crapula quidem et ab ebrietate se abstinuit. Iste sanguinem suum pro Deo fudit, ille ne terram quidem pro Deo perdere voluit. Ita *Lætabitur justus cum viderit vindictam, et manus suas lavabit*, hoc est pulchriores nitidioresque reddet, *In sanguine peccatoris*.

Reliquum est, auditores optimi, ut quod sanctus Propheta nos prædicit aliquando esse facturos gratia voluptatis, nunc utilitatis causa faciamus. Nempe in die ultimi judicii oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis, ut inde plus gaudeas: nunc vero, si sapis, oculis tuis non minus frequenter considerabis, et retributionem peccatorum videbis: ut inde videlicet plus metuas, ut vitia diligenter fugias, ut sollicite ambules cum Domino Deo tuo. Quam enim causam esse censetis, cur tam facile, tam sæpe, tam sine ulla ratione homines hodie peccent, nisi quoniam oculis suis non considerant, nec retributionem peccatorum vident? An non permulti tam sine ullo metu, tam audacter, tam libere, tam temere peccant, quam facerent, si Deum ligueum vel lapideum se habere arbitrarentur? Quis hominum est tam audax, qui si vel debilissimo puero injuriam facere velit, non prius apud se cogitet, an ille quandoque, aut per se aut per alium injuriam ulcisci poterit? Cur

igitur contra Deum omnipotentem, qui omnia videt, qui ubique est præsens qui ultor est peccatorum acerrimus, in cujus manus horribile est incidere, absque ulla consideratione peccamus, nisi quia oculis nostris non consideramus, nec retributionem peccatorum videmus? Deinde si semel temere peccaremus, ut primus Angelus, ut primus homo, magna res esset, sed excusationem aliquam haberemus: at quod tam crebro, quod singulis fere horis Dominum offendamus, ut facilius capilli capitis nostri, quam peccata animæ nostræ numerari possint, quæ ratio est, nisi quia oculis nostris non consideramus, nec retributionem peccatorum videmus? Sed quid postremo est, quod nos ad peccandum, hoc est, ad jacturam faciendam summi boni et sempiternæ pœnæ debitum contrahendum invitat? Umbra quædam honoris, pauci nummi, una brevissima delectatio, sæpe etiam plane nihil. Multi enim reperiuntur, qui sine ira, sine causa, per jocum, ridendo blasphemant: ergone pro nihilo Deum offendis, regnum cælorum amittis, mortem merearis æternam? Et cur hoc, nisi quia oculis tuis non consideras, nec retributionem peccatorum vides? Quamobrem, auditores optimi, si Prophetæ monitis obtemperare, et nostræ saluti bene consultum esse velimus, bajulos illos atque operarios imitemur oportet, qui ferendis oneribus victum quærunt. Quid enim illi faciunt, cum ad onus aliquod fovendum conducuntur? Num temere et inconsiderate quidvis capiunt? Minime vero: sed potius diligenter prius totum onus circumspiciunt, et virium facultatem, oneris gravitatem, itineris longitudinem sollicitè metiuntur, sæpiusque tentant, an pares humeros oneri ferendo se habere sentiant. Ad eundem igitur modum, cum te ad peccandum, sive dæmones, sive homines, sive mundus, sive caro provocat, oculis tuis considera, et retributionem peccatorum vide. Cogita tecum, an pondus illarum pœnarum tolerare poteris, cui te peccatum sine ulla dubitatione subjiciet. Et ne forte, quoniam illæ nunc ab oculis tuis absunt, te ipsum decipias, eas pœnas cogita, quas hic experimur, et eis condimentum æternitatis adde. Sola enim æternitas ejusmodi est, ut sine ipsa nullum supplicium grave, cum ipsa nullum leve judicari possit, et tamen hoc sale pœnæ omnes damnatorum condiendæ sunt. Cogita

igitur quam crucem patereris, si absque alia pœna in hoc templo, ita ut modo stas, perpetuo stare deberes, nonne mallés millies mori, quam in æternum hoc modo stare? Quid igitur erit non in templo stare, sed in vivis atque ardentibus flammis jacere, totoque corpore et animo sine intermissione cruciari, atque id in æternum, et ultra, si aliquid ultra reperitur? Quæso vos, qui humeri viva illa incendia tolerare poterunt? Cujus pectus illa tormentorum æternitate non frangetur? *Quis ex vobis, clamat Isaias, poterit habitare cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* O Christiani, si parvos dolores, parva incommoda, parvas ægritudines, tam diligenter cavemus, sumptibus non parcimus, omnes medicos advocamus, quis in re tanta rationem et consilium nobis eripuit, ut oculis nostris non consideremus, nec retributionem peccatorum videamus? Quid cogitamus, si periculum æternorum suppliciorum non cogitamus? Quid videmus, si hoc non videmus? Quid timemus, si hoc non timemus? Quid providemus, si hoc non providemus? An falsa hæc esse dicemus? Sed non fabulæ poetarum, neque philosophi gentium, sed ipsa Veritas est, quæ nos ista docuit. Si Deus alicui flagitioso homini nunc diceret: En tibi optio datur, vide quid eligas, vel ab hac hora usque ad mortem podagra laborabis, quæ ne ad momentum quidem, neque noctu neque interdiu quiescere te patietur: vel si nunc morbum effugere cupis, modo monachus Carthusianus ut fias oportet. Quid ille, si rationis est compos? num dubitabit e vestigio ad monasterium convolare potius, quam toto tempore vitæ dōmi conclusus atque in lecto jacens cum acerbissimis doloribus colluctari? Jam igitur cum gehennæ supplicia multo sint majora, quam quivis pro dagrae dolor: cum spatium æternitatis infinitis partibus excedat omne tempus hujus vitæ, cum id, quod Deus a nobis requirit, multo sit minus et facilius, quam monachum Carthusianum fieri, quid est quod dubitamus? Quæ tanta suavitas in sceleribus reperitur, ut tam caro pretio emi debeat? Si sapientiam Salomonis, robur Sampsonis, speciem Absalonis, divitias Cræsi, potentiam Augusti, annos Mathusalem peccando tibi comparares: quid tandem omnia ista prodessent, si postmodum in morte, neque corpus a vermibus, neque animam a gehenna liberare posses?

Itaque non sunt ista, non sunt hæc (mihi credite) quamvis magna et rara esse videantur, non sunt, inquam, ullo modo digna, quæ sempiternis doloribus comparentur. Ergo si oculis tuis considerabis, et retribu-

tionem peccatorum videbis, et nunc bene sancteque vives, et postmodum beate feliciterque morieris, quod nobis omnibus concedat, qui est in sæcula benedictus. Amen.

CONCIO VIII.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU NONO ET DECIMO

Quoniam tu es, Domine, spes mea; Altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

SYNOPSIS

Enodatur in principio difficultas quædam, tum de cohærentia horum duorum versuum cum præcedentibus et subsequentibus, tum de persona loquente, quæ diversa statuitur, scilicet hominis sancti et Prophetæ. Altissimum hoc loco non de adjuncto loci, sed de Deo intelligendum esse significatur. Differentia inter malum et flagellum quæ sit assignatur, quorum illud est peccatum, quod solum verum malum dici debet; hoc vero pœnæ et miserice ex peccato ortæ. Resolvitur deinde quæstio, quod nimirum non in hac vita, sed in futura justorum tabernaculo non accedet malum, vel non appropinquabit flagellum. Quod ut evidentius intelligatur quinque enumerantur hominum genera. Primum, in quibus malum, id est, peccatum proprium suum habet domicilium. Secundum, in quibus quidem habitat, sed ab eo liberari facili negotio possunt. Tertium eorum, in quibus quidem peccatum ipsum non habitat, sed in iis adhuc concupiscentia vivit. Quartum, soli fuere Adam et Eva in statu innocentie. Quintum, sunt homines perfecte beati; ubi æterna beatitudo describitur, nosque eo serio invitamur.

Pars altera exponit, in hoc etiam sæculo suo modo posse impleri promissionem psalmographi: cur et quomodo Deus aliquando justum permittat labi, ex D. Gregorio docetur. Solos malos proprie flagellari, utpote quibus flagel-

lum ad animam usque penetrat; sanctis vero non nisi ad extrema pertingit, exemplo S. Bernardi et S. Stephani Presbyteri, S. Gregorii et omnium Martyrum prolixè ostenditur. Sanctis non modo non obesse, sed et prodesse flagellum declaratur, quia ad cursum incitat, quo destinamur, quod variis exemplis et similitudinibus confirmatur. Tribulationes potius flagellum quam flagellum esse demonstratur ex comparatione, quia flagellum refrigerat, muscas abigit, reficit et recreat, quæ omnia et flagellum egregie præstat, uti exemplo Arnulphi, cujusdam divitis a D. Bernardo conversi, et variis sacræ Scripturæ testimoniis comprobatur.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum: Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Psalmum nonagesimum, auditores optimi, quem Deo auctore atque adjutore suscepimus explicandum, carmen esse dramaticum, summoque artificio compositum, in prima nostra oratione breviter admonuimus. Id nobis in iis verbis intelligendis, quæ hodierna die suo ordine exponenda se offerunt, magno usui esse poterit. Nam primus ille versiculus: Quoniam tu es, Domine, spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum, totus est apertus et facilis, et a nobis etiam expositus, cum in explicatione primi et secundi versus hujus psalmi, de vi et significatione vocabulorum, Altissimi, spei et refugii, disseruimus. Sola connexio et

continuatio hujus sententiæ cum præcedentibus et sequentibus verbis, aliquid obscuritatis et difficultatis habet. Alloquebatur enim Propheta in verbis præcedentibus hominem justum, atque dicebat : *Verumtamen oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis* : nunc vero mutata persona, quasi non alteri, sed sibi ipsi hactenus locutus esset, statim subjungit : *Quoniam tu es, Domine, spes mea*. Mox autem ad priorem personam redit, et hominem justum alloquens ait : *Altissimum posuisti refugium tuum*. Itaque non videntur ullo modo inter se hi versus posse cohærere. Illud enim : *Tu es, Domine, spes mea*, neque cum præcedentibus recte conjungitur, *Oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis*, neque cum sequentibus connecti potest : *Altissimum posuisti refugium tuum*. Nodum istum variis modis ac rationibus dissolvere atque expedire plurimi conati sunt. Theodoretus et alii quidam ex Græcis nullam hoc loco personæ mutationem fieri volunt, ac ut oratio tota cohæreat, sufficere, si voculam unam dumtaxat subintelligamus, videlicet *Dixisti* : ut sit sensus : *Quoniam dixisti : Tu es, Domine, spes mea*, ideo *Altissimum posuisti refugium tuum*; et ea de causa *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*.

Sed quamquam non inepte neque absurde ista dicuntur : tamen nulla videtur esse necessitas, cur vocem illam subintelligamus, et aliquid Prophetæ verbis addamus, cum etiam absque ulla voce, tum integer verborum sensus, tum bona cum præcedentibus et sequentibus connexio reperiatur. Etenim, ut modo dicebamus, negari non potest, quin Psalmus hic nonagesimus sit carmen dramaticum, quales commœdiæ et dialogi esse solent, et qualia sunt in sacris litteris Cantica canticorum, in quibus variæ personæ inter se agunt sine ulla scriptoris, sive auctoris interlocutione. Nam paulo inferius in hoc eodem Psalmo Deus introducit ita loquens : *Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum* : cum tamen in verbis præcedentibus non Deus, sed Propheta ad hominem justum loqueretur, ac diceret : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*. Neque hoc loco ullo modo illa vox inseri potest *Dixisti* vel *Dixit*. Hoc igitur imprimis firmum et ratum sit, fieri hoc loco personæ mutationem; et cum dicitur : *Tu es, Domine, spes mea*, hominem justum colloqui

cum Deo, sicut paulo ante cum dicebatur : *Oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis*, cum homine justo loquebatur.

Hoc autem ita constituto, illud expedendum restat, quousque hominis justii oratio se extendat : quidam enim totos hos duos versus homini justo attribuunt : *Quoniam tu es, Domine, spes mea ; Altissimum posuisti refugium tuum ; non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, cui nos sententiæ consentire non possumus. Siquidem vocabulum illud *Altissimum*, non est, ut illi putant, adjunctum loci, sed nomen Dei. Neque enim cum dicitur, *Altissimum posuisti refugium tuum*, sensus est, sublime atque excelsum domicilium tibi fabricasti; sed *Altissimum*, id est, Deum tamquam tutissimam arcem, vel portum ad quem confuges accepisti. Nam et Hebræi codices illam ipsam vocem hoc loco habent, quam initio Psalmi, ubi dicitur : *Qui habitat in adjutorio Altissimi* : et codices Græci qui habent τὸν ὑψιστον articulo generis masculini, satis aperte indicant, vocabulo *Altissimi* Deum significari. Quam vero absurde dicatur Deo, *Tu Deus Altissimum*; id est, Deum posuisti refugium tuum, nemo non videt. Deinde cui dicitur, *Altissimum posuisti refugium tuum*; et : *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, eidem profecto dicitur, quod statim sequitur : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, cum nulla fiat in his omnibus versibus personæ mutatio. At Deo dicere : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, non solum leve et puerile est, sed etiam impium et blasphemum.

Quamobrem id solum superest, ut orationem hominis justii paucis illis verbis : *Quoniam tu es, Domine, spes mea*, totam contineri dicamus, eamque cum præcedentibus Prophetæ verbis ita continuemus : *Audivithomo justus, quam multa et magna beneficia sibi ex nomine Dei sanctus Propheta promiserit : ut quod liberabitur de laqueo venantium, quod in umbra alarum Dei tutus requiescet, quod clypeo veritatis protegetur, quod non timebit a timore nocturno, quod cadent a latere suo mille, quod oculis suis considerabit et retributionem peccatorum videbit, propterea nunc, ut non ingratus, omnia illa cum ingenti lætitia cognoscere se confitetur, et cum debita, justaque humilitate respondet : Quoniam tu es, Domine, spes mea, hoc est : Agnosco non solum beneficia, sed etiam*

causam et rationem beneficiorum : *Non enim in arcu meo sperabo et gladius meus non salvabit me : sed Tu, Domine, spes mea : cadent, fateor, a latere meo mille, et decem millia a dextris meis, sed non propter robur et virtutem meam, nec propter hominum amicorum meorum præsidia ; sed Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Sperent alii si velint in incerto divitiarum, in astutia sæculi, in hominum gratia, in potentia et nobilitate ; ego vero propter te *Omnia detrimenti feci, et arbitror ut stercora,* et scio quia non confundar. *Quoniam tu es, Domine, spes mea : si exurgat adversum me prælium,* si exurgant adversum me castra, si sæviat mundus, si Diabolus fremat, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, non timebit cor meum, intrepidus dimicabo, *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Quod si denique adversus hostes fortiter pugnàvero, si prævaluero, si vicero, si mihi palmam et coronam præparatam esse cognovero, non etiam inde superbiet cor meum, neque in suis viribus temere gloriabitur, *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Hæc est oratio sancti viri, cui mox Propheta respondet : *Altissimum posuisti refugium tuum,* tamquam si diceret, recte et sapienter facis, cum in solo Deo sperare te dicis. Sic enim non humile et abjectum, terrenum ac debile domicilium tibi fabricasti, sed Altissimum posuisti refugium tuum, nempe in ipso Deo, quo nihil altius, nihil fortius, nihil stabilius, tibi asylum, et arcem et profugium quæisisti, quocirca nihil tibi nocere poterit, cum ne bombardæ quidem tam alte globos suos ejaculari queant.

Atque hoc est quod sequitur : *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo :* quibus verbis omnia penitus mala atque incommoda ad hominem justo semel removit. Siquidem omne malum aut peccatum est aut pœna peccati. Peccatum est malum, quod sponte agimus : pœna peccati malum, quod patimur invito. Et quidem peccatum malum est magnum, malum simpliciter, ac de eo Propheta dicit : *Non accedet ad te malum :* pœna vero malum est parvum, nec simpliciter malum dici potest. Quocirca sanctus David ejusmodi miserias non malum, sed flagellum appellavit : *Et flagellum,* inquit, *non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Hæc vero ita esse facile demonstrari potest : id enim est vere et proprie, et simpliciter malum, quod hominem facit malum, quod nemo utitur, nisi male : quod à Deo,

qui est summum bonum, nullo modo proficisci potest : ejusmodi autem quid est nisi peccatum ? Nam pœnas, ærumnas, calamitates, quomodo simpliciter malas appellabimus, cum nec hominem faciant malum, et plurimi eis utantur bene, et eas Deus efficiat, et in homines mittat, qui totus est bonus ? Existat aliquis pauper, obscurus, contemptus, plagis et vulneribus plenus : sed tamen justus, pius, castus, sobrius, patiens, qualis quondam erat Lazarus ille mendicus, cum ad fores divitis epulonis stipem mendicaret, quid eum esse dices ? Malum an bonum ? Certe bonum. At plurima patitur mala. Fateor : sed illo uno caret, quod solum hominem facit malum. Contra vero, quid eum divitem, qui induebatur purpura et bysso, epulabatur quotidie splendide, et inter tot bonasolam vitam non habebat bonam : quid, inquam, bonum, an malum fuisse judicabis ? Nonne malum ? At multis bonis abundabat. Ita est. Sed ejusmodi erant illa bona, ut quamvis omnia, quæ toto orbe reperiuntur, uni soli concederentur, adhuc bonum illum facere non valerent : imo vero quo magis ea bona multiplicantur, eo turpitudinem, stultitiam et stupiditatem habentis facilius produnt. Quid enim turpius, quid stultius, quid stupidius, quam ut omnia velis habere bona præter teipsum ? Bonam velis domum, bonam mensam, bonos liberos, bonum pallium, bonam tunicam, bonos calcæos, et solam vitam, solam animam velis malam : atque ita calceos tuos præponas animæ tuæ. Itaque non immerito Ethnicus ille Philosophus, cum divitis cujusdam ornatissimam domum ingressus forte spuere necesse haberet, postquam diu circumspexit, tandem in faciem divitis, cum quo loquebatur, sputat : et cum ille stomachatus id acciperet, et rusticos mores philosophi reprehenderet : Ne mireris (inquit Philosophus), nam diu quæ in hac domo sunt omnia consideravi, et nihil turpe ac sordidum, ubi spuere possem, reperi, præter te. Habemus igitur, auditores, verum malum, quod ad hominem justum, et in Deo sperantem non accedet, nihil esse aliud, quam peccatum : flagellum vero, quod ejus tabernaculo non appropinquabit, esse pœnas et miserias, quæ ex peccato natæ sunt.

Sed magna quæstio hic exoritur, ut prophetica ista sententia, non tam explicatione, quam defensione indigere videatur. Si enim ad hominem justum peccatum non accedet, quid est, quid Salomon clamat : *Septies ca-*

det justus. Et : *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet ?* Si vero flagellum justorum tabernaculis non propinquabit, cur idem ipse sanctus David in alio psalmo dicit : *Lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis* : et in eodem loco de peccatoribus : *In labore, inquit, hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.*

Itaque contrarium plane ei, quod Psalmus noster docet, rei veritas habere videtur, quando justii flagellantur, impii non flagellantur. Ut igitur quæstionem istam explicemus, illud imprimis constituendum est, propheticam hanc promissionem ad vitam futuram præcipue pertinere. Nam quæ causa est, cur ad hominem justum malum non accedet, et flagellum ejus tabernaculo non appropinquabit? Nonne illa, quoniam Altissimum posuit refugium sive tabernaculum suum? idem enim hoc loco refugium et tabernaculum significare ex Hebræo vocabulo facile cognoscitur. Quocirca Beatus Hieronymus non refugium, sed tabernaculum vertit. Itaque cum in cœlesti tabernaculo fuerimus, de quo David : *Quam dilecta, inquit, tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini, et Dominus in Evangelio : Facite, inquit; vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, et Paulus ad Hebræos : Christus, inquit, assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum : non manufactum, hoc est, non hujus creationis neque per sanguinem hircorum aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa, et Joannes in Apocalypsi : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis : tunc vere ad nos malum non accedet, et flagellum non appropinquabit tabernaculo nostro.*

Ac ut magnitudinem hujus promissionis, et quantum boni nobis in cœlesti tabernaculo repositum sit intelligamus, quinque hominum genera, sive status et conditiones consideremus. Primum genus eorum est, in quibus peccatum tanquam in propria domo semper inhabitat, et a quorum dorso flagellum, idque durissimum, nunquam removetur. Tales sunt omnes ii qui jam ad inferos descenderunt, quibus nihil miserius, nihil gravius, nihil infelicius, neque dici, neque cogitari, neque fingi potest. Semper

peccant, semper puniuntur, et tanquam vasa iræ et contumeliæ ad hoc solum conservantur, et vivunt, ut in ipsorum pœnis et cruciatibus Deus potentiam et justitiam suam immensam atque infinitam ostendat.

Alterum genus eorum est, in quibus peccatum habitat quidem et dominatur; sed ita tamen ut redimi, et liberari possint. Tales sunt ii, qui in hoc sæculo in vitiis et sceleribus vivunt : quamvis enim omnes peccatores dignissimi essent, quibus continuo sub pedibus terra deficeret, et eos adhuc vivos tartara absorberent; tamen Deus incredibili sua benignitate ita constituit, ut cum aliquis animam suam tanquam domum Diabolo et peccato vendit, semper dum vivit possit eam lacrymis pœnitentiæ, et vera atque humili confessione redimere. Sed istorum quoque miserimus et infelicius status est, et eo infelicius, quo minus infelicitas ejus in hoc mundo cognoscitur. O si homines intelligerent, quam breve sit spatium inter peccatum et gehennam, et quam celeriter de culpa transeat ad pœnam, non possent (mihi credite) non vehementer perhorrescere, *Fiant, inquit David, viæ illorum tenebræ et lubricum : et Angelus Domini persequens eos.* Talis via est omnium peccatorum qua properant ad gehennam, non solum brevis, sed etiam tenebrosa, ut nesciant quo vadant : sed etiam lubrica, et quasi glacie recta, ut pedem figere non valeant : et his omnibus accedit Angelus Domini persequens eos, ut quamvis in tenebris, quamvis per lubricum, quamvis ad inferos, tamen festinare et currere compellantur.

Tertium genus eorum est, in quibus peccatum quidem ipsum per se non habitat; sed aliquem tamen in eis habet, qui causam suam diligenter agit; plane ad eum modum, quo litigatores agere solent, qui cum forte aliquo discedunt, procuratorem loco suo relinquunt. Tales sunt omnes ii, qui sine lethalibus criminibus viventes in hoc sæculo, Deo famulantur et serviunt. Quamvis enim in eis non vivat, neque maneat id, quod proprie dicitur peccatum, tamen concupiscentia adhuc manet, quæ peccati est procuratrix : et quam propterea sanctus Paulus, nunc legem membrorum, nunc legem peccati, nunc etiam peccatum ipsum vocat. Ut enim quondam Chananeis et Palæstina ejectis Jebusæus mansit ad exercitum Judæorum : ita nunc per fidem et Sacramenta peccato de cordibus nostris expulso, fomes relictus

est, cum quo litigare ac disceptare usque ad mortem debeamus. •

Porro statum quartum multo beatiorem, soli duo primi homines noverunt, quos brevi illo tempore, quo in paradiso habitaverunt, neque peccatum inquinabat, neque flagellum perterrebat, neque ulla concupiscentia mala ad peccandum provocabat. Magna sane, et expetenda felicitas hujus status, sed nondum tamen talis erat, ut de eo cani posset: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nam etsi peccatum et flagellum nondum aderant, tamen non longe aberant: imo vero quæ tam celeriter adfuerunt, ut non prius Adam os ad pomum comedendum aperuerit, quam peccatum in intimum pectoris et animi penetraverit, nonne præ foribus jam expectare videbantur?

Restat igitur quintum genus hominum plene perfecteque beatum, ad quod unum, et solum malum non accedet, nec ullum, unquam flagellum propinquabit: isti sunt beatissimi ac felicissimi illi homines, quos tabernaculum cœleste jam recepit, quibus dicitur per Prophetam: *Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum:* Nimirum ut neque malum unquam accedere, neque flagellum propinquare posset. Et de quibus Joannes in Apocalypsi: *Ecce, inquit, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis: et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus: et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra.* O tabernaculum beatum? O tutissimum refugium? O regio lucida, regio pacifica, quæ nocturnos horrores, et nimbos ac procellas, ventos et tempestates ignoras: quæ supra omnes montes, supra omnia elementa, supra omnes cœlos collocata, neque jacula hostium times, neque tumultus bellorum exaudis: ubi præliis triumphi, et gladiis palmæ, et galeis, diademata, et gemitibus cantica succedunt. Ubi vita est sine morte, quies sine labore, saturitas sine fastidio, securitas sine metu, ubi nihil est quod displiceat, nihil deest quod delectet: unde exulat omne malum, quo confluit omne bonum. O ter et quater et centies et millies beatos, qui in ea civitate ascripti sunt cives: qui inter magnos illos principes sedem habebunt, qui post brevissimum cursum hujus periculosæ navigationis ad portum illum

tantæ securitatis aliquando pervenient! Quid agimus, fratres mei? Quo currimus? Quid persequimur? Cur tantum bonum negligimus? qui minima lucra tam diligenter persequimur, cur tantos labores pro vilissimis rebus suscipimus, quibus bonum illud offertur, in quo est omne bonum? Evigilemus aliquando, excitemur, somnum discutiamus, et cum ad laborem nati simus sicut aves ad volandum, et quocumque nos vertamus, laborem fugere non possimus, faciamus (quæso vos) pro Deo, pro vita æterna, pro veris et magnis bonis, quæ stulti homines pro mundo, pro vita brevissima, pro falsis et exiguis bonis facere non recusant. Ita nobis in cœlo tabernaculum erigemus. quo malum non accedet neque flagellum propinquabit.

PARS SECUNDA

Etsi prophetica promissio, quæ malum et flagellum a justorum tabernaculis removet, ad sæculum futurum præcipue pertineat: tamen etiam tempore hujus vitæ suo modo completur. Nam et Dominus in Evangelio non solum vitam æternam, sed etiam centuplum hoc tempore sectatoribus suis promisit: et Apostolus ad Timotheum scribens, pietatem affirmat *Promissionem habere vitæ, quæ nunc est, et futuræ!* Videamus igitur si placet, quo pacto etiam hoc tempore ad homines justos malum non accedat, nec flagellum tabernaculis eorum appropinquet.

Atque imprimis malum, hoc est, peccatum, ad homines justos et in Deo sperantes nunquam accedere facile his videbit, qui vocis Hebrææ vim et energiam perspectam habuerit. Vox enim Hebræa, quam Latinus iuterpres vertit *Accedet*, non simpliciter accedere; sed casu, temere, fortuito accedere, vel potius accidere significat. Jam vero ad hominem justum etsi peccatum quandoque accedit; tamen non casu accedit, quoniam sine consilio et providentia Dei non accedit, qui hominem a se electum ac prædestinatum ad gloriam peccare numquam permittit, nisi possit et velit efficere, ut illud ipsum malum servo suo cooperetur in bonum. Itaque sinit aliquando Deus electos suos a serpente morderi; sed ipsum morsum in medicamentum vertit, quo vel superbia occulta detegitur, et comprimitur; vel futura prospicitur et cavetur: vel etiam alienis mor-

bis remedium præparatur. Hinc D. Gregorius homilia vigesima prima in Evangelia : « Considerandum, inquit, nobis est, cur omnipotens Deus Petrum, quem cunctæ Ecclesiæ præficere disposuerat ancillæ vocem pertimescere et seipsum negare permisit : quod nimirum magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus : ut is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliorum misereri debisset. Prius itaque cum ostendit sibi, et tunc præposuit cæteris, ut ex suæ infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliorum infirmitatem toleraret ». Hæc sanctus Gregorius, qui etiam in libro Dialogorum tertio, capite decimo quarto, magno divinæ providentiæ consilio sæpe fieri docet, ut viri sancti atque perfecti parva quædam vitia nunquam perfecte superent, quamvis in eis superandis totis viribus summoque studio laborent : videlicet ut inde admoneantur, non se suis viribus magnos et potentes hostes devicisse, quando sibi relictis a parvis minimisque vincuntur. Cum igitur nunquam electi in peccata cadere permittantur, quin eis ipse etiam casus cooperetur ad bonum, vere Propheta nunc dicit, temere ac fortuito ad te malum non accedet.

Quod vero subjungit : *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* verissimam atque utilissimam doctrinam continet. Nam velit nolit mundus sive id capiat, sive non capiat, soli sunt mali, qui vere in hoc sæculo flagellantur. Tunc enim homo proprie flagellatur, cum non solum affligitur corpus, sed etiam ad animam verbera penetrant : corpus enim non est homo, sed quasi domus et vehiculum hominis : tunc vero usque ad animum penetrare dicitur flagellum, cum est in causa, ut homo Deum offendat, ad hæreticos transeat, furetur, irascatur, blasphemet, seipsum vel alium occidat : id quod solis mundi amatoribus quotidie videmus accidere, quippe qui levissimis de causis ad minimas jacturas continuo perturbantur.

Dicam hoc ipsum planius tunc homo flagellum sentit, et dolet, ac gemit, cum id affligitur ubi est anima. Si digitus præcidatur, non potes non dolere. Si vero capillus tondeatur, neque sentis, neque doles ; propterea quod mortui sunt capilli, anima non est ibi. Jam igitur ubi est anima sæculi amatorum? In sæculo, in uxore, in filiis, in carne, in domo, in arca, in pecuniis. *Ubi*

enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum : et anima magis est ubi amat, quam ubi amat. Quid ergo mirum est, et mundi amator sentit, si gemit, si dolet, si blasphemat, si furit, si insanit, cum in temporalibus bonis flagellatur? Id enim ab eo violenter abstrahitur, cui tenacissime inhærebat : membrum plane vivum ab eo præciditur, in quo magna pars animi habitabat. Sancti vero homines, qui Altissimum posuerunt refugium suum, qui nihil amant, nisi in Deo et propter Deum, qui in cœlesti tabernaculo animo, affectu, desiderio, cogitatione versantur, temporalia damna non percipiunt, quoniam *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Sanctus Bernardus, ut in tertio libro vitæ ipsius, capite sexto, legimus, cum ei nunciaretur a suis, ingens pondus argenti, quod integro monasterio ædificando sufficere potuisset, furto esse sublatum, adeo flagellum ejus damni non sensit, ut nihil prorsus commotus placidissime responderet : « Benedictus Dei, qui nobis pepercit ab onere. » Presbyter quidam sanctus nomine Stephanus, ut de eo Beatus Gregorius in quarto libro Dialogorum cap. 19. refert, cum totam suam messem ab invido quodam in area combustam esse didicisset, eique discipuli ejus dicerent : *Væ, væ, Pater Stephane, quid contigit tibi?* mox respondit : *Væ, væ, quid contigit illi, qui hoc fecit?* mihi enim nihil mali contigit. Ita nimirum vir iste sapiens et sanctus verissime judicabat, illum potius flagellari, qui injuriam facit, quam qui patitur. Quid ipse S. Gregorius cum in præfatione suorum moralium ad Leandrum scribens tantopere deploraret, quod se a monasterio ad palatium, et a cella monastica ad sedem pontificiam raptum et abstractum esse cerneret : flagellumne, an beneficium putasset, si eum Deus iterum a palatio ad monasterium revocare voluisset? Nam quid ego de illis dicam, qui mundum exilium, et carnem carcerem esse ducebant, et cum Propheta magnis vocibus clamabant : *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est* et cum Apostolo : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*; et : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Num ii tandem mortis flagellum magni faciebant? Minime vero. Et quamobrem? Quoniam ut flagellum volitare videbant, mox animo, et cogitatione in cœleste tabernaculum confugiebant, quo malum non accedit, neque flagellum appropinquat.

Aspicite atque intuemini sanctos Martyres,

Veniebant olim cruenti carnifices cum fustibus et flagellis, non tam corpora, quam animas flagellare cupientes : nam quomodo latrones in sylvis gladios ostentant, nec tamen dicunt, da jugulum, sed da pecunias : ita carnifices olim flagellum intantabant, sed interim thesaurum fidei postulabant, martyribusque dicebant, vel Christum abnegate, vel acerbissima morte peribitis. Quid tunc Martyres? Ita faciebant, quod olim Patriarcha Joseph, cum ab impudica femina de stupro interpellatus, relicto pallio aufugit. Ita et ipsi cum thesauro fidei in cœleste tabernaculum animo confugiebant, atque inde tamquam ex edito loco, quid fieret corpori suo, sæpe cum ingenti lætitia prospectabant : et cum viderent corpus a tortoribus cædi, comburi, non aliter affecti erant, quam si ex alta turri domum suam incendi aut everti conspicerent ab iis, qui solum propterea id facerent, ut se vivos comprehenderent vel occiderent. Quocirca non raro tortores suos ipsi qui torquebantur lepide irridebant, cum eos frustra laborare perspicerent. Nonne Beatus Laurentius extensus in craticula, et semiustum latus tyranno dabat, cum ei diceret : « Assatum est, jam versa et manduca ? » Quid Magnus ille Marcus Arethusius? Nonne, ut Gregorius Theologus oratione prima in Julianum scribit, cum membris omnibus confractis melleque perunctis, et in sporta suspensus partim a vespis et apibus comederetur, partim ab ardentissimo sole desuper coquente torreretur, persecutores suos festive irridens dicebat, placere sibi omen illud, quod ipse in sublimi existens eos humiles humique jacentes videret? Itaque recte Beatus Bernardus sermone sexagesimo primo in Canticum : « Stat, inquit, Martyr tripudians et triumphans, toto licet lacerato corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. » Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra. Si enim in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret. Quæ cum ita se habeant, si volumus nos quoque non sentire jacturas, non diligamus res perituras : sed in eo cor nostrum et amorem totum collocemus, qui solus perire non potest : et tunc ardeat licet mundus totus, diripiantur urbes, concutiantur provinciæ, mutantur regna, transferantur imperia, cœlum cum terra denique

misceatur, nos tamen ne capillum quidem unum amitemus : quoniam altissimum posuimus domicilium nostrum, quo malum non accedit neque flagellum appropinquat.

Sed parum esset, auditores, si nihil detrimenti sancti homines caperent ex flagellis : nos vero dicimus magnam præterea tum utilitatem, tum voluptatem flagellum afferre secum, si de manu Domini recipiatur. Id quod vel ex ipso nomine flagelli discere poterimus. Quid enim est flagellum? Instrumentum, quo equi ad cursum incitantur, quod in itinere quidem utile ac necessarium est, sed cursu peracto in aliquem angulum abjicitur. Nos omnes, auditores, ad patriam cœlestem properamus : iter est longum, tempus est breve, equus est piger : quis igitur negare audeat, flagellum esse necessarium? *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, ait Propheta, *postea acceleraverunt*. Et Sanctus Gregorius : « Mala, quæ hic nos premunt, ad Deum ire compellunt. » Quid enim mundus, dum nos penuria, peste, bello, aliisque miseriis et calamitatibus flagellat, nonne aperte clamare videtur : Noli hic hæerere, quid hic agis? Noli me diligere, dilige quod debes? Quomodo si spinæ ab aliquo pro rosis forte carperentur, et illæ non loquendo, sed pungendo dicerent : Cur tangis? deciperis, spinæ sumus, non rosæ. Itaque utilis est in hoc itinere aliqua tribulatio : sed cum ad patriam et domum nostram pervenerimus, tunc demum flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Sed dicet aliquis : Ego quidem flagellum non recusò, paratus sum interdum, vel ægrotationem vel penuriam aliquam pati, cum Deo id bene placuerit : at illud mihi displicet, quod homines improbi sine ulla causa mihi mea surripiunt : volo meipsum jejuniis et vigiliis aliquando flagellare : sed quod unus nequam injuriam mihi faciat, id vero æquo animo ferre non possum. Dic mihi, oro te, si forte esses in itinere, et festinatio tibi esset necessaria, et equum tuum incitare non posses, an tibi non placeret, si quis a tergo equum tuum flagello verberaret? Ita igitur videt Deus te desiderium bonum habere, sed non pares vires : et quoniam non bene scis, ut oportet equum tuum flagellare, et nimis tenere eum diligis, mittit Deus aliquem, qui te javet.

Sed accipite nunc aliam longe majorem flagelli utilitatem. Similis est afflictio, quam

hic patimur, palmitibus vitium, qui etiam flagella dici solent. Quid deformius, quid debilius, quid tortuosius vite? Et tamen quid parit vitis? Si videret aliquis vites in hieme, et earum usum atque utilitatem ignoraret, nonne quasvis myricas vineis anteponeret? Ad eundem modum, auditores, flagellum afflictionis flagellum est vitis, deforme atque asperum esse videtur, sed vinum gloriæ et beatitudinis parit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Intellexerunt hoc Martyres sancti multo melius, quorum unus Beatissimus Ignatius ad bestias damnatus, ad Romanos ex Asia scribit: « Utinam fruar bestiis, quæ mihi paratæ sunt, et si illæ noluerint, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo: ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat. » Alius vero illustrissimus Cyprianus (ut Pontius in ejus passione refert) viginti aureos tortori suo numerari voluit, ut se ab eo non supplicium, sed beneficium accipere testaretur. Intelligebant istam quam pretiosum vinum afflictionis flagella producerent: et cur, quæso, existimatis mensuram tribulationum tam bonam, tam confertam, tam coagitatam, tam superfluentem dedisse Dominum in sinum Matris, Apostolorum, Martyrum aliorumque amicorum suorum, nisi quoniam fructum atque utilitatem earum probe intelligebat. Si quis in carcere propter contractum æs alienum misere vitam ageret, neque egressurum se inde speraret, nisi cum esset educendus ad crucem: interim vero aliquis amicorum marsupium plenum auro atque argento per fenestras in carcerem injiceret, et casu fieret, ut marsupium cadens caput ejus miseri leviter percuteret, ille certe initio cum caput feriri sentiret, et nondum sciret quid esset, non posset non dolere, fortasse etiam diceret: *Væ mihi hominum miserrimo, hoc sane deerat, ut etiam in carcere lapidarer?* Sed ubi ad marsupium conversus, videret, sumeret, aperiret, aurum esse cognosceret, quo de carcere liberari, possessiones emere, dives evadere, et reliquum vitæ beate feliciterque traducere posset, o qua lætitia exultaret! O quas gratias illi haberet, a quo caput suum pulsatum ante conquerebatur! Ita nobis accidit, auditores, sumus in carcere corporis hujus, multum contraximus debitorum, mittit nobis Deus genus aliquod afflictionis, quod initio quidem dolorem et molestiam aliquam parit: sed si prudenter,

diligenter, si rectis oculis afflictionem consideremus, videbimus, eam æquo animo toleratam marsupium esse pecuniarum, quibus et pro debitis peccatorum Deo satisfacimus et vitam beatam ac sempiternam comparabimus.

Grammatici docent, quod nunc flagellum appellamus, olim flabellum esse nominatum; sed pace ipsorum contra potius, quod olim flagellum dicebatur, nunc flabellum dici debet. Siquidem olim ante Christi in terras adventum, cum nondum sciretur tribulationis pretium, tunc vere tribulatio affligebat, atque urebat, et flagellum a flagrando nominari conveniebat. At posteaquam liberator noster flagellum in manu suscepit, continuo illud in flabellum commutavit, et dulces atque expetendas tribulationes fecit. Primum enim flabellum refrigerat: id et afflictio facit. Est aliquis forte adolescens, fervet in eo sanguis, ardor libidinis eum quietum esse, et boni aliquid agere, vel cogitare non patitur: sumit Deus flabellum ægritudinis, facit illi ventum, protinus refrigeratur. Nam viribus deficientibus deficient simul mala desideria. Deinde, flabellum muscas repellit: id et afflictio facit. Est aliquis dives, nobilis, potens, multæ muscæ, multi gnathones, multi adulescentes ad eum accurrunt non quidem propter ipsum, sed propter mel divitiarum atque honorum, quo delibutus videtur. Sumit Deus flabellum tribulationis, facit illi ventum, redigit eum parumper ad inopiam, subito muscæ diffugiunt. Magnum sane beneficium, magna utilitas hujus flabelli. Præstat enim multo amicos non habere, quam adulescentes habere, qui suis mendaciis, suis assentationibus, suis blandis sermonibus vitia amicorum alunt, et corpora atque animas eorum perdunt, et cum unum miserum effecerunt, tunc eo relicto ad alios pergunt: et more eorum gallorum, qui in verticibus turrium ventos designant semper ad eam partem canunt, unde aura prosperitatis spirare videtur. Flabellum postremo id proprium habet, ut mirifice recreet, reficiat, consoletur: id et tribulatio de manu Dei suscepta verissime facit, siquidem spem vivam, certamque fiduciam gignit beatitudinis. *Tribulatio*, inquit beatus Paulus, *patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem*: ea vero spes, ea fiducia nullis verbis explicari potest, quale gaudium, quam verum, quam magnum, quam solidum in corde pa-

tientis generet. Cum Sanctus Bernardus aliquando in provinciam Flandriæ venisset, ubique retibus verbi Dei multos homines caperet, cepit inter alios virum quemdam magnum, nobilem, divitem, deliciis deditum, nomine Arnulphum, eumque Monachum Cisterciensem, id est, sui Ordinis fecit. Porro eum Deus flabello tribulationis tamquam ab æstu sæculi venientem refrigerare volens, gravissima ægritudine acerbissimisque doloribus longo tempore vexavit. Ille vero cum maxime torqueretur, creberrime repetebat : Vera sunt, Domine, quæ dixisti : Vera sunt, Domine, quæ dixisti. Cumque fratres, qui aderant, dicerent inter se, vim doloris eum ad insaniam redegeisse : Non est ita, respondebat, non insanio, sed vera esse dico atque experior, quæ Dominus locutus est. Ipse siquidem centuplum in hac vita promisit, iis qui temporalia bona dimisissent, ego vero centuplum istud nunc testor, ac fateor me recipere. Siquidem in his magnis ac pene intolerandis doloribus tanta lætitia tantaque voluptate perfundor ex quadam certa et viva spe felicitatis, quam Dominus mihi brevi se donaturum certo promisit, ut millies malim hos dolores perpeti, quam mihi temporalia

mea bona, etiam centuplicata restitui. Vere igitur, auditores optimi ; vere sanctus Propheta clamat : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Merito Sanctus Jacobus monet : *Omne gaudium existimate, fratres mei cum in tentationes varias incideritis.* Jure Apostoli omnes *Ibant gaudentes a conspectu concilii* quando *digni habiti fuerant pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et si flabellum sunt in hac vita tribulationes propter Deum æquo animo toleratæ, quando nondum re, sed solum spe beati sumus, quid erit in futura ? Tunc vere flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, tunc vere mutabitur penitus in flabellum, tunc vere dicere poterimus : *Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium ; et : Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti ; annis, quibus vidimus mala ; et : Bonum mihi quod humiliasti me.* Tunc vere dicemus, benedictum sit flagellum, benedicta sint jejunia, benedictæ contumeliæ, benedictæ injuriæ, benedictæ persecutiones, et super omnia benedictus Deus, qui eas permisit vel etiam misit, et nunc in dulcedinem et delicias vertit, cui est honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO IX.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU UNDECIMO ET DUODECIMO

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

SYNOPSIS

Quandoquidem hoc eodem versiculo usus sit Diabolus in tentando Christo, quatuor propterea manifestantur peccata, quæ ille in allegando hoc sacræ Scripturæ loco commisit. Primum est quod illum ad Christum retulerit, qui nunquam habuit Angelos custodes, bene autem ministros. Secundum, quod ad malum finem eum adhibuerit. Tertium, quod nuda et simplicia verba adduxerit, quæ tamen metaphorica sunt. Quartum, quod mutilam et truncam sententiam attulerit. Deinde ipse versus de verbo ad verbum explicatur; atque in primis quoniam vocabulum Quoniam refertur ostenditur ejusque causa assignatur. Quanta cura Deus hominem custoditum velit, ex voce Angelis colligitur. Quare plurali numero Angelis suis, potius quam singulari utatur Psaltes, duplicæ habetur ratio, tum quia non modo a proprio Angelo, qui cuique attributus, homo custoditur, sed etiam ab aliis; qui præsent regno et provinciæ unicuique: tum etiam quod Episcopi Sacerdotes et concionatores Angeli dicantur. Additur autem suis, ut intelligamus, Deum nos suis, hoc est, bonis Angelis commendasse, non malis, quales sunt dæmones; ubi probatur Hæreticos quoque esse Angelos malos. Causæ referuntur, cur Angeli libenter nostri curam suscipiant. Docetur deinde, quid et quænam sit via, in qua nos custodiendos esse Deus mandavit, quod duplici modo exponitur, et quod

in hac vita, quæ via est, non sit subsistendum rationibus demonstratur.

Altera pars docet, quomodo nos Angeli custodiant ne offendamus ad lapides, qui sunt scandala, et occasiones peccandi. Præterea duo præcipua beneficia Angelorum explicantur, ins'tructio scilicet et defensio. Docent autem nos primo surgere de peccato, ubi pulchra figura Petri in carcere inter duos milites secure dormientis peccatoribus applicatur. Secundo docent vitare prava consortia, quod exemplo Loth ex Sodoma educti comprobatur. Tertio fortiter in via Domini pergere, quod Elias in via roboratus confirmat. Quarto, fugare dæmones, quod exemplo Tobie junioris ostenditur. Tandem docent nos vincere et triumphare quod in historia Gedeonis contra Madianitas pugnaturi clarum est. Deinde manifestatur, a quibus nos Angeli defendant, scilicet a Dæmonibus, ab hominibus malis, a feris, ab inanimis rebus, imo et ab ipsa ira Dei, quæ singula suis exemplis vera esse comprobantur. Tandem novum adducitur Angelorum beneficium, nimirum quod nos sanctos vita ad cælum deferant: ac proinde merito illos esse audiendos, et honorandos convincitur.

Etsi plurimi sint, optimi auditores, qui terram magno labore, vel per se vel per alios fodiunt, ut novos auri atque argenti, vel pecuniarum gemmarumque pretiosarum thesauros aliquando reperiant: tamen non pauci nihil unquam aliud, quam ossa mortuorum,

vel cineres et carbones inveniunt. Idem omnino sacrarum litterarum studiosis nostro potissimum tempore usu venire videmus. Etenim multi divinas Scripturas diligenter evolvunt, et dies ac noctes in lege Domini meditantur; sed non omnes ad ipsum veræ intelligentiæ, divinæque sapientiæ thesaurum perveniunt. Imo vero quid Hæretici omnes, quos in Scripturis legendis, vertendis, perdiscendis, memoriæ commendandis assidue versari negare non possumus: quid, inquam, tot suis laboribus et sudoribus tandem reperiunt, nisi cadavera mortuorum? nisi cineres? nisi carbones? sensus quosdam nisi videlicet nigros, tartareos, veritati pietatique contrarios: atque imprimis ossa et cineres quondam extinctorum, sepulcorumque errorum. Sed nemini mirum id videri debet: *Non enim est discipulus super magistrum, sed Sufficit discipulo si sit sicut magister ejus.* Quis enim magister, ac doctor Hæreticorum est, nisi ille, quem sacræ litteræ nunc spiritum erroris, nunc spiritum mendacem, nunc spiritum vertiginis appellant? Is vero tunc omnibus Hæreticis ad Scripturas depravandas, et in alienos ac monstruosos sensus detorquendas aditum patefecit, cum adversus Christum, hoc est, adversus ipsam Dei sapientiam et veritatem, illis Psalmi versiculis pugnare ausus est, quos hodierna die, Domino juvante, explicaturi sumus. Etenim cum spiritus ille mendax frustra Domino suasisset ut de lapidibus panes efficeret, mox eum ad verticem divini templi perduxit, atque ait: *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quoniam niam Angelis suis mandavit de te, in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Nos igitur more prudentium agricolarum, qui non prius bonas atque utiles herbas in agris serunt, quam eos a malis, noxiisque purgaverint: primum Satanae sententiam breviter refellemus: deinde veram atque a sanctis Patribus acceptam hujus loci intelligentiam adferemus.

Quatuor sunt præcipua peccata, quæ dæmon in hujus testimonii allegatione commisit: primum longe aberravit a scopo: siquidem Psalmus hic nonagesimus non ad Christum refertur, sed hominem justum inter pericula constitutum multis rationibus consolatur. Et cum aliæ Psalmi partes, tum præcipue ista, quæ Angelorum custodiam homini justo promittit, ad Christum nullo modo pertinere potest. Nam cum tria quædam

in una atque eadem Christi persona reperiuntur, *Deus, anima, caro*: Deus nulla eget, neque eguit unquam Angelorum custodia, cum ipse sit, qui *Portat omnia verbo virtutis suæ*, et homines omnes Angelosque custodit. Anima etiam nullis Angelorum præsiidiis unquam opus habuit, propterea quod semper beata, semper felix, semper in patria fuit. Custodiæ vero atque præsidia Angelorum solis iis necessaria sunt, qui de mundi hujus exilio ad illam cœlestem et beatam patriam inter insidias, atque arma inimicorum pergunt. Sola Domini caro brevi illo tempore, quo mortalis et passibilis erat, custode ac protectore aliquo indigebat; sed eum tamen Angelum esse, neque decebat, neque necesse erat, cum beatam et felicem illam carnem tamquam propriam templum ac domicilium Deus inhabitaret, qui eam per se regebat, defendebat, tuebatur, conservabat. Itaque Angeli quidem (ut Evangelium docet) Christo famulabantur interdum et serviebant; sed eum minime protegebant, vel custodiebant.

Deinde in eo Diabolus peccavit, quod Scripturæ testimonio re videlicet optima, sanctissima, ad finem pessimum abuti voluit, ut Christum ad peccandum provocaret: quomodo si medicus peritus, sed improbus, potenti aliqua medicina ad ægrotum occidendum uteretur. Sed bene habet, quod sicut Deus mala vertit in bona, ita dæmon bona vertit in mala, et bonis utitur male.

Tertium Diaboli peccatum est, quod nuda et simplicia Scripturæ verba pro se adduxit, et verba illa: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, quæ figurata et metaphorica sunt, ita simpliciter et proprie intelligi voluit, ac si Propheta dixisset, posse nos clausis oculis tuto ac libere iter facere, et neque saxa, neque præcipitia metuere, et idem esse omnino sive per gradus paulatim ad portam descendamus, sive per fenestram uno saltu ad terram veniamus; propterea quod Angelis a Deo imperatum sit, ut nos ubique diligenter custodiant, et etiamsi velimus nunquam impingere neque cadere nos patiantur. Atqui levem et puerilem hanc intelligentiam, quam Dæmon non tam habebat, quam habere se simulabat, sapienter Dominus confutavit, cum ait: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tamquam si diceret, Deus quidem Angelis suis mandavit, ut homines justos ubique custodiant; sed non propterea debet aliquis

Deum tentare, neque miraculum expetere, ubi nulla necessitas miraculorum est : alioqui si sponte aliquis seipsum de monte præcipitet, Angeli non custodient, quo minus ille vel collum vel tibias frangat.

Postremum quod in hac Dæmonis allegatione sancti Patres reprehendunt, illud est, quod mutilam et truncatam sententiam attulit : nam cum dixisset : *Scriptum est : Quia Angelis suis mandavit de te : non addidit, quod sequitur : Ut custodiant te in omnibus viis tuis*, sed mox ad illud transit : *In manibus tollent te*. At cur mediam illam sententiam prætermisit ? Quoniam contra eum aperte faciebat : Psalmus enim perspicue dicit, nos in viis non in præcipitiis custodiendos. Quod si præcipitia quoque aliquo modo viæ dicendæ sunt, certe Diaboli viæ sunt, non Christi, nec sanctorum. Et cur etiam verba sequentia : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*, Dæmon silentio præteriit, nisi quoniam in iis suas insidias aperiri videbat. Itaque recte Gregorius Theologus oratione in sanctum lavacrum : « O sophista malitiæ, inquit, cur sequentia suppressis ? Recte enim id novi, tametsi tu sileas, quoniam super te aspidem et basiliscum ascendam, et super serpentes et scorpiones Trinitate circumseptus ambulabo. »

Habemus igitur ineptam atque absurdam esse Diaboli expositionem, et cum ipse magister et doctor sit Hæreticorum, vos ipsi cogitate, qui ab eis nos possimus, nisi corruptelas, nisi depravationes, nisi mendacia expectare ? Sed nos Beatum Hieronymum potius audiamus, qui in extremo dialogo adversus Luciferianos monet, non esse unquam Hæreticis credendum, quamvis de Scripturis multa garrere videantur, cum etiam Diabolum sciamus de Scripturis aliquando esse locutum : sed in ea Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat, quæ non solum verba, sed etiam verum et legitimum sensum Scripturarum tenet.

Sed jam ad ipsorum versiculorum expositionem veniamus, et singula verba seorsim et per se consideremus. Atque imprimis vox illa, *Quoniam*, non præcedentium, sed sequentium verborum rationem reddit. Quid est quod præcessit ? *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Quid est quod sequitur ? *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem*

pedem tuum. Jam igitur media hæc sententia, *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te omnibus viis tuis*. Non est cum præcedentibus ita conectenda : *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te omnibus viis tuis* : sed cum sequentibus hoc modo : *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Ideo *In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Nam sententia illa præcedens jam sua ratione confirmata erat. Si enim quis petat, cur ad hominem justum malum non accedet, flagellum ejus tabernaculo non propinquabit ? Respondebit Propheta : Quoniam Altissimum posuit refugium suum. Deinde neque tabernaculum cœleste, quod sua altitudine munitissimum est, custodia Angelorum eget, neque congruentem rationem Propheta redderet, si diceret : Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angeli te custodient in via. Quare sequentium, non præcedentium verborum, hic ratio redditur, et simul novum atque insigne Dei beneficium commemoratur, quod tamen cum præcedentibus rectissime aptissimeque conjungitur. Poterat enim homo justus, cui superiore versiculo dictum erat : *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, jure ac merito dicere, bene habet quod in cœlesti tabernaculo tutissimus ero, quandoquidem neque eo accedere malum, neque flagellum propinquare potest : at si dum adhuc versor in itinere, me forte latrones intercipient, vel in foveam aliquam incidam, aut certe aberrem a via, quid mihi tabernaculum proderit ? Respondet Propheta, nihil est omnino quod metuas nam qui tibi tabernaculum paravit in patria, idem Angelis suis mandavit, ut te custodiant ac tueantur in via. Atque hæc de illa voce, *Quoniam*.

Sequitur, *Angelis*. Quod unum verbum rem magnam et pretiosam, præstantem, et sane singularem esse hominem nos perspicue docet. Res enim magnæ et pretiosæ multis claustris, et clavibus custodiri solent : at quot claustris, quot clavibus, quam diligenter, quam sollicite Deus hominem custodiri voluerit, quæ unquam oratio explicabit ? Primum Deus ipse semper vigilat, ut nos custodiat nec unquam oculos providentiæ suæ a nobis removet : *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*. Quid faciam tibi,

inquit Sanctus Job, *o custos hominum?* Deinde, lege naturæ, lege divina, lege humana tamquam triplici muro, vel quasi mœnibus, fossa et vallo nos cinxit: tamen ne forte mœnia transiliremus funibus innumerabilium beneficiorum nos arctissime sibi devinxit atque obligavit: et quoniam periculum erat, ne funes quoque aliquando frangeremus, *Unicuique mandavit Deus de proximo suo*: nimirum ut unusquisque omnes quoad posset custodiret, et ipse vicissim ab omnibus custodiretur. Quia verò facile fieri poterat, ut homo hominem contemneret vel deciperet, vel etiam inter se homines latronum more convenirent, et unus alium ad malum adjuvaret, addidit postremo firmissimum tutissimumque præsidium sanctorum Angelorum, qui neque muneribus corrumpuntur, quoniam optimi sunt; neque fraudibus decipiuntur, quoniam sapientissimi sunt: neque vi coguntur, quoniam fortissimi sunt: neque celeritate vincuntur, quoniam spiritus sunt: neque numero superantur, quoniam innumerabiles sunt.

Angelis, inquit, suis mandavit de te. Neque vero solum hoc loco, sed passim divinæ Scripturæ nos docent, unicuique nostrum esse proprium Angelum tamquam præsidem et pædagogum et nutritium assignatum. Ac ut alia prætermittam, nonne Dominus ait in Evangelio: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Nolite despiciere, inquit Dominus, istos pauperulos, quos sæpe videtis corpore squalido, vestibus laceris, summa humilitate divitibus supplicare. Nam Deus illos non despicit, et quamquam certis de causis inopia premi atque affligi nunc eos permittat, tamen tanti eos facit, ut singulis eorum ex magis illis principibus, qui in aula cœlesti degunt custodes et magistros assignaverit. In actibus etiam Apostolicis, cum Sanctus Petrus de carcere divinitus liberatus, ad domum quorundam Christianorum venisset, et illi non crederent esse Petrum, dixerunt: *Angelus ejus est.* Adeo semper in animis piorum hæc veritas impressa fuit. Itaque merito Sanctus Hieronymus superiorem Evangelii locum exponens, ait: Magna dignitas animarum, ut una quæque ab ortu nativitatis in sui custodiam Angelum delegatum habeat.

Sed si unusquisque nostrum unum dumtaxat Angelum custodem habet, cur Psalmus

dixit: *Angelis suis*, et non potius Angelo suo mandavit de te? Duæ sunt hujus rei præcipuæ rationes. Prima, quoniam etsi homines singuli Angelos singulos tamquam suos et proprios custodes habent; tamen præter eos habent etiam multos alios, cum cæteris hominibus communes. Nec enim solum hominum singulorum, sed etiam civitatum, provinciarum et regnorum sunt Angeli custodes. Nam et apud Danielelem unus Angelus Judæorum, alius Græcorum, alius Persarum princeps appellatur. Et sanctus Basilius libro tertio in Eunonium constanter affirmat, tantum præstare Angelos, qui regnis et provinciis præsent, iis qui præsent hominibus singulis quantum regna et provinciæ singulis hominibus præstant.

Altera ratio est, quoniam non solum cœlestes illi, ac prope divini spiritus Angeli in sanctis litteris nominantur; sed etiam Episcopi, et Sacerdotes, concionatores. Nam et Joannes in Apocalypsi septem Episcopos Ecclesiarum Asiæ, septem Angelos nominavit. Et Malachias de Sacerdotibus dicit: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Et de Joanne Baptista primo ac summo Christi præcone Dominus per Malachiam ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Istis vero hominibus Deus mandavit, ut te verbo et exemplo custodiant, ut semper vigilant tamquam rationem pro anima tua reddituri, ut viam bonam tibi ostendant, ut in ea te comitentur, ut omnia impedimenta, quoad poterunt, auferant, ut te salvum atque incolumem ad cœleste tabernaculum perducant. Cum igitur tot Angelos, vel potius tot genera Angelorum custodes et præsidem habeamus, nonne merito nunc Propheta dicit: *Angelis suis mandavit de te.*

Sed cur addidit *Suis*? An satis non erat *Angelis* dicere? Non sane, auditores, non satis erat. Habet enim et Diabolus Angelos suos, quibus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; nimirum, ut si sceleratus et improbus fueris, non facile convertaris: si vero pius et probus, etiam pervertaris. Et sicut Deus præter spiritus illos cœlestes, etiam Episcopos, Sacerdotes, concionatores, custodes animarum esse voluit: itaque quoque et Satan præter spiritus illos tartareos, utitur etiam lenonum et meretricum, atque imprimis Lutheranorum et Calvinistarum opera in hominibus custodiendis, ne a via

hæresum et flagitiorum aliquando discedant. Quare cum Angelos tam bonos, quam malos habeamus, et utrique nos in viis suis custodire satagant, ne putaremus omnibus id a Deo esse mandatum, Psalmus aperte dicit: *Angelis suis mandavit de te*, hoc est, imperavit Deus Angelis sanctis, ut te juvent: non imperavit Angelis malis, ut tibi noceant. Neque probabile est ullo modo, neque Scripturis, aut rationi consentaneum, quod Origenes et Cassianus ex libro Pastoris docuerunt, unicuique Angelos duos a Deo esse attributos: unum bonum ad custodiam, alterum malum ad exercitium: Deus enim nemini mandavit impie agere, neque homini, neque Dæmoni, et nec per se, nec per alium homines tentat, sed *Intentator malorum est*, ut ait Apostolus Jacobus: quin potius conqueritur ipse per Jeremiam de falsis Prophetis, de malis Angelis, de novis hæreticis: *Nolite, inquit, audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis et decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini: dicunt his, qui blasphemant me, locutus est Dominus: Pax erit vobis. Et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt: Non veniet super vos malum. Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo avertissem utique eos a via sua mala et a cogitationibus suis pessimis. O utinam tot Prophetæ mendaces, qui miseris nostris temporibus visionem cordis sui loquuntur, et tantum numerum animarum tam misere perdunt, hæc verba serio apud se quandoque meditarentur. Quinam enim sunt, qui templa et altaria spoliantibus qui Deum et sanctos blasphemantibus, qui cum sacris virginibus incesta matrimonia contrahentibus, qui omnia jura divina et humana violantibus, qui more latronum et piratarum ubique grassantibus, qui denique ab Ecclesiæ gremio, a Christi corpore, ab ovili Dominico se separantibus dicunt: *Pax erit vobis; non veniet super vos malum*, nonne novi Hæretici, Lutherani, Zwingliani, Calvinistæ? Quis enim eos misit? Unde, quando, quomodo venerunt? per quam portam intraverunt? Unde spiritum istum seditiosum, turbulentum, sanguinarium, voluptarium hauserunt? In Evangelio Christi? an potius in Alcorano Mahometi vitam istam simul epicuream et piraticam didicerunt? quæ virginitatem odit, quæ continentiam execratur, quæ jejunia ferre non potest, quæ omnibus*

libidinibus habenas laxat, quæ terras et maria nefariis armis, nec tam bellis, quam latrociniis infestat? Visionem igitur cordis sui loquuntur, et non de ore Domini, non missi currunt, et non jussi prædicant: at si stetissent in consilio Domini, in consilio justorum et congregatione, si ab Ecclesia matre, quæ eos peperit et educavit, impii et ingrati non recessissent, avertisset utrique Dominus eos a via sua mala: si in aliquo videlicet errore fuissent, si quid minus recte sensissent, eos Deus in Ecclesia permanentes, sine dubio illustrasset, atque ab erroribus revocasset, neque tam misere perire sivisset. Nunc vero proficient semper in pejus errantes, et in errorem mittentes, et de nocte ad noctem, de cæcitate ad cæcitatem, de tenebris ad tenebras progredientur, donec tandem ad exteriores tenebras gehennæ perveniant.

Sequitur: *Mandavit de te*. Multis de causis Angeli sancti libenter nos protegunt ac tuentur. Primum ut Christo regi suo et nostro gratificentur. Nec enim ignorant, nihil gratius Christo fieri posse, quam ut diligenter animæ custodiantur, quas proprio sanguine ipse redemit. Deinde ut ruinæ cælestis Jerusalem instaurentur, et supernorum civium gaudia quotidie cumularent et crescant. Tum, ut sanctæ atque ardentissimæ illi charitati satisfaciant, qua nobis ut imaginibus Dei vivis ac veris, afficiuntur. Tunc etiam propter odium illud perfectum ac sanctum, quo Dæmones hostes atrocissimos humani generis prosequuntur. Sed maxima potissimaque ratio est, quoniam Deus ita mandavit. Nam qui Deum infinito quodam amore diligunt, et ei perpetuo sancta voluntate et charitate cohærent, nihil dulcius, nihil suavius, nihil jucundius habent, quam divinis obsequi et obedire mandatis. Itaque merito Sanctus Propheta cæteris prætermisissis hanc unam causam et rationem expressit: *Quoniam*, inquit, *Angelis suis mandavit de te*.

At quid illud est, quod mandavit? Ut *custodiant te in omnibus viis tuis. Via*. si propriam ejus significationem inspiciamus, spatium illud terræ significat, quod est tamquam regula quædam ambulationis. Vult aliquis de uno loco ad alium proficisci, si nullam videat semitam, nulla hominum vestigia, sed omnia æque herbis et graminibus, vel aquis aut nivibus cooperta, fieri non potest, quin sæpius vegetur et erret: idque non alia de causa, quam quod certam regulam non habeat, quam in ambulando sequatur. At si inter

medios campos quasi longissimam quamdam lineam aspiciat calcatam, tritam, nullis herbis coopertam, nullis virgultis interclusam, vestigiis euntium et redeuntium plenam, tum et in eam ingressus, eam tamquam regulam quamdam in ambulando intueatur, plane errare non potest. Hinc igitur factum est, ut vocabulum *Via*, ad omnes leges et regulas significandas derivatum sit, quas ne in agendo atque operando erremus, intuemur et sequimur: atque hinc vias artium, vias disciplinarum, vias morum etiam vulgo et usitate nominamus. Aggreditur opus aliquod artifex imperitus, videt eum alius in ea arte peritior, et Heus tu, inquit, non recte pergis, non bene ambulas, non invenies exitum. Quod est idem ac si aperte diceret: Non bene servas regulam artis, non ad istum modum secundum artem faciendum. Pari ratione inter Philosophos illi viam Platonis, isti Aristotelis, illi Zenonis, isti Epicuri sequi se, ac tenere affirmant, propterea quod secundum illius vel istius præcepta et instituta philosophentur. Denique in vita et moribus, qui legem Dei, legem justitiæ, legem temperantiæ, legem charitatis perpetuo loquitur, et secundum eam vivere studet, is viam bonam et rectam ambulare dicitur: qui vero legibus mundi et carnis obtemperat, legibus ambitionis, legibus avaritiæ, legibus gulæ et ventris et libidinum, eum viam malam et distortam et periculosam accepisse omnes clamant.

Jam vero nemo est, qui multa et varia legum genera observare, hoc est, multa simul itinera conficere non teneatur. Est aliquis paterfamilias, habet superiores, habet æquales, cum multis agere, vivere, ambulare debet: ut recte ambulet, hoc est, versetur et vivat cum uxore, servare debet legem matrimonii: ut cum liberis, legem patris; ut cum servis, legem domini, ut cum episcopo, cum pastore, cum rege, cum magistratu, cum Deo, leges Ecclesiæ, leges regni, leges civitatis, leges Evangelii: etsi artem aliquam exercet, simul etiam legem ejus artis. Quoniam igitur multas vias omnes ambulamus, et in omnibus istis viis multa pericula, multi lapides, multa præcipitia, multi latrones, multæ peccandi occasiones inveniuntur, propterea nunc Propheta dicit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, nimirum, ut quocumque eas, quicquid agas, quicquid cogites, quicquid aggrediaris, quicquid loquaris, semper te Angelus

comitetur, ne forte a recta via et regula unquam recedas.

Possumus tamen et aliter hunc locum exponere. Siquidem, ut Magnus Basilius oratione in primum Psalmum, eleganter docet, via in Scripturis præsens hæc vita nominatur, propterea quod semper festinet ad finem. Ut enim ii, qui curru vel navibus vehuntur, etiam dum sedentet dormiunt iter conficiunt: sic et nos omnes quamquam in aliis rebus occupati vitæ nostræ cursum non sentimus, et sæpe quiescere, otiosi, ludere nobis videmur, semper tamen vita consumitur, et nos ad mortem maximis itineribus properamus. Deinde viator omnia celerrime præterit, ac post tergum suum relinquit. Occurrunt pulchra palatia, sistit parumper, aspicit, admiratur, et transit. Occurrunt agri et vineæ, prata florentia, ea quoque parumper aspicit admiratur, et transit. Occurrunt horti, sylvæ, lacus, flumina, et similiter facit. Occurrunt loca deserta, viæ difficiles, asperæ, sordidæ, saxa, lutum, spinæ, ibi quoque hæret non nihil, sudat, laborat, angitur, sed paulo post transit ulterius, et molestiæ prioris non amplius recordatur. Ita prorsus et nos facimus, auditores, nunc læta et jucunda, nunc tristia et acerba nobis occurrunt, sed omnia dicto citius prætereunt. Evahitur aliquis ad magnum honorem: quid censes? Incidit in via in amœnum pratum, sed mox alibi se videbit. Pari ratione conjicitur quis in carcerem, torquetur, vexatur, affligitur: quid putas id esse? Est difficilis aliquis locus, incidit in lutum vel in spinas; sed protinus transibit, et laborum omnium obliviscetur. Denique in itineribus hoc videmus quod ubi unus modo vestigium figit, ibi paulo post figet alius, et rursum alius atque alius, neque ullus est, qui diu in eodem permaneat loco. At numquid non talis est hominum vita? « Interroga, inquit Basilius, agros et possessiones tuas, quot nomina jam mutaverunt, olim dicebantur illius, deinde illius, tum illius, nunc hujus dicuntur, paulo post alterius nescio cujus agri et possessiones dicentur. » Cur ita? Quoniam via quædam est humana vita, et unus alterum sequitur; unus alterum expellit. Aspice sedes Pontificum, regum, imperatorum; quam multi ad istas sedes singulis ætatibus aspiraverunt? et tamen qui eas post multos labores et sudores obtinent, ante consurgunt, et sequentibus locum facere coguntur, quam se

in eis ad sedendum componere potuerunt. Heri sedebat unus, hodie moritur, et sedebit alius. Cras iste morietur, et sedebit alius: ac breviter, nullus adhuc ibi remanere potuit, sed istum ludum omnes ludunt, ascendant, sedent, salutant, descendunt et abeunt. Itaque via est vita, et vae illis, qui se in itinere esse obliviscuntur; vae illis, qui in hospitibus omnia sua consument; vae illis, qui in iis rebus contemplandis, quæ occurrunt in via, nimium immorantur, qui in aliena republica curiosi esse volunt. Veniet enim, et cito veniet nox, in qua nemo potest ambulare, et ipsi ad patriam non pervenient, sed esca nocturnarum ferarum et infernalium luporum erunt. Quocirca Dominus in Evangelio clamat: *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* De hac igitur via Psalmographus ait: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in via,* hoc est, in vita tua. Et merito sane in via solum Angelorum custodia hominibus adhibetur: id enim custodiri debet, quod amitti potest: qui autem ad gehennam descendunt plane amissi perditique sunt, nec Angelos custodes, sed Dæmones tortores habent: qui vero jam ad patriam cœlestem pervenerunt, in tuto collocati sunt, nec ullo modo amitti queunt, et Angelos sanctos socios gaudiorum, non propulsatores periculorum habent.

PARS SECUNDA.

Angelis a Deo mandatum esse ut nos in via custodiant, sanctus Propheta hactenus docuit: nunc quomodo nos custodiant docet, atque ait: *In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Quæ oratio quamquam tota figuris et translationibus constet, tamen aperta et perspicua est? Quid enim sunt manus Angelicæ, nisi potentia et providentia, quibus quasi duabus manibus nos regunt. Quid vero lapides in via nisi scandala, et peccandi occasiones, quibus humana vita refertissima est? Igitur sæpenumero dum ambulamus, dum operamur, dum agimus cum hominibus, multi lapides, multa scandala, multæ peccandi occasiones sese offerunt: et nos quidem in eos facile incidemus, et animæ pedem, hoc est, affectum ac voluntatem læderemus: sed Angelus sanctus cum nos incautos lapidi propinquare videt, admirabili ratione et modo a terra nos ele-

vat, et in momento ultra lapidem transportat. Tu fortasse cum vides aliquem peccantem fraterna charitate illum corripis, via recta et bona ingrederis: sed ecce tibi lapidem, ille non solum errorem non agnoscit, neque gratias agit, sed graviter etiam tibi succendet: quoniam igitur fieri posset, ut hac de causa non amplius fungereris officio charitatis, atque ita ad lapidem offenderes pedem tuum; venit Angelus sanctus, et intus in animo loquitur tibi, ac dicit, non esse curandum quid homines cupiant, sed quid Deus jubeat: neque mercedem boni operis ab hominibus requirendam, sed a Domino expectandam: et sicut propter hominum gratiam non sunt mala opera facienda, ita non esse etiam propter hominum gratiam bona opera dimittenda. Pari ratione bonus aliquis opifex aut mercator simpliciter cum hominibus agit, artem suam exercet, neminem decipit, recta via incedit; sed ecce lapidem: venit aliquis impostor, et decipit ipsum, atque ei falsam monetam pro vera, et stannum pro argento, vel pro auro aurichalcum obtrudit. Is igitur si propterea scandalum patitur, et dicat: Itane agitur? Ego quoque astutus fiam, ille falsa ista moneta me decepit: ego eadem alium decipiam: ac si ita dicat, sine dubio impexit in lapidem. Sed Angelus sanctus sæpe adest, et in corde illius dicit: Quid turbaris, modicæ fidei? Non meministi te esse Christianum? Si reddas bona pro bonis, et mala pro malis, quid amplius quam Ethnicus, facis? Nonne et Gentes hoc faciunt? An ignoras hominum perditissimorum esse, reddere mala pro bonis: hominum politicorum, reddere bona pro bonis: hominum Christianorum, reddere bona pro malis? Ita igitur Angelus custos diligentis pædagogi officio fungitur.

Neque vero solum hoc beneficium, sed alia præterea multa et magna, quæ ex hoc uno Propheta nos intelligere voluit, ab Angelo custode recipimus, quæ tamen ad duo capita revocari possunt. Ut enim ex peccato duo præcipua mala, vel potius duo fontes malorum exorti sunt, ignorantia, et difficultas, cum quibus omnes homines usque ad mortem semper colluctantur: sic etiam duo sunt generalia beneficia Angeli custodis, instructio et defensio.

Quibus in rebus Angeli nos instruunt? In iis quæ ad salutem maxime necessaria sunt, ut quomodo a somno peccatorum excitabimur, quo pacto malorum societatem fugere

poterimus, qua ratione, in via Dei non deficiemus, quibus armis dæmonem fugabimus et qua industria si fugatus iterum redierit, eidem resistemus. Quæ omnia figuris divinarum Scripturarum nullo negotio demonstrari possunt. Erat quondam Apostolus Petrus in carcere *Inter duos milites vinctus catenis duabus*, et sequenti die ad populum producendus, et extremo supplicio afficiendus erat: et tamen ipse tamquam si omnia essent tutissima, altissime dormiebat. Sed ecce adfuit Angelus custos, et lumen refulsit in habitaculo, et mox ad vocem Angeli Petrus excitatur, catenisque solvitur, de carcere egreditur et liberatur. Hæc est figura et imago hominum peccatorum. Nam sæpe numero versantur homines in obscurissimo carcere ignorantiae, constricti funibus peccatorum, et brevi ad tribunal iudicis ducendi, et sempiternæ morti adjudicandi sunt: et ipsi tamen inter duos milites securissimi dormiunt. Qui sunt duo milites? Unus longa peccandi consuetudo; alter spes vana longissimæ vitæ: vel si mavultis, unus misericordia Dei, de qua sibi perpetuo blandiuntur; alter exempla cæterorum: nolunt enim videri cæteris sapientiores. Ista sunt, quæ hominem dormire, nihil audire, nihil sentire faciunt. At cum venit Angelus Domini, et sancta quadam illustratione docet hominem in quanto periculo sit constitutus eique dicit: Heus tu, dormis? Surge velociter, tunc lumen refulget in habitaculo, et homo tamquam de gravi somno excitatus, incipit videre, quod ante non videbat, suam turpitudinem, suam foelicitatem, suam miseriam, sua pericula, ac se comprehensum ac ligatum cerneus dicit: Hei mihi, ubi sum? Quid ago? Quo tendo? *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*. Itaque totus perterritus, et comunctus currit ad Ecclesiam, quærit sacerdotem, solvitur a peccatis, de carcere liberatur. Hoc igitur primum est Angeli beneficium: audite nunc secundum.

Morabatur aliquando Loth in medio Sodomorum, urbe pessima et corruptissima et quamquam ipse justus erat, tamen mala illa societas ei nullo modo conveniebat. Quapropter Angelus ad eum venit, eique dixit ut de illa urbe protinus exiret. Et cum ipse egredi cunctaretur, Angelus apprehendit manum ejus, et exire coegit. Deinde monuit, ut non aspiceret retro, sed in monte salvum se faceret, et eo modo incendium illud eva-

deret, quo Sodomitæ omnes perituri erant. Ad eundem modum, auditores, homini jam converso, et sancte vivere incipienti Angelus custos nunquam cessat suggerere, ut fugiat malas societates, ut cum flagitiosis, cum peccatoribus, cum scortatoribus, cum lusoribus, cum Hæreticis etiam et impiis non converseatur, ne cum eis similiter pereat, et cum is forte cunctatur, vel aures cordis Angelicis inspirationibus claudit, tunc sanctus Angelus peramanter et dulciter cogit, impetrat enim a Deo flagellum ægritudinis vel aliam aliquam afflictionem, qua is velit nolit cogatur deserere, quod diligeat. Et tum demum a malorum societate tamquam de Sodoma eductum et in via salutis constitutum diligenter monet, ut nunquam aspiciat retro: ut non iterum cupiat, quod bene semel reliquit: ut in monte virtutum et perfectionis salvum se faciat, ut cum in die ultimi iudicii pluet incendium super terram Sodomorum, et Gomorrhæorum, et omnes ubique peccatores involvet, ipse salvum et incolumem se esse gaudeat.

Sed beneficium tertium videamus. Pergebat quondam sanctus Propheta Elias ad montem Oreb, ubi Dominum allocuturus et visurus erat, sed accidit in via, ut fatigatione, somno ac mœrore oppressus, subter unam arborem se prosterneret et dormiret: tunc autem adfuit Angelus Domini, qui Eliam excitans et panem illi ostendens ait: *Surge, comede, grandis tibi restat via*. O quam frequenter ita nobiscum sanctus Angelus facit: quo enim nos omnes properamus, nisi ad montem illum exce'sum, montem pinguem, montem coagulatum, montem *In quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, de quo Psalmographus canit: *Quis ascendit in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus ubi vera perfectaque felicitate videbitur Deus Deorum in Sion?* At quamvis ad locum tam præclarum properemus, tamen sæpe nos torpor invadit, fatigamur, deficiamus, jacemus, dormimus: sed Angelus sanctus muneri suo non deest, accedit, alloquitur, cohortatur: *Surge, surge, quid hic dormis in via? Excutere de pulvere, refice vires paue illo sancto, quem tibi Dominus in hunc usum reliquit: grandis tibi restat via: longa est via de terra ad cælum; magnum negotium est salutis nostræ, quin potius negotium negotiorum, et quod summam vigilantiam summumque studium requirit.*

Quid præterea angelus docet? quod est

quartum beneficium? Illud quarto loco docet, quod si partem cordis super carbones ignitos posueris, inde fumus ascendet, quo continuo dæmon fugabitur. Ita Raphael Angelus Tobiam juniorem docuit, et ipse ita esse experientia didicit. At quid hoc sibi vult? Quid est partem cordis super carbones ponere? Id est, auditores, non totum cor in Aristotele, vel Cicerone, vel Galeno, vel Justiniano, vel etiam Augustino ponere, sed saltem partem unam cordis ad eos ignes cogitandos conferre, qui parati sunt omnibus peccatoribus: vel certe ad illam flammam ardentem divini amoris, qua Deus noster *Sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Ex istis enim sacris meditationibus oratio quædam fervens et ignita procedit, quæ cælos penetrat, quæ Deum placat, quæ instar calidissimi fumi dæmones omnes quasi mûscas expellit.

Quod si dæmon semel expulsus atque ejectus iterum majoribus copiis, acie instructa redire voluerit, Angelus te docebit quo pacto non solum fortiter resistere et pugnare, sed etiam vincere et triumphare poteris. Erat olim vir fortissimus Gedeon cum exercitu Madianitarum pugnaturus, et cum in multitudine militum spem victoriæ positam esse existimaret, trigenta duo millia armatorum brevissimo tempore congregavit: sed Angelus Domini docere volens atque instruere Gedeonem, jussit voce præconis in castris proclamari, ut omnes timidi et formidolosi recederent, et confestim viginti duo millia recesserunt. Imperavit secundo, ut reliqua decem millia ducerentur ad aquas, et Gedeon attente consideraret, quo modo unusquisque eorum biberet: nam eos, qui humi prostrati more canum ore lamberent aquas, ineptos esse ad bellum, et eos dumtaxat idoneos, qui genu modice curvato altera manu aquas ad os projicerent. Quo facto soli trecenti ex triginta duobus millibus remanserunt, et ii soli victoriam maximam retulerunt. O præclaram, et verissimam Angeli instructionem! Multi sunt homines Christiani, multi nomen suum eidem Imperatori dederunt, sed ex triginta duobus millibus vix trecenti victores evadunt: nam timidi et formidolosi, quorum magnus est numerus, nihil unquam boni facient. Qui sunt timidi et formidolosi? Qui metuunt, ne jejunium Quadragesimæ capiti noceat: qui timent inopia premi, si eleemosynas pauperibus largiantur: qui verba et cogitationes hominum verentur si

pie vivere incipiant, si injurias condonent, si convivia et propinationes recusent: qui denique metu laborum et difficultatum vitam mutare non audent. Isti, inquam, nihil unquam boni facient: nam virtus Christianorum est charitas, et *Timor non est in charitate*, quoniam *perfecta charitas foras mittit timorem*. Neque vero timidi solum, sed etiam nulli eorum unquam Diabolum vincunt, qui toto corpore humi prostrati more canum summa aviditate bibunt aquas terrenarum deliciarum, et stomachum replent temporalibus bonis, quæ instar aquæ perpetuo labuntur et fluunt: sed illi dumtaxat, qui altera manu solum necessaria capiunt. *Habentes victum et vestitum*, inquit Apostolus, *his contenti simus*. Beati sane, qui Angeli sui doctrinam intelligunt: qui erecti stare, et cælum respicere didicerunt; ipsi enim soli cum ingenti gaudio contra diabolum pugnabunt et vincunt, coronabuntur et triumphabunt.

Sed quoniam de instructione ac doctrina Angeli aliqua diximus, restat ut etiam de protectione et defensione pauca dicamus. A quibus igitur hostibus nos Angeli defendunt? Ab omnibus Dæmonibus, ab hominibus, a feris, a rebus inanimis, et quod majus et mirabilius est, ab ira omnipotentis Dei. De dæmonibus apertum testimonium habes in libro Tobiae, ubi Angelus Raphael dæmonium Asuodæum in solitudinem Ægypti relegavit, ut neque hominibus, neque pecudibus, neque arboribus nocere posset. Et quam frequenter putas dæmones, qui nobis adsunt, et qui summo odio nos persequuntur, vel in ignem vel in aquas vel in foveas nos projicerent, vel per se etiam in partes discerperent, nisi Angeli nostri potentiam formidarent? Certe Sanctus Hilarius et Sanctus Cyrillus hanc potissimam causam esse volunt custodiæ Angelorum. Quod vero etiam ab hominibus malis Angeli nos eripiant, testis erit S. Jacob, qui in Genesi dicit: *Angelus Domini eruit me de cunctis malis*. Testis Josue, pro quo contra Chananæos Angeli pugnaverunt. Testis Ezechias, qui centum octoginta quinque millia Assyriorum hostium suorum ab Angelo trucidata esse vidit. Testis Eliseus, quem integer exercitus Angelorum contra impetum Syriorum defendebat. Testis castissima illa Judith, quæ cum ad suos rediret, Holoferne trucidato, dicebat: *Vivit Deus, qui custodivit me Angelus ejus et hinc euntem et ibi commorantem, et*

inde huc revertentem. Testis denique, ut alios multos præteream, Theodosius junior imperator, quo cum Persis et Sarracenis pugnantem, circiter centum millia Sarracenorum in fluvium Euphratem Angelus Domini præcipitavit, ut Socrates tradit. Jam vero quod a feris nos Angeli defendant, ex Tobia et Daniele facie cognosci potest, quorum prior ab ingenti quodam pisce liberatus, posterior in lacu rugientium leonum Angeli præsidio securus fuit. Jam de rebus inanimis quid ego dicam, cum etiam in fornace ignis ardentis tres pueros Angelus incolumes et illæsos conservaverit? Sed summum maximumque beneficium mihi esse videtur, quod Angeli sancti, cum Deum nobis iratum esse vident, patrocinium nostrum suscipiant, et tamquam diligentes advocati, Deum orare, placare, flectere, nobis reconciliare summo studio laborent. Veniat in mentem parabola illa Domini de ficulnea sterili, de qua Dominus vineæ agricolæ dicebat: *Ecce tres anni sunt, ex quo venio fructum quærens in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Agricola vero pro ficulnea Dominum exorabat, atque aiebat: *Domine, dimitte eam etiam hoc anno, donec fodiam circa eam, et mi tam stercora.* Istæ ficulneæ nos sumus, auditores: vinea est Ecclesia, cultores sunt Angeli, sed venit primus annus, venit pueritia, et in ea quærit Dominus fructum puritatis, simplicitatis, devotionis, et nihil invenit nisi malitiam, nisi contentiones, nisi pugnas, propterea quod parentes non bene filios suos instituerunt. Venit vigesimus annus, ætas adolescentiæ, et quærit Dominus fructum operum bonorum, et nihil invenit nisi folia vanitatum, amores, potationes, sphaeristeria, tripudia, vestium ornamenta, musicæ instrumenta, carnis oblectamenta, demonis emolumenta. Venit annus trigesimus, ætas matura et gravis, et majore ratione quærit Dominus fructum in ficulnea, et sæpe nihil invenit, nisi grossos ambitionis, usuræ,

crapulæ, ebrietatis, aliorumque innumerabilium vitiorum fructus. *Succide ergo illam, ait, projiciatur in ignem, ut quid etiam terram occupat?* Magna et metuenda est ira Domini, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui postquam occiderit corpus, etiam animam perdere potest in gehennam ignis.* Sed Angelus Domini sollicite intercedit. O Domine, dimitte, quæso, eum etiam hoc anno, dona illi, Domine, adhuc tempus et spatium pœnitentiæ: ego fodiam circa illum et mitam stercora, auferam de corde ejus nimiam illam terram, terrenas nimirum cogitationes, et ponam in oculis ejus stercora peccatorum ut ea videat, cognoscat, detestetur: ego efficiam, ut recogitet dies suos in amaritudine animæ suæ et fructus dignos pœnitentiæ, et operum bonorum aliquando producat. En vobis, fratres mei, quam multa, et quam magna sunt beneficia Angeli custodis, et quam multum ei honoris et amoris debeamus.

Et hæc omnia nobis sancti Angeli præstant, dum nos custodiunt in via: sed itinere tandem confecto, tunc nos in manibus tollunt, atque in sedes beatorum deferunt. Ita Lazarum illum mendicum in sinum Abrahamæ Angeli portaverunt: ita multi Sanctorum in cœlum ab Angelis deferri visi sunt. Quis enim per regionem illam novam, obscuram, incognitam, per se ingredi valeret? Et o quam duri lapides ibi reperiuntur! ibi ille jacet, qui se in lapidibus adorari faciebat, et quantum potest viam transeuntibus intercludit, quot peccata nunc facimus, tot ibi lapides ponit. O quam multi sunt, qui se ad cœlum evoluturos putant, qui aditum interclusum atque obstructum invenient. Quapropter, auditores, Angelum nostrum honorare, opem ejus implorare, sanctos mores imitari, monitis ejus obtemperare diligenter studeamus, ut quem patronum et custodem habemus in terris, eundem civem et sodalem habere etiam mereamus in cœlis. Amen.

CONCIO X.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU TERTIO DECIMO

Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

SYNOPSIS

Dæmon Proteo in diversas formas transformari solito comparatur; et inde etiam hoc loco vocatur, aspis, basiliscus, leo, et draco. Quatuor deinde hæc animalia quatuor atrocissimas Ecclesiæ persecutiones denotare probatur. Prima est Judæorum, quæ aspidi confertur. Altera Imperatorum Ethnicorum, quæ leo denotat. Tertia Hæreticorum, quæ omnium gravissima, ac basilisco comparatur. Quarta futura est, scilicet, Antichristi, et draconi assimilatur. Quæ quatuor persecutiones etiam in Christo deprehenduntur completæ. Porro quomodo singulos diabolus ut aspidem tentet exponitur, simulque remedium præscribitur. Cur Diabolus aspidi comparetur ratio redditur, nimirum propter obstinationem, cujus duo sunt fontes, unus est sapientie terrena, cui nimium affixi præcipue hæretici, et inter hos Calvinus; alter est mali vita. Contra obstinationem remedia præscribuntur, et differentia inter aspidem Dei et Diaboli astringitur. Diabolum basilisco comparatum invidiam diffundere ostenditur, et quantum malum sit invidia, multis declaratur, utpote qua nil miserius, nil detestabilius, nil incurabilius, nihil tamen communius, ut quæ etiam inter fratres sese immisceat. Remedia insuper duo contra invidiam constituuntur, quorum primum est, rerum caducarum vera æstimatio; alterum, cogitatio fructus invidiæ, qui invidenti plerumque noxius, invisio utilis, quod multis exemplis demonstratur.

Secunda pars agit de Diabolo in leonem, et in draconem transformato. Tamquam leo nimio terrore percellere conatur, cui firma spe, et fiducia resistere docentur. Tamquam draco iram diffundit, ubi iram, quæ rati nem sequitur, laudabilem esse multis exemplis probatur; quæ secus, detestandam esse, utpote quæ turpis, quæ cæca, quæ insana, quæ noxia, et pernicio-sa. Contra iram præterea varia constituuntur remedia, nempe cogitare, nos quoque, Deum assidue offendere, non nudo, et inermes esse nato, nos nobis magis quam hosti nocere, nos credendo sublimiores fieri, omnes homines esse membra unius corporis, nos medicamen ex hoste, ut medici ex vipera, sumere debere, proponere exempla Ethnicorum. Tandem duabus objectionibus satisfaciendo. draconem conculcandum, et injurias perferendas esse docetur.

Tradunt fabulæ poetarum, auditores optimi, quemdam olim extitisse marinum prophetam, nomine Proteron, quem Neptunus Deus maris, phocis, ac thynnus, aliisque cetis, beluisque marinis, quasi præsidem et pastorem præfecerat. Is ea vi ac potestate præditus erat, ut se mille formas aliquando converteret, et nunc aqua, nunc ignis, nunc leo, nunc draco, nunc monstrum aliquod videretur. Verum enimvero quamquam Ethnici poetæ figmentis et mendaciis se ludere, dum talia scriberent, arbitrabantur: tamen potentes atque imprudentes suis coloribus eum depinxerunt, quem vere pro Deo in lignis et lapidibus adorabant. Quis enim alius erat

Deus Ethnicorum, quam spiritus ille transfuga, quem sacræ litteræ dæmonem appellant? *Dii Gentium dæmonia*, inquit Psaltes. Et Apostolus Paulus: *Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant et non Deo*. Quare Dæmon revera est ille cæruleus Proteus, qui in mari amaro et turbulento hujus sæculi turpibus phocis, immundis videlicet spiritibus, et hominibus præest, et mille artes nocendi habens, in mille quoque formas et figuras se transferre solet. Certe magno Antonio, ut in ejus vita D. Athanasius tradit, nunc Dæmon ut puerulus horridus ac niger, nunc ut gigas immanis tanta corporis proceritate conspiciabatur, ut cælum ipsum contingere putaretur: nunc vero, eodem inspectante et audiente Antonio, varias bestiarum et serpentum formas induens, ut leo rugiebat occidere volens, ut bos mugitu et cornibus minabatur, ut serpens sibilo personabat, ut lupus ad prædam summo impetu inhiabat. Scribit quoque S. Hieronymus in Hilarione, non raro Dæmonem simul infantum edidisse vagitus, balatus pecorum, planctum quasi mulierum, murmur exercitus, ac breviter diversissimarum portenta vocum, ut magnum illum Christi bellatorem, si quo modo posset, de cremo fugaret. Denique verum istum Proteum Apostolus Paulus transfigurari dicit in Angelum lucis: et eundem Job et Isaias colubrum et serpentem tortuosum: Petrus leonem rugientem: Joannes in Apocalypsi serpentem antiquum, et noster Psalmus aspidem, basiliscum, leonem et draconem appellavit. *Super aspidem, inquit, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*. Quæ verba cum hodierna oratione Domino adjuvante exposituri simus tria ex ordine disputabimus: ostendemus initio quatuor istis nominibus, quatuor maximas persecutiones significari, quas dæmon Ecclesiæ per suos ministros, partim excitavit, partim etiam excitabit. Deinde persecutiones easdem et ordine eodem, in ipso capite Ecclesiæ Christo, vel expressas vel adumbratas fuisse docebimus. Postremo de præcipuis quatuor tentationibus, quibus Dæmon, vel per se vel per alios, unumquemque nostrum sigillatim oppugnat, et propter quas aspis et basiliscus, leo et draco dicitur, disseremus. Nam quod quidam volunt, Prophetam hoc loco de veris leonibus et serpentibus esse locutum, et hominibus justis, atque in Dei auxilio confidentibus promisisse, nullam eis quamvis venenatam et ferocem bestiam esse nocitu-

ram; nos minime negamus, quin potius libenter agnoscimus et confitemur, quippe qui non ignoramus, neque Danieli leones, neque Paulo vipera, neque cetum Jonæ, neque feras omnium generum sanctis Anachoretis, qui in earum medio versabantur, nocere potuisse; tamen præter istum abjectum atque humilem sensum, alium altiorem magisque præcipuum in his verbis agnoscimus.

Ut igitur ad ea, quæ proposuimus, veniamus: aspis, leo, basiliscus et draco, quatuor summas atque atrocissimas persecutiones significant. Aspis Judæorum, leo Paganorum, basiliscus Hæreticorum, draco Antichristi. Judæi omnium primi contra Christi Ecclesiam, Dæmone auctore, arma sumpserunt. Nam et Apostolos omnes flagellis ceciderunt, et Stephanum lapidaverunt, et duos Jacobos, unum per se de summo templo præcipitem egerunt, alterum per Herodem gladio necaverunt. Et Petrum in carcerem et vincula conjici fecerunt: et Paulum non semel dolis atque insidiis ad necem quæsierunt. Aptissime vero Judæi aspide designantur, quæ surda dicitur, propterea quod aures suas obstruere solet, ne vocem incantantis exaudiat. Quid enim passim prophetæ clamabant, atque Isaias imprimis, nisi *Aggravatum est cor populi hujus et auribus graviter audierunt*. Et cum eos B. Stephanus quasi divinis carminibus incantaret, quid illi fecerunt? *Continuerunt aures suas*, inquit B. Lucas: quocirca merito S. Stephanus tamquam aspidi surdæ eis dicebat: *Incircumcisi cordibus et auribus vos semper Spiritui sancto resistitis*. Cæterum Christi Ecclesia, juxta Prophetæ promissionem, jam aspidem illam conculcavit ac super eam ambulavit. Quid enim sunt modo Judæi, nisi servi omnium gentium, sine rege, sine pontifice, sine templo, sine sacrificio, sine Prophetis, sine miraculis, sine Deo in hoc mundo? Neque alia de causa vivere et toto orbe vagari divina providentia voluit, quam ut ubique suos illos vetustissimos et probatissimos libros deferrent, ex quibus nos ea, quæ de Christo et Ecclesia prædicamus, non a nobis conficta, sed a Prophetis vere prædicta multis ante sæculis ostenderemus.

Sed aspidi leo successit, aperta illa videlicet et cruenta Ethnicorum imperatorum persecutio. Neque enim secus atque immanes et feroces leones, truculenti illi tyranni Christianorum corpora laniabant. O quam multi

leone rugiente in speluneas atque antra se abdebant ! quam multos etiam solus rugitus hujus leonis prosternebat ! Quot vero ferox iste leo non rugitu, sed unguibus ac dentibus confecerit, solus Deus novit. Siquidem, ut in libro historiarum Ecclesiasticarum octavo Eusebius refert, interdum integræ urbes cum omnibus habitatoribus incendio absumebantur : interdum integræ legiones, quasi unus homo obtruncabantur. Temporibus vero imperatoris Diocletiani uno solum mense septemdecim millia sanctorum Martyrum occidebantur. Sed vicit tandem, quæ victura erat Ecclesia Servatoris, et ad fidem imperatoribus et regibus conversis, qui antea propter idola persequebantur Christum, postea cœperunt propter Christum persequi idola : et Roma, quæ olim Petrum, ut impium egit in crucem, nunc eundem ut optimum præsidem et patronum se habere gloriatur.

Secuta est leonis rabiem crudelitas basilisei, quo impium atque insanum Hæreticorum furorem significari diximus. Basiliscus enim venenum habet in oculis : hæresis vero ita mentis oculos fascinat et depravat, ut album pro nigro et nigrum pro albo cernere faciat. Quæ major fascinatio cogitari potest, quam, ut in quibus libris maxime veritas lucet, ibi nubes infinitorum errorum Hæretici videant ? Certe in litteris sacris ubi nos jejunium legimus, ibi Lutherani erapulam legunt : et ubi nos virginitatis consilium prædicari videmus, ibi Calvinus videre se dicit prohibitam atque interdictam esse virginitatem. Hæc sane persecutio multo est gravior et diuturnior et periculosior, quam superiores : illæ corpora occidebant, ista jugulat animas : illæ aperto Marte Christum oppugnabant, ista Christi signis et armis quasi pro Christo contra Christum pugnat : tunc lupi lupinam pellem præferiebant, et lupos se esse non negabant, nunc lupi ovina pelle induti oves se esse simulant, et veras oves lupos videri volunt. Deinde persecutio Judæorum annos circiter quadraginta Ecclesiam vexare potuit : persecutio Paganorum annos circiter trecentos ; persecutio vero Hæreticorum jam supra mille annos grassata est, nec ullus novit, præter Deum, quando finem habitura sit. Tempore primæ persecutionis semel dumtaxat exercitum contra Ecclesiam Diabolus eduxit : tempore secundæ bene decies copias suas instauravit. Tot enim imperatores fuerunt a Nerone usque ad Julianum, qui novis copiis, et armis et viribus

cum Ecclesia conflixerunt. At in hac tertia persecutione plus quam ducenties jam Dæmon exercitum instruxit : tot enim hæresiarchas numeramus, qui omnes novorum exercituum duces atque imperatores fuerunt. Cæterum magna ex parte basiliscum istum Ecclesia conculeavit : deleti sunt Ariani, profligati sunt Manichæi, perierunt Nestoriani : jam caput et corpus basilisci contritum est, sola cauda conculeanda et conterenda restat. Neque dubium esse potest, quin illa gloriosa Ecclesia caudam istam conculcabit, ac de fæce Lutheranorum aliquando triumphabit, quæ ita ducenties collatis signis dimicavit et vicit : quæ eaput et corpus basilisci contrivit, quæ Arianos funditus delevit, qui orbem fere totum occupaverunt, et potentissimos monarchas atque Episcopos innumeros in castris suis habuerunt.

At ne tunc quidem finis persecutionum erit : siquidem basilisco draco teterrimus atque immanissimus succedet : ipse erit perditissimus ille Antichristus, cujus persecutio quanto brevior cæteris tanto crudelior atque periculosior erit. Hactenus enim, neque Judæi, neque Pagani, neque Hæretici ulla signa aut prodigia edere potuerunt : propria Ecclesiæ Catholicæ gloria miraculorum semper fuit. Sed in illa postrema et maxima persecutione *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Erit enim Antichristi Adventus, ut Apostolus ait, *secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus.* Quare merito S. Gregorius : « Pensemus, inquit, quæ erit humanæ mentis illa tentatio quando pius martyr et corpus tormentis subiciet, et tamen ante ejus oculos tortor miracula faciet ? Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatitur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat ? »

Vultis nunc ut in ipso Christo, quasi figuras quasdam et umbras harum persecutionum ostendamus ? Quid igitur aliud circumcisio Domini fuit, nisi quædam quasi persecutio Judæorum. Quamvis enim nulli peccato obnoxius esset, nec purgatione ulla opus haberet, tamen zelo Mosaicæ legis a Judæis in tenera ætate vulneratus fuit. Quid vero Herodianus ille furor, qui Dominum in Ægyptum fugere coegit, et propter ipsum tot millia innocentium puerorum trucidavit, nonne persecutio quædam Ethnicorum ? Porro illæ tot insidiæ, tot calumniæ, tot injuriæ Scri-

barum et Pharisæorum, qui specie pietatis et religionis totos tres annos Dominum exercuerunt, quis non videt, quam perspicue longissimam et molestissimam Hæreticorum persecutionem designaverint? Nam passio illa Domini, quando a Judæis et gentibus simul oppugnabatur, quando signa et prodigia tot edebat, quando ut princeps latronum crucem suam ad locum supplicii ipse portabat, an apertissime Antichristi persecutionem non significavit? Ut igitur ipse persecutionibus quatuor devictis atque superatis victor ab inferis rediit, atque in cœlum triumphator ascendit, et imperium sine fine obtinuit: ita quoque et Catholica ejus Ecclesia quatuor illis bestiis conculcatis, et persecutionibus omni ex parte finitis, sempiterna pace et gloria tandem perfruetur.

Venio nunc ad id, quod est proprium hujus loci, ut eas persecutiones exponam, quas hominibus singulis Diabolus excitat, et propter quas nunc aspis, nunc leo, nunc basiliscus, nunc draco nominatur. Aspis, auditores, venenum gerit in lingua, lingua venenum inspirat, veneno somnum conciliat, somno illo tandem occidit. Hæc omnia Diabolo convenire prima omnium experta est Eva. Venit serpens ad eam, linguam venenatam protulit, atque ait: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Deinde, ut eam securissimam redderet, atque in utramque aurem dormire feceret: *Nequaquam, inquit, moriemini.* nihil periculi est, tuto licet vobis etiam de hoc pommo comedere. Ita illam vulneravit, infecit, corruptit, occidit. Quam sæpe tecum, frater, ad eundem modum diabolus agit? Quoties venit, ac dicit: *Cur præcepit tibi Deus, ut jejunares: Eget fortasse tuo jejunio?* et cur præcepit ebrietatem et fornicationem fugere? Cui facis injuriam si tuis sumptibus potas, vel cum amica volente fornicaris? Et quid deinde subjungit? *Nequaquam morieris.* Commuria et levia sunt ista peccata, misericors Dominus est, non recordatur injuriarum, non te creavit, ut perderet. Atque interim astutissimus serpens calcaneo tuo insidiatur, calcaneum tuum observat, expectat avide quando cadas, quando labantur pedes tui. Num labi non potes, nisi in os ejus et tunc non aspis, sed leo et draco erit.

Quid remedii? *Ipse conteret caput tuum,* inquit divina Scriptura. Aspis calcaneum nostrum observat, nos caput ejus observare debemus, ut ante nos caput illius contera-

mus, quam ab illo calcaneum nostrum mordeatur. Quid est caput? Primus peccati motus, prima tentatio, prima suggestio. Suggestit tibi Diabolus, non esse jejunandum? noli audire, contere caput. Suggestit aliquid contra fidem? noli cum sophista contendere, contere caput. Suggestit impuras voluptates, illicita lucra, simoniacos contractus? obstrue aures, contere caput. Nam profecto, auditores, neque citius, neque facilius, neque celerius aut certius Diabolus vincitur, quam cum a nobis ad colloquium non admittitur, sed contemnitur et rejicitur. Nam et orator facundissimus et sophista callidissimus est: novit omnes modos fallendi, nihil argutiarum eum latet: si cum eo disputare volueris, aut vincet, et flagitium tibi persuadebit, aut certe more vesparum aculeum infixum, hoc est, scrupulum et mœrorem atque anxietatem in animo tibi relinquet. Itaque ille felicius cum Diabolo pugnat, qui celerius Diabolum fugit.

Aspis præterea inter omnia animantia obstinatione excellit, id quod etiam dæmoni convenire omnes noverunt. Nihil vero est, quod magis Diabolus cupiat, quod magis quærat in quo diligentius ac studiosius laboret, quam ut homines sibi similes, hoc est obstinatos atque obduratos in malo, atque adeo surdos aspides efficiat. Unde oritur obstinatio? Ex duobus principiis. Solet enim aspis cum seipsam surdam atque obstinatam vult efficere, aurem unam terræ quanto pressius potest admoveere, alteram extrema cauda obturare. Quid est auris? Sensus disciplinæ, ut ait Philosophus, et mentem atque intelligentiam nostram significat. Quid est terra? Sapientia terrena, judicium proprium. Isti igitur aurem cordis terræ admovent, et obstinati fieri incipiunt, qui nimium terrenæ sapientiæ adhærent, qui plus æquo in eruditione sua confidunt, qui scientiam suam vel ignorantiam potius aliorum omnium scientiæ anteponunt: cui veneno Hæretici potissimum obnoxii esse videntur. Nec enim terrenam sapientiam hoc loco geometriæ vel arithmeticiæ cognitionem appellamus; sed scientiam illorum, qui cum se in Scripturis valde versatos existiment, omnes alios, ut ignorantes contemnunt: et clamet licet orbis totius academiæ, clamet Apostolica sedes, clamet generale Concilium, clamet consensus omnium doctorum, ipsi tamen nihil audiunt, aurem habent defixam in terra, et plus capiti suo quam omnibus aliis cre-

dunt: talis olim fuit Nestorius, talis Photinus, talis Petrus Abe'ardus, talis Joannes Wicleffus, tales omnes Hæretici, in quibus nostris temporibus Joannes Calvinus sine dubitatione excelluit, qui in illa sua pestilenti Institutione de sacrificio Missæ, delibero arbitrio, de meritis operum, de aliis nonnullis Christianæ fidei gravissimis dogmatibus, non erubescit confiteri, se contra omnes imbecillos veteres, tam Græcos, quam Latinos, et contra universam antiquam Ecclesiam sentire. Ita nimirum aspis infernalis suo veneno illum infecerat, ut id sibi persuadere potuerit, omnes ante se fuisse stupidos, aut phreneticos, aut etiam pecudes vel truncos. Ita principium primum obstinationis est aurem unam ad terram admovere, hoc est, subtilissimo quodam genere superbiæ proprio iudicio ac sententiæ nimium adhærere. Principium vero secundum est, extrema parte corporis alteram aurem obturare. Quid est pars extrema? Quid aspidis cauda? Finis, scopus, intentio. Quidam enim reperiuntur, qui tametsi verbis *Confitentur se nosse Deum*, atque eum pro fine ultimo habere se jactent, tamen *Fac'is id negant*: atque ita se gerunt, ut Deum finem esse dei ictum, aliud vero creatum finem verum existimare et credere videantur. Si diceret aliquis, scopus meus in eo loco est, atque interim omnia sua tela ad alium parietem dirigeret, quis eum serio esse locutum et non potius mentiri, aut jocari voluisse arbitraretur? Ad eundem modum illi omnes, qui verbis dicunt, se Deum pro fine ultimo suorum operum agnoscere, et nihilominus omnia sua studia, omnes suos conatus omnes suos labores ad eruditionem, vel opes vel honores adipiscendos referunt, non vere, non ex animo dicunt se Deum habere pro fine. Finis eorum eruditio est, honor est, aurum et argentum est, et qui tales sunt, si etiam propriæ sententiæ acquiescant, vix unquam a sua improbitate remouentur. Clamant concionatores in templis, aspis surda nihil audit: et vel despiciunt concionatorem, ut imperitum; vel non credit eum serio dicere. Ut enim ipse nunquam loquitur ex animo, ita etiam censet alios non loqui ex animo.

Quid remedii contra venenum tam periculosum? vix ullum remedium est, morbus pene incurabilis est obstinatio. *Venenum aspidum insanabile*, inquit Moyses. Verum etsi difficile, auditores, obstinationem jam conceptam curare, licet tamen salubri me-

dicamento eam prævenire: Dei aspides fieri nos oportet, si Dæmo is aspides fieri nolumus. Quid aspis Dei facit? Aurem utramque diligenter occludit, sed longe aliter, quam aspis Diaboli. Primum enim unam aurem cœlum affigit, et cum Propheta dicit: *Audiam quid loquatur in me Deus*. Non credit sibi, non fidit ingenio suo, non lectioni, non eruditioni, sed Deo. At ubi et quomodo loquitur Deus? Loquitur in Scripturis: et quoniam illæ in sensus varios detorqueri possunt, et aliter a Catholicis, aliter ab Hæreticis intelliguntur, aperuit Deus Ecclesiæ sensum, ut intelligeret Scripturas: illamque unam constituit columnam et firmamentum veritatis: et qui columnæ isti non adhærent, nihil est mirum, si in mille errorum atque hæresum præcipitia cadunt. At ubi, et quomodo loquitur Ecclesia? Loquitur per os Petri, per eum qui sedet in Apostolico throno, per decreta et canones generalium Conciliorum, quæ omnia spiritu prævidens sapientissimus Salomon clamat in Ecclesiaste: *Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras*. O consilium sapientissimum. O sententiam Salomone dignam. O documentum hoc tempore necessarium. Illi enim vere fiunt aspides Dei, et tuti, liberique sunt ab errandi periculo, qui verba illius unius pastoris, quem Deus omnibus aliis pastoribus, et ovibus præfecit, pro cuius fide et constantia Christus oravit, cuius sententiæ usque ad hanc diem omnes sancti et sapientes acquieverunt: illa, inquam, verba tamquam clavos in corde infixi retinent, et quicquid ab eis dissonare vident, tamquam suspectum et periculosum et perniciosum respuunt, et cum Ambrosio dicunt: « Romanam Ecclesiam in omnibus sequi cupio »; et cum Hieronymo: « Qui cathedræ Petri iungitur, meus est. » Sed non sufficit, auditores, unam aurem admovisse cœle, nisi etiam alteram extremo corpore claudamus. Quid est hoc extremum? Verus ultimus finis, qui est honor Dei atque animæ salus. Qui enim serio apud se statuit, nihil unquam Dei gloriæ, et animæ salutis anteponendum, is facile contemnit omnia: sive mundus minetur, sive blandiatur, sive prospera, sive adversa promittat, aspis Dei nihil movetur, sed auribus obstructis, incitato cursu omnia caduca et fragilia transilit, ut ad vera et sempiterna aliquando perveniat.

Sed non continuo qui aspidem evaserit, tutum se ac securum esse arbitretur. Fortasse enim se aspis (ut solet in basiliscum transformabit. Porro basiliscus venenum gerit in oculis, atque idcirco rex invidorum esse dicitur : inde enim invidi nominantur, quod non bene videant, sed oculos plane corruptos ac depravatos habeant. Horum pater et princeps ille est, de quo Scriptura dicit : *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Qua de causa etiam Dominus in Evangelio invidis Judæis dicebat : *Vos ex patre Diabolo estis*. Satagit vero tartareus ille basiliscus summo studio nos omnes basiliscos efficere, ut eo modo et nos ab ea gloria, quam nobis invidet, excidamus, et ipse pluribus servis et maucipiis dominetur. Sed qui perspectum et exploratum habuerit, quale venenum sit invidia, is potius sane per gladios et ignes transibit, quam basiliscum se fieri ulla unquam ratione patietur : tale enim malum invidia est, ut nullum neque miserius, neque detestabilius, neque incurabilius, neque latius patens usquam reperitur.

Quod nihil invidia sit miserius, ex eo facile cognosci potest, quod cum cæteris vitiis aliquo sit vel utilitas, vel delectatio, vel honor, sola invidia tota est misera et amara. Ambitioni gloria, furto pecunie, adulterio voluptas aliqua comparatur. Invidentia vero quid præter continuum acerrimumque dolorem habet? Quocirca merito Beatus Cyprianus tineæ ac rubigini invidentiam comparavit. Magnus vero Basilius idem hoc vitium viperæ simile esse dicit. Ut enim vipera matris viscera lacerat, sic et invidentia ejus hominis animum semper affligit, unde ipsa nata est. Pulcherrime quoque idem Basilius nihil differre asseruit hominem invidum ab homine nudo in medio foro constituto, qui ab omnibus transeuntibus vulneratur. Videt invidus aliquem robustum et sanum, et plaga est illi : alium videt florentem et pulchrum, et rursus accipit plagam. Videt alium divitem, alium eruditum, alium eloquentem, alium honoratum, omnia hæc plagæ sunt et vulnera medium invidi cor transverberantia. Neque tamen in corde ita contineri pestis invidiæ potest, ut aliquando non erumpat : siquidem oculi, genæ, frons, labia, vultus totus rabiem et tristitiam produunt.

Jam vero quam non solum miserum et molestum, sed etiam detestabile et omni

odio sit dignum hoc vitium, perspicuum esse potest ex ejus contrario. Invidentia enim semper fuit capitalis hostis et inimica misericordiæ : quanto igitur gratior et amabilior virtutibus cæteris misericordia, tanto præ omnibus vitiis magis detestanda et execranda invidia est. Misericordia condolet alienæ miseræ, et eam de medio tollere, vel certe lenire et mitigare nititur, invidentia nunquam bene habet, nisi cum aliquem cadere et perire, miserum et calamitosum fieri videt. Quare persimiles invidi sunt vulturibus et muscis. Pervolat vultur amœnos hortos, virentes silvas, florentia prata, et ad sola cadavera tetrum odorem spirantia accurrit. Muscæ quoque, partibus corporis quæ sanæ sunt omissis, ad ulcus advolant : sic invidi splendorem virtutis et recte factorum, qui in multis hominibus lucet, ne aspiciunt quidem, ad marcida vero et putrida irruunt, solisque miseris et infortuniis hominum delectantur. Si quid forte narratur ab aliquo præclare gestum, invidus falsum esse docet, si potest : sin minus, extenuat et occultat quantum potest : at peccata et vitia proximorum ipse primas et non rogatus omnibus prædicat. Quid? quod nulla bellua tam est immanis et ferox, quæ beneficiis non placeatur? quin potius canes, et ursos et leones mansuescere videmus, et tractabiles fieri, ac blandiri iis, qui ipsis alimenta præbent : soli sunt invidi, qui beneficiis irritantur, et quo plura et majora recipiunt, eo magis benefactoribus suis potentiam et felicitatem invident.

His vero accedit, quod morbus tam gravis et tam detestandus, pene est incurabilis : siquidem virus in intimis visceribus latet, nec ullus est, qui præ verecundia et pudore ægritudinem suam medico aperire audeat. Dicis invidio, quid mœres? quid affligeris? cur fronte rugata vultuque pallido semper tristitiam in facie præfers? Erubescit confiteri calamitatem, nimirum, invidus sum, affligunt me amici bona, lugeo ob fratris lætitiæ : hæc utique diceret, si vera loqui vellet, sed millies certe mentietur, et quidvis potius finget ac simulabit, quam ulcus suum deteget, atque ita morbus incurabilis intima viscera semper depascitur.

Sed pauci fortasse isto morbo laborant? imo vero nullus est cancer, qui latius serpat; nam et in castris militum, et in prætoriis urbium, et in conciliis Episcoporum et in academiis studiosorum, et in capitulis cano-

nicorum et in cœnobiis Monachorum suum locum habet : in aulis vero et palatiis principum nullus est angulus, ubi non regnet invidia. Et vide quam longe lateque pateat, quando non solum inter homines quoscunque, non solum inter cives, non solum inter cognatos, sed inter ipsos etiam fratres reperitur. Nam ut Romuli et Remi, et alia Ethnicorum exempla prætermittam, quid primos duos fratres Abel et Cain ita disjunct, ut unus alterum occideret? Sola invidia. Quid inter Jacob et Esau, non solum fratres, sed etiam geminos, tanta odia concitavit? Eadem invidia. Quid impulit filios Jacob, ut fratrem suum Joseph in puteum primo deicerent, deinde tamquam vile mancipium venderent? Nihil aliud quam invidia. Quid Mariam sororem Moysis contra fratrem optimum et mitissimum accendit? Similis invidia. Et quid inter ipsos Christi discipulos ante Spiritus sancti in terras adventum dissidia et contentiones serere inceperat, nisi invidia? O invidia, superbiam filia, mater odii, naturæ confusio, monstrum tartareum, calamitas obscurissima. Beati sane, beati prorsus, qui te de cordibus suis expulsa atque fugata super basiliscum ambulare poterunt.

Sec quonam modo id fiet, auditores? Duo sunt remedia contra hoc venenum præ cæteris utilia et salutaria. Unum est sapienter intelligere, nihil esse infra lunam vere magnum et invidia dignum. Sane, fratres, mei, si oculos levare voluerimus, et non solum corticem extrinsecus, sed etiam intus in profundo medullam ipsam rerum humanarum perspexerimus, inveniemus profecto, nihil esse solidum, nihil stabile, nihil pretiosum, nihil diuturnum, præter virtutem, et spem atque amorem sempiternæ vitæ : et eos, quibus invident stulti, non tam invidia, quam misericordia dignos esse. Nam quocumque te veritas, sive ad homines doctos, sive ad homines divites, sive ad homines potentes, ut Salomon ait, ubique est *Vanitas et afflictio spiritus*; et ii soli in hac valle lacrymarum aliquid veri gaudii gustare incipiunt, qui Deo vero et summo rebus omnibus contemptis adhærere student.

Alterum remedium est, sæpe ac serio cogitare, non solum invidos nihil ex invidentia sua lucrari, sed etiam nihil eis nocere, quibus invident. Invidet alicui forte divitias, non propterea tu eris ditior, nec ille pauperior : quin potius Deo providente sæ-

penumero accidit, ut invidus invidioso mirabiliter prosit. Invidit homini Diabolus, Abelo Cain, Jacobo Esau, Josepho fratres, Davidi Saul, Scribæ et Pharisæi Christo. Quid inde factum est? Quis eorum exitus fuit? Invidus Dæmon sempiternis ignibus torquetur; homo invisus ad ipsum divi vitæ solium ascendit. Invidus Cain desperata salute in æternum periit; Abel invisus tamquam signifer quidam hominum piorum primus omnium in civitate Dei scribi meruit. Invidus Esau a Deo odio habitus, a patre exhæredatus fuit : Jacob invisus bonis omnibus divinis atque humanis abundavit. Invidi fratres Joseph inopia et calamitate oppressi in maximis angustiis et miseriis sæpe vixerunt : Joseph invisus dominus Ægypti, gloriosus et magnus evasit, et fratres etiam suos ad pedes suos jacentes sibique supplicantes vidit. Invidus Saul una die regnum et vitam et filios amisit; David invisus ex pastore paucarum ovium, rex et Propheta brevi tempore effectus sanctissime vixit, et felicissime regnavit. Invidi Scribæ ac Pharisæi cum maxima populi parte misere a Romanis obsessi, capti, venditi, trucidati, et præsentem ac futuram vitam simul amiserunt; Christus vero Judæis invisus, morte atque inferno gloriose devictis, cœlique ac terræ imperio a Patre suscepto, et modo regnat, et in æternum sine ullo fine regnabit. Etsi hucusque, auditores optimi, tempus nobis præfixum parum excessimus, tamen reliqua quæ supersunt breviter, Deo juvante, absolvemus; et hic si placet, paulisper quiescimus.

PARS SECUNDA.

Diximus hucusque de aspide et basilisco, nunc de leone et dracone pauca quædam dicenda sunt. Igitur quos Dæmon ut aspis et basiliscus mordere non potuit, eos in leonem repente conversus, rugitu terrere aggreditur. Ejusmodi enim est leonis rugitus, ut et Scriptura dicat : *Leo rugiet, quis non timebit?* et ii perhibeant, qui animantium naturas curiose indagarunt, leone rugiente nulum animal posse consistere, adeo ut etiam illæ bestię leonem timeant rugientem, quæ eum non raro superant ferientem. Ita prorsus, auditores, adversarius noster Diabolus, non tam unguibus et dentibus, quam fremitu et rugitu nos lædit : quos enim decipere

ac devorare non potuit, cum eis somnum ac securitatem suaderet, cum peccata eorum extenuaret, cum spem inanem divinæ misericordiæ illis prædicaret, eos ut leo rugiens perterrere, atque ad ultimam desperationem adducere nititur comminando, intentando et exaggerando divinæ justitiæ severitatem, peccatorum gravitatem, electorum paucitatem, reproborum multitudinem, salutis incertitudinem, pœnitentiæ labores atque imprimis iter durum ac difficile virtutis. Quapropter ut contra morsum aspidis, qui nimis securitatis veneno animam inficit, utile est armari timore : ita contra leonis rugitum nihil salubrius, quam armari fiducia, et multum omnino confidere atque sperare, non in viribus propriis, sed in leone illo fortissimo de tribu Juda, qui leonem istum infernalem usque adeo debilitavit, et fregit, ut solum fremere et rugire, non autem mordere nec ferire possit.

Quarta restat bestia, quæ difficilime omnium conculcatur, ea spiritus est iracundiæ, et draconis nomine designatur : Draco siquidem animal est præ cæteris iracundum et crudele. Quocirca sanctus Joannes in Apocalypsi, ubi diabolum sæpius draconem appellaverat, et eum de cœlo ad terram cecidisse dixerat, continuo subjungit : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus a t vos habens iram magnam.* Draco præterea pestifero atque ignito quodam statu non solum bestias terræ, sed etiam volucres cœli occidere solet, et spiritus iracundiæ id proprium habet, ut non solum homines carnales, qui bestiis terræ comparari possunt, sæpenumero perimat, sed etiam viros alioqui magnos et spirituales, et cœli volucris quam simillimos, aliquando inficiat : multos enim sæpe videmus et dolemus, castos, sobrios, pios, religiosos, bonis operibus deditos, a voluptatibus alienos, qui tamen si vel leviter offendantur, iracundiam tenere non queunt.

Sed prætermitti hoc loco non debet, cum nos iram vituperamus, de ea tantum agere, quæ rationis imperio non obtemperat : neque enim ut invidia, ita ira semper est mala, quin potius si ut canis pastorem, ita ira rationem sequatur, et cum ratio provocat, excitetur ; ratio revocat, conquiescat, non solum non reprehendi, sed etiam laudari debet : alioqui nulla opera heroica, laboriosa, difficilia unquam aggredieremur. Et Scriptura non simpliciter irasci prohibet, sed *Irascimini*, inquit sanctus David, *et nolite peccare.*

Denique et Moyses, qui omnium hominum, mitissimus erat, tamen contra peccatum filiorum Israel ita exarsit, ut multa eorum millia una die necari jussit. Et Sanctus Phinees vehementer commendatur, quod iusta ira contra scortatores inflammatus in ipso scelere virum, et feminam simul necaverit. Et magnus ille Samuel sine ullo crimine ira succensus, Agag regem suis manibus in frustra secuit. Et Elias vir sanctissimus pari zelo quadragentos et quinquaginta falsos Prophetas una die peremit. Et Dominus ipse, in quem peccatum cadere non poterat, zelo honoris Dei vehementer accensus, flagello ex funiculis facto, non semel de templo vendentes atque ementes ejecit.

Itaque ira cum rationem sequitur, merito laudatur et ad opera magna ac difficilia utilis ac necessaria est. at cum rationi non paret, dici non potest quam fœda, quam turpis, quam cæca, quam insana, quam noxia, quam perniciosa sit. Vis fœditatem et turpitudinem ejus videre ? Respice hominem vehementer iratum, videbis eum omnino alium quam antea esset, non secus ac si in theatro personam ebrii vel furiosi agere vellet : intus in corde quasi fornax iracundiæ succenditur, quæ per omnes corporis partes erumpit : per nares fumum, scintillas per oculos, sonum ac strepitum per os emittit : efficitur livida facies et sanguine suffusa, moles corporis tumida, venæ inflatæ, vox aspera, verba mutila, voces inarticulatæ, et sæpe nihil significantes efferuntur. Itaque si tunc seipsum in speculo cerneret, qui ejusmodi est, non posset certe non vehementer erubescere : sicut sane erubescunt et dolent, qui eum diligunt.

Quam vero sit cæcus atque insanus iracundiæ spiritus, nemo est, qui nesciat ; ita enim excæcantur homines irati, ut nec amicos, nec liberos, nec majores, nec magistratus, nec seipsos internoscant. Ut enim torrentes cum ad loca humilia ex montibus devolvuntur, quicquid obviam venerit, secum rapiunt : sic et impetus iracundorum violenti et effrænes per omnia præcedunt : non canities apud iratos venerabilis est, non justitia vitæ, non propinquitas generis, non accepta beneficia, non alia antiqua dignitas ; et neque acies feræ, neque ignis, neque aliud quidquam animum præ ira furiosum cohibere potest.

Quod si forte accidat, ut is qui accipit injuriam, non ferat æquo animo, sed ipse etiam

irascatur, et par pari referat tunc sane spectaculum sit mirabile simul et miserabile: non enim jam homines videntur, sed canes rabidi atque tauri furiosi: et tunc lætatur, et gaudet draco ille tartareus, quod se filios habere videt, qui mores et ingenium suum pulcherrime imitantur. Quare verissime magnus Basilius brevem insaniam iracundiam esse definit: nam ut insani multa faciunt et loquuntur, quæ sani si essent vel in aliis perhorrescerent: sic etiam homines irati eo quandoque progrediuntur, quo se progressos postea vehementer dolent.

Jam vero quod non solum foeda et insana, sed etiam noxia, et pernicioza iracundia sit, frequentes ruinæ atque interitus tot hominum clarissimorum, et familiarum, atque urbium testantur. Ira enim excitat contentionem, contentio parit convitia, et postquam lapides convitiatorum per linguam, veluti per fundam fuerint excussi, et tanquam eminus certatum, deinceps ad manus et facta venit, infliguntur plagæ, ad plagas vulnera, ad vulnera mortes, ad mortes infamia et supplicia publica consequuntur. Judex enim eum, qui vicerat, paulo post agit in crucem, et omnia ejus bona ad fiscum transfert. Ita simul homines iracundi vita et fama et opibus spoliantur, et liberis suis nihil præter extremam inopiam et publicam ignominiam derelinquunt.

At nullumne remedium contra draconem istum reperitur! Multa Dei beneficio et efficacia remedia nobis parata sunt, modo nos eis uti velimus. Initio, cum aliquis tibi facit injuriam, et ad iracundiam provocare nititur, cogita, quam sæpe et quam graviter tu Deum, quantum in te fuit, ad iracundiam tuis flagitiis provocaveris: et quod ille tamen memor pietatis, immemor injuriæ, semper te beneficiis vincere studuit. Nam si talia cogitaveris, erubesces profecto, quod injurias conservorum pati non possis, cum tuas, qui servus es, tam sæpe Dominus pertulerit. Infernalis draco te sibi similem, hoc est, iracundum et ferocem efficere satagit: ita quoque, et Deus te sibi similem, hoc est, mitem et patientem esse cupit: nec alia de causa sæpe contumelias atque injurias tibi fieri sinit, quam ut te probet, ac videat qualem militem habeat. An vero turpissimum non est. imperatore spectante ab hoste, militem facilime prosterni et superari? Cum igitur aliquis te aut verbis aut factis lædit, dicas apud te, jam venit tempus

ut proberis: Deus adest, judex et testis certaminis mei. Volo igitur ita me gerere, ut strenuum Dei militem decet. Si enim milites sæculi imperatore spectante, quamvis pauciores, quamvis inferiores, cedere non audent, quanto magis ego spectante Deo et Angelis ejus pati non debeo, ut ab iracundia superatus videar.

Cogita deinde, quod cum animantia cætera omnia suis armis instructa a Deo creata sint, et alia cornibus, alia dentibus, alia unguibus, alia spinis vel aculeis munita nascantur, solus homo nudus, et inermis nascitur, ut se ad pacem et concordiam, non ad seditiones, et tumultus natum, et eos qui discordias seminant a natura humana ad naturam ferarum degenerare et nothos ac spurios esse intelligeret.

Cogita etiam, eum qui propter injuriam illatam excandescit majus a seipso quam ab hoste detrimentum accipere: hostis enim vel fortunas diripuit, vel famam læsit, vel ad summum corpus vulneravit; ipse vero sibi ipsi in anima peccando vulnus infligit: non secus, ac si propterea quod aliquis tibi vestem laceravit, tu tibi etiam pectus perfodere velles, quæ aperta et maxima insania esset.

Imo vero nemo minus læditur, nemo feliciter injuriam ulciscitur, quam qui eam contemnit, et inimico irato non resistit, sed cedit. Cur bombardarum globi facilius mœnia ex lapidibus, quam ageres ex terra et virgultis dejiciunt? Nonne quia illa resistunt, isti cedunt? Deinde si magno animo injuriam toleras, non irasceris, non commoveris, non respondes, signum est altiozem te esse, quam ut ad te contumelia pervenire possit, et adversarium tuum magis confundis, et etiam erubescere facis, tamquam frustra laborantem: nam qui percutit non sentientem, seipsum excruciat et iracundiam non sedat.

Illud etiam non parum proderit, si homines quasi membra unius corporis esse cogitaveris: certe enim si unum membrum alterum ledat, non cogitas de vindicta. Ut si lingua a dentibus mordeatur, non curris ad tonsorem, nec dicis: Erue dentem istum, quia linguam momordit. At eundem igitur modum, cum quis injuriam tibi facit, cogita unum membrum ab alio lædi, nec ultione sed patientia opus esse.

Quid? quod sicut medici ex ipsa vipera medicamentum contra ejus venenum parant: sic etiam et tu ab inimicis tuis remedium

iræ accipere potes : nimirum si consideraveris quam turpe sit, ut inimicum tuum imiteris, et ejus discipulus fias, contra quem indignaris : nam si par pari referas, et irascenti irasci velis, nonne hostem tuum imitaris? quicquid enim ille facit, et tu etiam facis illi : ruent ipsi oculi, et tibi quoque : ille dentibus fremit, et tu non minus : ille clamat, tu vociferaris : et sicut in silvis echo respondet et resonat, sic et tu hostis tui convicia repetis, nisi quod echo vocem eandem clamanti remittit, tu contumeliam cum additamento reddis : ille te imperitum vocat, tu eum mente captum vocas : ille te vilem, tu eum nebulonem. Magnus error, magna stultitia : dic mihi, miser, nonne moleste fers, quod ille ita insaniat? cur ergo illum imitaris? vel male ille agit, vel bene : si bene, cur irasceris? Si male, cur eum sequeris? Si puer trium annorum aut phreneticus quispiam tibi minetur, num contra eum iracundia succenderis, an potius ejus tamquam infirmi et ægroti misereberis? Cur igitur magni facis verba hominis irati, qui minus consilio et ratione ducitur, quam puer aut phreneticus?

Postremo remedium præstantissimum atque efficacissimum erit, si tibi ipsi irasceris atque ingemiscas, quod tu homo Christianus, luce fidei illustratus, sacris cœlestibus inbutus, Dei atque Angelorum præsidio communitus, propter amorem Dei et vitæ sempiternæ, eam perturbationem vincere non valeas, quam Socrates, Pericles, Diogenes, et alii permulti virorum Ethnicorum propter solam inanem gloriæ cupiditatem mirabiliter superaverunt. Nam ut serpens Moysis serpentes magorum devoravit : ita ira ista sancta iram illam pestiferam excludet, quemadmodum etiam timor gehennæ timorem præsentium suppliciorum, et amor Dei amorem sæculi vincere solet.

At, inquis, ille solus in culpa est, qui ignem primus accendit ; si alius ad iracundiam me provocat, quam culpam ego habeo, si respondeo? Magnam omnino, neque excusa-

tionem obtendere potes. Nam si te quispiam ad furtum faciendum vel adulterium perpetrandum invitaret, et invitanti consentires, numquid propterea nihil te mali fecisse diceres, quod invitatus et vocatus feceris? quin potius magis peccare videtur secundus quam primus, ut Basilius ait, cum duo iratis animis inter se certant : nam iste vidit in altero turpitudinem iræ, et tamen non cavere, sed imitari voluit; ille vero sine exemplo peccavit.

At si contumeliam pertulero, inquires, ignavus et vilis habebor. Imo vero tunc ignavus et vilis non diceris, sed eris, si affectionem istam vincere non potueris : nam si vilis est, qui patienter injurias perfert, ergo vilis Moyses, vilis Joseph, vilis B. Stephanus, viles Apostoli et Martyres fuerunt, imo et Dominus ipse vilis fuit, qui homo Samaritanus ac dæmoniacus contumeliose appellatus, mitissime respondit : *Ego dæmonium non habeo*. Istam iguaviam sibi homines finxerunt, vel potius draco iste tartareus patientiam ignaviam esse docuit : et vere patientia, incuria Diaboli et stultorum ignavia est : at in palatio Dei, in aula summi Regis, magna est fortitudo.

Quamobrem, auditores, si draconem conculcare volumus, discamus injurias pati, et si quis nos viles appellaverit, illud cogitemus, non esse nos majores patre nostro Abraham, qui se terram et cinerem confitebatur. Si quis nos inopes et pauperes dixerit, recordemur nudos de utero matris nos egres- sos, et nudos in sepulcrum redituros. Si quis indoctos et imperitos nos nominaverit, agnoscamus veritatem, non velimus pro umbra falsi nominis litigare. Si quis nos malos et peccatores asseruerit, intelligamus id quoque esse verissimum, et potius humili confessione peccata purgare quam superba defensione augere studeamus. Ita draconem superabimus, Dominum et sanctos imitabimur, et gloriæ coronam in cœlo nobis præparabimus, quam nobis concedat, qui est in sæcula sæculorum benedictus. Amen.

CONCIO XI.

SUPER PSALMUM XC.

DE VERSU XIV. ET PRIORI PARTE DECIMI QUINTI

Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.
Clamavit ad me, et ego exaudiam eum.

SYNOPSIS

Exordii loco, triplici testimonio ex hoc Psalmo eruto probatur protectio sperantium in Deo, experientia scilicet justorum, auctoritate prophetica Ps Imographi, et ipsius Dei approbatione. Deinde ostenditur, tribus ultimis versibus octo beneficiu homini justo a Deo promitti: quæ ibidem pulchra ordine enumerantur. Primum itaque beneficium est liberatio a servitute, ubi duplici libertate explicata vera et falsa, hujus beneficii magnitudinem ex tribus potissimum elucere ostenditur. Primo ex tyrannide libidinum, quo in loco tyrannis libidinis, ambitionis aliorumque vitiorum prolixo et eleganti discursu repræsentatur. Secundo ex horribili stipendio peccatorum, quod est mors; ubi probi agricolis, improbi triremibus addictis assimilantur. Tertio ex infinitis laboribus, quibus Dominus in libertatem pristinam nos restituit; ubi passio Christi summatim perstringitur, et nobis jugiter consideranda per pulchram doctrinam proponitur.

In parte secunda, præmissa explicatione, ad quosnam beneficium hoc liberationis pertineat ad secundum beneficium sperantibus in se a Deo promissum descenditur, quod est singularis quædam providentia, qua Deus in se sperantes, et jam liberatos defendit; quæ vel ex variis nominibus colligitur, quibus ob id appellatur, qualia præter cætera sunt patris,

matris, sponsi, pastoris et custodis, quæ omnia ex sacra Scriptura eliciuntur. Explicatur insuper quibus hoc beneficium providentia sit peculiare, nempe familiariter Deo cognoscentibus. Tertium beneficium est, precum justis exauditio, ubi hujus promissionis et beneficii magnitudo multis exaggeratur, et plurimis sanctorum exemplis probatur. Hujus autem beneficii præcipua causa assignatur et mor cordis, quem parit firma fides et humilitas, quod ad finem usque extendetur.

Quoniam sententia Domini est : *In ore duorum vel trium testium tab t omne verbum,* propter a sanctus Propheta, auditores, persuasum nobis esse cupiens, eos omnes, qui sperat in Deo, certo protegendos ab eo, quod initio Psalmi promittit, tribus uti voluit testimoniis : adduxit primo loco unum ex hominibus justis, qui se experientia didicisse veram esse prophetica hanc promissionem affirmaret ac diceret : *Sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.* Deinde ipse idem Sanctus David sua hac prophetica auctoritate rem eandem confirmavit, cum ait : *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis,* et quæ sequuntur, usque ad eum versum, quem oratione superiore tractavimus : quamvis enim id aliis hominibus non liceret, ut in propria causa testimonium dicerent, tamen Prophetis maxime licebat, qui non ut homines erroribus obnoxii, sed ut instrumenta atque organa, et quasi tubæ

quædam Spiritus sancti loquebantur. Nunc vero tertio ac postremo loco Deum ipsum inducit, promissionem eandem his verbis comprobantem : *Quoniam in me speravit, liberabo eum*, qua oratione Deus sigillatim ex ordine omnia confirmat, quæ hucusque dicta sunt. Dixerat homo justus. *Sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me* : dicit nunc Deus : *Quoniam in me speravit, liberabo eum*. Et dixerat Propheta : *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis et scuto circumdabit te veritas ejus*, hoc est, ut pullus a gallina vel ut miles a scuto, sic tu a Deo, in cujus nomine spem posuisti, protegeris : dicit nunc Deus : *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum*. Dixerat idem Propheta : *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die* : dicit nunc Deus : *Clamavit ad me, nimirum timens a timore nocturno, et a sagitta volante in die, Et ego exaudiam eum*, ne deinceps ullam habeat causam timendi. Dixerat Propheta : *Cadent a latere tuo mille* : dicit nunc Deus : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum*. Dixerat Propheta : *Verumtamen oculis tuis considerabis*, quæ verba ad vitam et gloriam futuram præcipue referri demonstravimus : dicit nunc Deus, eandem vitam et gloriam promittens : *Longitudine dierum replebo eum*

Dicat aliquis, si hæc ita se habent, jam Psalmus totus explicatus est, quid hic amplius hæremus? parum enim certe refert, quod ea, quæ sequuntur in Psalmo sint alia verba, cum non aliam sententiam, sed unam atque eandem cum superioribus contineant. At non ita est, auditores, nondum est Psalmus totus explicatus : quamquam enim propheticas promissiones, de quibus hactenus disseruimus, his verbis Deus confirmet, tamen ita confirmat, ut more liberalium principum generalibus verbis utatur, et eadem beneficia quidem, sed aucta et cumulata promittat : quemadmodum si regi libellum supplicem offerres, quo præsidium peteres adversus unum aliquem hostem tuum : ille vero regali munificentia tecum agere volens, responderet : Sis bono animo, ego patrocinium tuum suscipiam, et non solum ab isto uno, quem times, sed ab omnibus aliis, qui tibi nocere ulla ratione tentabunt, semper defendam et protegam. Ita prorsus et homo justus sibi, et Propheta homini justo protectionem Dei, defensionemque promiserat, contra certa pericula, contra laqueum

venatorum, contra verbum asperum, contra timorem nocturnum. Deus vero ut princeps vere liberalis, generalibus verbis loquitur, et protectionem suam defensionemque promittit, non a certis periculis, sed ab omnibus malis liberabo eum, inquit, et protegam eum, exaudiam eum : atque in summa, octo beneficia pollicetur : quod liberabit a servitute, quod proteget in periculis, quod exaudiet preces, quod consolabitur in calamitatibus, quod ab eis tempore suo eripiet, quod easdem in gloriam et beatitudinem commutabit, quod vitam immortalem et sempiternam tribuet, quod seipsum facie ad faciem exhibebit, in quo plena perfectaque felicitas continetur. Sunt autem hæc beneficia summo ordine hoc loco ab ipso Deo enumerata : incipiunt enim a liberatione, quæ est quasi prima radix, et fundamentum omnium bonorum, et paulatim atque gradatim ascendunt usque ad ipsam summam et sempiternam felicitatem, quæ in Dei contemplatione consistit. Et quatuor quidem priora ad vitam præsentem, quatuor vero posteriora ad vitam futuram pertinent : hic enim impletur quod dicitur : *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione* : in cælo vero erit quod sequitur : *Eripiam eum, longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum*.

Veniamus nunc si placet ad beneficium primum. *Quoniam*, inquit, *in me speravit, liberabo eum*. Magna et expetenda atque imprimis grata et amabilis res est libertas, et quam, ut Tullius ait, non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videmus. Certæ aviculæ, quarum cantu homines delectantur, in caveis inclusæ sine ullo suo labore summo studio nutriuntur : et nihilominus tantus est amor libertatis ut sæpenumero præ mœnore neque canere, neque edere eis libeat, et si possint libentissime fugiant, malintque libere victum cum labore quærere, et sub dio frigore atque æstu confici, quam captivæ in palatiis regum deliciis frui. Quod si bestiis rationis expertibus id accidit, quanti tandem homo libertatem facere debet, qui solus proprie est, liber; et nihilominus contra omne jus, non raro crudelissimis dominis servire cogitur? Est enim, ne quis forte decipiatur et erret, duplex agnoscenda libertas, una vera, altera falsa : vera illa est, quæ animum reddit liberum a tyrannide vitiorum, ut veris et propriis suis operibus

pro arbitrio præsit, quicquid interim de corpore fiat, sive id ligatum, sive solutum sit. Illa vero est falsa, quæ solum corpus efficit liberum, cum interim animus subjectus vitiis et sceleribus miserrime serviat. Itaque neque ego Cæsarem et Alexandrum liberos fuisse dixerim, cum toti pene orbi imperantes, tamen suis vitiis turpissime serviebant: neque contra Petrum et Paulum servos, cum corpore captivi, et catenis ac vinculis constricti, tamen animo toto orbe liberrime vagabantur, et suis litteris tanquam regiis diplomatibus infuitos homines quotidie liberabant. Nam ut homo non corporis membris, sed animi virtutibus a brutis animantibus separatur: ita non corporis, sed animi libertas vera est, et sola hominis appellanda libertas. Quo circa Dominus in Evangelio Judæis falsam libertatem jactantibus, et veram ignorantibus, ac dicentibus: *Semen Abrahamæ sumus, et nemini servivimus unquam*, verissime respondit: *Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati: servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Hoc igitur munus eximium, et singulare veræ libertatis, quo nihil carius, nihil amabilius, que nihil dulcius et placabilius hominum generi dari potuit, nobis Deus pollicetur, cum ait: *Quoniam in me speravit, liberabo eum*.

Cujus quidem doni magnitudinem et præstantiam tribus ex rebus utcumque saltem intelligere poterimus. Ex intoleranda atque immani tyrannide libidinum, ex admirabili atque horribili stipendio peccatorum, ex infinitis sumptibus et laboribus, quibus Dominus in antiquam libertatem nos tandem aliquando restituit. Etenim quæ unquam oratio vitiorum ac libidinum tyrannidem explicabit? Aspice in primis atque intueri quam durum imperium luxuriæ vitium in suos captivos exercent: nam ut veterum Ethnicorum fabulas sive historias omittam, nihilque dicam de Achille, de Sardanapalo, de Nerone, nihil de celebratissimo illo Hercule, qui posteaquam omnia totius orbis monstra devicerat ac domuerat, victus ipse tandem amore cujusdam mulierculæ, deposita clava, assumpta lana et colu, inter mulieres sedere, ac nere et canere cogebatur, propterea quod meretricula ita jubebat, et nisi pareret, graviter minabatur. Ut præteream etiam, quod ipsæ divinæ Scripturæ de fortissimo Sampson ac de Salomone sapien-

tissimo nobis proponunt: quorum priorem, qui neque vinculis teneri, neque portis concludi, neque ab integris exercitibus vinci potuerat, amor tamen unius meretriculæ superavit, atque ad eam calamitatem adduxit, ut oculis privatus in pistrino vice jumentum molam ageret; posteriorem post illam admirabilem ac divinitus infusam sapientiam, post illud cœleste lumen spiritumque propheticum, quo tot libros divinissime conscripsit, post ingentem illam gloriam, qua linguis omnium gentium toto orbe fama celeberrima prædicabatur, luxuriæ vitium tam sæva tyrannide oppressit, ut omnium concubinarum suarum idolis sacrificare, et delubra atque altaria erigere cogere: ut ista, inquam, omnia præteream, et sola quotidiana exempla in medium adducam, intueri quid mulier adultera faciat, ut hujus crudelissimi tyranni imperium exequatur. Scit ipsa quod si forte a viro suo in scelere deprehendatur, sine ulla dubitatione peribit, et in puncto temporis amittet vitam, et famam, et divitias, et animam, et quicquid boni sive in hoc sæculo, sive in futuro expecti potest: et quod simul parentibus, liberis affinibus, toti domui, toti familiæ, toti generi notum infamiæ gravissimam inuret, perpetuamque doloris ac luctus materiam derelinquet: et nihilominus tanta vis est illius affectionis, tam implacabilis tyrannus luxuriæ, ut misera illa femina omnia ista, quamvis aspera et difficilia superare, omnesque molestias et pericula, quamvis horribilia et evidenter devorare cogatur, modo libidinis imperium exequi valeat. Et quis unquam immanissimus tyrannus mancipia sua cum tanto periculo ac detrimento sibi obtemperare voluit? Quid? Quod ita vitia ista hominem totum quasi ebibunt, et omnia ejus tempora sibi vindicant, ut nihil eum aliud unquam agere vel dicere, vel cogitare, vel somnare patiantur. *Vinum et mulieres*, inquit Ecclesiasticus, *apostatare faciunt sapientes*, quia nimirum homines ebrii amore carnalium voluptatum non minus ad alia omnia sunt inepti, et judicio ac ratione privati, quam si ingens poculum calidissimi vini totum ebibissent: neque Dei timor, neque stimulus conscientiæ, neque mors, neque judicium, neque paradus, neque infernus, neque aliud quicquam eos ad meliorem mentem revocare potest; sed quam alte dormiunt ad omnia bona studia, tam diligenter vigilant ad omnia flagitia. Neque solum

corporis membra, oculos, aures, linguam, manus, pedes, sed etiam, quod horribile est, mentem atque intelligentiam ipsam servire cogunt impurissimis cupiditatibus. Si quis conjugem nactus esset nobilem, divitem, castam, prudentem, speciosam, omni genere virtutis et laudis excellentem, ac deinde amore captus alicujus turpis ac vilis ancillæ, conjugem contempta, cum ancilla viveret, ancillam sequeretur, cum ancilla negotia et consilia sua communicaret, atque ad ejus imperium omnes suas opes in ludis et conviviis et potationibus consumeret, et eo non contentus, uxorem etiam compelleret ancillæ obtemperare, et nihil unquam dicere, vel agere, nisi ad nutum ancillæ, quis tantam indignitatem ferre posset? Quis contra ejusmodi hominem non fremeret? Quis miseram conditionem illius nobilis matronæ non deploraret? At longe est gravius et indignius, quod infiniti homines quotidie perpetrant. Quis enim ignorat, mentem rem esse præstantissimam, speciosissimam, carnem nostram vilissimum abjectissimumque mancipium, et vix dignum quod humanæ intelligentiæ famuletur? Et tamen quot, quæso, reperiemus, qui ita sordidissimæ ancillæ afficiuntur, ut nihil nisi de ea cogitare valeant, et non modo corporis membra, oculos, aures, linguam, manus et pedes in obsequium carnis impendant, sed ipsam etiam mentem natura dominam, et partem nobilissimam sui, dies et noctes vigilare et laborare faciunt, ut modos et rationes inveniant, quibus carnis libidini satisfiat. Quid stulti illi homines, qui nervos omnes ingenii intendunt et vires intelligentiæ consumunt, ut scribant carmina amatoria, plena subtilitate atque argutiis, quibus pudicitiam alicujus castæ mulieris expugnare possint, nonne lumen illud animi cœleste ac divinum, quo Deus ipse aliquando conspiciendus erat, detorquent miseri ad vile obsequium nequissimi mancipii? Quid? Illi tam sollicite, tam solerter, tam acute vestium ornamenta, ciborum condimenta, odorum suavitates, ludorum, saltationum, concentuum mixtiones et varietates excogitant, ut ancillæ abjectissimæ appetitionibus inserviunt.

Magna igitur et intoleranda tyrannis luxuriæ, sed non minor ambitionis atque aliorum vitiorum est. Videmus ambitiosos honoris mancipia non agere, quod volunt, non loqui, quod cupiunt, non ire, quo expedit,

sed omnia sua et verba et opera ad id referre, quod jubet ambitio: nimirum ut sint retia et laquei ad auram plausumque popularem aucupandum, ut jam mirum videri non debeat, si imperator Domitianus, tot provinciarum intermissis negotiis, totos dies consumebat in venatione muscarum, quas armatus præacuto stimulo tota aula persequabatur, adeo ut si quis forte quæreret, an aliquis intus cum Cæsare esset, famuli responderent: Ne musca quidem; multo enim profecto stultius est fumum aucupari, quam muscas. Sed vide quam grave jugum ambitio mancipiis suis imponat. Primum eos uno tempore humi cogit repere, et per aerem volare: quis unquam tyrannus talia suis mancipiis impèravit? Et tamen ita res se habet. Siquidem homo ambitione jubente, super omnes ascendere nititur, nulli subesse, omnibus præesse, atque interim, ut eo quandoque perveniat, omnibus se prosternit ac subjicit: ita miser a seipso divisus, secum ipse pugnans exterius præfert humilitatem, interius alit ac nutrit superbiam. Deinde leges hujus atrocissimi tyranni ejusmodi sunt, ut si quis vel jure vel injuria contumeliam vel detrimentum aliquod accipiat, mox actum esse putet de existimatione, nisi primo quoque tempore ulciscatur, et si aliud efficere non potest, teneatur omnino hostem suum ad singulare certamen provocare et potius corpus et animam perdere, quam vel minimam jacturam dignitatis facere. Itaque frequenter apud Italos, apud Hispanos potissimum videre est viros nobiles, ætate atque opibus florentes, ob unum verbum temere prolatum, quo læsam esse existimationem sibi persuadent, tanta pati propter idolum honoris, quanta si propter Deum verum paterentur, Martyres clarissimi optimo jure haberi possent. Nam præter ingens illud periculum, vitam præsentem et futuram simul amittendi, quod adeunt, cum in arenam pugnaturi descendunt, multos menses, et sæpe etiam annos in præparatione consumunt, quo toto tempore longum martyrium ducunt: nam et animus nunquam a sollicitudine, a metu liber est et oneribus continuo exercetur, ac ut Apostolus ait, ab omnibus se abstinent, parce comedunt, parce bibunt, parce dormiunt, de ludis et voluptatibus ne cogitant quidem. Et quis unquam Dionysius aut Phalaris tam severas leges mancipiis suis imposuit ut non liceat verba, quæ so-

lum aerem verberant, et hominem non lædunt, contemnere ac despiciere, sed oporteat propterea et corpus et animam in ultimum discrimen adducere?

Omitto de tyrannide avaritiæ atque aliorum innumerabilium vitiorum dicere, quia nullum unquam exitum oratio reperiret, et cum Psalmographo illud affirmo, omnes peccati servos sedere *In tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro*; quæ enim major cæcitas fingi potest, quam qua ignoret homo seipsum, ignoret Deum, nesciat an vivat, cur in hunc mundum venerit, in quem finem a Deo creatus fuerit, et in primis tot sua vincula et catenas non videat? Quæ vero esse potest mendicitas major, quam quod miser homo infinitas cupiditates, quasi ora infinita, et stomachos infinitos habeat, qui semper latrant, semper petunt, semper esuriunt, etnumquam quidem expleri valent? O misera servitus hominis peccatoris, si eam cognoscit: et miserior, si non cognoscit.

Sed videamus parumper, si placet, quale stipendium pro tantis laboribus famulis suis peccatum rependat. Quod est peccatorum stipendium? Apostolum audiamus: *Stipendium*, inquit, *peccati mors*, et mors haud dubie tam prima, quam secunda. Eant igitur mancipia vitiorum, et fideliter dominis suis inserviant, vigilent noctes et dies, adeant omnia pericula, non parcant sumptibus nec laboribus, ne tanto stipendio forte fraudentur. *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum*, ut cæcitatem atque errorem, vel insaniam potius et furorem tot miserorum defleam, qui pro stipendio mortis æternæ tam grave jugum alacriter ferunt, qui laboribus multo minoribus in momento cælum raperent. Itaque similes mihi esse videntur servi peccati miseris illis remigibus, qui captivi in triremibus detinentur, sicut omnes servi Dei prudentibus agricolis rectissime comparantur; nam et remiges et agricolæ pene semper laborant in fodiendo, sed remiges aquam, agricolæ terram fodiunt. Tantum autem interest inter hæc duo genera fodiendi, ut qui terram fodiunt, frumentum postea metant, qui fodiunt aquas nihil inde lucrentur, nisi verbera: ita prorsus, auditores, laborant homines improbi, laborant etiam probi, utrique patiuntur, utrique sudant, utrique fodiunt: sed homines probi et pii ut agricolæ sapientes terram fodiunt, rem videlicet solidam et fecundam, in operibus bonis

verisque virtutibus se exercent, unde tempore suo vitam æternam metunt: at homines improbi ut remiges miseri triremibus alligati aquam fodiunt, in rebus fluxis, labentibus, sterilibus vires suas consumunt, unde tandem peccati stipendium, supplicia sempiterna recipiunt.

Sive igitur ipsam per se vitiorum tyrannidem, sive stipendium ejus consideres, magna omnino et horrenda ac deploranda est servitus peccatorum. Sed nihil tamen ita miseriam servitutis, et excellentiam libertatis declarat, ut modus liberationis et passio liberatoris. Quanti enim, existimatis, constitit Christo nostra libertas quam nos tam parvi facimus, ut tribus obolis, pro fumo honoris, pro una brevissima voluptate sæpenumero libentissime vendamus? quanti, inquam, Christo nostra libertas constitit? O Christiani, si pretium nostrum intelligeremus, non *Corruptibilibus auro vel argento* redemit nos Deus, *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi*. Nullo sumptu aut labore, sed solo nutu voluntatis mundum totum Dominus creavit: at ut nos de servitute liberaret, in stabulo nasci, in laboribus vivere, in doloribus mori Dei Filius debuit. Et quibus in doloribus? Certe talibus, ut sola eorum cogitatio et expectatio sanguineum sudorem eumque largum et copiosum elicere potuerit: perpessio vero etiam lapides durissimos fregerit, et terram tremere ac cælum ipsum lugere coegerit. Pretiosa libertas, quæ Dei servitute redimitur: nobiles merces, quæ Dei vita comparantur. Intelligebat profecto Dominus, mercator sapientissimus, pretium hujus excellentis margaritæ, quando exinanivit semetipsum, quando formam servi accepit, quando triginta tres annos in fame et siti, in frigore et nuditate, in jejuniis et vigiliis, in itineribus, in persecutionibus, in angustiis vixit, et quando totum sanguinem suum in ligno crucis effundere maluit, quam ut pretiosam istam gemmam extorqueri sibi de manibus pateretur. Intelligamus nos quoque, fratres mei, pretium libertatis, non simus *Ut equus et mulus, quibus non est intellectus*. Agnoscamus gloriam illam eximiam libertatis filiorum Dei, ad quam vocati sumus, quæ mater est omnium bonorum, quæ pacem veram, gaudium solidum, otium beatum, quietem et tranquillitatem sempiternam sola præ-

stare potest. Si Ethnici [Romini tam cruenta prælia gesserunt, tot pericula adierunt, tot mortibus se objecerunt pro falsa et peritura libertate, et tam admirandas res gesserunt, ut Brutus et Torquatus proprios filios trucidarent, Mutius Scævola manum totam in ara ardente combureret, Curtius armatus equo concito in ruptum terræ hiatum se præcipitem daret, duo Decii pater et filius se mactandos hostibus objicerent, Valerii vero et Cincinnati, Curii et Fabricii in extréma inopia sponte sua viverent, alii tam multi cruenta prælia adirent, præsentissimæ morti quotidie se offerrent : quid tandem pro vera et sempiterna libertate facere nos oporteret ? At minora sunt, quæ Deus a nobis requirit, majora quæ pollicetur. Non petit, ut filios interficias, sed ut pauperes Christi loco filiorum habeas : non ut manum igni devorandam porrigas, sed ut a furtis et cædibus illam contineas, atque ad opera misericordiæ extendas : non ut teipsum in præcipitium dedas, vel hostibus mactandum objicias, sed ut pœnitentiæ laboribus corpus tuum castiges, et malas cupiditates in teipso, quoad poteris, occidas : non denique ut in summa inopia vivas (quamquam neque id magnum videri pro cœlestibus divitiis deberet), sed ut tuis contentus aliena non appetas, et opes tuas cum pauperibus fratribus tuis communices. Quod si parva ista pro vera libertate non fecerimus cum his multo majora pro falsa Ethnici fecerint, pudore saltem pungamur : si vero fecerimus, superbia non extollamur.

Hinc verba Christi multum movent, multum etiam movent miracula et opera præclara, quæ in terris gessit : sed nihil tamen ita movet, ut ejus passio, cum quis cogitare incipit, quanta majestas pro vilissimis vermibus, sputa, colaphos, flagella, spinas, et denique ipsam crucem pati voluerit. Videbatur Christus in cruce pendens nihil agere, sed nunquam tanta egit quam tunc : movebat terram, scindebat lapides, frangebat velum, obscurabat solem, aperiebat cœlum, mortuos excitabat : et quod majus est, peccatores ad pœnitentiam convertebat, ita ut a cruce multi redirent percutientes pectora sua, denique tunc implebat, quod dixerat : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Philosophi olim multa dicebant, sed quia parum agebant, et nihil patiebantur, nemini persuadebant : rhetoricam istam ignorabant, quam Dei Filius docuit :

at Apostoli a Christo edocti, simpliciter loquendo, sed multa faciendo, et majora patiundo, quicquid voluerunt, persuaserunt : non voluptates ut Epicurus, sed passiones, dolores, crucem. Et quibus ? Toti mundo, regibus, imperatoribus, tyrannis. Magna igitur vis, magnum robur passionis Domini nostri Jesu Christi.

Consideremus igitur ducem atque imperatorem exercitus sanctorum, audiamus quid de eo in epistola ad Hebræos Apostolus dicit : *Deponentes omne pondus, inquit, et circumstantans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem et confusione contempta : atque in dextera sedis Dei sedet : recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Cogita istum esse auctorem et consummatorem fidei, hoc est, eum, qui donat et coronat fidem, qui est principium et finis, qui est via et vita, qui ducit et qui perducet : qui nunc facit, ut credas et postea faciet ut non frustra credas, cum ipse sit dator et remunerator fidei, qui enim in te cœpit opus bonum, ipse perficiet, et fidem consummabit, hoc est, beata atque æterna visione, commutabit. Aspice igitur istum auctorem et consummatorem fidei, tamquam speculum sine macula, et quasi æneum serpentem in deserto exaltatum : et sicut novi et rudes pictores diligenter aspiciunt insignem aliquem pingendi magistrum, cum forte manus habet in tabula : et tu aspice diligenter peritissimum hunc magistrum patiendi, dum in tabula crucis sanguine suo ipsam ideam patientiæ depingit. Quomodo autem depingat, diximus in parte secunda concionis septimæ de tribulatione. Nunc si placet, parumper quiescamus.

PARS SECUNDA.

Diximus hucusque de magnitudine atque excellentia libertatis, quæ nobis promittitur, cum dicitur : *Liberabo eum* ; nunc ad quos id beneficium pertineat paucis verbis explicabimus, ac deinde de aliis duabus prophetis promissionibus breviter disseremus.

Ait igitur sanctus Propheta : *Quoniam in*

me speravit, liberabo eum. Quibus verbis ostendit, non omnibus hominibus, sed solum spe magna præditis munus libertatis promitti, ubi nomine spei non inanem et mortuam quamdam fiduciam intelligimus, sed spem vivam, et per dilectionem operantem: vel potius ipsam dilectionem, quæ quasi glutino quodam mentem humanam a rebus creatis abstractam ac separatam, cum Deo ita conjungit, ut unus spiritus fiat cum eo: id enim significat verbum Hebræum *chasah*, quod S. Hieronymus ad verbum transtulit, *Adhæsit: Quoniam*, inquit, *mihi adhæsit*, nimirum vinculo dilectionis, *liberabo eum*: quamvis enim multa sint, quæ juvant ad veram libertatem spiritus adispiscendam, tamen ad amorem omnia referuntur. Huc Sacramenta, huc preces, huc psalmi, huc præcepta, huc consilia, huc exhortationes et conciones pertinent, ut homo cum Deo amoris vinculo jungatur: hoc est illud unum, de quo Dominus ait: *Porro unum est necessarium.* Ut enim sola cupiditas facit servum, ita sola charitas facit liberum: et quomodo amor pecuniarum, amor honorum, amor carnalium voluptatum hominem ligat, inebriat, dementat, ut nihil nisi terram cogitare valeat: ita prorsus amor Dei totum hominem absorbet, ei novos oculos, novas aures, novum cor, novum palatum attribuit et mirabili conversione in alium hominem ita eum transformat, ut jam appetat, quod prius horrebat, et horreat, quod prius appetebat, et ei amarum dulce, et dulce amarum, formosum turpe, et turpe formosum esse videatur: et quemadmodum aqua in olla ad focum suspensa, mox ut subjecto igne calorem concepit, naturæ propriæ oblita salit, fervet, adurit, ignem quoad potest, imitatur, tametsi alioqui nihil nisi descenderè et refrigerare noverat: sic et animus humanus flammis divinæ charitatis adeo totus corripitur, accenditur, mutatur, ut de frigido calidus, de obscuro lucidus, de turpi formosus, de terreno cœlestis, de carnali spiritalis, de servo liber efficiatur, et ab apostolo Paulo novus homo, et nova creatura nominetur.

Sed jam ad beneficium secundum veniamus, quod nihil est aliud, quam singularis et continua quædam providentia, qua Deus eos protegit ac defendit, quos de peccati servitute liberavit: *Protegam eum*, inquit, *quoniam cognovit nomen meum.* Porro qualis hæc providentia sit, facile cognosci poterit

ex multis et variis nominibus, quibus propterea Deus in sanctis litteris appellatur: Nam ut omittam quod rex dicatur, quia regit; et dux quia ducit; et medicus, quia sanat: et magister, quia docet, et alia prope modum infinita, sicut vere magnitudo divinæ protectionis est infinita: illud mihi satis esse videtur, quod et pater, et mater, et sponsus et pastor et custos nominari voluit, ut ex tot appellationibus magnum prorsus et admirabilem esse Dei providentiam erga sanctos homines minime dubitarem. Ac nomen quidem patris passim in Scripturis reperitur. *Quomodo miseretur pater filiorum*, inquit Sanctus David, *miserus est Dominus timentibus se.* Et Moyses: *Portavit te Dominus Deus tuus*, inquit, *ut solet homo gestare filium parvulum, in omni via, per quam ambulasti.* Et Dominus in Evangelio tertio fere quoque verbo Deum Patrem suum et nostrum vocat. Quia vero sæpe matres vehementius et magis tenere filios suos diligunt quam patres, et majori studio ac sollicitudine eos tuentur ac fovent: propter hoc Deus non solum paternæ, sed maternæ curæ providentiam suam comparare vel potius anteponeere voluit. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum*, ait Dominus per Isaiam, *ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: ecce in manibus meis descripsi te.* Deus bone, quæ verba majoris benevolentiam dici, aut quæ signa magis teneræ dilectionis dari poterant? Et tamen adhuc ulterius Dei amor progreditur, et quoniam *Relinquet homo patrem, et matrem et adhærebit uxori suæ*, ad providentiam patris et sollicitudinem matris etiam zelum et charitatem sponsi adjungere voluit. Sic enim in Canticis Canticorum passim Deus appellatur. Et per Oseam: *Sponsabo*, inquit, *te mihi in justitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide.* Et erit in die illa, *dicit Dominus vocabit me vir meus, et non vocabit me ultra Baalim.* Quid jam de nomine pastoris dicam? *Sicut pastor*, inquit Isaias, *gregem suam pascit, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, et foetus ipse portabit?* Quanta hæc providentia? Quanta hæc sollicitudo? Et non minorem apud Ezechielem invenies: *Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, ut quod objectum erat, reducam, et quod confractum fuerat, alligabo, et quod infirmum fuerat, consolidabo, et quod pin-*

que, et forte custodiam. Sed nihil majus eo dicit, quod in Evangelio Dominus per seipsum ait : *Ego sum pastor bonus, inquit, et cognosco oves meas.* At quomodo oves tuas, Domine, cognoscis? Quibus oculis eas respicis? *Sicut novit me Pater* : quibus oculis, inquit, me respicit Pater meus cœlestis, illis ego oves meas respicio. Quis explicabit nobis quam benignis oculis summa illa majestas Filium suum unicum, naturalem, optimum, sapientissimum, pulcherrimum, sibi simillimum aspiciat? Si igitur talibus, hoc est, similibus, quantum fieri potest, nos oculis Dei Filius respicit, quid majus, quid felicius ista providentia? Iste vero est aspectus felicis planetæ : hoc est vere natum esse sub clementi sidere. Sed quid si his omnibus addamus, id quod Moyses ait, Dominum justos custodire *Ut pupillam oculi sui?* Et quod ipse Dominus per Zacchariam ait : *Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei?* Quibus enim verbis magis declarari, demonstrari, exaggerari, amplificari poterat hujus providentiæ magnitudo? Quid enim majori animi provisione defendimus quam pupillas?

Magnum igitur et singulare donum est, quod nobis hoc loco Dominus pollicetur, cum ait : *Protégam eum.* Sed audi rationem : *Quoniam cognovit,* inquit, *nomen meum* : nec enim omnium est hoc munus, sed eorum dumtaxat, qui Dei nomina, de quibus jam disseruimus cognoscunt, qui Deum ut Patrem, ut matrem, ut sponsum, ut pastorem, ut custodem suum non verbis tantum, sed re ipsa et factis agnoscere se demonstrant : non enim de quacumque notitia Dominus loquitur, sed de ea, quæ ex intima amicitia et familiaritate nascitur, de qua Isaias : *Cognovit,* inquit, *bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit.* Et Apostolus Paulus : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Et Dominus in Evangelio : *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Cognoscit pastor unam oviculam suam inter mille alienas, nec minus ovis pastorem suum, et vocem ejus agnoscit, nec alia de causa, quam propter diurnam inter eos consuetudinem et familiaritatem. Et nonne vulgo etiam dicimus de iis, quibus familiares non sumus : Non novi hominem; quos alioqui sæpe vidimus, et quorum nomen non ignoramus? Quare non omnis, qui dicit Deo, Domine, Domine, insigne hoc beneficium divinæ pro-

tectionis accipiet, sed qui Deum novit ex amicitia, qui domum ejus frequentat, et ibi alloquitur eum in precibus, et audit eum in concionibus, qui sæpe mittit et recipit munera, mittit Deo sacrificia laudum, et recipit a Deo beneficia gratiarum.

Quapropter recte sequitur in Psalmo : *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum* : quæ est promissio quædam inexplicabilis et infinita : neque enim pollicetur Deus, se hoc aut illud nobis donaturum si postulaverimus : sed effusissima ac regia prorsus liberalitate, nihil se unquam negaturum, modo nobis expediat. *Clamavit,* inquit, vel ut Hebræi legunt, *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum,* nimirum semper, ubique, quicquid clamando petere voluerit. Neque solum hoc loco, sed passim in Scripturis hanc promissionem repeti videmus. Sanctus Moyses : *Non est,* inquit, *alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Qui dicit cunctis, nihil excipit, nihil excludit : et quamvis dum preces fundimus, neminem cernamus, et nemo nobis respondeat, tamen non loquimur parietibus, vel aerem verberamus, sed *Adest sine ullo dubio Deus noster cunctis obsecrationibus nostris. Oculi Domini super justos,* inquit Psalmographus, *et aures ejus ad preces eorum.* Et Isaias : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum.* Et Joannes clarissime : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quicquid petierimus : accipiemus ab eo.* Denique Dominus in Evangelio : *Petite et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis.* Et alio loco : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Et quoniam magnitudo promissionis fidem superare videbatur, iterum et tertio et quarto in duobus exemplis idem repetit, nimirum *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Quæ igitur gratia, quod munus, quod regnum, quod imperium cum ista regia et liberalissima promissione comparari potest? *Quodcumque,* inquit, *volueritis, petetis, et fiet vobis.* O verbum breve : sed incredibiles divitias complectens. O promissionem solo Deo vero et omnipotente dignam : quis enim talia promittere auderet, nisi Deus? Quid enim est hoc aliud quam constituere hominem justum dominum orbis et claves ei concedere

cœlestium divitiarum? et ad quendam modum omnipotentem illum facere? *Quodcumque*, inquit, *volueritis, petetis, et fiet vobis*. Si scirent homines justis ponderibus res æstimare, cui thesauro, cui regno, cui monarchiæ hanc divinissimam ac verissimam promissionem non antepouerent, si *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*? Quanti, quæso, faciunt homines quod aliquid apud regem ea gratia polleat, ut possit de eo, et ejus regno facere quicquid velit? At si hæc ita se habent, quanti tandem fieri debet, quod ea gratia valeant homines justis apud Regem regum, ut ab eo audiant: *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis*?

Ac ne forte sola verba esse credatis, legite vitas et gesta sanctorum. Quid erat quondam videre Moysen solis precibus castra hostium fundere, de lapidibus aquas producere, maria exsiccare, et alia tam multa stupenda atque incredibilia facere? Quale spectaculum cernere Sanctum Josue imperantem soli, ut in medio cœlo cursu cohibito conquiesceret, non secus ac si cœlorum habenas in manibus habuisset? Quid vero, Isaiam audire optionem dantem regi Ezechia, an vellet solem celerius progredi, an etiam retrocedere, propterea quod æque facile unum sibi atque alterum esset? Quid Eliam aspicere, cum aquas et nubes in cœlo suspensas sola prece vel contineret vel laxaret, et ad ejus imperium serenitas pluviis, et pluviae serenitati succederent? Quid Samuel, quid Elisæus, quid Apostoli, quid Martyres non poterant? Nonne sola vi precum morbos curabant, mortuos excitabant, Dæmones fugabant, bestias ferocissimas mansuetas reddebant, ignem extinguebant, paludes siccabant, fontes producebant, lapides mollebant, elementis omnibus imperabant? Quid vero magnus ille Gregorius Thaumaturgus, Martinus, Antonius, Hilarion, Benedictus Bernardus, Franciscus, et alii pene innumerales, nonne prorsus quidquid volebant, tam facile impetrabant, ut Dei potentiam et voluntatem plane in manibus habere viderentur? Certe Sanctus Dominicus cum aliquando singulari atque intimo cuidam amico suo aperuisset, nihil se unquam a Domino petivisse, quin illud continuo obtinuerit, ille vehementer admiratus dixit: Si ita est, pater, pete semel a Deo, ut magister Reginaldus nostri ordinis habitum suscipiat: erat enim magister Reginaldus vir quidam eo

tempore eruditione excellens, sed nihil minus quam de habitu illo suscipiendo cogitabat. Oravit igitur pro ejus conversione vir sanctus illa ipsa nocte, et ecce summo mane cum fratres in choro canerent: *Jam lucis orto sidere*, venit magister Reginaldus, et omnibus stupentibus et gaudentibus ad pedes B. Dominici provolutus, habitum religionis summa humilitate flagitavit. En nobis, fratres mei, quali stipendio etiam hic in terris justorum obedientiam Deus remuneret: ut quoniam ipsi semper erectas habeat aures ad imperia Domini, etiam Dominus semper erectas habeat aures ad preces eorum: et quoniam ipsi Deum semper audiunt, cum eos vocat, sic et Deus semper ipsos audiat, cum ab eis vocatur: et sicut ipsi voci Dei semper obediunt, et voluntatem ejus faciunt, ita Deus precibus eorum modo quodam semper obediat, et *Voluntatem timentium se faciat*.

At cur nos, dicet aliquis, numquam talia experimur? Verbis Sancti Jacobi respondebo: *Petit, et non accipit, eo quod male petit*. Quid facit orationem bonam? Multa numerari solent, sed præcipuum, et in quo cætera continentur, est clamor cordis, id est, fervor animi, affectus vehementis, desiderium ardens. *Clamabit*, inquit, *ad me*, hoc est, non loquetur quomodocumque, sed magna voce clamabit, *Et ego exaudiam*: nec enim Deo, qui est ignis consumens, placere potest oratio frigida et languida, sine spiritu, sine affectu, cum tædio et fastidio, solis labiis pronuntiata. Nec alia de causa oratio comparatur thuri, quam quod veluti thus odorem suum non spargit, nec fumum illum suavem sursum emittit, nisi super ignitos carbonis ponatur, sic et oratio non redolet in naribus Dei, nec sursum ascendere potest, nisi a fornace charitatis procedat. At oratio fervens et ignita quas nubes non penetrabit? Quid a Deo non obtinebit? Nec enim Rhetorica Tullii vel Demosthenis, nec verba diserta atque ornata, sed solæ lacrymæ et suspiria, quicquid volunt, Domino persuadent. Et cur putatis in ipso principio orationis Dominicæ statim nos admoneri, patrem illum nos orare, qui est in cœlis, nisi ut magna voce, vel non tam voce, quam clamore opus esse intelligamus, ut ex loco tam humili ad locum tam sublimem oratio nostra conscendere valeat.

At unde clamorem istum et fervorem hau-

riemus? Unde nascitur? unde procedit? Ex fide et humilitate, qui enim viva quadam et efficaci fide credit, Deum esse præsentem, et se revera ab illa summa et tremenda majestate orantem videri et audiri, quæ *Aufert spiritum principum*, quæ dicit regibus et Pontificibus, migra de corpore, et parere oportet, non potest certe non cum summa attentione et fervore preces suas fundere: nec ego possum, nisi modicæ fidei tribuere, quod tam frigide, tam perfunctorie, tam oscitanter, tot aliis cogitationibus distracti et impediti sæpenumero orationi vacamus, ut nos ipsi non intelligamus, quod dicimus. Audite sanctum Hieronymum de ista fide disserentem, et nostram tepiditatem in seipso arguentem: « Ad orationem, inquit, assisto, non orarem, si non crederem: sed si vere crederem, illud cor, quo Deus noster oratur mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymus rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, incerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, cinere tergerem, hærerem certe trunco crucis, nec prius absisterem, quam misericordiam impetrarem, nunc vero creberrime in oratione mea aut perporticus deambulo, aut de fæ-

nore computo, aut abductu turpi cogitatione etiam quæ dictus erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? Siccine putamus orasse jonam? Sic tres pueros? Sic Danielelem inter leones? Sic certe latronem in cruce? » Hæc B. Hieronymus. Itaque fides ista viva præsentiae Dei, dici non potest, quantum ad clamorem cordis excitandum adjuvet.

Sed non minus juvat humilitas, quæ hominem docet, in quam profundo vitiorum jaceat, quam prope ad ipsas tenebras exteriores accedat, quam procul ab illa summa luce et puritate, in qua Deus cernitur, absit, in quantis periculis et corporis et animi versetur: quæ omnia cogunt hominem velit nolit non superbire, sed timere ac dicere: *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine exaudi vocem meam*. Quare, fratres mei, si promissionem Dominicam nostram facere, et maximum hunc thesaurum ad nos etiam pertinere volumus, clamemus frequenter in cælum, et cum fide atque humilitate clamemus: ita oratio fidelis seque humilitantis nubes penetrabit, et a Deo, quicquid petierit, obtinebit, per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO XII.

SUPER PSALMUM XC.

DE POSTERIORE PARTE VERSUS DECIMI QUINTI, ET DECIMO SEXTO

Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutarem meum.

SYNOPSIS

Ut Ecclesia Catholica tres præcipue dies Christi celebrat, nempe mortis, sepulturæ et resurrectionis: ita cuique fidei tres sunt dies constituti, unus a nativitate usque ad obitum, afflictionis; alter inde usque ad iudicium extremum, quietis; tertius æternæ felicitatis et gloriæ, in quibus Deus promittit se patientiam daturum, liberaturum et glorificaturum, quæ in Joseph et Job completum clare potuit. Quartum deinde producit beneficium, quod Deus iustis promisit, videlicet consolatio in tribulatione; ubi declaratur, tribulationes hujus vitæ esse momentaneas, et probos in afflictione habere cum spinis rosas, impios vero spinas sine rosis, quia etiam quibus ipsi delectantur spinæ sint, uti sunt divitiæ et voluptates. Quomodo in afflictione singulariter Deus adsit iustis, variis exemplis sanctorum probatur, nempe per interiorem quamdam dulcedinem, atque inde colligitur, quam suave sit jugum Domini, et qua ratione voluptatum terrenarum dulcedo cælestem suavitatem excludat.

Pars altera beneficia reliqua a Deo promissa iustis, exequitur, quorum quintum est, ereptio e tribulatione, quod non modo in vita futura homini iusto contingit, sed et aliquando in præsentia, ut in Davide et D. Martino videre est; non tamen id semper, sed suo tempore et quando expedit. Ostenditur præterea

per varia exempla hoc idem beneficium ad iustos, non ad improbos, pertinere. Sextum beneficium est glorificatio, ubi gloriæ descriptione, et duplici acceptione explicata, sanctis hominibus utramque contingere demonstratur: ac in primis famam et nominis celebritatem, quæ quanta sit illis collata, multis amplificatur: deinde bona omnia, quæ tamen vere consistunt in æternitate et felicitate, atque hæc sunt duo postrema beneficia; quo loco per felicitatis genuinam descriptionem eo serio invitamur. Epilogus denique causam reddit, cur Ecclesia Catholica hunc Psalmum nonagesimum quotidie recitari vesperæ præceperit, ut scilicet recensendo pristina beneficia nova accipiamus; ut inde tentator confundatur, ut denique nos ipsos animemus et armemus.

Etsi liberator noster, auditores, annos multos in terris cum hominibus egit, tres tamen in iis sunt dies, quos præ cæteris Ecclesia Catholica mater nostra celebritate præcipua veneratur et colit: dies mortis, dies sepulturæ, dies resurrectionis. Quorum primus dies fuit laborum, secundus dies quietis, tertius dies gloriæ. Quod in capite Christo præcessit, idem in corpore, quod est Ecclesia, et singulis ejus membris reperitur: totum enim fidelium Christianorum tempus, quasi tribus magnis diebus continetur. Quorum primus, qui dies est crucis et afflictionis, ab ortu usque ad obitum in hoc mundo

peragitur. Secundus, qui est otii et quietis, ab exitu animæ de corpore usque ad ultimi iudicii tempus extenditur. Tertius, qui est perfectæ et consummatæ gloriæ, initium quidem habebit in ipsa communi ac generali mortuorum excitatione, sed nullo unquam fine, nullisque terminis claudetur. De hoc triduo versiculus nostri Psalmi, quem hodierna oratione exposituri sumus, agit. *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione : eripiam eum et glorificabo eum*. Idem est enim; ac si apertius dixisset, cum ipso sum die veneris, eripiam eum die sabbati, glorificabo eum die Dominica, et inde quanta sit munificentia et liberalitas Dei, liquido cognoscimus, quia facere novit supra id, quod petimus aut intelligimus.

Dixerat paulo ante : *Clamavit ad me, et ego exaudiam eam*. Certe qui clamat, in aliqua miseria et calamitate versatur, et si quidem vir sanctus et perfectus est, nihil aliud suis clamoribus petit, quam patientiæ donum, ac ut Deus secum in tribulatione sit : si vero homo est imperfectior, non tam patientiæ donum, quam celerem liberationem a Deo precatur. Deus autem, ut petitiones nostras beneficiis suis longe superet, et se nobiscum in tribulatione futurum promittit, quod perfecti postulant ; et nos de tribulatione suo tempore erepturum, quod imperfecti flagitant : et præterea ad vinculum lætitiæ ingentem gloriam additurum, ut sicut aurum de fornace pulchrius et lucidius exit : sic et nos de camino afflictionis splendidiore et formosiores egrediamur.

Porro hujus verissimæ lætissimæque promissionis quasi specimen quoddam et exemplum Deus in sancto patriarcha Joseph nobis omnibus dedit. Fuit enim Deus cum eo in tribulatione, quando eum venditum et in carcere constitutum cunctis gratiosum et et amabilem fecit. Eripuit vero tempore opportuno de misera illa et injusta captivitate, atque ad extremum ita glorificavit, ut eum Ægypti servatorem et dominatorem faceret. Non dissimile specimen hujus promissionis in sancto Job cernere licet. Fuit enim Deus cum eo in tribulatione, cum una die fortunas et liberos et proprii corporis sanitatem amisit, et tamen Deo in corde ejus patientiæ virtutem corroborante, æquissimo animo et summa atque incredibili quadam constantia omnia pertulit : eripuit deinde eum Deus ac liberavit de cunctis afflictionibus atque angustiis suis ; nec diu post ita glorifi-

cavit, ut ei omnia, quæ perdiderat, duplicata reddiderit, præter filios et filias, quas non quidem plures, sed certe meliores et pulchriores a Deo recepit. Nam, ut Scriptura divina testatur : *Non sunt inventæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Job in universa terra*. Cur autem Job omnia duplicata præter liberos acceperit, ea causa est, quoniam gloria ista Sancti Job gloriam resurrectionis communis omnium sanctorum significat, quæ quidem omnia bona, quæ hic propter Deum amittimus, cum fœnore maximo nobis restituet, sed homines tamen nec plures, nec pauciores, quam mortui fuerint in illa die resurgent. Veniamus, nunc, si placet, ad ipsa verba Psalmographi, et singula seorsim ac per se consideremus.

Cum ipso, inquit, *sum in tribulatione*. Quæ causa est, auditores, cur in hac sola promissione Deus verbo utatur temporis præsentis, in aliis vero omnibus temporis futuri ? Cur dicit : *Cum ipso sum in tribulatione*, et non potius ero, cum dicat : *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, eripiam eum, glorificabo eum* ? Magnum sane solatium omnibus miseris calamitosisque hominibus hujus quæstionis explicatio posset afferre, si diligenter, si sæpe, si serio perpenderetur. Quid enim illud *Sum*, quid illa vocula significat, nisi miseras hujus vitæ, cum ipsa vita finiri et sepeliri, et nullum omnino locum in futura vitam beatorum habere ? Mox enim ut anima aliqua sancta e corpore migrat, abstergit *Deus omnem lacrymam ab oculis ejus, et ei neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*. Nec solum ad vitam futuram afflictiones præsentis non transeunt, sed in hac ipsa vita vere individuæ, et momentaneæ sunt, sicut ipsum tempus præsens, quod per illud *Sum*, nobis significatur, nihil est nisi momentum unum tam breve, tam simplex, tam insecabile, ut non tamdiu saltem duret, donec ejus vocabulum totum pronuntietur. Atque hoc est, quod Apostolus ait : *Id, inquit, quod in præsentis est, momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æterni gloriæ pondus operatur in nobis*. Itaque nunquam simul dolores patimur unius anni vel mensis, vel diei, vel horæ, sicut nunquam totus simul unus annus vel mensis vel dies vel hora existit. Et quemadmodum in tempore nihil unquam est præsens, nisi punctum unum : sic et labor, quem toleramus, nunquam est, nec esse potest, nisi momentaneus. Quare

calicem laborum paulatim ac sensim ebibimus, guttæque dolorum minutissimæ in os hominum a Deo liquantur : in futura autem vita flumen gloriæ non guttatim, non sensim in os beatorum infundet Deus, sed ipsi torrenti ac flumini voluptatis os admovebunt, et magnis haustibus tantum capient, quantum potuerunt. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, inquit Sanctus David. Et rursum alio loco : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Nec ideo flumen dicitur gloria illa, quod fluat et transeat, sed quod semper affluat, et ubertate indeficiente sanctorum animos lætitia incredibili et inexplicabili perfundat.

Sequitur *In tribulatione : Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione*. A tribulis tribulationem derivari nemo est, qui nesciat. Scribit vero Magnus Basilius olim terram sine spinis rosas protulisse, sed posteaquam propter Adæ peccatum Deus dixit : *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi*, mox cœpisse spinas sine rosis producere, sed non rosas sine spinis. Id quod nihil aliud significare mihi videtur, quam post Adæ peccatum nusquam voluptatem sine dolore, neque sine tribulatione delectationem reperiri. Sed hoc interest tamen inter homines justos et injustos, quod homines justi habeant cum tribulis rosas : injusti tribulos sine rosis. Illi cum tribulis habent rosas, quoniam sicut, in ipsis abundat propter Christum tribulatio, *Sic et abundat per Christum consolatio eorum*, quibus Dominus ait : *Cum ipso sum in tribulatione*. Impii vero solos tribulos habent, propterea quod in afflictionibus et miseriis suis ad verum Paracletum confugere non didicerunt, neque *Manna illud absconditum gustant, quod nemo scit, nisi qui accipit* : inde supra modum contristantur, plorant, desperant, ponunt *In cœlos os suum*, Dei providentiam et justitiam execrantur, et suis illis blasphemias et maledictis iram Dei magis accendunt, sibi que ipsis durius flagellum iterum acquirunt. Quod si nescio, quas delectationes habere videntur homines mali, non sunt tamen illæ delectationes rosæ veræ, sed apparentes, et spinæ potius dici deberent quam rosæ, cum re vera conscientiam pungant, et pœnitentiam post se relinquunt. Nonne divitiarum mundus ut rosas amplectitur, et tamen Dominus apud Matthæum divitiarum spinas esse confirmat ; et quia non ignorabat aliam esse vulgi opinionem, ideo apud Marcum studium eas aquirendi deceptionem

divitiarum nominavit. Ut enim ii decipiuntur, qui manum extendunt, ut capiant rosas, et interim misere punguntur a spinis : sic et ii decipiuntur, qui sectantur divitias, et nihil inveniunt, nisi molestias. Qui scabie laborant, si perfricent manus, aliquam quidem inter fricandum voluptatem capiunt, sed protinus tam acer dolor atque ardor voluptati succedit, ut valde eos manus fricuisse pœniteat. Pari ratione, auditores, qui scabiem libidinum flagitiis et sceleribus curare volunt, et se propterea sæculi voluptatibus, conviviis, potationibus, fornicationibus dedunt, mox intelligunt, scelere peracto, se non rosas, sed tribulos apprehendisse : nam et conscientia punctionem et vulnus se accepisse testatur, et ardor libidinis tamquam addito fomento magis crevit. Vera igitur consolatio a vero Paracleto petatur qui vere homini justo dicit : *Cum ipso sum in tribulatione*.

Ac nonne semper Deus nobiscum est? Nonne *In ipso vivimus, movemur et sumus*? Nonne etiam *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*? Cur igitur quasi novum aliquid modo promittit ac dicit : *Cum ipso sum in tribulatione*? Vellem sane multi hodie hic adessent eorum, qui in ærumnis et calamitatibus versantur, et fidei corde bonum istum nuntium acciperent, quem Deus ad eos dirigit, cum ait : *Cum ipso sum in tribulatione* : nec enim dubito, quin juxta sententiam Sapientis mallent esse in domo luctus, quam in domo convivii et quod lacrymas suas cum omnibus regum deliciis non commutarent. Deus noster, auditores, propterea quod immensus et infinitus est, et nihil omnino rerum creaturarum sine ipso aut esse aut operari potest, omnia continet, omnia replet, omnia movet, in omnibus operatur, ubique et semper est præsens, et totus. *Numquid non cœlum et terram ego impleo?* inquit *Dominus*. Cæterum præter communem istam rationem, qua Deus ubique, etiam in brutis, et plantis, etiam in rebus inanimis, etiam in Dæmonibus est : sublimiori quodam et feliciori modo, puta per fidem, et spem et charitatem in solis piis et justis hominibus, ut in propriis templis et domiciliis habitat : *Nescitis quia templum Dei estis vos*, ait Apostolus Paulus, *ac spiritus Dei habitat in vobis*? Sed afflictis et calamitosis justis adhuc certo quodam et singulari modo Deus adest, quo aliis justis, qui non pariter affliguntur, non adest : *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione*. In corpore

humano, si membrum aliquod læditur, statim sanguis cæterique humores eo confluunt, et ipse homo ita circa membrum læsum oculis, manibus, lingua, cogitatione totus occupatur, ut reliquorum membrorum non videatur esse memor : ad eundem modum Deus, ut commune caput omnium justorum, mox ut aliquem afflictum esse videt, ad eum ut ad membrum sui corporis læsum advolat, et uberem copiam cœlestium donorum et gratiarum in eum confluit : *Cum ipse*, inquit, *sum in tribulatione*. In domibus bene constitutis, si unus ex filiis ægrotet, nonne mater ita illius unius curam gerit, illum unum fovet, illi uni blanditur, ut sæpe cæteræ proles ei morbum illum et ægritudinem invident? Si igitur hoc natura facit, non faciet auctor naturæ? Si terrena mater hac providentia erga suas proles utitur, cœlestis pater non utetur, qui filios suos tenerrimo, maximo, incredibili atque infinito quodam amore prosequitur? Utitur sane, et non prius videt unum ex justis hominibus afflictum, quin statim ad eum ut ad filium laborantem, cum ingenti affectu et significatione dilectionis accurrit : *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione*. Hoc est discrimen inter Deum et mundum : mundus currit post eos, qui florent, qui lætantur, qui rident, deserit vero eos, qui in egestate, et pressura sunt : Deus autem, quem Patrem orphanorum et iudicem viduarum merito nominamus, illos visitat, cum illis versatur, illos consolatur qui mœrent : *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione*.

At quis tandem est iste modus singularis, quo Deus in animis miserorum habitat? Est, auditores, per intimam quamdam et inexplicabilem dulcedinem, quam Deus in corde hominis patientis latenter infundit, quæ animum ita recreat, et roborat, ut non modo præsentem calamitatem alacriter ferat, sed etiam plures et majores pati cupiat : et cum Apostolo dicat : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio et omnia possum in eo, qui me confortat*. Id quod Servator noster evidenter expressit, cum legem suam, propter quam sæpenumero premimur et affligimur, non lapide, non ferro, non plumbo, non quilibet ligno, sed iugo comparavit : nam illa omnia ab uno portari possunt, iugum nisi a duobus trahi non potest. Itaque nemo inquam collum suum Christi iugo submisit ad libenter pro ipso patiendum, quin ipse adfuerit statim ex altera parte ad compatendum. Quia vero Dominus procerus valde,

imo et gigas est, majorem partem oneris accipit sibi, et iugum ita attollit, ut vix a cervicibus nostris sentiatur. Numquam legistis verba illa Beati Cypriani? « Si vos acies, inquit, vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimiccate constanter? scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, qui non hic est, ut servos suos tantum aspiciat, sed et ipse luctatur in nobis, ipse congregitur, ipse in certamine agonis nostri, et coronat pariter, et coronatur. » Et cur, obsecro, Apostoli et Martyres tanta alacritate ad martyria tamquam ad epulas currebant, et in suppliciis et cruciatibus tripudiabant, Christus autem Dominus et imperator noster in ipsa certaminis ingressione trepidavit? Nonne propterea quod Christus cum iugum traheret, solus erat, nec eum Apostoli vel Martyres adjuvabant, nec ipse seipsum, ut poterat, consolabatur : sancti vero cæteri nunquam soli, nunquam sine Christo, nunquam sine multis et magnis interioribus consolationibus iugum traxerunt : siquidem ipse, qui mare dulcedinis et suavitatis est, non falso ait : *Cum ipso sum in tribulatione*. Sed frequenter id nobis contingit, quod jumento illo, quo Christus in Jerusalem in die psalmarum vehebatur : quoniam enim jumentum illud non intelligebat, quis ille esset, qui sibi insidebat, et latera tundebat, maluisset profecto vacuum, quam oneratum incedere : at si sarcinæ suæ præstantiam cognovisset, o quam libenter etiam decuplo graviores tulisset, et quam magnifice gloriatum de illo suo tam excellenti onere, et honore fuisset ! Ad eundem modum non cogitamus nos, quis ille sit, qui ad nos cum flagello et afflictionibus venit, atque idcirco dolemus, et querimur ; sed si dulcedinem, et suavitatem intelligeremus ejus, qui dixit : *Cum ipso sum in tribulatione*, mallems certe cum ipso inter spinas, et tribulos nudo corpore iugum trahere, quam sine ipso in convivii principum sedere.

Intellexit hoc Apostolus Paulus, qui propterea gloriari se et gaudere dicebat, in tribulationibus suis. Intellexit Apostolus Andreas, qui ubi crucem suam conspexit, præ lætitia gestiens, et seipsum vix capiens, non secus exultavit, quam si thesaurum maximum reperisset. Intellexit Beatissimus Ignatius, qui damnatus ad bestias, non se cum dolore et cruciatu a bestiis discernendum et devorandum, sed contra potius cum delectatione et voluptate se bestiis fruiturum affirmabat :

« Utinam, inquit, fruar bestiis quæ mihi paratæ sunt. » Intellexit Magnus ille Tiburtius, qui cum super ardentem prunam ambulare cogeretur, supra mollissimas et blandissimas rosas incedere sibi videatur. Intellexit ille felicissimus Theodorus, qui temporibus Apostatæ Juliani, cum ab hora prima usque ad decimam crudelissime tortus esset, tunc primum dolere atque angere cœpit, cum de eculeo deponeretur, affirmans sibi juvenem pulcherrimum asituisse, qui se tam dulciter consolabatur, et linteo candidissimo sudorem suum abstergebat, ut sibi non tam in eculeo, sed in paradiso deliciarum fuisse videretur. Intellexerunt denique hoc idem permuti sanctorum, qui cum pacis tempore in Ecclesia florere, et non tam persecutores, vel tortores, quam sectatores haberent, ipsi in seipsos quodammodo sævientes se vigiliis, jejuniis, ciliciis, flagris, aliisque multis magnisque laboribus sæpe supra modum et supra vires affligebant, ut eo modo carnali consolatione penitus destituti, et in afflictionis domicilio sponte sua degentes, illum ad se allicerent atque invitarent, qui ait : *Cum ipso sum in tribulatione.*

Quæ cum ita sint, si nos quoque, auditores, cœlestem ac divinam suavitatem gustare desideramus, terrenis et sordidis voluptatibus nuntium remittamus oportet : non consolatur crucifixus, nisi servos et amatores crucis, neque ii servi, et amatores, sed hostes et inimici sunt *Crucis Christi, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, qui voluntur in flagitiis, iisque in rebus delectantur et gloriantur, quorum eos vehementer puderet, si crucem Domini vere diligerent. Non possumus simul deliciis sæculi frui, non prius manna de cœlo pluet, quam tota Ægypti farina deficiat. « Errat omnino, inquit beatus Bernardus, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno ; charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. » Non putet is, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis posse percipere. Neque id solum propterea, quod *Nulla sit conventio lucis ad tenebras*, sed etiam quod anima dum carnalibus deliciis affluit, in iis quiescit, nec meliora desiderat. At cum terrena consolatio deficit, et cibi, ac potus,

ludorum ac nugarum voluptas subtrahitur, cogitur anima, quæ sine delectatione vivere non potest, alibi ea quærere, atque ita serio ex animo, toto corde se convertit ad Deum, illum quærit, illum sitit, illi suspirat, illi sinum suum expandit, et cum Propheta dicit *Rennt consolari anima mea*. Tum vero Deus, qui suæ promissionis oblivisci, et *Seipsum negare non potest*, prævenit animam desolatam et afflictam *In benedictionibus dulcedinis* et eam tali gaudio replet, quale nunquam experta fuerat et quod mundi deliciis, etiamsi omnes uni concederentur, nihil dubitat antepone, ac demum eam re ipsa gustare facit, quid sit quod legit : *Cum ipso sum in tribulatione*. Et hic pauxillum quiescamus.

PARS SECUNDA.

Etsi divina promissio, quam explicat nobis Propheta, cum ait *Eripiam eum*, quæque nunc suo ordine sequitur exponenda, ad sabbatum futuræ quietis præcipue pertineat, de quo Joannes in Apocalypsi : *Beati*, inquit, *mortui qui in Domino moriuntur : amodo enim jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis ; opera enim illorum sequuntur illos* : tamen etiam tempore hujus mortalitatis non raro completur, ac tum potissimum, cum humana consilia et auxilia magis deficiunt. Sanctissimus quoque David cum aliquando ab exercitu Saulis regis in modum coronæ cinctus, nullum omnino effugium inveniret, et de præsidiis humanis penitus desperaret tunc maxime præsens Dei auxilium sibi, adesse sensit : nuncius enim Deo providente ad Saulem venit, qui diceret : *Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram* : ita Saul re infecta recessit, et David experientia didicit, quid sit, *Eripiam eum*. Ita quoque B. Martinus, ut in ejus vita Sulpitius tradit, cum in Alpibus a latronibus comprehensus, et vinculis constrictus ad loca remotiora tamquam mox necandus abduceretur, interrogatus an timeret, respondit, nunquam se magis fuisse securum, ut qui non dubitaret, ubi desunt humana præsidia, ibi Dei misericordiam minime defuturam : neque spes illa et fiducia eum fefellit ; nam etiam ipse Deo se protegente, nihil detrimenti passus est, et latrones illos, qui se ceperant, retibus verbi Dei vicissim comprehendit, et de latronibus monachos ac de mancipiis diaboli Dei servos effecit.

Dicet aliquis, non omnibus ita hæc contingunt, sed pro uno, qui legitur de calamitate sua ereptus, infiniti numerari possunt, qui non liberantur. Quam multos sæpe videmus homines pauperrimos, multis prolibus oneratos, qui nihil in hoc mundo habent, præter id, quod manuum labore sibi comparare possunt? et tamen eos Deus non modo ab ea difficultate non liberat, verum etiam in morbum incidere, et fame ac siti enecari sinit. Quot etiam reperiuntur homines honorati et probi, qui cum filias habeant, atque honesto matrimonio collocare cupiunt, tamen sinistram quamdam de ipsarum pudicitia opinionem vel suspicionem nescio quomodo in civitate exortam, de animis hominum evellere non queunt, ex quo et nuptiæ filiarum impediuntur, et ipsi mœrore ac tædio contabescunt, nec eos Deus ab ea calamitate liberat? Denique nonne plurimi quotidie vel a Turcis vel ab hæreticis per insidias capiuntur, a quibus miris modis immanissime cruciantur, nec eos Deus ab ea servitute et captivitate liberat? quo pacto igitur verum erit, quod Psalmus ait: *Eripiam eum*. Sed facilis est et aperta responsio.

Primum enim cum Deus ait: *Eripiam eum*, non continuo, neque repente se hominem de miseria erepturum promittit, sed tempore suo: quando videlicet opportunum et commodum, et animæ saluti expedire judicabit, alioquin frustra paulo ante dictum esset: *Cum ipso sum in tribulatione*. Deinde non ad omnes divinæ istæ promissiones pertinent, sed ad eos dumtaxat, qui habitant *In adjutorio Altissimi*, qui totam spem suam ponunt in Deo, et spem sæpe diximus, non mortuam et inanem, sed vivam et efficacem, quæ fidei et charitatis, et conscientiæ bonæ radicibus nitatur. Itaque si hominem afflictum videas gaudere in adversis, Deo gratias agere, in preces et bona opera incumbere, de suo Deo bene sperare, nihil dubites, cum illo esse Dominum, ut eum interim consoletur et reficiat, ac tempore suo cum animæ illius magis expediet, sine ulla dubitatione cum ingenti gloria liberandum. Si vero nihil horum in homine misero reperias, sed omnia contraria, impatientiam, quærimonias, flagitia, desperationem, quid mirum si qui ejusmodi est, non liberatur? Si homo ille pauper multisque prolibus oneratus magis in suis fraudibus, quam in Deo confidit, si sacra et conciones etiam festis diebus omittit, ut in sua officina lucri causa operetur: si quic-

quid tota hebdomada lucretur, id festis diebus in tabernis potando aut ludendo consumit, quid mirum, si proficiat semper in pejus, donec in ægritudinem incidat, et omni ope destitutus misere tandem intereat? Pari ratione, si is qui filias habet, non erudit eas in timore Domini, nec diligenter, ut par est, in earum custodia vigilat, sed cum adolescentibus colloqui et fabulari, tripudiare etiam, et ludere permittit, quid mirum, si postea a malis rumoribus defendere eas non valeat? Quid, tu ipse admoves ignem ad paleas, et miraris, si teter fumus inde nascatur? Tu ipse moves sentinam, et dicis unde nobis iste malus odor? Postremo si is, qui a Turcis vel Hæreticis captus est, se Christianum et Catholicum esse obliviscatur, si malis suis moribus occasionem præbet infidelibus a fide longius recedendi, si non minus prælatis et principibus detrahit quam Hæretici faciant, si denique non alio signo catholicum se prodit, quam juramenti et blasphemiiis, quia nimirum aliis verbis jurat, quam Ethnici et Hæretici soleant, quid mirum si relinquitur a Deo, qui jam antea reliquit Deum? At si homines afflicti spem suam totam in Domino collocarent, si ab eo præsidium et consolationem expectarent, si ei placere atque obsequi toto animo studerent, experirentur profecto verum esse, quod is, qui non mentitur, ait: *Eripiam eam*. Nam quis unquam in majori difficultate fuit quam Daniel, qui in lacum leonum projectus, ad leonum famem suo corpore repleturus, aut ipse fame interiturus erat? et tamen quoniam in Deo spem suam posuit, de utroque periculo gloriose ereptus et liberatus fuit. Quæ mulier unquam graviori nota infamiæ laboravit quam Susanna, quæ a senioribus populi accusata et damnata jamjam ut adultera lapidanda erat? et tamen quia *Erat cor ejus fiduciam habens in Deo*, et quoniam Dei gloriam puditiæque virtutem rebus omnibus anteposuit, cum ingenti gloria conservata fuit. Quis in majoribus angustiis fuit quam Jonas, qui in medio mari ab immani quadam bellua non devorandus, sed jam devoratus erat, et tamen Deus etiam inde eum mirabiliter liberavit. Quæ captivitas horribilior illa trium puerorum, qui manibus et pedibus colligatis in ardentem fornacem tamquam in custodiam detrusi, nullam humanam opem expectare poterant? et tamen adfuit illis Deus, in quo solo sperabant, et ignem in rorem atque ardorem in refrigerium commutavit.

Vere igitur, vere Dominus ait : *Eripiam eum.*

Nec minus vere quod sequitur. *Glorificabo eum.* Est autem « gloria » ut sanctus Augustinus post M. Tullium definivit. « Frequens de aliquo fama cum laude » : is enim gloriam apud homines adipisci dicitur, cujus nomen fama deferente multis innotescit, de quo passim et cum laude homines loquuntur. Quocirca Dominus, quoniam doctrina, virtute miraculis Deum Patrem suum a multis cognosci et laudari fecerat, optimo jure dicebat : *Ego te glorificavi super terram.* Et sponsa in cantico amoris. *Oleum, inquit, effusum nomen tuum :* nam ut balsamum effusum totam domum odore suavissimo complet : sic et nomen Christi ac fama mundum totum Apostolis prædicantibus ita replevit, ut omnium gentium linguis et litteris jam celebretur. Quia vero frequens ista fama, quam gloriam appellamus, semper fundamento aliquo nititur, vel magnarum opum, vel amplissimi honoris vel antiquæ nobilitatis, vel excellentis ingenii, vel eximiæ veræque virtutis, inde factum est, ut etiam ista bona propter quæ homines innotescunt, et clari celebresque redduntur, gloria non immerito nominetur. Quo genere locutionis illud est in Exodo : *Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Et infra : *Habitavit gloria Domini super Sinai, tegens eum nube.* Sive igitur gloriæ nomen pro celebri fama, sive pro ejus fundamento capiatur, ii tandem soli veram et solidam gloriam consequentur, qui crucis ignominiam libenter portaverint, quibus ipse Rex gloriæ dicit : *Eripiam eum et glorificabo eum.* Et si quidem frequentem illam famam cum laude respicias, quid illustris et majus gloria sanctorum? Quis nunc de Prophetis, Apostolis, Martyribus confessoribus non loquitur? Quis eos non prædicat? non colit? non veneratur? Nonne pluris reliquiæ eorum, et panni, ac semicinctia fiunt, quam regum byssus ac purpura? Quid? quod etiam, ut Sanctus ait Leo, in honore transierunt triumphi instrumenta supplicii? Nonne catenæ ac vincula sancti Petri ut alia prætermittam, auro tecta, gemmis ornata, in sacris locis summo studio conservantur? et quod majus et gloriosius est, toto orbe Christiano diem solemnem ac celebrem habent? Neque solum post obitum sed etiam dum hic viveret, ita Deus Petrum Apostolum honoravit, ut ad solam ejus umbram curarentur ægroti : ita Paulum et Bar-

nabam, ut a Lycaonibus dii quidam existimari potuerunt : ita magnum Antonium, ut summi orbis imperatores amicitiam ejus per litteras ambirent : ita sanctum Hilarionem ut Hieronymo teste, magnam vitæ suæ partem gloriam fugiendo consumpserit : ita denique sanctos omnes, ut eorum pedibus cælum et terra, animantia omnia et elementa subjecerit.

Quæ cum ita sint, quis hominum stultitiam et cœcitatem satis admirari poterit? Quid enim plerique modo faciunt : quæ pericula non subeunt, quot labores non suscipiunt, ut gloriam aliquam et celebritatem sermonis hominum consequantur? et venit unus Antonius, homo simplex et expers litterarum, unus Franciscus, pauperculus et sacco indutus, gloriam fugiunt, honores spernunt, aurum ut lutum contemnunt, et brevi tempore majorem gloriam et splendorem apud homines consequuntur, quam illi omnes simul, qui eam tam ardentem dilexerunt et tam sollicitè quæsierunt. Quam multi eorum, qui urbes condiderunt, qui maxima prælia gesserunt, qui summis dignitatibus floruerunt, nunc ne nominantur quidem, tametsi omnibus laboribus suis nihil aliud expectaverint, quam memoriam nominis sempiternam? Deinde pauci illi, quorum nomina in libris veterum nos legimus, quique clarissimi esse videntur, quam sunt, quæso, obscuro, si cum nostris sanctis hominibus conferantur? Quot Christianorum millia reperietis, qui nomen Socratis et Platonis nunquam audierunt? Quot vero, qui Julium Cæsarem et Alexandrum ne fuisse quidem sciunt? At nostros Petros et Paulos, Antonios et Franciscos totus orbis decantat ; non est puer aut mulier, aut hubulcus, aut agricola, qui eos ignoret, et qui eorum signa et imagines non agnoscat. Profer imaginem Alexandri, vix ullus agnoscat : profer Apostoli Petri, omnes noverunt. Postremo, nos qui Philosophorum et imperatorum vitas et nomina legimus, cum eorum aliquando recordamur, quo tandem honore illos afficimus? Certe nullo : at sanctorum hominum memoria cum tam eximia laude ad posteros transit, ut sonis et cantibus et omni celebritate ac veneratione suscipiatur.

Et quæ causa hujus discriminis est, nisi quod mundi sapientes gloriæ fundamenta super arenam posuerunt? Alii in libris gloriam suam ponebant : quid facilius comburitur quam liber? Alii in statuis, quid faci-

lius frangitur quam statua? Alii in ædificiis: quid facilius ruit quam ædificium? Aliqui in magnis opibus: at eæ nonne et a furibus diripiuntur, et a tineis consumuntur, et bello et incendio et aquarum eluvione, et aeris intemperie, et sexcentis aliis modis sæpenumero pereunt? At nostri majores viri sanctissimi et sapientissimi super firmissimam petram fundamenta jecerunt, in fide, in charitate, in patientia, in castitate, in veris solidisque virtutibus, quæ nec a furibus diripiuntur, nec a tineis consumuntur, neque vetustate aut incendio pereunt, excellere et enitere, vere magni et præstantis animi esse putaverunt.

At si tanta est sanctorum gloria apud homines in terris, quanta erit apud Angelos in cælo? Quis erit ille honor, cum nos Deus ipse commendabit? *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Qualis erit illa gloria, cum nos et amicos fideles coram Angelis suis Dominus confitebitur? Qualis vero illa, quam illustris, quam eximia, quam singularis, cum implebitur, quod in Apocalypsi legimus: *Qui vicerit, ait Dominus, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* O gloria incredibilis; et quorum laborum, quorum dolorum, quorum certaminum non obliviscentur ii, qui in ipso Dei throno, ipsius Dei manibus se collocari videbunt? Et in die ultimi judicii qualis tandem illa gloria erit, quando coram omnibus hominibus, qui sunt, erunt, fuerunt, coram omnibus regibus et imperatoribus, coram omnibus Angelis et Dæmonibus, non solum animo gloriosi, sed etiam corpore immortalis, inviolabili pulcherrimo, clarissimo, quibus præditi *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera*, et una cum ipso orbem terrarum primo judicabimus, deinde videntibus omnibus, partim congaudentibus, partim invidentibus, portas illas æternæ felicitatis ingrediemur. O gloria, gloria, merito exclamas, Apostole Paule, *Non esse condignas passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Merito, David sancte, gloria ista oculos tuos perstringit, cum ais: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

Sed veniamus nunc, si placet, ad alteram gloriæ significationem, qua divitias, potestatem, dignitatem atque alia id genus con-

tineri diximus, quibus homines gloriosi atque illustres efficiuntur: nam prior illa gloria, illa celebritas nominis, nihil est nisi umbra quædam, et tamquam cortex hujus veræ et internæ gloriæ beatorum. Et quam multa et infinita bona nomine cœlestis gloriæ significantur omnia tamen ad duo capita noster Psalmus aptissime revocavit, ad æternitatem et felicitatem: *Glorificabo, inquit, eum. Quomodo? Longitudine dierum replebo eum.* Ecce nobis æternitatem; *Et ostendam illi salutare meum*: Ecce felicitatem.

Hæc sunt illa duo bona, quæ *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se*: hæc illa sunt, quæ sola infinitum voluntatis humanæ desiderium explere et satiari possunt. Quid enim aliud appetit, quid quærit omnis homo, nisi bonum sine fine? nisi vitam beatam et sempiternam. Et quod priora quidem illa verba æternitatem indicent, liquido ostendit, quod inest nobis infinitum vivendi desiderium; etiamsi enim quingentis aut nongentis annis ut Adam et Mathusalem viveremus non tamen adhuc essemus repleti: nulla enim dierum vel annorum longitudo aut multitudo replere nos potest, nisi infinita. Qui igitur longitudine dierum se repleturum hominem pollicetur, quid aliud quam ipsam veram et omni fine carentem æternitatem pollicetur?

Sed quid æternitas atque immortalitas nobis prodesset, si semper miseri et calamitosi futuri essemus, qualem certe diabolus, et Angelos ejus, et omnes impios futuros minime dubitamus? Idcirco vitam non solum æternam, sed etiam beatam et felicissimam nobis promittit, cum ait: *Et ostendam illi salutare meum*: ubi nomine salutaris, vel salutem, vel salvatorem intelligere possumus: nam et ostendet nobis Deus, hoc est, donabit, præstabit, exhibebit in illa die plenam et perfectam corporis et animæ salutem, et re vera etiam faciem illam divinam, et omni luce splendidiorem Salvatoris nostri Dei, *In quem desiderant Angeli prospicere*, in illa die nobis ostendet: quo munere nihil majus, nihil sublimius, nihil felicius vel dici, vel cogitari, vel desiderari potest. Non cælum, non terra, non aurum, non argentum, non aliquid creatum, sed ipse creator, summum et sempiternum bonum nobis promittitur: ibi demum mens humana sitim illam sciendi sedabit, cum ipsum fontem veritatis ante oculos habebit: ibi et voluntas humana con-

quiescet, cum eo bono fruetur, in quo cætera omnia bona tamquam in fonte et oceano bonorum omnium continentur: ibi sapientia Salamonis ignorantia quædam, et species Absalonis turpitude quædam, et robur Sampsonis debilitas quædam apparebit. Ibi sancti homines lætabuntur, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda: et cum oculos dirigent in futurum, et aperte videbunt jam deinceps absque ullo fine omnia prospera et secunda se habituros, vitam sine morte, securitatem sine timore, saturitatem sine fastidio, pacem sine bello, ver perpetuum, serenitatem sempiternam, claritatem indeficientem, omnia bona sine ullis malis, o quam vehementer gaudebunt bonorum consiliis acquievisse? O quam suave tunc erit jejuniis et orationibus operam dedisse, miseris ac fallacibus delectationibus caruisse. O quam sapidæ tunc afflictiones videbuntur, quæ nunc tam insipidæ esse videntur. O quam dulcis et speciosus labor pœnitentiæ tunc apparebit, quem nunc ut asperum et amarum horremus: et longissima ætas Mathusalem brevissimum somnum fuisse videbitur: ibi videbimus quam inanes pompæ, quam pauperes divitiæ, quam obscuri honores, quam frivola voluptates, quam ridicula et puerilis gloria illa fuerit, quam hic tanti faciunt homines, ut pro ea vitæ discrimen millies adire non dubitent: ibi omnes intelligent, quod nunc intelligere non possunt, vel non volunt, quod Scripturæ divinæ toties clament: *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus tamquam flos fœni.*

Quæ cum ita sint, auditores, cur tanto labore quærimus paleas Ægypti, quibus terra promissionis, quæ fluit lacte et melle, pene gratis offertur? Cur tanta aviditate bibimus aquas turbidas, quibus fontes vini et suavissimi ostenduntur? Cur frustra et fragmenta panis a Diabolo mendicamus, quibus regnum amplissimum a Deo proponitur, in quo est omne bonum? *Surdi audite, ait Dominus per Isaiam, et cæci intuemini ad videndum: quis cæcus; nisi servus meus? quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus et*

surdus, nisi qui vitam istam miseram et brevem, quæ semper patitur foris pugnas, intus timores, tantum diligit, ut pro ea conservanda nihil non faciat: et vitam illam veram, vitam beatam, vitam æternam contemnit ac despicit? Si tantum invident homines regibus illis, qui multos annos, hoc est, triginta vel quadraginta regnaverunt; et beatos prædicant illos pontifices, qui annos quindecim aut viginti in apostolico throno sedere potuerunt, nonne cæcus et surdus est, qui regnum illud, qui sedem illam non quærit, non ambit, non affectat, cum possit, in qua mille annos et ultra, sine ullo fine felicissime regnabit?

Et hæc de Psalmo, auditores, nonagesimo: qui quia, ut intellexistis, et summatim dicam, continet quanta et quam singulariter ac singulari providentia Deus homines custodit, videlicet justos, quam sollicite, quam benigne, quam amanter, quanta cura ac vigilantia eos de periculis eripere, et salvos atque incolumes conservare solet: Ecclesia Catholica, mater nostra sapientissima, non ignorans magnam esse artem ad nova munera impetranda gratam præcedentium memoriam, in memorem se ostendere volens veterum beneficiorum, diebus singulis ad vesperam, cum laude atque actione gratiarum canit, quanta sibi ac filiis suis Deus ea die de cælo adjumenta præstiterit: ita novo et efficacissimo genere orationis tacite petens; ut etiam nocte ac die sequente pari cura et providentia sibi adsit, seque in omnibus protegat ac defendat. Continet præterea Psalmus noster ea verba, quibus hostis humani generis liberatorem nostrum Christum aliquando tentavit. Ex quo illud consequitur ut cum a nobis Psalmus ille recitatur, tam nobis, quam hostibus singularis illius certaminis memoria refricetur: ac Dæmones quidem Christi victoriæ et suæ confusionis memoriam non ferentes fugiant, nos vero triumphum hodiernum Imperatoris nostri cum cantu et lætitia recensentes, ad fortius atque alacrius pugnandum accendamus.

IN ANNIVERSARIO

B. ALOISII GONZAGÆ

E SOCIETATE JESU

Dicturus aliquid ad communem consolationem et ædificationem in hoc anniversario B. fratris nostri Aloisii, argumentum desumpsit ex initio Epistolæ, quam hoc tempore legimus in sacrificio Missæ. Ejus epistolæ hoc est initium : *Humiliamini sub potenti manu Dei ut vos exaltet in tempore visitationis.* I Petri v. Quæ verba ita proprie et accommodate conveniunt B. Aloisio, ut non casu, sed divina providentia in hunc diem incidisse videantur. Exponam igitur primum solita brevitate sententiam hujus loci : deinde ad vitam et virtutem B. Aloisii quam apte accommodetur, ostendam.

Humiliamini sub potenti manu Dei, etc. Apostolus Petrus monet nos omnes, futuram esse generalem quamdam visitationem, in qua visitator erit Christus ; qui visitantur, erunt omnes homines ; testes erunt conscientia hominum, quæ tunc patebunt ; finis visitationis non erit reformare, corrigere decreta, et ordinationes conficere, sed erit exaltare humilia ad supremam gloriam, et humiliare superbos ad ultimam ignominiam. Ideo hortatur filios suos, et dicit *Humiliamini, etc.* Sed singula verba consideremus.

Primo dicit : *Humiliamini* ; quia in hoc verbo continentur brevissime omnia, quæ necessaria sunt ad salutem ; sunt enim quinque species humilitatis accipiendo largo modo nomen speciei : et de omnibus intelligitur illud, *Humiliamini*. Prima species humilitatis est humilitas intellectus, quæ proprie in fide conspicitur. Non enim difficile est humiliare genua, et reliqua membra, quæ ad nutum obediunt voluntatis : sed humiliare

intellectum ad credenda, quæ non intelligit, altissima humilitas est. Sed magis adhuc alta est humilitas, cum humiliatur ad credenda, quæ videntur repugnare sensibus : ut cum jubetur credere in Eucharistia esse quod non videtur, et non esse quod videtur. De hac humilitate scribit Apostolus II Cor. x : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitimum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Sensus est, quod prædicatio Apostolica miraculis divinis confirmata deprimit altitudinem superbiæ mentis humanæ, quæ extollit se adversus scientiam Dei, id est, adversus notitiam revelatam a Deo ; et adeo deprimit hanc superbiæ, ut intellectum redigat in captivitatem ad obsequium Christi. Proinde fides est humilitas intellectus, qui acquiescit veritati revelatæ, quam non capit, nec videt ; quia sinit se teneri, quasi captivum vinculis auctoritatis divinæ sibi prædicatæ.

Altera species humilitatis est ex parte voluntatis, diffidentia de viribus propriis, et confidentia, sive spes in Deo. Magna enim humilitas est, cum homo quantumvis doctus et potens et virtutibus præditus, non confidit in suis viribus, sed totus pendet ab auxilio Dei : et sperat quidem victoriam de omnibus tentationibus, et coronam gloriæ sempiternæ ; sed non de se præsumit, sed de adjutorio Altissimi.

Tertia species est obedientia, quæ similiter est ex parte voluntatis creatæ ad faciendâ omnia, quæ jubet voluntatis increata.

Humiliavit (inquit Apostolus Philip. II.) *semetipsum factus obediens usque ad mortem*. Ista autem obedientia non potest esse vere humilis et perfecta, nisi cum charitate conjuncta. *Qui diligit me, sermonem meum servabit*; et infra: *Qui non diligit me, sermones meos non servat*. Job. XIV.

Quarta species est patientia, quæ est in voluntate præcipua: sed respicit offensiones et damna, quæ inferuntur corpori, vel honori, vel opibus, sive nostris, sive nostrorum: et hæc virtus *Opus perfectum habet*, ut dicit sanctus Jacobus, cap. I., quia plus est tolerare injurias tranquillo animo, et per hoc subjici, et humiliari inimicis, quam subjici per obedientiam Deo, et ejus vicariis. Ideo Apostolus cum dixisset: *Humiliavit semetipsum factus obediens*; addidit, *usque ad mortem, mortem autem crucis*: id est, factus est obediens usque ad patientiam gravissimæ pœnæ. Et ad Hebr. cap. V. *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*; id est, ex patientia crucifixionis et mortis didicit per experimentum, quæ sit obedientia perfectissima.

Ultima denique est ipsa virtus humilitatis proprie dicta, quæ est virtus, qua homo ex vera notitia sui despicit se, et contentus est recumbere in novissimo loco. Itaque humilitas est vera cognitio sui, qua homo cognoscit, se nihil esse ex se, et quicquid habet, esse donum Dei, qui ita donavit, ut possit etiam auferre; et denique cognoscit, majora esse dona internæ gratiæ et virtutum, quam externa honorum, et divitiarum. Ex hac notitia homo despicit se, quia videt se nihil esse, et nulli se anteponebat, sed omnibus postponit, quia non scit, an ille, qui videtur inferior coram hominibus honore, divitiis, scientia, et similibus, sit forte major coram Deo gratia et charitate. Vel si forte sciat, hodie aliquem esse in peccato mortali; non tamen scit, an sit cras futurus sanctus; neque scit, an sit prædestinatus ad maximam gratiam, et gloriam. Ideo non audet ulli se anteponebat, sed libentissime recumbit in novissimo loco, ut in loco, qui sibi justissime conveniat; neque litigat unquam de præcedentia etiam cum inferioribus. Hoc autem, quod dixi de recubitu in novissimo loco, intelligendum est semper, in præparatione animi; se autem ipsa, quando id expedit ad gloriam Dei. Alioqui enim debet unusquisque sedere in loco, qui gradui, vel officio suo est assignatus. Hinc Dominus dixit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*;

quia in corde debet semper homo se substernere aliorum omnium pedibus: sed externa actione debet sedere in loco suo, sed cum mansuetudine, ut promptus sit non resistere malo, sed vincere in bono malum. Ergo illud *Humiliamini* continet fidem, spem, dilectionem, obedientiam, patientiam, et humilitatem: quæ sunt virtutes necessariæ et sufficientes ad exaltandum hominem in die visitationis.

Sequitur: *Sub potenti manu Dei*; quæ verba continent rationem, cur homo tuto possit, et debeat humiliari. Nam si nos hortaretur Apostolus; ut humiliarem intellectum ad credenda, quæ dicunt Philosophi, vel voluntatem ad confidendum in hominibus etc., non sine causa dubitarem, an esset illi fides habenda. Sed cum dicat: *Sub potenti manu Dei*, nulla ratio dubitandi remanet. Sanctissime enim possumus intellectum humiliare ad credenda quæ Deus proponit, qui potest facere majora, quam nos intelligimus: sanctissime etiam possumus in illo confidere, illi denique penitus subjici, qui potentissimus, et optimus est, et nullus ei resistere potest. Sed præterea significant hæc verba, necessarium esse omnino humiliari Deo, quoniam potest etiam invitos cogere ad obedientiam: et nisi quis sponte ad tempus subjici velit, sive credendo, sive obediendo, sive tolerando, sive recumbendo in novissimo loco; potentissima manus ejus, non ad tempus, sed in æternum, invitos coget humiliari. Qui enim nolunt hoc tempore, quales sunt hæretici, humiliari credendo; post mortem credent, et contremiscent, ut dæmones faciunt: et qui nolunt humiliari de viribus suis diffidendo, et spem suam in Deo collocando, post mortem intelligent, vanam fuisse præsumptionem suam, et inutiliter de viribus suis diffident. Qui etiam noluerunt obedire Deo ex charitate, cogentur obedire ex justa Dei vindicta: neque enim poterunt amplius furari, mœchari, occidere, deliciari etc. Et qui pœnas pro justitia tolerare noluerunt in terris, pœnas gravissimas pro iniquitatibus suis tolerare cogentur in gehenna. Denique qui noluerunt humiliari sub pedibus sanctorum ex virtute Christiana, humiliabuntur sub pedibus dæmonum ex vindicta divina. Hinc patet, quanta sit cæcitas hominum, qui renuunt humiliari ad breve tempus cum spe firmissima præmii sempiterni; cum certo scire possint humiliandos se esse in æternum in supplicii gehennæ:

Sequitur : *Ut vos exaltet in tempore visitationis.* Hoc est præmium humiliantium se coram Deo : et quemadmodum per illud verbum *Humiliamini* ostendimus significari omnes virtutes necessarias ad salutem ; ita per hoc verbum, *Ut vos exaltet*, ostendere possumus apte significari omnes partes gloriæ, et beatitudinis. Nam qui se humiliaverit credendo verbis Dei, exaltabitur ad visionem essentiæ Dei, quæ est altissima Sapientia, ultra quam nihil est, quo intellectus ascendere possit. Ibi enim ad fontem Sapientiæ satiatibur ille appetitus, de quo scribit Philosophus : « Omnes homines naturaliter scire desiderant. » Qui se humiliaverit diffidendo de suis viribus, et in Deo spem suam collocando, exaltabitur ad summam potentiam, ut jam nec cadere, neque impelli, id est, nec peccare, nec tentatione pulsari possit. Qui se humiliaverit obediendo Deo, et vicariis ejus, exaltabitur ad imperium omnium creaturarum inferiorum, ut omnes ei subjiciantur. Qui se humiliaverit patiendo pœnas, et mortem pro gloria Dei, exaltabitur ad immortalitatem, et impassibilitatem, ut nihil ei nocere possit. Denique qui se humiliaverit recumbendo in novissimo loco, exaltabitur super omnes cœlos usque ad participationem throni divini juxta illud Apoc. III. : *Qui vice-rit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ergo vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Venio nunc ad B. Aloisium, in cujus vita perfecte invenio omnia humilitatis genera : ut inde sperare possimus, pervenisse eum ad exaltationem illam multiplicem, quam paulo ante descripsimus. Sed antequam ad ista communia veniamus, tria privilegia in B. Aloisio invenio, ad quæ aspirare non possumus.

Primum fuit, quod vocatus sit a Deo ante primam horam : cæteri enim, juxta parabolam vineæ vocantur hora prima, vel tertia, vel sexta, vel nona, vel undecima ; id est, in pueritia, vel adolescentia, vel juventute, vel maturitate, vel senectute ; sed B. Aloisius vocatus est in ipsa pene infantia ; siquidem anno septimo, qui est terminus infantiaæ vocatus est ad notitiam Dei, ad contemptum mundi, ad vitam perfectam. Ipse enim mihi dicere solebat, illum fuisse annum conversionis suæ : nam ante illum nescio quid cogitare cœperat de gloria militari : sed illo anno, ex mirabili respectu Dei cœpit abjicere desideria omnia sæcularia, et ad perfectionem vitæ christianæ se accingere. Ne-

que fuit illa inanis et puerilis cogitatio, sed omnino seria et matura ; ut perspicuum est ex eo, quod in ea perseveravit, et crevit usque ad mortem.

Alterum privilegium fuit, quod ita fuit præventus gratia castitatis, ut immunis fuerit ab omni inquinamento carnis, et spiritus ; id est, non solum opere, sed cogitatione. Et quamvis multi sint in Ecclesia Dei virgines, multi saltem casti ad longum tempus ; tamen immunes a stimulis carnis nullos novi, præter hunc B. Juvenem : fortasse non desunt alii, sed mihi noti non sunt. Est vero hoc insigne privilegium, et longe majus, quam sit donum resistendi tentationibus. Quod vel inde manifestum est, quod Christus Dominus cum tentari voluerit a dæmone, non tamen voluit de hac re tentari ; multo minus internas suggestiones libidinis pati : neque permisit, ut Matri suæ sanctissimæ turpes cogitationes, et stimuli carnales ingererentur. At qui carent stimulis, carent corona victoriaæ. Verum est ; sed si aliunde gratia, et charitas augetur, feliciter illa jactura compensatur. Quemadmodum qui nunquam peccarunt, ut Christus et B. Virgo, caruerunt sine dubio dono et merito pœnitentiæ ; sed felix est jactura hujus doni et meriti, quæ dono innocentiaæ, et majoris gratiaæ compensatur.

Tertium privilegium fuit carentia distractionum et evagationum mentis in oratione. Quantum hoc sit donum, norunt omnes, qui orationi vacant : nihil enim molestius, sed nihil frequentius patimur. S. Augustinus in Ps. LXXXV. dicit, « Deum ideo vocari mitem, quia tolerat tot evagationes mentis dum oramus. » Et ipse David cum ait II Reg. VII. *Invenit cor suum servus tuus, ut oraret te*, satis aperte significat, difficile esse invenire cor stabile ad orandum, cum nihil eo fugacius sit. Sed quod majus mihi videtur, est, quod cum aliquando ab eo quærem, quomodo posset ita se componere, ad orandum, ut per integram horam non averteret mentem ad alia ; respondebat, mirari se, quomodo posset aliquis adstans coram Deo ad alta cogitanda averti. Itaque ille sicut figebat genua in terra, cum orare volebat ; ita figebat cor in Deo : et adeo immobiliter præsentem Deum cogitabat, et cogitando intuebatur, ut toto eo tempore non senserit, quid in cubiculo fieret, si quis introiret, vel egrederetur. Mittuntur enim frequentissime a superioribus visitatores, ut cognoscant, an aliquis

tempore orationis desit sancto operi. Sed ille nunquam advertit, se visitatum fuisse. Sed his omissis, quæ inimitabilia sunt, veniamus ad illas virtutes, quas sub nomine humilitatis contineri diximus; ut discamus exemplo perfectissimi Juvenis nos imperfecti senes, quæ sit via ad vitam: neque enim turpe nobis videri debet a juniore discere. *Qui super senes intellexit.*

Prima igitur est fides, quam humilitatem intellectus esse diximus. In hac virtute quantus fuerit B. Aloisius, ex duplici exemplo discemus. Solebat ipse tam diligenter se ad sumptionem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti præparare, ut totam hebdomadam insumeret ad communionem die dominico percipiendam: singulis diebus certa pietatis exercitia perficiebat, quibus animam suam, quasi thalamum sponsi, vel purgaret, vel ornaret. Hæc tanta præparatio argumentum certissimum est maximæ et ferventissimæ fidei, quam de vera præsentia Domini in Sacramento habebat; quemadmodum negligentia præparationis modicæ fidei signum est: quod enim dicit Apostolus de iis, qui *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; in hujus Sacramenti digna susceptione præcipue locum habet. Quomodo enim fieri potest, ut quis actuali fide certo credat Dominum majestatis in eo Sacramento vere esse præsentem, et tamen imparato animo accedat, et distracto, et frigido corde tantum mysterium tractet?

Alterum, in quo maxima fides B. Aloisii elucet, est contemptus rerum præsentium; illi enim soli vere contemnunt præsentia, qui serio ac perfecta fide credunt futura. Si diceretur alicubi latere ingentem thesaurum, et sane multi audientes non moverentur ad illum quærendum; aliqui autem pauci continuo accurrerent, et relictis omnibus, toti essent in eo quærendo; certe possumus dicere, priores non credidisse, quod audierunt de thesauro abscondito; posteriores vero credidisse. Sic igitur, qui non laborant, forte etiam non cogitant de via æterna adipiscenda, non videntur credere, aut certe non valde credere: non actualiter, et serio credere, esse post hanc vitam aliam vitam sine comparatione feliciorum. Sed qui dimitunt omnia, et, ut Apostolus dicit, *Ab omnibus se abstinent*, et totis viribus laborant, ut Deo placeant, et ad bravium supernæ vocationis expediti currant; ii vere ostendunt, se credere quæ fides catholica docet de vita beata sanctorum, et de suppliciis

impiorum æternis. Quam excellenter hoc B. Aloisius fecerit, patet ex eo, quod sponte dimisit temporalem principatum, et ea, quæ principatum consequentur, opes, honores, delectationes, et vitam pauperem, et abjectam suscepit: ac ne forte, dimisso temporali principatu, ad ecclesiasticum principatum postea aspiraret: cum ordinem religiosum elegit, ex quo non patet aditus ad ecclesiasticas dignitates, nisi præcisa obedientia: quod rarissime contingit.

In secunda specie humilitatis, quæ est diffidentia de propriis viribus et confidentia in Deo, B. Aloisius maxime enituit. Nam cum polleret tam insigni dono castitatis, ut supra diximus; tamen non audebat ulli se periculo exponere: atque adeo rigidus erat in castigando corpore jejuniis, et pœnitentiis cæteris; ac si his remediis ad comprimendos carnis stimulos valde indigeret: et usque adeo diligens erat in fugiendo aspectu ac familiaritate mulierum, ut ne matris quidem faciem intueri auderet. Denique in ultima ægitudine rogatus a me, ut pro sua vita longiore Deum oraret, negavit, se id facturum, quia non sciret, si diutius viveret, an perseveraturus esset in bono proposito: ita parum de suis viribus confidebat.

In tertia specie, quæ est obedientia in charitate fundata, maxime B. Aloisii virtus apparuit. Nam primum mandatis Dei, et Ecclesiæ toto vitæ tempore ita exacte paruit, ut, iudicio confessoriorum qui ejus generales confessiones audierunt, quorum unus ego sum, numquam lethale crimen admiserit; ac per hoc nullum præceptum violaverit: peccata enim venialia non sunt proprie contra legem, sed præter legem. Deinde omnes gradus perfectæ obedientiæ in religione ita conscendit, ut pro eo tempore, quo cum illo versatus sum, numquam viderim, illum ad imperia superiorum vel tristiorum factum, vel aliquid replicasse, excepta repulsa in pœnitentiarum petitione; in his enim solis modeste aliquando replicabat, instantius flagitando mortificationes. Humiliavit ergo semetipsum ad imitationem Domini sui factus obediens usque ad gravissimas mortificationes; quas non solum numquam recusabat, sed magno semper desiderio expetebat.

Quid jam de patientia dicam, quæ est quarta species humilitatis? Primum magna parte vitæ suæ dolores capitis patiebatur; sed patientia tam perfecta, ut nunquam quereretur. Deinde tanto fervore serviebat pauperibus in hospitalibus maximo suo labore

et fatigatione, ut ipse etiam quodammodo miraretur, et mihi paulo ante ultimam suam ægritudinem, ex qua mortuus est, dixit, se omnino existimare brevi se moriturum. Dicebat enim, ideo sibi dari tam ingens desiderium patiendi, et laborandi in auxilium pauperum; quoniam parum temporis sibi supererat ad serviendum Deo in hac vita et ad participandum calicem passionis Christi. Denique in ipsa ægritudine, quæ longissima fuit, summum patientiæ exemplum præbuit, nam cum vix aliud in ejus corpusculo remansisset præter ossa et pellem, et ex diuturna cubatione plagæ in ejus lateribus natae fuissent; tamen interrogatus, quomodo valeret, respondebat hilari vultu, se bene valere.

Restat humilitas, quæ omnino in eo insignis fuit: ita enim recumbebat in ultimo loco, ut etiam coadjutoribus temporalibus cederet: et qui vix famuli ejus in sæculo esse potuissent, eis locum digniorem concederet iter ambulandum per urbem. Vidi ego illum aliquando ad sinistram coadjutorum temporalium in plateis; et sicut ejus humilitatem admiratus sum, ita seorsim postea coadjutores officii admonui. Atque hoc quidem unum est exemplum de multis; nam tota ejus vita humilitas fuit. Optabat nesciri statum suum priorem; cupiebat vilissimas vestes sibi dari; ambiebat officia infima, atque in primis illa, quæ alii fugiebant; quale est officium erudiendi pueros in ultima schola, et similia, et hæc quidem sine ulla affectatione: ut vere apparet eum cupivisse despici, non humilem prædicari.

Ad hæc omnia accedebat ingens desiderium vitæ beatæ ex puro amore Dei. Hinc enim rogatus a me, ut supra dixi, ut oraret pro longiore vita sua, quia eam ego censebam utilissimam tantæ juvenum multitudini, quantam in collegio habebamus, respondit: « Pater, nullam majorem gratiam Deus hominibus præstare solet, quam ut eos vocet de hoc sæculo, quando in gratia ejus sunt. Ego igitur, qui ex infallibili dono ejus fiduciam habeo magnam salutis, si nunc moriar; quomodo possum rogare, ut detinear in hoc sæculo, ubi tot sunt pericula et tentationes? » Hinc etiam de vita futura sanctorum libentissime loquebatur, et cum a me audisset posse fieri, ut recta post mortem evolaret ad Deum videndum; tanta lætitia repletus est nocte sequente, ut cum magnam noctis partem in cogitatione vitæ beatæ consumpsisset,

putaret brevissimam illam contemplationem fuisse, et miraretur valde, cum cognovisset totam fere noctem in ea fuisse consumptam. Hinc denique factum est ut mortem non horreret; sed ipsemet rogatus a me ut moreretur, quando sibi videretur tempus commendationis animæ, placidissime admonuit: et ego statim commendationem animæ legi, ipso respondente ad singula, ac si non ejus, sed alterius animam commendarem. Et quid mirum, si anima tam pura, et quæ ab infantia Deo tanta animi devotione servierat, in exitu hilarescebat? mortem non timebat? dissolvi, et esse cum Christo desiderabat? Vere igitur credere possumus, eum, qui sic se humiliaverat sub potenti manu Dei, fuisse exaltatum in die visitationis ejus particulari, et rursus exaltandum coram toto mundo in die visitationis ejus generali.

Esse autem vere exaltatum ad visionem Dei, et admixtum esse spiritum ejus spiritibus Angelorum et sanctorum in cælo, præter testimonium vitæ ejus, facile credere possumus ex testimonio divino tot miraculorum, quibus in omnibus terræ partibus coruscat. Nam post B. Patrem nostrum Ignatium, et Sanctum ejus collegam patrem Franciscum Xaverium, non habemus alium, quem Deus in Societate ita illustraverit, ut hunc beatum Juvenem: cum tamen plurimi fuerint in Societate viri perfectissimi, et Martyres etiam gloriosi. Sed complacuit sibi Deus in servo suo Aloisio; et sicut ex utero matris eum sibi consecravit; ita post mortem voluit miraculis exaltare; et nemo potest dicere Deo: Cur ita facis? Sed fortasse placuit Deo, hunc præ cæteris exaltare, ut multitudo juvenum, non solum qui in societate vivunt, sed etiam qui scholas ejus frequentant, animentur ad perfectionem, et intelligant, nullam esse immaturam ætatem Deo, et posse etiam juvenes ad omnem gradum perfectionis ascendere.

Reliquum est, ut Deo primum gratias agamus, quod nostris diebus tam insignem lucernam ardentem et lucentem accenderit. Deinde ut hoc tam præclarum lumen jugiter attendentes, ipsum sequamur in hoc itinere caliginoso. Denique ipsum etiam pie invoceamus, nos præsertim, qui ejus reliquias possidemus, et qui comites ejus in hoc sæculo fuimus: ut ejus intercessione, quo ipse præcessit, ipsi quoque perveniamus.

- IV. Concio de beatitudine cœlesti, et gloria beatorum. 446
 V. Concio de miseria humanæ vitæ. 456

Sequuntur Conciones quinque super Missus est, etc.

- I. Concio super *Missus est Angelus*, etc. 469
 II. Concio super eodem. 478
 III. Concio super eodem. 487
 IV. Concio super eodem. 495
 V. Concio super eodem. 504

Sequuntur Conciones duodecim, totidem argumenta continentes, ad hominem Catholicum in sua fide confirmandum, et hæreticum a perfidia sua convertendum.

- I. Concio de lumine fidei. 515
 II. Concio de antiquitate catholicæ fidei. 520
 III. Concio de multitudine credentium et firmitate nostræ religionis. 525
 IV. Concio de veritate et consonantia catholicæ doctrinæ. 530
 V. Concio de puritate catholicæ doctrinæ. 537
 VI. Concio de gloria miraculorum. 543
 VII. Concio de miraculis hæreticorum. 549
 VIII. Concio de dono prophetiæ. 556
 IX. Concio de probitate doctorum Ecclesiæ et sceleribus hæreticorum. 561
 X. Concio de comparatione veterum et recentiorum hæreticorum quantum ad fidem. 567
 XI. Concio de moribus hæreticorum veterum et novorum. 572

- XII. Concio de moribus hæreticorum, efficacia doctrinæ Catholicæ, testimonio adversariorum. 578

Sequuntur Conciones octo de tribulatione.


- I. Concio de Tribulatione. 587
 II. Concio de eadem. 595
 III. Concio de eadem. 603
 IV. Concio de eadem. 611
 V. Concio de eadem. 619
 VI. Concio de eadem. 628
 VII. Concio de eadem. 638
 VIII. Concio de eadem. 649

Séquuntur Conciones duodecim super Psalmum nonagesimum.

- I. Concio de psalmo XC *Qui habitat*. 661
 II. Concio de primo versu ejusdem psalmi. 669
 III. Concio de secundo versu. 677
 IV. Concio de versu tertio. 686
 V. Concio de versu quarto, et priore parte versus quinti. 695
 VI. Concio de versu quinto et sexto. 704
 VII. Concio de versu septimo et octavo. 713
 VIII. Concio de versu nono et decimo. 721
 IX. Concio de versu undecimo et duodecimo. 730
 X. Concio de versu decima tertio. 740
 XI. Concio de eodem habitæ iu Dominica Palmarum. 750
 XII. Concio duodecima super eodem psalmo, habitæ in Dominica Passione. 760

FINIS TABULÆ CONCIONUM.





DOES NOT CIRCULATE

DOES NOT CIRCULATE

BOSTON COLLEGE



3 9031 01234021 2

95006

DOES NOT CIRCULATE

